


ex libris Balth. Kauff

APPARATUS ERUDITIONIS AD JURISPRUDENTIAM PRÆSERTIM ECCLESIASTICAM,

in quo reviſo, auctoque
Præter Juris Univerſalis Principia,
JUS NATURÆ, GENTIUM, DIVINUM,
APOSTOLICUM, & PONTIFICIUM, JUS SYNODALE
OECUMENICUM NATIONALE AC PROVINCIALE,
Unacum
Provinciarum ac Regnorum Eccleſiaſtico & Politico
Statu, Diſciplina Eccleſiæ, Hæreſibus exortis &c. continua Sæculorum
ſerie ad præſens usque tempus deductum, inſertiſque in hac præſertim
nova editione pro re nata multis obſervationibus criticis, ac
controverſiis Juridicis, Publicis, ac Polemicis
METHODO HISTORICO-DOGMATICA
colliguntur, & brevi ac clara idea delineantur,
In Utilitatem eruditionis amantium, quibus vaſta Conciliorum, Decretorum,
Hiſtoriarum &c. volumina perlegendi aut occaſio aut tempus deficit,

AUTHORE
P. JOSEPHO BINER, S. J.
SS. Theol. & SS. Canonum Doctore, horúmque in alma Cæſareo-Leopoldina
Univerſitate Oenipontana, nunc in celeberrima Epiſcopali Academia Dilin-
gana, Profeſſore Ordinario ac Publico.

PARS I.

De Jure in genere.

A. Rosentretter p: t: Semin: Herb: reg: H: 1757.

Editio Tertia auctior.

CUM FACULTATE SUPERIORUM AC PRIVILEGIO CÆSAREO.

Auguſtæ Vindelicorum & Friburgi Briſgojæ,
Sumptibus Fratrum IGNATII & ANT. WAGNER Bibliop. MDCCLIV.

PRÆNOBILI, MAGNIFICO

AC

EXPERIENTISSIMO DOMINO

DOMINO

RECTORI,

Plurimum Reverendis, Prænobilibus, Excellentissimis, Profundissimis, Consultissimis, Experientissimo, ac Clarissimis Dominis, Dominis Regentibus, cæterísque Professoribus, ac Patribus Academicis Amplissimis Almæ, Perantiquæ, Cæsareo-Regio-Archi-Ducalis Anterioris Austriæ Universitatis Friburgo-Brisgojicæ,

Prænobili, Excellentissimo & Experientissimo Domino JOSEPHO LAMBERTO BAADER, AA. LL. Philos. & Med. Doctori, Institutionum Medicar. Professori Ord. & p. t. Rectori Magnifico.

Plurimum Reverendo, Prænob. Excellentiss. et Profundiss. D. JOANNI FRIDERICO DE KREYSSER, SS. Th. Doctori, Sac. Scripturæ Professori Ord. Commissario Episcop. Ven. Cap. Rur. Brisac. Ex-Decano, Parochiæ & Ven. Chori Friburg. Rectori, ac p. t. Facult. Theol. Decano.

 Pluri-

Plurimum Reverendo, Religiosiss. & Profundiss. Domin. Patr. FRANC. XAV. MELBAUM, S. J. SS. Theol. Doct. ejusdémque Professori antemerid.

Prænob. Excellentiss. & Consultiss. D. JOANNI GEORGIO SIGISMUNDO STAPFF, J. U. Doct. SS. Can. Jur. Publ. Naturæ & Gentium Professori Ord. & p. t. Facultatis Juridicæ Decano.

Prænob. Excellentiss. & Consultiss. D. FRANCISCO ANT. VIRGILIO REINHART DE THURNFELS, J. U. Doct. Pandect. & Juris Crim. Professori Ord.

Prænob. Excellentiss. & Experientiss. D. PHILIPPO JOSEPHO STROBEL, AA. LL. Phil. & Med. Doct. Therapiæ Profess. Ord. ac Primario, & p. t. Facultatis Med. Decano.

Plurimum Reverendo, Religiosiss. & Clariss. D. P. HENRICO SAUVAGE, S. J. AA. LL. & Phil. Doct. Historiarum Professori Ord. & p. t. Facult. Philos. Decano.

Prænob. & Clariss. D. GEORGIO JOSEPHO DREYER, J. U. Licent. Syndico & Notario.

NEC

NEC NON RELIQVIS

DD. PROFESSORIBUS

Plurimum Reverendo, Prænob. Excellent. & Profundiss. D.

JOANNI PETRO BERIER,

SS. Th. Doct. Controversiar. Fidei Professori Ord. Parochiæ Rectori in Burckheimb, Ven. Capituli Ending. Jurat.

Plurimum Reverendo, Religiosissimo & Profundissimo D. P.

AMANDO GRONNER,

S. J. SS. Theol. Doct. ejusdémque Professori Pomerid. Ord.

Plurimum Reverendo, Religiosissimo & Profundissimo D. P.

SEBASTIANO ZINNAL,

S. J. SS. Theol. Doct. ejusdémque in Moralibus Profess. Ord.

Prænobil. Excellent. & Consultiss. D. ANDREÆ HAAS, J. U. D. Institut. Imperial. & Jur. Feud. Profess. Ord.

Prænobil. Excellent. & Consultiss. D. JOANNI CHRISTOPHORO IGNATIO FRÖLICH DE FRÖLICHSBURG, Prov. Tyrol. J. U. D. Codicis Prof. Ord.

Plurimum Reverendo, Relig. & Clariss. D. P. CAROLO HOLL, S. J. Metaphysices Prof. Ord.

Plurimum Reverendo, Relig. & Clariss. D. P. VIRGILIO KRÖLL, S. J. Prof. Logices Ord.

Plurimum Reverendo, Relig. & Clariss. D. P. IGNATIO STATTLER, S. J. Matheseos Prof. Ord.

Plurimum Reverendo, Relig. & Clariss. D. P. JOSEPHO EPPENSTEINER, S. J. Rhetorices Prof. Ord.

DOMINIS AC PATRONIS SVIS
PERQVAM GRATIOSIS.

PRÆ-

PRÆNOBILIS

AC

MAGNIFICE DOMINE DOMINE

RECTOR,

Plurimum Reverendi, Prænobiles, Excellentiſſimi, Profundiſſimi, Conſultiſſimi, Experientiſſime, Clariſſimi Domini Regentes, cæteríque Profeſſores, ac Patres Academici Ampliſſimi etc.

DOMINI DOMINI AC PATRONI PERQVAM GRATIOSI.

Liceat famulorum minimis Veſtram, Almæ Univerſitatis Rector, Regentes, ac Patres Academici Ampliſſimi, Patroni perquam gratioſi, implorare denuo benevolentiam, tot jam aliàs nominibus cumulatam, quot ab Eadem in nos quadriennio abhinc in hanc usque horam profluxêre gratiæ, exquiſitæ prorſus, ac ultra meritum ſingulares. Vobis debemus, Patres Ampliſſimi, quòd connitente potiſſimum immortali nominis Viro, atque Almæ Univerſitatis Veſtræ ornamento ſane Magnifico, FRANCISCO

 LEO-

LEOPOLDO WAIZENEGGERO p. m. omnium primo ad hoc Veſtrum ſtudiorum nobile Athæneum nobis accedere, atque ſub Ampliſſima Veſtra Protectione Civitate Academica in hoc usque tempus frui licuit, edito etiam gratioſo decreto, quo primo fratrum alterum natu majorem, poſtmodum etiam annis minorem Bibliopolæ Academici re, ac nomine inſignire non eſtis dedignati. Tantæ, tamque inſigni Veſtræ benevolentiæ tantum cum debeamus, en Vobis de novo ſupplices, ut animi in omne ævum devinctiſſimi qualequale demum gratitudinis monumentum liceat offerre. Eum in finem librum Vobis, recentibus typis jam tertio edendum, profundiſſima cum ſubmiſſione offerimus, Veſtro Omnium Nomini Honorique ex merito inſcribendum. Eſt ille Authoris celeberrimi, inſignium antehac palmarum contra Tigurinos Concertationibus Polemicis Victoris famoſi, quem vocat, Apparatus Eruditionis ad ſacram, & profanam Jurisprudentiam, ſeptenis jam partibus conſtans, opus ſane & Authoris eruditiſſimi præclaro ingenio, ſummaque tum in ſacris, tum profanis eruditione ſpectatum, & Ampliſſimi Ordinis Veſtri, cui Patrocinium annuatis, Nomine, atque Authoritate digniſſimum,

ſimum, tale profecto, quod Ipſe Supremus Eccleſiæ Antiſtes (quantæ doctrinæ ac ſapientiæ Præſul famigeratiſſimus!) nuperrimis literis meritiſſimo encomio dilaudavit, quin quod, ſi vel cætera abſint, ingens ubivis, etiam in Gallia eruditorum numerus tertiis jam typis promovit: quartis Bononiæ in Italia ſuſceptis. Habet in eo, quod profunde rimetur Theologus; ad ſacram Themidis legem accurate ſcrutetur Jurisconſultus; quo eruditionis famem paſcat Medicus; quo imbuatur Philoſophus, præcipue utriusque Hiſtoriæ Candidatus, utpote univerſæ hiſtoriæ illuſtre compendium. Hunc itaque librum tanta & eruditione præſtantem, & ſoliditate firmatum Vobis, Almæ Univerſitatis Rector, Regentes, ac Patres Ampliſſimi, Patroni perquam gratioſi, Vobis offerimus, Veſtro Omnium Nomini, atque Ampliſſimo Ordini dedicandum, &, quod gratioſe conceſſiſtis, inſcribendum. Ne dedignemini hasce Bibliopolii noſtri, ex quo Veſtri eſſe in hac Veſtra Univerſitate Veſtra ex gratia cœpimus, veluti primitias non aſpernari, quin imo, quem gratioſo honorâſtis Patrocinio, eundem liberaliori etiam obtutu dignari ne aſpernemini. Erit liber iſte, quemadmodum perenne gratitudinis noſtræ nunquam inter-

mori-

moriturae in Vos testimonium, ita & gratiosae Vestrae benevolentiae, id quod unicè optamus, immortale monumentum. Quod dum speramus, Vestris Omnium Amplissimis favoribus, ac gratiis profundissima cum demissione nos commendamus futuri in omnem vitam

PRÆNOBILIS
AC
MAGNIFICI DOMINI DOMINI
RECTORIS,
Plurimum Reverendorum, Prænobilium, Excellentissimorum, Profundissimorum, Consultissimorum, Experientissimi, Clarissimorum Dominorum Regentium, cæterorúmque Professorum, ac Patrum Academicorum Amplissimorum,

DOMINORVM AC PATRONORVM
PERQVAM GRATIOSORVM

infimi ac devotissimi servi
IGNATIVS WAGNER Bibliopola Augustanus, &
ANTONIVS WAGNER Bibliopola Academicus,
fratres.

PRÆ-



PRÆFATIO
AD LECTOREM.



rovisum abunde eſt, ùt Reipublicæ Litterariæ univerſim, ita quàm maximè Jurisprudentiæ, libris innumeris, qui, tum variis in compendiis, tum ſpiſſis etiam voluminibus, Titulos in corpore Utriusque Juris contentos, eodem ferme, paucis mutatis, tenore pertractant, adeò quidem, ut qui unum auctorem legerit, alios etiam plures legiſſe cenſeri poſſit.

Supervacaneum proin duxi, tritam illam toties viam velle ulteriùs complanare, meliúsque de re litteraria meriturum me putavi, ſi ulteriori Candidatorum Jurisprudentiæ eruditioni ſubſervirem, ac nova aliquantùm methodo *Apparatum* quendam *Eruditionis* ad Jurisprudentiam, præſertim Eccleſiaſticam,

conſcriberem; quô videlicet Doctrinæ Juridicæ ſociaretur criſis Hiſtorica, & Canonum Legúmque ſeveritas eruditionis amœnitate temperetur: quo genere ſtudiorum nihil videtur eſſe jucundius, atque erudita hac ætate nihil utilius, nihil æſtimatius.

Quamvis autem blandiri mihi nullatenus poſſim, me in erudita hac diſciplina aliquid aſſecutum, amatorem tamen ejusdem & æſtimatorem profiteor; conatúmque ſaltem, ùt ùt materiæ dignitati imparem, Lector Benevole, habebis ratum.

Atque hoc quidem primo volumine tres partes, de *Jure in genere*, tanquam fundamento omnis Jurisprudentiæ, de *Jure Naturæ & Gentium*, de *Jure Divino & Apoſtolico*, atque de *Jure Synodali Univerſali*: In ſecundo verò volumine itidem tres partes, de *Jure Synodali Particulari*, de *Nationali* videlicet, *Provinciali*, & *Diœceſano*, cum Eccleſiaſtici & Politici Status deſcriptione Hiſtorica, per ſingula ſæcula continuatâ, Tibi porrigo; tertio volumine *Jus Pontificium* in genere & ſpecie &c. complexurus.

Quoad Canonum Doctrinam ipſum Synodorum textum, eâ, quâ fieri poterat brevitate & claritate, proponere ſtudui, ut, quibus numeroſos amplósque Conciliorum Tomos perlegendi aut otium, aut occaſio non ſuppetit, ſuccincta epitome doctrinæ ſubſtantiam, tanquam nucleum, ſub unum velut aſpectum ponat.

PARS I.

PARS PRIMA
DE
LEGIBUS IN GENERE.



Summi momenti non tantùm in utroque Jure, ſed etiam in Theologia eſt titulus ille Juris Canonici, qui *de Conſtitutionibus* inſcribitur. Dum enim legum naturam, varietatem, cauſas, effectus, ac proprietates examinat, generalia Jurium principia ob oculos ponit. Ut autem in tanta rerum ubertate ſervetur ordo, incipiendum à legibus in genere: tum verò ad varias legum ſpecies deſcendendum. In omni autem re, quæ tractanda aſſumitur, ea videtur eſſe aptior ad docendum diſcendúmque ratio, ſi à definitione & diviſione ducatur initium, tum verò ad cauſas ejusdem, proprietates, & effectus enucleandos progreſſus fiat. Sic enim & ordini & memoriæ quàm optimè videtur conſuli.

CAPUT I.

De Natura, varietate, & cauſis Legum.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſit lex.*
2. *Quotuplex ſit lex.*
3. *Cauſa efficiens legis.*
4. 5. *Cauſa finalis.*
6. 7. 8. *Cauſa materialis & objectum legis.*
9. *Controverſia de actu interno.*
10. *Legislator Eccleſiaſticus poteſt præcipere actum merè internum.*
11. *Et jam ſæpiùs præcepit.*
12. 13. 14. *Solvuntur objectiones.*
15. *Non tamen legislator politicus, propter diverſitatem finis utriusque Poteſtatis.*

QUÆSTIO I.
Quid sit lex?

1. Respondetur: *Est ordinatio rationis in bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Ita auctores passim ex S. Thoma 1. 2. q. 90. art. 4. in c.

Dicitur 1. *Ordinatio rationis*, seu rationabilis dispositio superioris, obligans subditos ad aliquid faciendum vel omittendum. Per quod differt *à consilio*, quod nullam imponit obligationem, sed tantùm suadet.

Dicitur 2. *Ad bonum commune.* Per quod indicatur finis legis: quæ semper tendere debet ad bonum commune, seu ad bonum communitatis, moraliter unitæ sub una gubernatione. Per quod differt lex *à præcepto* strictè sumpto: nam lex fertur pro communitate, & afficit territorium legislatoris: præceptum verò imponitur personis singularibus, & adhæret personis ipsis. Sæpe tamen *lex*, *præceptum*, *statutum*, *jus &c.* in eadem significatione accipiuntur. Unde leges Ecclesiæ dicuntur *præcepta Ecclesiæ*, licèt in bonum communitatis sint latæ.

Legis natura.

Dicitur 3. *Ab eo, qui curam communitatis habet.* Indicatur hic legislator, qui nempe non tantùm habet curam & potestatem dominativam, aut œconomicam, qualem habet Dominus in servum, pater in filium, maritus in uxorem, sed *politicam*, *gubernativam* & *jurisdictionalem sublimem*, quæ se extendat ad communitatem perfectam regendam.

Dicitur 4. *Promulgata.* Nam ut decretum, statutum, præceptum, aut quæcunque dispositio obliget subditos, debet iis sufficienter esse intimata.

Colliges 1. Sententiam Judicis per se non esse legem: tum quia datur personis particularibus; tùm quia non omnis Judex habet jurisdictionem sublimem ad ferendam legem requisitam. Unde sententia est potiùs lata juxta legem, & sic declaratio legis, quàm lex.

Coll. 2. Omnem legem ad aliquid obligare. Unde etiam *lex irritans* obligat, actum irritatum habere pro nullo. Et *lex permittens*, licèt non obliget eum, cui aliquid permissum est, obligat tamen alios, ne eum impediant, & respectu horum est lex.

Idem dicendum de *Privilegiis,* quæ sunt quædam lex permittens, obligans alios, ne privilegiatum impediant ab usu privilegii. Cedit autem

in

in bonum publicum, non impediri eos, qui habent privilegium pro se, aut legem permittentem.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit lex?

Resp. cùm infra ad leges in specie simus descensuri, hîc tantùm obiter & in genere insinuatur aliqua legis divisio. Igitur 2.

1. Lex alia est *Naturalis*, ab ipso nempe auctore naturæ scripta in cordibus creaturarum rationalium, & per lumen rationis promulgata.

Alia *positiva Divina;* quam Deus in sacra scriptura veteris, ac novi testamenti complexus est.

Alia *Humana*, quæ nempe hominem habet legislatorem. Eáque in *Ecclesiasticam* & *civilem, publicam* & *privatam* subdividitur, ùt postea uberiùs declarabitur.

2. Dividitur in *Affirmativam* & *Negativam.* Affirmativa præcipit actum ponere; e. g. audire Missam die festo: & hæc obligat quidem *semper*, sed *non pro semper.* *Negativa* prohibet actum, e. g. furti: & hæc dicitur obligare *semper pro semper.* Hinc non teneris audire Missam pro semper; teneris tamen omittere furtum pro semper. *Legis varietas.*

3. Alia est *Præceptiva*, quæ simpliciter & absolutè aliquid præcipit aut prohibet, atque sub culpa in conscientia etiam obligat. Alia *Pænalis*, quâ mulcta imponitur. Si præcisè pænam statuit, ponenti aliquem actum, quin illum prohibeat, dicitur *purè pænalis.* Tales dicuntur esse plures regulæ religiosorum, & juxta aliquos etiam leges imponentes pænam venatoribus aut feripetis, aut non solventibus telonia, aut exportantibus ex provincia certas merces. E. g. Si lex ita sonet: *qui exportaverit frumentum, centum imperiales solvat.*

Si autem simul sit præceptiva & pænalis, dicitur *mixta:* e. g Si Princeps dicat: *nemo exportet frumentum: qui autem exportaverit, solvet centum imperiales.*

4. Præter istas datur etiam lex *Irritans*, quæ nempe irritat seu annullat actum. E. g. Lex irritans matrimonium clandestinum, contractum pupilli &c. Verùm de his plura deinceps.

5. Dividitur in legem *odiosam*, quæ directè & principaliter tendit in odium alicujus, licèt secundariò cedat in favorem alterius. Et in *favorabilem*, quæ directè & principaliter lata est in alicujus favorem, licèt secundariò cedat in alterius odium.

QUÆSTIO III.

De causa efficiente Legis.

Causa efficiens legis est Legislator. Talis non potest esse persona pri- 3.

vata,

vata, aut quæ tantùm habet poteſtatem dominativam aut œconomicam, qualem habet dominus in ſervos ſuos, aut paterfamilias in ſuam familiam, licèt illa mille capitibus conſtet: quia illis per ſe non imperat in bonum communitatis, ſed in bonum ſuum privatum, debet igitur legislator habere poteſtatem Jurisdictionis in communitatem ſibi ſubditam, & quidem in communitatem *perfectam:* qualis non eſt quælibet multitudo, ſed moraliter unita ſub gubernante cum poteſtate publica ad bonum ipſius communitatis. Unde etiam non omnis, qui habet poteſtatem Jurisdictionis, habet etiam poteſtatem legislativam, ſed debet habere jurisdictionem publicam & ſublimem. Nam quilibet Judex, etiam delegatus habet jurisdictionem, non tamen poteſtatem ferendi leges.

Quis legislator?

Talem autem poteſtatem jurisdictionis publicam & ſublimem in ordine ad gubernandam communitatem perfectam ſibi ſubditam ad bonum ipſius communitatis, habet imprimis Deus, & quidem univerſalem reſpectu totius generis humani. Et ab hoc Divino legislatore deſcendit jus geminum, naturale videlicet, commune omnibus per orbem hominibus, & poſitivum Divinum, quo aut jus naturale magis declaratur, promulgatur, & inculcatur, ùt contingit per præcepta decalogi; aut ea etiam præcipiuntur à Deo, quæ intra ſphæram juris naturalis non comprehenduntur.

Cùm autem non ſit poteſtas niſi à Deo, omnis jurisdictio ac poteſtas legislativa in ordine ad gubernandos populos, qua homines fulgent, eſt participata quædam & velut delegata poteſtas à Deo, immenſo velut oceano, rivos ſuos per terras diffundente.

Ab hoc igitur fonte poteſtas legislativa derivatur in humanum genus; ſive dein illa, conſentiente populo, ſit monarchica, in uno principe collecta; ſive ariſtocratica, ad optimates delata; ſive democratica, communitati populi adhærens, ſive ex his mixta aliqua reipublicæ forma, volente ita populo libero, conflata reſultet.

Quia autem duplex potiſſimùm poteſtas eſt collata mortalibus, *Eccleſiaſtica* & *Politica*, ſeu ſæcularis, ideo etiam Deus Eccleſiaſticos legislatores dedit (quos inter eminet ſummus Pontifex, Chriſti in terris Vicarius) & Politicos, Reges videlicet & Principes, aut liberas per orbem Reſpublicas. De quibus poſtea in ſpecie tractandum occurret.

QUÆSTIO IV.
De cauſa finali Legis.

4. Cum ſapiens illa ac provida æterna Mens, conſulens humanis rebus, dederit terris Principes, & Rectores populis, ut honeſtè, ritè, & ordinatè omnia fiant, ſicque bene gubernentur humanæ per orbem ſocietates atque reſpublicæ, facilè datur intelligere, Principes non tam ſibi quàm populis

pulis vivere, neque tam fuam privatam, quàm publicam communitatis utilitatem fpectare in ferendis legibus oportere.

Quare finis tam legislatorum quàm legum alius effe non poteft, quàm *bonum commune*, feu bonum communitatis, quod per legem intenditur, quæritur, procuratur, confervatur ac promovetur. Imò ex hac ad bonum commune promovendum aptitudine fuam lex *rationabilitatem* defumit. *Finis legis bonum publicum.*

Unde difpofitio Principis injufta, inutilis, noxia publico, non eft lex, ex defectu finis.

Verùm doctrinæ huic aliqua fe opponere videtur difficultas. Nam 1. multæ leges refpicere videntur bonum privatum fingularium duntaxat hominum, ùt pupillorum, minorum, clericorum, nobilium, mulierum. 2. Leges tributorum & vectigalium cedunt in bonum Principis. 3. Privilegium eft lex privata, cedens in bonum privatum privilegiati. 4. Lex præfcriptionis pluribus eft damnofa. Ergo non omnis lex debet tendere ad bonum commune, tanquam ad fuum finem.

Refp. Omnes etiam hæ leges refpiciunt bonum commune: cùm interfit reipublicæ has leges ferri. Nam ad 1. intereft reipublicæ certo perfonarum generi, ùt pupillis, minoribus, mulieribus &c. legum auxilio fubveniri. Deinde etiam hæ leges feruntur in pupillo &c. fub ratione pupillis communi, & prout conftituunt communitatem pupillorum. Ad 2. lex tributorum fubditis imponitur, ut Princeps cum neceffariis fuis adminiftris recte gubernare, &, fi opus, defendere etiam contra hoftes poffit rempublicam. Ad 3. pariter exigit bonum publicum, ut privilegiati non impediantur iniquè ab ufu fui privilegii. Ad 4. eadem eft refponfio: nam lex præfcriptionis conducit ad tollendas lites, & incertitudines bonorum, ad acuendam induftriam & curam civium, adeóque ad bonum publicum.

Dices 1. Jus dividitur in publicum & privatum. Ergo dantur aliquæ leges, quæ refpiciunt bonum publicum, & aliæ, quæ refpiciunt privatum. ℞. N. c. etiam jus privatum intendit bonum commune civium; & objectum formale, feu motivum & ratio, fub qua in illud fertur, femper eft bonum totius reipublicæ. Unde jus *privatum* dicitur, quatenus immediatè verfatur circa bonum civium: *publicum* verò, quatenus immediatè verfatur circa regimen & ftatum reipublicæ.

Dices 2. Datur lex prohibens mendacium, licèt illud effet neceffarium 5.
ad confervationem reipublicæ. Atqui talis lex non haberet pro fine bonum reipublicæ. Ergo non omnis lex debet habere pro fine bonum commune. Refp. Hæc difficultas non eft modica, ejúsque folutio ex altioribus petenda principiis, quæ parte fecunda, ubi de jure naturali difputabitur, proponentur. Interim breviter dico, fummum humanæ reipublicæ bonum effe, fi ad Deum creatorem ac gubernatorem fuum fapientiffimum *Difficultas.*

atque ſanctiſſimum, tanquam finem ſuum ultimum, bene ſit comparata, ejúsque perfectiones commendet. Atqui non eſſet talis, ſi non daretur lex prohibens mendacium, utpote intrinſecè malum, deturpativum naturæ rationalis, ac perfectioni Divinæ veracitatis ac ſanctitatis contrarium: nam ſi Deus licitum faceret mendacium, redundaret imperfectio in ipſam infinitam veracitatem & ſanctitatem Divinam, quæ ſicut mentiri non poteſt, ſic neque licitum facere mendacium. Conſequenter, ſi humanæ reipublicæ ullo in caſu licitum eſſet mendacium, illa peſſimè eſſet conſtituta, quia non ampliùs apta ad ſuum finem ultimum, nempe ad commendandam ſapientiam, ſanctitatem, & veracitatem ſui conditoris & gubernatoris; imò huic fini ſuo eſſet oppoſita, turpis, ac malè gubernata. Unde lex prohibens mendacium, pro omni caſu poſſibili tendit ad bonum rationalis reipublicæ: meliúsque eſſet, rempublicam humanam non exiſtere, quàm malè eam à Deo gubernari, in præjudicium ſanctitatis, veracitatis, & aliarum Divinarum perfectionum: quas commendare per rectam ſui gubernationem & conſtitutionem, finis ultimus, intrinſecus & eſſentialis eſt humanæ reipublicæ.

QUÆSTIO V.

De cauſa materiali Legis.

6. Materia, ſeu objectum materiale legis ſunt actiones humanæ, quæ à legislatore vel *præcipiuntur*, vel *permittuntur*, vel *puniuntur*, vel *irritantur.*

Et quidem legis *præceptivæ* objectum debent eſſe actus ſaltem negativè honeſti, hoc eſt, non inhoneſti: nam inhoneſti præcipi non poſſunt: quia talis lex non eſſet rationabilis. Poſſunt tamen præcipi actus de ſe *indifferentes*, quando bonum publicum exigit eos præcipi: e. g. ut cives ſe exerceant in armis, ut evadant apti ad defendendam patriam. Et talis lex verè eſt rationabilis; nam licèt illius objectum materiale ſit de ſe indifferens, tamen finis, e. g. defenſio patriæ, eſt quid poſitivè honeſtum, & reddit etiam objectum materiale, quod *de ſe* eſt merè indifferens, poſitivè honeſtum.

Deinde objectum legis præceptivæ debet eſſe *poſſibile*: nam ad impoſſibile nemo tenetur. Neque tantùm debet eſſe poſſibile phyſicè, ſed etiam moraliter. Hoc eſt, objectum legis humanæ præceptivæ non debet eſſe nimis arduum & difficile, ut ſpectata fragilitate humana non adeò difficulter poſſit lex obſervari. Aliàs non eſſet rationabilis, & plus mali ex illa oriretur quàm boni, unde Eccleſia non poſſet præcipere, ut omnes omnino, etiam infirmi & debiles, toto anno jejunent; ut omnes ſequantur conſilia Evangelica; ut omnes publicè confiteantur peccata &c.

Legis

Legis prohibitivæ objectum sunt omnes actus mali, & quandoque etiam *de se* indifferentes, imo etiam *de se* boni, si sint impedimentum majoris boni, aut reipublicæ noxii, aut certo fini contrarii. Sic militibus, imò & mulieribus prohiberi potest, ne toto die in templo hæreant, cum neglectu militiæ aut rei domesticæ. Item prohibetur labor servilis die festo, licèt de se bonus sit.

Legis *permittentis* objectum sunt actus indifferentes: & quandoque etiam mali, ad evitandum majus malum. Sic alicubi permittuntur (vel potiùs tolerantur) exstrui lupanaria: quin tamen malum à lege permittente approbetur. Sic etiam Deus in lege veteri permisit conjugi dare libellum repudii, quin præceperit aut approbârit positivè. *In quos actus lex tendat.*

Legis punientis objectum sunt actus criminosi & culposi; & quidem si detur merè puniens seu merè pœnalis, punit culpam aliquam juridicam, vel politicam, ut communiter docetur.

Lex denique *irritans* fertur in actus malos, & indifferentes, & quandoque etiam in actus de se bonos: e.g. quando irritat donationem pupilli, aut Prælati Ecclesiastici, factam in causas pias. Imò irritari etiam & rescindi possunt per legem actus *jam præteriti* (sicut etiam puniri possunt) non tamen possunt prohiberi, aut præcipi, aut permitti per legem; fatuum siquidem esset præcipere actus præteritos.

Dices 1. Actus honesti & inhonesti sunt objectum legis naturalis: 7. ergo non possunt præcipi vel prohiberi lege positiva. ℞. n. c. potest enim eadem res esse objectum plurimum legum: sic, quæ continentur in decalogo, sunt materia Juris naturalis & positivi.

Dices 2. Lex debet esse rationabilis, & tendere ad bonum publicum. Ergo non potest versari circa actus indifferentes. ℞. d. c. non potest versari circa actus indifferentes, qui neque ex se neque ex fine suo sunt boni, c. c. si saltem ex fine suo sint boni n. c. actus, qui de se sunt merè indifferentes, e.g. exercitatio in armis, potest præcipi in ordine ad defendendam patriam; & sic ex fine bono ac publico, quem lex intendit, fiunt boni. Sic etiam lex prohibens, permittens, & irritans actum de se indifferentem, ex fine bono & honesto potest fieri rationabilis. *Actus de se indifferentes.*

Dices 3. Lex civilis varia permittit inhonesta, e. g. patri vel marito interficere adulterum cum filia vel uxore deprehensum. ℞. Jus civile tan non propriè permittit, tanquam licita; imò non potest sic permittere, quæ sunt contra jus naturale, Divinum, aut Ecclesiasticum in re spirituali: sed ea tantùm tolerat, & non punit. Si autem quædam ejusmodi per legem voluisset licita facere, e. g. dissolutionem matrimonii propter causam fornicationis, præscriptionem cum mala fide, aut prohibere secundas nuptias &c. correctum esset per Jus Canonicum.

Quæ-

8. *An Princeps auferre possit subditis bona?* Quæres, an lex principis se etiam extendat ad auferenda subditis sua jura ac bona? ℞. negativè: excepto tamen casu, quo bonum reipublicæ id exigeret. Ratio est: quia juris naturalis principia sunt: *alterum non lædere, cuique suum tribuere.* Atqui summi etiam Principes obligantur jure naturali. Sic injustè Achab abstulit vineam Naboth.

Deinde Princeps potestatem suam totam habet immediatè à populo *§.6. Inst. de I. N. G. & C.* populus autem non habuit adeò absolutam & illimitatam potestatem in civium bona, ut absque gravi ac justa causa potuerit illa auferre. Ergo neque Princeps.

Dices 1. Talis potestas à Deo est data Sauli Regi, & à Samuele Propheta promulgata populo, 1. *Reg.* 8. ℞. Samuel ibi non proponit jus regi verè competens: sed prædicit populo usurpationem iniquam, ut eos à petendo rege absterreat: ùt interpretatur S. Thomas cum communi.

Dices 2. Princeps est supra leges, & Dominus omnium. Ergo pro arbitrio potest de omnibus disponere. ℞. Est supra leges civiles, non autem supra leges naturales. Deinde non habet plenum rerum singularum dominium proprietatis, sed tantùm dominium altum & eminentiale: quatenus à republica accepit potestatem de iisdem disponendi pro necessitate publica.

Dices 3. Papa in spiritualibus plenissimam habet potestatem. Ergo etiam rex in sæcularibus. ℞. Neque Papa potest pro mero arbitrio, & absque justa causa personis Ecclesiasticis res suas & jura jam quæsita auferre.

CONTROVERSIA.

An actus interni sint objectum legis humanæ?

9. Non est dubium, quin actus etiam merè interni humanæ voluntatis sint materia seu objectum legis naturalis, & positivæ Divinæ. Magna tamen est disceptatio, an iidem præcipi aut prohiberi possint etiam per legem humanam?

Actus internus indirectè præcipi potest. Et quidem, quòd legislator Ecclesiasticus saltem *indirectè* præcipere possit actum internum, quando nempe actus externus sine interno ritè poni non potest, aut actum mixtum ex interno & externo, passim admittitur: sic enim lex humana præcipit devotam & attentam orationem, aut recitionem Divini officii, validam administrationem Sacramentorum, votum castitatis ordinandis, consensum internum, sine deceptione, in contractibus. Tota igitur difficultas eò recidit, an legislator humanus etiam *directè* præcipere aut prohibere possit actum *merè internum.*

CON-

CONCLUSIO I.

Legislator Ecclesiasticus probabiliùs potest etiam directè præcipere actum merè internum.

Ita Glossa *in can.* 14. *de pœnit. dist.* 1. *& in clem.* 1. *de hæret. §. verùm v. eo ipso.* Ubi plures canones pro hac sententia citat. item Medina *c. de orat. q.* 15. Rosella *v. absolutio* 1. *n.* 28. *&* 29. Baldus, Adrianus, Clarus, Cardenas, La Croix, Söll, &c. contra communiorem. 10. *Imò etiam directè.*

Prob. 1. *negativè.* Quia adversarii probare deberent, Ecclesiam aut summum Pontificem non posse præcipere, prohibere, aut punire actus merè internos: præsertim cùm Deus ei dederit potestatem illimitatam ligandi & solvendi, quæcunque non sunt juris naturalis aut Divini, aut aliunde, nempe vel ex sacris litteris vel ex Conciliis aut Patribus noscuntur potestati Ecclesiæ esse subtracta. Atqui probare non possunt, actus internos ab universali illa potestate esse subtractos.

Prob. 2. *ex fine legis Ecclesiasticæ;* nam Deus dedit Ecclesiæ potestatem gubernativam, non politicam sed sacram, ad finem supernaturalem, perducendi nempe homines ad æternam beatitudinem ac Dei possessionem, tanquam ultimum suum finem. Ad hunc autem multò magìs conducunt, súntque necessarii actus interni: sine quibus Ecclesia non potest esse benè constituta. Cùm actus externi sine internis sint velut corpus sine anima, cortex sine nucleo. Quis ergo credat, Deum Ecclesiæ suæ tantùm dedisse potestatem legislativam in actus minùs conducentes ad finem.

Conf. 1. si quis die jejunii in animo suo dicat: *hodie non jejunabo*, peccat graviter, licèt mutata postea voluntate jejunet. Contra qualem autem legem est hoc peccatum merè internum, nisi contra legem Ecclesiasticam? si hunc actum internum prohiberi potest Ecclesia, cur non etiam alios? quid directè hîc aliud prohibetur, nisi actus internus? &, si indirectè præcipi aut prohiberi potest, cur non etiam directè? si unà cum externo præcipi potest, quare non etiam sine illo? planè, si concedatur, uti passim conceditur, quòd Ecclesia possit præcipere actum externum & internum e. g. recitationem breviarii, & attentionem seu devotionem internam, nulla ampliùs est ratio, cur non etiam præcipere possit solum internum, e. g. meditationem seu orationem mentalem, quam pluribus Religiosis de facto leges suæ præscribunt? Unde

Conf. 2. Ecclesia potest prohibere & punire actus externos, etiam occultissimos, e. g hæresin per excommunicationem latæ sententiæ, ipso facto incurrendæ, licèt pro foro externo probari non possit. Potest exercere jurisdictionem in actus merè internos, absolvendo à peccatis internis, dispensando in votis &c. Potest irregularitatem & censuram ferre in deli-

cta etiam occultissima; dátque Tridentinum Episcopis facultatem ab iis absolvendi. Ergo etiam actus internos eodem jure præcipere, prohibere ac punire potest. Unde

11. *Et sæpiùs jam sunt præcepti.* Prob. 3. Ecclesia jam sæpiùs præcepit, prohibuit, & punivit directè actus purè internos. Ergo potest. a. p. Concil. Trid. *S.* 13. *in decreto de S. Euch.* interdicit, ne quis aliter credat de S. Eucharistia. Innocentius XI. mandavit in virtute sanctæ obedientiæ, ne quis ullam ex 65. propositionibus, ab eo damnatis, in praxin deducat. Multæ autem ex illis concernunt actus merè internos, e. g. fidem internam, spem, dilectionem Dei & proximi. Hoc ipsum prohibet etiam Alexander VII. in damnatione 28. propositionum.

Innocentius X. in Bulla damnationis propositionum Jansenii mandat, ut nemo aliter *sentiat.* Atqui sentire est actus merè internus. Denique Clemens XI. in Bulla *Vineam Domini Sabaoth*, decernit, non satisfieri præcepto Ecclesiæ per silentium, sed requiri, ut etiam *interiùs* obsequantur, & propositiones Jansenii in animo pro verè hæreticis habeant; hanc esse veram orthodoxi hominis obedientiam, etiam *interiùs* obsequi. Qui aliter *senserint*, tanquam *Apostolicarum constitutionum transgressores* habendos esse, ac omnibus censuris in hæreticos latis subjacere.

Ubi notandum, Jansenistas, ne ab Ecclesia separentur, & tamen doctrinæ Jansenii adhærere possint, variis technis ac figmentis Pontificia decreta eludere conatos esse. Modò quippe dicebant, propositiones illas quinque in libro Jansenii non reperiri, aut saltem, non in eo sensu, in quo sunt damnatæ, modò aliis confictis interpretationibus, lubrici instar colubri se gyrantes elabi tentârunt, aut hydræ instar nova itidem capita protruserunt. Cùm autem summi Pontifices novis mox constitutionibus ac decretis confestim nova eorum effugia & versipelles conatus eliderent, tandem dicebant, decretis Pontificiis satisfieri per *obsequiosum silentium*, ut ipsi vocabant: ad obedientiam Apostolicis constitutionibus debitam non requiri, ut quis propositiones Jansenii ùt hæreticas interiùs damnet, sed satis esse, si de iis nihil loquatur.

Igitur Clemens XI. anno 1705. edita Bulla *Vineam Domini*, etiam hoc effugium præcludit, decernendo, ùt dictum, non satisfieri constitutionibus Pontificiis per ejusmodi silentium, sed propositiones Jansenii verè interiùs in animo esse habendas pro hæreticis: hanc esse veram obedientiam, voci Ecclesiæ interiùs obsequi: qui secùs faciunt, transgressores esse constitutionum Apostolicarum, & omnibus hæreticorum pœnis obnoxios.

Responsiones Adversariorum.

Respondent 1. Pontifices hîc tantùm declarârunt legem naturalem, aut Divinam, contra quam pugnant propositiones Jansenii. Ergo non proba-

probatur, quòd Ecclesia præceperit actus internos. Resp. n. a. Nam licèt illæ propositiones sint contra jus Divinum, tamen etiam Ecclesia verè illas prohibet, & interiùs etiam in animo pro hæreticis haberi jubet, requirendo obedientiam, decretis Pontificiis præstandam, & adjiciendo pœnam excommunicationis transgressoribus.

Certè obedientia Ecclesiæ præstanda præsupponit præceptum aut legem Ecclesiæ: & transgressor legis Ecclesiasticæ esse non potest, nisi detur lex Ecclesiastica. Et quidem hæc lex versatur circa actus merè internos, nempe circa internam damnationem propositionum Jansenii, & judicium, quòd sint hæreticæ.

Licèt igitur etiam lex Divina, aut etiam naturalis eas propositiones prohibeat, non tamen ex eo sequitur, quòd non etiam ab Ecclesia sint prohibitæ: sicut ex eo, quòd ea, quæ in decalogo continentur, jure naturali sint prohibita, non sequitur, quòd non etiam jure positivo, Divino & humano sint prohibita: quid enim notius, quàm eundem actum pluribus legibus prohiberi, aut præcipi posse? Certè Ecclesia quoad hoc obedientiam *sibi* vult præstari? & inobedientes dicuntur transgressores constitutionum Apostolicarum.

Deinde Pontifex in eos, qui interiùs in animo propositiones illas non habent pro hæreticis, licèt externè nihil faciant, sed omnino sileant, pœnam excommunicationis decernit, tanquam in inobedientes transgressores Pontificiarum constitutionum. Hanc autem pœnam jus Divinum aut naturale non decernit. Habemus ergo hîc humanam legem punientem actus merè internos pœna præcisè Ecclesiastica.

Respondent 2. Ecclesia hîc actus internos tantùm indirectè prohibet. ℞. Hoc falsum esse, patet ex eo, quòd prohibeat illas propositiones in animo foveri, & præcipiat eas seriò intùs in animo damnari, etiam tunc, quando nullus adest actus externus, quem prohibeat, aut præcipiat, aut puniat. Ergo non indirectè, sed directissimè actum merè internum præcipit, prohibet, & punit. Quid enim aliud est actum directè præcipere aut prohibere?

Respondent 3. Ecclesia nomine Dei actus internos directè præcipit, non autem suo nomine.

℞. Quid deinde? an non etiam actus externos sic præcipit? sive nomine DEI, sive suo præcipiat, tamen verè præcipit directè actus merè internos, quod solum petit nostra sententia. Deinde summus Pontifex gubernat Ecclesiam tanquam Vicarius Christi: quascunque ergo leges condat pro spirituali gubernatione Ecclesiæ, sive circa actus externos, sive internos, id facit nomine Christi, & tanquam ejus Vicarius. Unde non satis apparet, quam vim habeat hæc replica ad infringendam nostram sententiam,

licèt totum concedatur, quod hîc objicitur. Videndum igitur, an reliqua adversariorum argumenta sint firmiora.

Solvuntur argumenta Adversariorum.

13. Objic. 1. *authoritas.* Nam sententia docens actus merè internos non esse objectum legis humanæ, est communis, aut ferme communis. 2. Innocentius III. *c. tua nos* 34. *de simonia* ait: *Nobis datum est, de manifestis tantummodo judicare.* 3. *Can. cogitationis dist.* 1. *de pœnit.* dicitur: *Nemo patitur cogitationis pœnam.*

Respond. ad. 1. Etiam nostra sententia munita est sufficienti authoritate, præsertim summorum Pontificum, quorum constitutiones, ac præcipuè Clementis XI. si quis benè perpenderit, non multùm alienus erit à nostra sententia. Neque dubito, quin multi ex antiquioribus nostram essent amplexi sententiam, si tot propositiones damnatas, & Bullam *Vineam Domini*, hoc primùm sæculo emanatam, videre potuissent.

Explicat. c. Tua nos. Ad. 2. Papa in illo cap. tantùm rescribit, quodsi Clericus tradat bona sua ad fundandum canonicatum, sine pacto, ut sibi conferatur, tunc posse ipsum absque simonia assumi in Canonicum, ipsíque hæc ipsa præbenda, quam fundavit, conferri. Si verò fundationi præbendæ pactum adjiceret, ut illa sibi conferatur, fore pactum simoniacum. Tum verò addit Pontifex; licèt constare non possit de quæstione facti, an scilicet animum simoniacum habeat, si tamen externè illum non prodat, posse eum assumi, quamvis fortè internè sit simoniacus: quia in executione procedimus secundùm externa in casibus particularibus. Ex quo tamen non sequitur, quòd Papa circa interna judicare non possit judicio latæ jam sententiæ, per ipsum factum internum incurrendæ. Unde d. a. Pontifici tantùm de manifestis datum est judicare judicio ferendæ sententiæ c. a. judicio sententiæ latæ jam ipso jure n. a. & c.

Retorqueri etiam posset. Ecclesia jurisdictionem suam exercet in actus etiam occultissimos e. g. hæresis: licèt de iis judicare non possit per ferendam à Judice sententiam. Ergo etiam in actus internos. Certè actus occulti tam parùm sunt manifesti, quàm interni. Taceo, quòd argumentum probaret, actus internos ne quidem concomitanter cum externis aut indirectè posse præcipi.

Ad. 3. eodem modo responderi potest: Nam nemo patitur cogitationis pœnam, hoc est, nemo punitur propter cogitationem per sententiam specialiter in ipsum à Judice ferendam. Potest tamen puniri per sententiam ipso jure jam universaliter latam, e. g. in omnes, qui propositionem Jansenisticam in animo foverint.

Unde Glossa ad hunc ipsum textum ait, sæpiùs actum cogitationis puniri,

puniri, ùt hæresin internam. Taceo, quòd Gratianus Canonem illum desumpserit ex jure civili, quod tantùm loquitur de suo foro; non autem de foro canonico.

Ob. 2. *ratio.* Nam potestas humana est sensibilis, & nil cognoscit nisi sensibile. Ergo actus insensibiles, quales sunt merè interni, sunt extra sphæram & limites potestatis humanæ. Conf. Modum gubernandi Ecclesiam oportet esse sensibilem. Unde actus interni per se nec prosunt, nec obsunt Ecclesiæ.

Resp. Potestas & modus gubernandi Ecclesiam est fini, à Christo intento ac præfixo, proportionatus. Cùm igitur finis Ecclesiæ sit, non tantùm per actus externos, sed etiam per internos ad æternam beatitudinem tendere; potestas à Christo generaliter collata ligandi ac solvendi ad actus internos etiam se extendit. Modo autem sensibili Ecclesia procedit promulgando sensibiliter legem, ad actus etiam internos se extendentem. Retorqueri rursus argumentum potest in actus externos quidem, sed tamen ita occultos, ut Ecclesiæ de iis constare non possit.

Dices: Potestas legislativa debet esse conjuncta cum potestate coactiva, seu punitiva transgressorum: aliàs est inefficax. Ergo Judex ferens legem debet posse cognoscere de delicto. 14. *An potestas coactiva debeat esse conjuncta cum directiva.*

℞. Argumentum rursus probaret nimium, quòd nempe lex Ecclesiæ se non extendat ad actus occultos: imò neque ad internos indirectè prohibendos, quia tales non possunt puniri ab Ecclesia. Licèt igitur Ecclesia non possit actus internos & occultos judicare & punire per cognitionem & processum judicialem, sufficienter tamen vim coactivam exerit ferendo legem, etiam in conscientia obligantem sub culpa, & pœna à Deo infligenda, vel sub censura ipso facto incurrenda: prout fecit circa propositiones Jansenii.

Falsum etiam est, quòd vis legislativa semper conjuncta sit cum vi coactiva: ùt rursus patet in actibus, externis quidem, sed tamen occultis, & absque arbitrio commissis. Deinde Ecclesia plura præcipit, & sic potestate legislativa ac vi directiva utitur, quin utatur potestate ac vi coactiva: Quot enim sunt Canones, quibus nulla pœna est annexa? An non posset Princeps Præfecto alicujus provinciæ dare potestatem directivam, reservata sibi coactiva seu punitiva? Sic etiam sufficit Ecclesiæ sæpiùs sub culpa præcipere, & in conscientia obligare: pœnam verò sumendam propter legem violatam relinquit Deo, scelerum vindici. Deinde si potest dari lex humana merè pœnalis, quæ tantùm sub pœna obliget, quare non etiam merè directiva, quæ tantùm sub culpa obliget, ita, ut legislator humanus transgressori nullam pœnam imponat? Et quas pœnas per se imponunt leges naturales?

CONCLUSIO II.

Princeps tamen sæcularis seu legislator politicus non potest præcipere actus merè internos.

15. Disparitas desumenda est ex fine utriusque potestatis, Ecclesiasticæ scilicet & politicæ. Illa siquidem pro fine habet rectam gubernationem ecclesiasticæ reipublicæ in ordine ad finem supernaturalem, beatitudinem nempe æternam: ad quem finem actus interni comprimì opportuni sunt & necessarii. Finis verò potestatis & jurisdictionis politicæ est recta gubernatio reipublicæ sæcularis in ordine ad felicem ejusdem statum quoad externa procurandum ac conservandum: ut nempe per salubres leges pax & tranquillitas civium foveatur, administretur justitia, nemo ab altero lædatur, & suum cuique tribuatur.

Alius finis potestatis politicæ.

Ad hunc autem finem consequendum sufficit, si omnes reipublicæ cives quoad actus externos bene sint comparati. Atque hinc illud axioma invaluit: *De internis non judicat Prætor.* Et certè aliam potestatem in populum non habet Princeps, nisi quæ à populo in ipsum est translata, sed populus non habuit potestatem & jurisdictionem in actus sibi omnino incognitos, & in quibus civis cum cive nullam habet communicationem.

Ex quo altera elucet disparitas. Nam summus sacrorum Antistes & Ecclesia potestatem suam ecclesiasticam non accepit à populo sed à Christo: qui dare illam potuit, & dedisse censendus est generalibus omnino promissis in ordine ad spiritualem animarum gubernationem: quæ vel maximè ad internum eorum statum in flore suo conservandum promovendúmque tendere debet.

Dices: Princeps etiam sæcularis per leges suas obligare potest in conscientia. Ergo præcipere potest actus internos. ℞. n. c. Aliud longè est obligare in conscientia, aliud obligare ad ponendos actus merè internos. Princeps sæcularis præcipiendo vel prohibendo actus externos obligat in conscientia seu sub culpa ad ponendos vel omittendos actus externos, non verò ad internos.

Dices 2. Respublica, dum fert leges contractuum, præcipit simul consensum internum, prohibet verò, ne quis alterum decipiat, aut dolo inducat. Ergo actus internos præcipit & prohibet. Respondent aliqui, rempublicam *indirectè* & *concomitanter* præcipere actus internos, quia præcipit, contractum ritè iniri, quod fieri non posset, si non poneretur consensus internus, & omitteretur dolus. Sed fortè ne sic quidem indirectè legislator politicus præcipit actus internos. Certè Vasquez 1. 2 *d.* 120. Hurtadus, Sylv. Diana & alii docent apud Filliucium *Tract.* 23. *n.* 253. humanum legislatorem neque indirectè & concomitanter cum externis posse

Probabiliter neque indirectè.

posse actus internos præcipere aut prohibere. Quantò magis id alius dicere posset de legislatore sæculari? cur non sufficiat, consensum internum in contractu jure naturali requiri, ne contrahens mentiatur & alterum decipiat, quod jure naturali est prohibitum?

QUÆSTIO VI.

De causa formali Legis.

16. Forma legis sunt verba vel alia signa externa, quibus legislator voluntatem suam manifestat & promulgat communitati, sibi subditæ, aliquid præcipiendo, prohibendo, permittendo, aut irritando.

Unde etiam ex tenore verborum colligi debet, an graviter vel leviter obligare, an verò tantùm consilium dare seu suadere velit. Si autem omnibus consideratis dubium maneat, an verba præceptum grave vel leve, vel tantùm consilium importent, mitiora præsumenda sunt: quia libertas subditorum est in possessione.

Sententia Judicis non est lex.

Dubitari posset, an sententia prolata à Principe in causa aliqua particulari decidenda sit habenda pro forma constitutiva legis? ℞. Per se non facit legem universalem talis sententia particularis; præsertim si legislator non examinavit ipse totam causam: ùt patet ex *l.* 2. *C. de leg.* ubi Imperator ait: *Quæ ex relationibus vel suggestionibus judicantium Procerum statuimus, generalia jura non sint.* Et ratio est: quia talis particularis sententia non fertur propter bonum commune, ac sæpè nititur particularibus circumstantiis. Aliud esset, si Princeps signo aliquo proderet, se velle instar legis eam sententiam haberi, ùt fecit Justinianus *l. fin. C. de leg* ubi ait: Si Imperialis Majestas causam judicialiter examinaverit, & sententiam dixerit, omnes Judices scire debere, hanc esse legem, non tantùm illi causæ, pro qua producta est, sed & omnibus similibus.

Ad formam legis spectat etiam ejusdem *Promulgatio,* & quidem *publica*, per vocem Præconis, aut publicum programma, ut communitati innotescat legaliter. Ratio est: quia lex est locutio legislatoris publica ad totam communitatem. Unde *l.* 9. *C. de leg.* dicitur: *leges sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent.*

Duplex tamen adhuc superest controversia circa promulgationem legis. Prima: an promulgatio publica sit pars constitutiva legis, ita, ùt ad essentiam formæ pertineat; an verò tantùm sit applicatio legis & conditio, sine qua non obligaret: sicut e. g. applicatio ignis ad passum non constituit vim ustivam ignis, sed tantùm est conditio, ut ignis vim suam, quam ex se habet, in actu secundo exerat. Altera adhuc major est quæstio, quo loco & tempore fieri debeat promulgatio.

CON-

CONTROVERSIA I.

An promulgatio constituat ipsam formam & vim obligativam legis?

17. Resp. cum communi affirmativè. Et probatur ex ratione jam insinuata. Nam lex est *locutio publica* Principis ad communitatem sibi subjectam: seu potiùs, est voluntas legislatoris communitati publicè manifestata ac notificata, quæ tanquam vivendi regula communitatem subjectam dirigat. Atqui hæc essentialiter involvit promulgationem hujus voluntatis. Ergo promulgatio est de essentia legis.

Conf. Promulgatio se habet ad legem, sicut revelatio Divina ad motivum fidei. Atqui juxta communem Theologorum sententiam revelatio non tantùm est conditio ad fidem prærequisita, & applicatio Divinæ authoritatis in loquendo, sed est partiale motivum fidei. Ergo etiam promulgatio non tantùm est mera conditio ad legem prærequisita & illius applicatio, sed est partiale constitutivum legis.

Lex privatim tantùm concepta necdum obligat.

Colliges, non sufficere ad legem, ut illa in aula Principis in præsentia consiliariorum sit concepta, sed requiri insuper, ut populo seu communitati sit promulgata & notificata: quia lex est locutio publica ad communitatem & directio publica populi.

Unde licèt consiliarius sciat, in aula Principis esse conceptam legem, ut frumenti vel pecuniæ valor minuatur, potest adhuc pretio majore currente frumentum vendere, vel pecuniam erogare. Quia lex necdum est plenè constituta; consequenter necdum habet vim obligandi. Et licèt sic majori pretio emens patiatur damnum, tamen id non est imputandum venditori ad culpam, utpote qui usus est jure suo: dum rem tanti vendidit, quanti tunc valuit.

Neque tamen ex hoc sequitur, quòd lex singulis debeat promulgari. Nam sufficit illam vel per vocem præconis, vel per publicum programma, in loco publico & consueto affixum, promulgari.

Postquam autem ita promulgata est, obligat omnes & singulos in actu primo; licèt forte aliqui promulgationem non audierint, & sic legem adhuc ignorent. In actu secundo verò eos tantùm obligat, ad quos legis notitia pervenit: non autem eos, qui illam adhuc invincibiliter ignorant. Pro foro tamen externo post factam semel publicam promulgationem præsumuntur omnes legem scire, nisi positivè probent, se illam inculpabiliter ignorâsse. Ante promulgationem verò publicam neminem obligat, neque in actu primo, neque in actu secundo.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1. *c.* 1. *de post. præl.* dicitur, legem obligare, *si solenniter editur, aut publicè promulgatur.* Ergo non requiritur determinatè, ut publicè promulgetur, sed sufficit, si in consistorio Principis concipiatur.

℞. D. C.

℞. n. c. Nam per solennem editionem legis hîc nihil aliud intelligitur, quàm publica promulgatio. Neque tamen frustra idem bis repetitur: nam nihil est novi, idem priùs verbis obscurioribus proponere, ac deinde clarioribus, ut sub pluribus nationibus exprimatur.

Ob. 2. Jam ante promulgationem datur lex: sic enim dicitur: *lex non promulgata non obligat.* Ergo promulgatio non constituit formam legis, sed tantùm est conditio requisita, ut lex in actu secundo obliget, sicut juxta nos particularis notitia legis est talis conditio.

℞. d. a. Ante promulgationem datur lex incompleta & impropriè talis c. a. completa & propriè talis n. a. &c. Etiam dicitur: *ante infusionem animæ homo non sentit, aut intelligit:* nec tamen sequitur, quòd ante infusionem animæ detur homo completus aut propriè talis.

Ob 3. Sicut applicatio ignis tantùm est conditio, ut ignis urat, sic promulgatio legis est tantùm applicatio & conditio, ut lex in actu secundo obliget. Ergo sicut applicatio ignis non constituit virtutem ustivam ignis, sic neque promulgatio constituit virtutem obligativam legis.

℞. n. a. Disparitas est, quia lex ex sua essentia est locutio publica Principis ad communitatem, seu voluntas Principis publicata. Ergo neque existere, neque intelligi potest lex aut virtus obligativa legis ante promulgationem. Econtra ignis jam ante applicationem habet calorem & virtutem ustivam, ùt per se patet.

Retorqueri etiam potest. Nam revelatio Divina est quædam promulgatio veritatis: sicut ergo revelatio constituit motivum fidei & virtutem obligativam credendi, sic promulgatio constituit motivum & virtutem obligativam obediendi.

Dices. Lex est voluntas legislatoris. Ergo nihil aliud requiritur ad constituendam legem. ℞. Ex hoc sequeretur quòd sola volitio Principis, mente retenta, jam esset lex: quod nemo facilè dicet. Unde d. a. Lex est voluntas Principis publica, seu sufficienter communitati manifestata c. a. voluntas Principis privata, aut necdum manifestata n. a.

CONTROVERSIA II.

An lex Pontificia obliget, si in Provinciis non sit promulgata?

Quæstio solennis est, qualis debeat esse promulgatio, an scilicet sufficiat eandem factam esse in urbe primaria, an verò requiratur, ut in singulis provinciis aut diœcesibus fiat. 19.

Et quidem de promulgatione legis civilis non adeò magna est disceptatio. Satìs enim apartè Novell 66. c. 1 decernitur, ut leges civiles obligent, requiri, ut in singulis provinciis promulgentur. Quamvis enim Novella illa ex instituto tantùm loquatur de legibus testamentariis, pro- pter

Jure civili lex promulgari

debet in singulis provinciis. pter rationem tamen aliis etiam legibus communem, ad reliquas etiam leges passim extenditur, & usu servatur. *Zoësius ff. de leg. n.* 12.

Major autem inter authores est controversia de legibus Ecclesiasticis: an scilicet sufficiat, eas Romæ esse promulgatas, an verò requiratur, ut in singulis diœcesibus promulgentur.

Non tamen de JureCanonico. Dicendum: probabile est (speculativè saltem loquendo, & abstrahendo à praxi & consuetudine diœcesium, quæ nullatenus est culpanda) ad legem Ecclesiasticam sufficere promulgationem Romanam, ut omnes per orbem fideles obliget, postquam authentica illius notitia ad eos pervenit. Ita Suarez de LL lib. 4. c. 15. n. 1. seq Sylvester, Palao, Sant-Gallenses, Reding. Mezger. Layman. Bart. Bald. Barb. Salas. Gomez. Menoch. Bonac. Vasq. Cardenas. Azor. Farinac. Pirhing. Wex. Wiest. Krimer. Schmalzgruber. Söll. Lacroix. Denique pro hac sententia stant Decisiones Rotæ apud Cardinalem de Luca de Benef. p. 1. disc. 76. n. 7. Imò Cardenas in crisi Theol. tract. 1. disp. 9. art. 11. c. 12. putat sententiam oppositam non ampliùs esse probabilem post decretum Alexandri VII. quo varias propositiones damnavit, nitentes eo fundamento, quòd lex in provinciis non promulgata in iisdem non obliget. Alii censuris eandem notant, quas nullatenus approbo, imò frivolas esse censeo. Nam fatendum omnino est, oppositam etiam sententiam, licèt non tantam, quantam nostram, magnam tamen pro se habere auctoritatem, ac verè esse probabilem, cùm rationibus nitatur gravibus. Tenent illam Molina de J. & J. tract. 2. disp. 395. à n. 6. Less. Medina, Sotus, Marchantius, Sannig. Felin. Zypæus. Gibalin, Gletle, Sometingus, Engel, König, apud clariss. P. Schmier, qui in eandem propendet. *Jurispr. Can. civ l.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. *sect.* 1. §. 2. ac novissimè eandem amplexus est R. P. Vitus Pichler, colendissimus Professor meus, in *Cand. Jurispr. ad tit. de Constit. n.* 20. ubi insuper citat Gloss. Armil. Becan. contra quos, tanquam probabilior aliquantò.

Probatur conclusio nostra 1. Summus Pontifex potest omnes fideles obligare per constitutionem aut decretum Romæ publicè promulgatum; & ex altera parte censendus est velle obligare omnes fideles per constitutionem ad eos directam post promulgationem Romæ factam, nisi exprimat, se tunc primùm velle fideles obligatos, postquam in Diœcesibus aut Provinciis etiam facta fuerit promulgatio. Ergo sufficit promulgatio legis ad fideles directæ facta Romæ.

20\. *Potest Papa obligare post promulga-* Prima pars, quòd scilicet Pontifex possit sic obligare, si velit, probatur imprimis negativè: quia adversarii non probant, quòd non possit sic ligare & solvere; non enim probant, quòd ex natura rei seu ad essentiam legis requiratur promulgatio in Provinciis. Imò teste Cardenas nullus unquam

unquam auctor dixit, legem ex sua natura requirere promulgationem in Provinciis singulis: & meritò. Cur enim ad naturam legis plus requiratur; quàm ut in urbe primaria publicè communitati ita promulgetur, ut in tanto commercio urbis & orbis legislatoris voluntas per Diœceses & Provincias facilè innotescat? *tionem Romanam.*

Et hinc sufficit ad legem, pro amplissimo etiam regno ferendam, si in urbe primaria publicè promulgetur, & Rex omnes subditos obligare velit. Neque, ùt equidem credo, ad legem Imperialem quisquam requireret promulgationem in singulis Provinciis, nisi id jure positivo, Novella nempe 66 citata satis apertè sanciret Imperator. Quo tamen non obstante posset hodiedum Imperator cum Statibus per recessum imperii post factam in urbe, in qua comitia habentur, promulgationem, omnes cives Romani imperii, ad quos ejus notitia pervenerit, obligare, sine speciali promulgatione per Provincias.

Atque ex hac doctrina, quæ videtur certa, & ab adversariis negari non solet, colligitur, quodsi Pontifex in aliqua Bulla aut constitutione expressè addat clausulam, se post factam Romæ promulgationem omnes undique fideles, ad quorum notitiam Bulla & illa promulgatio Romæ facta pervenerit, velle obligatos, eos haud dubiè esse obligatos, licèt specialiter per Diœceses non promulgetur. Idem dicendum, si usus & praxis suppleant vicem promulgationis particularis, ùt supplet in Bulla cænæ, reg. cancell. religionum &c.

Probatur igitur altera pars primi antecedentis, in qua major est difficultas, quòd scilicet post promulgatam Romæ constitutionem, ad omnes fideles directam, atque in acie campi Floræ, & ad valvas Basilicæ Apostolorum more consueto affixam, Pontifex censendus sit velle omnes fideles (nisi aliud addiderit) absque ulteriori publica promulgatione obligatos. Nam ex una parte ad legem per se & ex natura rei non requiritur promulgatio in singulis Provinciis, & nulla exstat Ecclesiastica constitutio, quæ universim talem promulgationem requirat: ex altera parte satis patet mens legislatoris, dum constitutionem in urbe sua primaria publicè promulgat, eáque omnes subditos suos vult obligatos: sicut patet mens Episcopi, si in sua metropoli, aut Ecclesia cathedrali constitutionem promulget. *Et vult obligare.*

Aut quis dicat, quòd solam urbem Romam per constitutiones suas ecclesiasticas, e. g. per Bullam cænæ, aut quando prohibet certas propositiones, Pontifex velit obligatam? & quanta difformitas in Ecclesia, si una Diœcesis obligetur constitutionibus Apostolicis (in qua nempe est promulgata) altera non obligetur? Cur Pontifex in aliquibus constitutionibus addit, se velle fideles obligatos, postquam in earum respectivè Diœcesibus fuerint promulgatæ? nunquid tam specialis expressio & exceptio firmat

 regu-

regulam in contrarium circa non excepta, quòd ſcilicet velit obligatos etiam poſt ſolam promulgationem Romanam? Unde Cardinalis Petra in Comment. tr. 1. ſ. 13. n. 32. ait: *Papa, quando vult in conſtitutione reſtringere obligationem tantùm in Italia, id dicit expreſsè in eadem conſtitutione, ùt in Conſtit. 83. Clementis VIII. &c.*

ùt probat ſtylus curiæ Romanæ. Et quid aliud loquuntur praxis & conſuetudo curiæ Romanæ, in qua cauſæ omnes deciduntur ſecundùm jura Romæ promulgata, ſive deinde in aliis Diœceſibus ſint promulgata, ſive non: de quo Romana curia non ſolet quærere. Quàm iniquum autem foret, cauſas aliarum Provinciarum decidere ſecundùm jura, quæ in illis nullam vim habent? quàm ab omni æquitate abhorrens punire ùt transgreſſorem legis, quæ non obligat transgreſſorem? imò quàm paradoxum haberi transgreſſorem legis, quæ non exiſtat in Provincia transgreſſoris? aut igitur iniquam curiam Romanam dicere neceſſe eſt, aut fateri, Romanam promulgationem ſecundùm ſtylum curiæ Romanæ haberi pro ſufficiente, ad inducendam apud exteras etiam Provincias obligationem.

Quòd autem hic ſit ſtylus Romanæ curiæ, ſatis exemplis conſtat. Sic Suarez l. c. n. 5. ex Joanne Andreæ teſtatur, electionem, in quadam Provincia factam contra conſtitutionem, tantùm Romæ promulgatam, irritam eſſe declaratam.

Item teſtantur Azor l. 5. c. 3. q. 3. Layman, aliique plures. de multis Pontificum reſcriptis, ac Bullis, quæ non ſunt inſerta Corpori Juris canonici: nihilominus tamen cenſentur obligare propter ſolam promulgationem Romæ factam. Et ubinam multi Canones, Corpori Juris canonici inſerti, ſunt promulgati ſolenniter, præterquam Romæ?

Neque alia eſt perſuaſio fidelium. Quis enim exiſtimat, ſe abſque piaculo poſſe aliquam ex propoſitionibus damnatis tenere, docere, aut in praxin deducere: licèt ea damnatio Romæ tantùm ſit promulgata? quot alias conſtitutiones Pontificias, Bullas, decreta, regulas cancellariæ, etiam in Germania vim ſuam habere cernimus, quamvis non conſtet, eas unquam in Diœceſibus Germaniæ eſſe promulgatas ſolenniter ab Epiſcopis?

Neque dicas, Pontifices, dum certas propoſitiones damnârunt, tantùm declarationem dediſſe juris naturalis, aut Divini. Nam hoc falſum eſſe, ex eo patet, quòd multæ propoſitiones damnatæ loquantur de iis, quæ non ſubjacent juri naturali, aut Divino, e.g. de jejunio, de labore aliiſque cauſis excuſantibus à jejunio, de ovis & lacticiniis, in quadrageſima comedendis, de horis canonicis recitandis, de privilegiis Regularium, de libris prohibitis &c. adjectis inſuper cenſuris, antea nunquam latis: ùt patet vel ſolas propoſitiones ab Alexandro VII. anno 1666. damnatas legenti. Conf. denique noſtra ſententia ex eo, quòd, ſi ad legem eccle-

ſiaſti-

siasticam per se & ex natura rei requireretur, ut in singulis Provinciis promulgetur facilè esset Principibus sæcularibus aut hominibus potentibus enervare potestatem ecclesiasticam, ejúsque constitutiones frustraneas reddere, impediendo earum promulgationem in suis Provinciis cum maximo præjudicio potestatis ecclesiasticæ.

Solvuntur argumenta contraria.

Objic. 1. *c.* 1. *de N O. N.* & *can.* 7. *d.* 10. deciditur, in iis casibus, in quibus nihil clarè disponit Jus canonicum, bene autem civile, istius dispositionem admitti posse, vel debere, in re, quæ non est spiritualis, nec contra immunitatem ecclesiasticam, nec concernit peccatum. Atqui lex civilis *nov.* 66. *cit.* statuit non obligare legem in ea Provincia, in qua non est promulgata: Jus autem canonicum de hoc nihil statuit. 21.

Aliter disponit Jus canonicum saltem consuetudinarium.

Resp. Dist. hoc ultimum. Jus canonicum *scriptum* de hoc nihil statuit, transeat. Jus canon. *consuetudinarium* nihil statuit, nego. Usus, praxis, disciplina, & consuetudo curiæ Romanæ, præterquam quòd sit lex non scripta, satis declarat, quæ sit mens & voluntas Pontificis, summi in terris legislatoris ecclesiastici, dum constitutionem aliquam, ad omnes fideles directam, publicè Romæ promulgat. Pro qua in testem Romæ præsentem adduximus Cardinalem Petra, quòd scilicet Pontifex soleat clausulam addere, si constitutionem suam velit ad solam Italiam restringere: ubi igitur talem clausulam non addit, sed universaliter ad omnes fideles loquitur, omnes vult obligatos. Consentire videtur sensus & persuasio fidelium existimantium, circa propositiones Romæ damnatas obsequendum esse Pontifici, atque se subjacere censuris in decreto statutis, si propositiones ejusmodi doceant, aut defendant, quamvis censuræ illæ nulla lege anteriore sint statutæ.

Dices. *c.* 13. *de pœnit & remiss.* statuitur, pœnam in medicos ibidem decretam non incurri, antequam Prælati locorum particularium hanc legem promulgaverint. Conf. ex Bulla Pii IV. *Sicut ad sacrorum*, ubi Pontifex vult, decreta Concilii Trident. non obligare, nisi in singulis Parochiis sint promulgata priùs.

Resp. Ex hoc ipso, quòd c. cit. Pontifex addat clausulam specialem, pœnam in medicos statutam non incurri in locis particularibus ante promulgationem ibidem factam, habetur argumentum, quòd, ubi talis clausula non additur, legem velit valere post promulgationem Romanam, & postquam sufficienter fuerit intimata. Cur enim adderetur aliquando illa clausula, si de jure communi lex non obligaret in provinciis, nisi postquam ibidem fuisset promulgata? esset utique frustranea talis clausula. Planè exceptio tam specialis, seu additio ejusmodi clausulæ firmat regulam in

contrarium quoad non excepta, ſeu quoad eas leges, quibus talis clauſula non additur. Falſum enim eſt, quòd ejusmodi clauſula ſit inſtar regulæ, aut exempli, quo doceamur, legem nullam obligare in provinciis ante promulgationem ibidem factam: nam non eſt regula, ſed exceptio à communi regula, quæ oſtendit, legem Romæ publicè promulgatam habere vim obligandi etiam in aliis provinciis, niſi in lege ſpecialis addatur clauſula, ut ex Card. Petra probavimus. Cæterùm argumentum eſt ſimile huic: Concilium Tridentinum irritavit contractum matrimonialem clandeſtinum: ergo etiam alios contractus clandeſtinos.

Eadem reſponſio ſerviret ad confirmationem, ſi verum eſſet, Pium IV. in Bulla cit. decreviſſe, Tridentinum non obligare, niſi in ſingulis Parochiis priùs ſit promulgatum. Verùm in tota Bulla nihil horum dicitur.

Ob. 2. Motivum, quod Imperatorem impulit, requirendi promulgationem in ſingulis provinciis, æquè pugnat pro lege Eccleſiaſtica; ut videlicet vitetur confuſio, dum in eodem loco alii obligarentur lege, qui nempe illius notitiam habent, alii verò nondum obligarentur. ℞. 1. Hanc inordinationem majorem fore in adverſariorum ſententia: nam in una provincia daretur obligatio legis, in altera non daretur. ℞. 2. Hoc eſſe per accidens, & omni ferme legi commune, etiam naturali: nam ſcientes illam obligantur, ignorantes inculpabiliter non obligantur in actu ſecundo. Deinde, ſi ex ejusmodi diverſitate inordinatio aliqua ſequeretur, facilè poſſet lex etiam aliis intimari, ut fiat conformitas: denique, licèt vitatio inordinationis potuiſſet Pontifici eſſe motivum requirendi promulgationem in ſingulis provinciis ſicut Imperator eam requiſivit, tamen non probatur, quòd defacto ſufficiens ipſi fuerit motivum: cùm uſus & praxis declaret contrarium: & lex per ſolam publicam promulgationem Romæ factam jam plenè videatur conſtituta, cùm ſit locutio publica Principis ad ſuos ſubditos.

Ob. 3. Pontifices frequenter præcipiunt promulgationem ſuarum conſtitutionum in diœceſibus ſingulis. Atqui hoc eſſet fruſtraneum, ſi jam ante ejusmodi promulgationem obligarent.

22. *Cur aliquando Papa requirat promulgationem in provinciis*

Reſpond Retorq. Pontifices frequenter addunt clauſulam, quòd nolint obligare ante promulgationem in provinciis factam. Atqui talis clauſula eſſet fruſtranea, ſi absque illa jam per ſe lex in provinciis non promulgata non obligaret. Igitur Pontifices ſæpiùs injungunt promulgationem in ſingulis provinciis, ut eò citiùs, certiùs, & faciliùs in omnium notitiam perveniat: & ne quis ob probabilitatem oppoſitæ ſententiæ ab obſervatione legis ſe excuſare poſſit, prætexendo, legem non eſſe ſufficienter promulgatam. Et hinc, licèt Pontifices univerſim præciperent, leges ſuas in diœceſibus publicari, tamen non ſequeretur, id per ſe requiri ad obligationem

tionem legis, sed tantùm, ut sic suaviùs, faciliùs & efficaciùs in notitiam fidelium & observantiam veniant, atque ordo hierarchicus meliùs observetur, ex Ecclesiæ capite per Episcopos, magnas veluti venas, in membra etiam minora defluente salubri succo.

Ob. 3. Promulgatio est locutio publica ad communitatem. Ergo debet non tantùm fieri apud Romanos & Italos, sed in omnibus per orbem Christianum diœcesibus. Conf. videtur durum, statim remotissimas gentes obligare per promulgationem tantùm Romæ factam.

Resp. Locutio summi Pontificis satis est publica, si Romæ, totius orbis urbe principe publicè fiat, præsertim cùm ibi non tantùm Regum legati, sed Episcoporum etiam Procuratores atque omnium ferme nationum homines degere consueverint: qui de omnibus constitutionibus, totam Ecclesiam concernentibus facilè edocere possunt Principes, Episcopos, & populares suos, transmissis ad eos authenticis copiis. Mittere etiam solet curia Romana novas constitutiones ad Nuntios Apostolicos, & Episcopos, non tam ut solenniter promulgentur in diœcesibus, quàm ut fidelibus innotescant, & usu in praxin eant. Deinde argumentum probaret, quòd Papa ne quidem posset ante promulgationem in provinciis factam obligare: quod adversarii non asserunt. *Promulgatio Romana satis publica.*

Ad conf. d. a. durum est statim omnes obligare, etiam eos, qui legem adhuc invincibiliter ignorant c. a. obligare omnes, qui sufficientem illius notitiam acceperunt. n. a Licèt post promulgationem Romæ publicè factam lex jam sit de se constituta, & virtutem obligandi habeat, tamen, antequam fidelibus innotescat, necdum eos obligat, ex defectu conditionis, subjecti videlicet apti: sicut ignis, licèt ex se omnem virtutem ustivam habeat, tamen necdum urit, neque proximè potest urere illa subjecta, quibus necdum est applicatus. Duri autem nihil habet, quòd lex statim incipiat obligare eos, qui sufficientem illius notitiam hauserunt. *Lex ignorata non obligat in actu secundo.*

Faciunt hîc aliqui discrimen inter leges; & de lege præcipiente ac prohibente asserunt, eas post promulgationem Romanam obligare; ad legem verò irritantem, rescindentem, auferentem privilegia concessa, jurisdictionem &c. requirunt etiam promulgationem in diœcesibus. Verùm consequentia doctrinæ videtur exigere, ut de omnibus idem doceatur, eas nempe post promulgationem Romanam obligare eos, qui sufficientem earum notitiam acceperunt.

Ob. 4 Licèt lex Evangelica Jerosolymis festo Pentecostes solenniter fuerit promulgata, tamen deinde ab Apostolis per omnes orbis provincias est promulgata, juxta mandatum Christi: *Ite in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Ergo etiam lex Ecclesiastica, licèt Romæ

Romæ ſit promulgata, tamen etiam ab Epiſcopis per diœceſes eſt promulganda.

Reſp. Lex Evangelica hodiedum prædicatur ubique, non quòd per hanc prædicationem lex conſtituatur, aut ejus vis obligativa: ſed ut omnibus ſufficienter notificetur. Idem contigit per prædicationem Apoſtolorum. Et in hoc ſenſu etiam leges Eccleſiaſticæ tum per Epiſcopos, tum in ſcholis à Doctoribus SS. Canonum intimantur, notificantur, & explicantur; quin tamen hæc notificatio ſit propriè promulgatio, vim obligativam legis neceſſariò conſtituens.

Dices: Epiſcopi meliùs nôrunt, quàm Romana curia, quid Diœceſibus ſuis particularibus, genio, indoli ac moribus Provinciarum ſit magìs conveniens & accommodatum. Ergo cenſendus eſt Papa nolle obligare, donec Epiſcopi conſtitutiones Papales expenderint, & poſtquam convenientes eſſe cognôrunt, promulgârint.

Reſp. Si Epiſcopi conſtitutionem aliquam Pontificiam Diœceſi ſuæ inutilem aut noxiam exiſtimant, patet illis via ad informandam de hoc ſedem Apoſtolicam. Cæterùm voluntas ſummi Pontificis certiùs dignoſci non poteſt, quàm ex ſtylo & conſuetudine ipſius curiæ Pontificiæ, de qua teſtatur Card. Petra, curiæ Romanæ ejúsque ſtyli ſcientiſſimus. Teſtatur experientia: qua conſtat, quòd, ſi Romam appelletur, cauſæ eccleſiaſticæ ſecundùm conſtitutiones ſedis Apoſtolicæ decidantur, ſive deinde illæ ſint in Provinciis promulgatæ, ſive non. Quis enim credat, Pontificem nolle, ut conſtitutiones, Romæ tantùm promulgatæ, vim obligandi in Provinciis habeant, & tamen lites ibidem exortas ſecundùm eaſdem decidere? cur decidat, electionem, præſentationem &c. eſſe nullam, ſi ibidem, ubi facta eſt, ſit legitima?

Objic. 5. Multæ ſunt conſtitutiones & Bullæ Pontificiæ, Romæ promulgatæ, quæ tamen extra Italiam, e. g. in Germania & Gallia vim nullam habent. Atqui hoc videtur provenire ex defectu promulgationis.

23. *Cur plures Bullæ Papales in provinciis non vigeant.*

Reſp. Varias eſſe poſſe cauſas, cur aliquæ conſtitutiones Pontificiæ in variis Provinciis non vigeant: nempe vel ex eo, quòd Epiſcopi vel Nuncii Apoſtolici Pontificem informârint de difficultate legis reſpectu alicujus Provinciæ, aliíſque circumſtantiis, ſícque Pontifex acquieverit, & conſtitutiones nunquam ſint receptæ, vel per conſuetudinem contrariam iis ſit derogatum, accedente conſenſu, ſaltem legali, ſedis Apoſtolicæ; vel quòd Reges Principes, aut etiam quidam Epiſcopi privilegium aliquod ſpeciale ab ipſo Pontifice acceperint, quo indulget, ut conſtitutiones non obligent, niſi in eorum regnis & Epiſcopatibus promulgentur: vel denique, quòd Provinciæ ſequantur ſententiam verè probabilem, quòd ſcilicet, ſicut leges Imperiales, ſic etiam conſtitutiones Pontificiæ

ficiæ non obligent in Provinciis & Diœcefibus, fi in iisdem non fint promulgatæ. Nam fateor iterum, hanc fententiam valdè effe probabilem, tum ab authoritate tum ratione, ùt ex hactenus allatis fatis patet; quibus equidem aliquam folutionem adhibere conati fumus, neutiquam tamen tanquam certam aut convincentem venditamus.

Loquor autem femper de cafu, quo conftitutio aliqua, omnes fideles concernens, atque ad omnes fideles directa, fimpliciter emanat, quæ promulgationem in Provinciis neque exprefsè requirit, neque exprefsè non requirit. Nam fi Pontifex velit, ut conftitutio ftatim absque ulteriori promulgatione obliget, non dubito, quin ea ftatim omnes obliget, ad quos fufficiens notitia illius pervenerit. Idem dicendum, fi Papa vel Concilium propofitionem aliquam fidei, aut ad fidem pertinentem edat, aut propofitionem aliquam, tanquam legi naturali, Divinæ, aut humanæ, contrariam damnet. Nam tunc non fertur lex, fed declaratur lex jam præexiftens. Unde fufficit, quomodocunque ea damnatio & declaratio fidelibus certò innotefcat. Sæpiùs etiam ufus & praxis, aut doctrina in fcholis recepta, vicem promulgationis in Provinciis fubeunt, ùt circa Bullam Cœnæ & regulas cancellariæ loquuntur.

Sicut igitur non dubito, pro his cafibus non requiri aliam fpecialem ac folennem promulgationem in Provinciis, ita fubfifto, an extra illos requiratur. Hoc certum, ut conftitutio, quamtumvis Romæ promulgata, actu obliget in Provinciis, debere de ea authenticè conftare; quod fieri poteft per transmiffam ad Epifcopos vel alios authenticam copiam conftitutionis, aut aliud teftimonium authenticum. Et hinc Pontifices in Bullis fuis folent addere, ut tranfumptis & copiis authenticis eadem fides habeatur, quæ litteris ipfis originalibus haberetur, fi exhiberentur. Dixi *Limitatio.* autem: *fpeculativè loquendo, & abftrahendo à praxi & confuetudine Diœcefium:* Nam fi talis vigeat, ut fideles cenfeant, fe non obligari ad fervandas leges Pontificias, nifi à proprio Epifcopo ipfis fint intimatæ, neque antea ipfas obfervent, talis confuetudo nequaquam eft reprobanda; cùm fit conformis doctrinæ plurium gravium Doctorum, gravibus omnino rationibus nixæ. Imò etiam abftrahendo à confuetudine, poffunt fideles fequi fententiam verè probabilem, & exfpectare, donec lex Pontificia nova ab Epifcopo ipfis intimetur, cujus eft conftitutiones Apoftolicas, fi ad ipfum mittantur à Papa, Diœcefanis fuis intimare ac promulgare, fi Diœcefi fuæ congruere videantur: fecùs verò fanctam fedem de difficultate, & caufis easdem conftitutiones non urgendi, aut circa eas difpenfandi, aut eas pro tali loco omnino tollendi, informare.

Quo tempore leges obligare incipiant?

24. Resp. Leges civiles, ſicut non obligant in Provinciis, niſi in iisdem ſint promulgatæ, ita à facta promulgatione non obligant, niſi bimeſtre ſit elapſum, ùt habetur *nov. 66. cit.*

Non requiritur lapſus duorum menſium.

De legibus canonicis dicendum videtur, quòd ſicut per ſe non requiritur ſolennis & jurisdictionalis promulgatio in Diœceſibus, ita (niſi aliud in conſtitutione exprimatur) non requiratur lapſus duorum menſium ante earum obligationem, ſed ſtatim obligare incipiant ſingulos fideles, poſtquam authentica earum notitia ad eos pervenerit, quia nihil tunc deeſt, quò minùs obligatio incipiat, cùm ſufficienter conſtet de lege & voluntate legislatoris promulgata. Siquidem diſpoſitio Juris civilis quoad hoc non videtur attendi in foro canonico, ùt praxis ipſa videtur declarare.

Equidem Pius IV. in Bulla *ſicut ad ſacrorum* decernit, decreta Concilii Tridentini non obligare ante Calendas Maji, hoc eſt, ante lapſum trium menſium à promulgatione, facta ſub finem Januarii, ſubjungens hanc rationem inter alias: quia *jure etiam communi ſancitum eſt, ut conſtitutiones novæ vim non niſi poſt certum tempus obtineant.* Verùm hæc diſpoſitio ſpecialis circa decreta Tridentini non debet extendi ad omnes alias leges: tum quia Romæ ùt transgreſſores puniuntur, etiam ante lapſum duorum menſium, ùt teſtatur Suarez *de leg. lib.* 4. *c.* 15. Vaſq. *diſp.* 156. *c.* 3. Navarrus &c apud Suarez l. c. tum quia circa decreta Tridentini Pontifex aliam ſpecialem inſuper adducit rationem, nimirum, quia poſt promulgationem factam, *non parum temporis in eis Romæ diligenter emendatéque imprimendis neceſſariò conſumptum fuit.* Unde Pontifex meritò interea ſuſpendit obligationem, ne in tanta decretorum & reformationum multitudine oriatur in Eccleſia confuſio. Unde non fuit unica ratio, obligationem ſuſpendendi, diſpoſitio illa civilis, quam obiter Pontifex refert: imò neque ipſe circa Tridentini decreta diſpoſitionem illam ſervavit: cùm illa bimeſtre tantùm indulgeat, Papa verò trimeſtre conceſſerit, quo durante decreta Tridentini circa reformationem morum ac diſciplinæ non obligent. Unde referendo illam diſpoſitionem Juris civilis aliud inſinuare non voluit Pontifex, quàm nihil eſſe novi in Jure, indulgere aliquam temporis moram, à promulgatione facta, intra quam decreta necdum obligent. Verùm hæc ipſa tam ſpecialis expreſſio circa decreta Tridentini videtur firmare regulam in contrarium circa alias leges eccleſiaſticas, quibus ſimilis clauſula, obligationem aliquamdiu ſuſpendens non adjungitur.

Cur Tridentinum non ſtatim obligárit.

CONTROVERSIA III.

An ad legem requiratur acceptatio populi?

25. Aliqui ex Juriſtis cum Nav. & Cov. exiſtimant, acceptationem populi eſſe

esse necessariam, vel tanquam constitutivum legis (ùt de promulgatione diximus) vel tanquam conditionem (sicut requiritur cognitio legis) ut lex obliget: ex his fundamentis:

1. Quia *Can.* 3. *d.* 4. dicitur: *Leges instituuntur, cùm promulgantur: firmantur, cùm moribus utentium approbantur.* Et *l.* 32 *ff. de LL. cùm ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quàm quòd judicio populi receptæ sint* Ergo acceptatio populi est de essentia legis, vel saltem necessaria conditio. *Rationes dubitandi.*

2. Quia multæ sunt constitutiones, quæ præcisè ideo in multis locis non obligant, quòd ibi non sint receptæ: ùt patet in decretis reformatoriis Tridentini. Unde illud: *Lex non acceptata non obligat.*

3. Quia consuetudo contraria potest tollere legem. Ergo potest etiam eandem impedire, ne inducatur. Confir. Supplicando vel appellando à lege potest suspendi obligatio legis. Ergo etiam non acceptando tolli.

4. Leges feruntur sub tacita conditione acceptationis: quia sic suaviùs & ad bonum communitatis aptiùs proceditur.

5. Si Princeps habet plenam potestatem ferendi leges, regimen facilè degenerat in tyrannidem. Ergo prudentiùs requiritur acceptatio populi.

6. Ecclesia Græca legem ecclesiasticam de continentia Sacerdotum non acceptavit. Ergo etiam aliis populis liberum est, leges acceptare.

His tamen non obstantibus communis & certa ferme est sententia, extra statum democraticum ad legem ejúsque obligationem non requiri acceptationem populi, sed postquam lata & promulgata est, eandem jam integrè esse constitutam, ac per se statim obligare.

Ratio est, quia potestas legislativa ecclesiastica Pontificis est immediatè à Deo; civilem verò omnem populus transtulit in Principem per *legem regiam,* ùt dicitur *l.* 1. *ff. de constit Princip.* in statu verò aristocratico eandem transtulit ad optimates. Ergo legislator non tenetur requirere aut exspectare consensum aut acceptationem populi, sed potest observantiam legis promulgatæ statim urgere, & transgressores punire, prout de facto contingit. 26. *Rationes decidendi.*

Hinc Alexander VII. meritò damnavit hanc propositionem: *Populus non peccat, etsi absque ulla causa non recipiat legem, à Principe promulgatam.*

Et ratio ulterior est, quia inefficax esset & enervis potestas legislativa in Principe aut optimatibus, si ad legem ferendam requireretur consensus & acceptatio populi: nam sic plebs libertatis cupida posset omnes leges eludere, iísque, tribunitiæ illius instar potestatis, intercedere, cum perturbatione reipublicæ, & ruina disciplinæ.

Imò tot essent Con legislatores, quot homines; & Principes ac reges potiùs regerentur à subditis, si isti velut approbare ac confirmare deberent

Principis voluntatem. Sícque nulla ampliùs esset in mundo monarchia & aristocratia.

27. *Resp. ad rationes dubitandi. Quomodo lege moribus firmentur?* Neque aliquid probant ea, quæ pro opposita sententia sunt allata. Nam ad 1. resp. Leges non firmari utentium moribus in hoc sensu, quòd utentium mores seu actualis observantia legem constituat, aut sit conditio necessaria, ut obliget: sed dicuntur leges utentium moribus firmari, quatenus observantia est necessaria ad legum stabilitatem ac durationem longiorem. Si enim non observentur, desuetudine, aut contraria consuetud ne tolluntur: ùt titulo de consuetudine dicetur. Et hinc Can. 3. cit. adduntur hæc verba: *Sicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ leges hodie sunt abrogatæ, ita moribus utentium ipsæ leges confirmantur.* Hoc est: Sicut consuetudine contraria leges tolluntur, sic usu & observatione stabilitatem accipiunt. Unde receptio seu acceptatio non est necessaria ad ipsam legem, benè verò ad stabilitatem legis. Quo sensu aliqui dicunt, acceptationem esse necessariam ad perfectionem *accidentalem* legis, non verò ad *substantialem*. Cæterùm verba, in objectione allata, non sunt verba Canonis 3. sed sunt tantùm Glossema & adjectio Gratiani, adeóque non habent majorem authoritatem, quàm ipse Gratianus. Alter textus ex *l. 32. ff. de LL.* eodem sensu est intelligendus. Præterquam quòd loquatur de tempore antiquo, quo potestas legislativa adhuc erat penes populum.

Ad 2. eadem est responsio: Nam lex non acceptata dicitur non obligare ampliùs, tum quia desuetudine tollitur, ut primi quidem peccent, qui illam non recipiunt, & observant, posteri verò non ampliùs illa obligentur: tum quia legislator quandoque non vult obligare, nisi illos, qui legem ultrò recipiunt: vel tacitè saltem connivet & legem illis remittit, qui eandem non recipiunt, ùt circa reformationes Tridentini in aliquibus locis contigisse videtur. Tum denique, quia lex quandoque est implicitè conditionata, ut legislator nolit obligare, si justa causa subsit legem non recipiendi.

Ad 3. Si legislator statim absolutè vult obligare, subditi legem non acceptando neque legem neque illius obligationem possunt impedire, sed statim incipit obligare. Si tamen populus legem non observet per decem annos, & legislator conniveat, censetur legem remisisse. Et sic, ùt dictum, primi transgressores peccant non verò posteriores, quia lex per non observantiam, accedente tacito saltem aut legali consensu legislatoris est sublata.

Ad conf. Appellando ad superiorem, suspenditur interea obligatio legis, ab inferiore legislatore latæ; non tamen suspenditur supplicando: nam donec legislator vel ejusdem superior supplicationi annuat, & supplicantem

cantem à lege eximat, aut legem omnino remittat, tenetur eam observare, quia lex interea est in possessione.

Ad 4. Aliquando leges feruntur sub conditione acceptationis, non tamen semper, imò neque ordinariè. De cætero regimen non tantùm debet esse suave, sed etiam efficax, non autem esse tale, si in arbitrio subditorum esset positum, an velint obligari legibus.

Ad 5. Quòd aliquando potestas gubernativa degeneret in tyrannidem, est per accidens. Majora tamen sequerentur mala in humana republica, si Principes in ferendis legibus dependerent à suis subditis: quia sic esset inefficax atque enervis potestas gubernativa, cum ruina reipublicæ ac morum disciplinæ.

Ad 6. Vel Ecclesia legem de continentia sacerdotum non extendit ad Græcos, vel primi transgressores peccârunt. Consequenter neque ad illam legem constituendam requirebatur acceptatio Græcorum, sed tantùm ad illius stabilitatem.

Dixi autem 1. *Extra statum democraticum.* Nam in republica democratica, in qua penes totum populum est potestas gubernativa ac legislativa, non datur lex, nisi à majore parte populi sit lata. Si autem ita sit lata, reliqui etiam eandem acceptare & servare tenentur.

Dixi 2. Quòd lex *per se* statim obliget. Nam per accidens contingere potest ex variis causis, ut subditi non statim obligentur. E. g. 1. Si Princeps ultro concedat spatium legem experiendi, aut procedatur secundùm probabilem sententiam, quòd ante duos menses non obliget, aut quòd lex Romæ tantùm promulgata, non obliget in Provinciis.

2. Si major pars populi illam non observet, connivente & acquiescente legislatore: nam tunc neque minor pars ampliùs obligatur. 3. Si onus iniquum imponat, e. g. nimia tributa. 4. Si sit nimis gravis aut contra particularem consuetudinem alicujus loci, quam legislator præsumitur ignorâsse. Pro tali enim casu non censetur legem tulisse. Securius tamen est, tunc legislatori difficultatem aut consuetudinem contrariam proponere, ut ipse legem tollat, aut mitiùs interpretetur. Lex enim, etiam dura, si certò constet esse latam & promulgatam, nec constet esse injustam, est in possessione, ac interim servari debet, juxta illud Ulpiani l. 12. ff. qui & à quibus manumissi: *Quod quidem perquam durum est; sed ita lex scripta est.*



CAPUT II.

De effectu seu obligatione Legis.

SUMMARIUM.

QUÆSTIO I.
De effectu Legis in genere.

1. *Effectus omnis legis est obligatio: & quidem in conscientia.*
2. *Quia parendum.*
3. *Etiam legi permittenti.*

QUÆSTIO II.
De effectu legis pœnalis.

4. *Quid lex merè pœnalis.*
5. *Talis propriè non datur,*
6. *Sed est instar legis imperantis solutionem teloniorum.*
7. *Regulariter non incurruntur pœnæ ante sententiam Judicis, si requirant actionem positivam delinquentis difficilem, aut privent jure jam quæsito.*

QUÆSTIO III.
De effectu legis tributariæ &c.

8. *Non sunt merè pœnales; obligant in conscientia.*
9. *Quomodo ferantur.*

QUÆSTIO IV.
De lege fundata in falsa præsumptione.

10. *Nunquam obligat. Ostenditur exemplis.*
11. *Fundata tamen in periculo universali omnes obligat.*

QUÆSTIO V.
De lege ignorata.

12. *Invincibiliter ignorata nullum parit effectum, nisi sit irritans.*
13. *Secus de ignorata culpabiliter.*
14. *Sciens culpam incurrit reatum pœnæ: licèt hanc nesciat esse annexam.*
15. *Nam in quantum cognoscit culpam, incurrit pœnam.*
16. *Aliud fortè de pœna censurarum.*
17. *Ignorantia facti alieni regulariter excusat, ac prodest: non verò ignorantia juris manifesti.*
18. *Quia ignorantia juris præsumitur esse vincibilis, facti alieni autem invincibilis.*
19. *Faciliùs autem præsumitur ignorantia invincibilis, cùm eam allegans certat de damno vitando, quàm si certet de lucro captando.*

20. 21. *Per ignorantiam juris inculpabilem indebitè solutum repeti potest.*

22. *&c. Gaillii, Zoesii, & Menochii hac de re doctrina.*

QUÆSTIO VI.
De lege dubia.

25. *Lex negativè dubia non obligat.*
26. *Major controversia circa legem positivè dubiam.*
27. *Benè notandum discrimen inter probabilitatem tantùm speculativam, versantem e. g. circa valorem actus, & inter practicam, versantem circa licentiam actus. Unde*
28. *Probabilismus nihil commune habet cum propositionibus damnatis.*

29. *Quia*

QUÆSTIO VII.

An obliget lex in dubio, an sit abrogata aut impleta?

QUÆSTIO VIII.

An lex obliget in gravi metu, periculo, difficultate?

QUÆSTIO IX.

De effectu legis irritantis.

gitur negativa saltem quoad leges canonicas.
69. *&c. De irritatione pœnali.*

QUÆSTIO X.
Quomodo lex obliget.

72. *Quando graviter obliget.*
73. *An requiratur intentio legi satisfaciendi?*
74. *An uno actu impleri possint plura præcepta, & quot sint peccata, si uno actu violantur plures leges: aut unus actus feratur in plura objecta totalia?*

Post explicatas legum causas effectus earum sunt subjungendi. Est autem effectus omnis legis *obligatio* observandi legem, e. g. faciendi, quod lex præcipit facere, omittendi, quod prohibet &c. Sed quoniam hæc materia in plures ramos se explicat, dividere eandem oportet in suas partes. Unde sit

QUÆSTIO I.

De effectu legis in genere.

1. *Omnis lex obligat in conscientia.* Effectus omnis universim legis est obligatio in conscientia, hoc est, sub culpa coram Deo. Si enim est lex *præcipiens*, teneris facere id, quod præceptum est: si *probibens*, oportet omittere, quod prohibetur: si lex *permittens*, nemo impediendus aut turbandus in eo, quod sibi lege permissum est: si lex *irritans*, nemini licitum est, actum irritatum pro valido alteri objicere, aut effectum ex eo velle consequi. Si denique lex est *pœnalis*, obligat judicem ad infligendam pœnam statutam, & transgressorem ad eandem sustinendam: ut proin omnis omnino lex, sive civilis, sive ecclesiastica, ad aliquid obliget in conscientia. In quo differt à *consilio*, quod quidem suadet id, quod est decens ac melius, non tamen obligat; ùt patet in consiliis Evangelicis.

Quia tenemur obedire superiori. Et ratio hujus asserti est: quia quilibet tenetur obedire superiori suo legitimè imperanti, & quidem jure Divino ac naturali, ùt docemur à S. Paulo ad Rom. 13. ubi ait: *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et mox addit: *Dei minister est* (potestas seu legislator) *vindex in iram ei, qui malè agit: ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Consonat illud 1. Petri 2. *Subjecti igitur estote, ut, sive regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei.*

Et quo ulteriùs sequitur, impossibilem esse legem, quæ non obliget in conscientia: nam lex est rationabile præceptum superioris impositum subditis. Atqui tale dari non potest, nisi subditi obligentur parere Præcepto. Adeóque licèt Princeps non intenderet per legem suam obligare in conscientia, tamen re ipsa lex obligaret, non quidem ex intentione principis, legem ferentis, sed ex voluntate Dei, præcipientis obedire superiori: cùm juris naturalis & positivi Divini lex sit, omni superiori legitimè præcipienti obediendum esse. 2. *Et quidem necessario,*

Unde licèt in potestate legislatoris humani sit, an lex existat, vel non existat: supposito tamen, quòd eam velit existere, ex lege Divina ac naturali consequente ac veluti reflexa necessariò obligabit in conscientia.

Et hinc transgressio legis humanæ semper est etiam mediatè transgressio legis Divinæ ac naturalis, quæ videlicet præcipit legi humanæ parere. Verissima proin manet illa definitio peccati, à S. Augustino proposita: quòd scilicet sit *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei:* nam licèt aliqua peccata sint immediatè contra legem humanam, mediatè tamen sunt contra legem Dei. *Quia etiam lex Divina præcipit.*

Ex quo pariter sequitur, licèt legislator non possit cognoscere ea, quæ in subditorum conscientia contingunt, neque possit directè pœnam inferni imponere, tamen utrumque potest Deus, graviter præcipiens observare legem humanam graviter præcipientem: etiam tunc quando hæc tantùm versatur circa bonum commune politicum. Unde etiam leges Imperatorum ethnicorum, aliorumque legislatorum infidelium obligabant in conscientia, & sub pœna æterna in re gravi, quamvis fortè de his non cogitârint. *Et punit etiam transgressiones legum civilium.*

Atque in hoc sensu potissimùm intelligendum est receptum illud juris principium: *Lex justa pro foro externo, est etiam justa pro foro interno:* quatenus nempe etiam pro foro interno, seu in conscientia obligat.

Obstrepunt quidem huic doctrinæ, ex sacra Scriptura manifestè adeò comprobatæ, hæretici, persuadere conantes, nullam legem humanam ligare posse conscientias, & abutentes illo Pauli 1. Tim. 1. *Justo lex non est posita:* cujus tamen non est alius sensus, quàm, quòd justo non sit *invito* posita, & tanquam onus: quia non metu pœnæ, sed charitate ad illam observandam allicitur. *Hæreticorum error*

Dices: Lex permittens ad nihil obligat eum, cui aliquid permissum est: sic qui acquirit privilegium, quod est lex privata, non tenetur eo uti. Deinde constitutiones plurium Religiosorum ordinum sunt leges, & tamen non obligant sub culpa. ℞. Lex permittens non quidem obligat eum, cui aliquid permittitur: obligat tamen alios, ne eum jure permisso privent, aut impediant, e. g. ne privilegiatum impediant uti suo 3. *etiam lex permittens obligat.*

privilegio. Hinc permissio & privilegium propriè tantùm est lex respectu aliorum, qui non habent privilegium.

quomodo regulæ religiosæ? Constitutiones religiosas, quæ non obligant sub peccato, P. Schmalzgruber ad tit. *de constitut. num* 31. censet, esse aliquid medium inter legem & consilium. Nam conveniunt cum consilio in hoc, quòd non obligent sub culpa: cum lege verò & præcepto, quòd videantur tendere modo imperativo: leges tamen propriè non sunt.

Difficultatem majorem habent, quæ opponi hîc possent circa legem pœnalem, irritantem, dubiam, fundatam in falsa præsumptione. Verùm hæc juvat speciali tractatione examinare. Unde sit

QUÆSTIO II.

De effectu legis pœnalis.

4. *quid merè pœnalis?* Lex *pœnalis* dicitur, quæ decernit pœnam. Si nihil præcipiat aut prohibeat, sed præcisè statuat pœnam, dicitur *purè pœnalis*, aut *merè pœnalis*. Atque sic e. g. sonat: *Qui exportaverit frumentum ex provincia, centum florenos pendet*. Aut *qui feram in sylva trajecerit*, *mulctabitur*. Si verò præcipiat aut prohibeat aliquid, simúlque in transgressorem pœnam statuat, *Mixta.* dicitur *pœnalis mixta*: ùt si dicat: *Nemo exportet frumentum: qui autem exportaverit*, *mulctabitur* 50. *florenis*. Et de hac mixta non est dubium, quin obliget in conscientia ad actum præceptum ponendum, & prohibitum omittendum, simúlque ad mulctam statutam solvendam post Judicis sententiam.

Sed difficultas est non exigua circa legem purè pœnalem, an nempe talis detur, & an in conscientia obliget ad subeundam aliquam pœnam. Communis equidem est sententia, dari legem purè pœnalem, eámque obligare ad subeundam pœnam statutam, qualem esse dicunt e. g. legem, quæ in feripetas, exportatores frumenti, vini &c. aut in exteros, teloniorum defraudatores, aut in transgressores regularum in religioso ordine, absque prohibitione, pœnam statuit.

Nam, ùt inquiunt, licèt talis lex nihil præcipiat aut prohibeat, tamen justè statuit pœnam, e. g. in feripetas &c. Ergo est lex merè pœnalis, obligátque in conscientia ad subeundam pœnam, à Judice inflictam.

5. *Nulla lex merè pœnalis propriè loquendo.* Verùm legem purè pœnalem, in sensu proprio & stricto acceptam, nullam existere arbitror, imò neque esse possibilem: ex hac ratione.

Vel lex aliqua quæcunque præcipit aliquid, aut prohibet, directè vel indirectè, explicite vel implicitè, formaliter aut virtualiter? vel nihil omnino præcipit aut prohibet? Si primum jam non est ampliùs lex purè pœnalis, sed mixta, non tantùm obligans ad pœnam, sed etiam

ad

ad faciendum, quod est præceptum, & omittendum, quod est prohibitum: ùt per se patet: nam transgressio legis prohibentis aut præcipientis non est lex merè pœnalis, ùt omnes fatentur.

Si autem nihil omnino, nec directè nec indirectè, præcipit aut prohibet, nulla omnino datur transgressio legis, nulla prorsus culpa, nullum delictum. Ergo neque potest puniri pœna propriè dicta. Sic, si venatio nullo modo est prohibita, feripeta nullam legem est transgressus, nullum omnino delictum, aut quasi-delictum commisit, consequenter nullam omnino culpam contraxit. Quomodo igitur meruit pœnam? quid pœnâ propriè tali dignum commisit? quid in eo punitur? certè omnis pœna supponit aliquam culpam: aliàs pœna est injusta. Nam pœna est *noxæ, delictorum & peccatorum vindicta & coërcitio*, ùt dicitur *l.* 131. *ff. de verb. signif.* & S. Augustin. l. 1. retract. c. 9. ait: *Omnis pœna peccati pœna est, & supplicium nominatur*: unde tritum illud: *Supplicium est pœna peccati.* Adeóque nulla dari potest rationabilis lex merè pœnalis: utpote quæ puniret actionem permissam & licitam, consequenter innocentem, sine omni delicto & culpa.

Neque dicas, quòd lex merè pœnalis puniat aliquod quasi delictum, aut aliquam culpam juridicam, vel politicam. Nam ubi nihil prorsus ullo modo prohibetur aut præcipitur, ubi nulla negligentia aut incuria, nec vera nec præsumpta, nec à se nec ab alio commissa, intercedit, profectò neque quasi-delictum, neque culpa juridica vel politica locum habet. Ergo neque potest puniri propter talem culpam. Si autem datur aliqua prohibitio, jam non est ampliùs lex merè pœnalis.

Dixi autem, non esse possibilem legem purè pœnalem propriè ac strictè talem, quæ videlicet purè statuat pœnam propriè sumptam, absque omni prohibitione. Non enim nego, posse Principem aut rempublicam statuere per legem præcipientem, ut, qui exportat frumentum, certam pecuniam solvat (sicuti leges contractuum, Gabellarum, pedagiorum, teloniorum, quæ non sunt pœnales, statuit) cui legi se subjicit, qui frumentum exportat: sicut peregrini etiam se subjiciunt legibus contractuum teloniorum &c. igitur solvere tenetur taxatam pecuniam, si frumentum exportet. Hæc tamen solutio non habet rationem pœnæ propriè sumptæ, sicut solutio teloniorum, accisorum pro vino e. g. importato, vectigalium &c. non habet rationem pœnæ. Quidquid sit, an solutio facta propter exportatum frumentum dicatur pœna impropriè ac latè talis: de quo non disputo. Ejusmodi pœnam impropriè sumptam videtur agnoscere regula Juris 23. in 6. dum ait: *sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Videtur etiam eandem agnoscere com-

6. Solvi tamen debet taxa statuta vi legis.

In sensu minus proprio ad-

mitti potest lex merè pœnalis. communis modus loquendi, quo lex pœnalis dividitur in pœnalem mixtam, & purè pœnalem. Nam in hac divisione, ut ostensum, non potest pœna propriè sumi. Unde etiam, quando quis propter delictum alienum dicitur puniri, e.g. Clericus propter simoniam, ab altero commissam, aut filius propter crimen patris, non habet respectu innocentis, propriè rationem pœnæ, sed hic ferre debet incommodum ratione legis vel statuti, etiam in filio punientis culpam patris: & hinc potiùs pater, aut simoniacus punitur.

Ceterùm convenit inter DD. legem merè pœnalem, si detur, non obligare ante sententiam Judicis: cùm nequidem lex pœnalis mixta antea obliget, si sit ferendæ sententiæ, aut quando requirit aliquam executionem externam: non enim tenetur quis sui ipsius esse accusator, ju-

7\. dex & executor. Igitur si sit pœna ferendæ sententiæ, non incurritur *An pœna incurratur ante sententiam.* ante sententiam *condemnatoriam:* si autem latæ sit sententiæ, & pœna sit *positiva*, ad cujus executionem requiritur aliqua actio delinquentis, valde difficilis, regulariter non incurritur ante sententiam *declaratoriam* criminis. Quia nimis difficile foret, si quis ante omnem sententiam deberet in se ipso exequi pœnam valde difficilem, e. g. ire in exilium, in carcerem infamem, aut valde durum, ad triremes, addicere bona sua fisco &c. Imò ordinariè neque ad pœnam *privativam*, qua videlicet delinquens privatur bono aut jure aliquo jam quæsito, datur obligatio ante sententiam declaratoriam. Dixi *ordinariè:* excipiuntur enim censuræ, & inhabilitates; item nullitates matrimoniorum, electionum, collationum, & provisionum beneficialium; quæ pœnæ sæpe incurruntur ante omnem sententiam. Nam hæ posteriores non privant jure jam quæsito, sed primùm quærendo. Quando autem privationes sunt merè negativæ, hoc est, quando non privant bono jam acquisito, faciliùs incurruntur ante omnem sententiam, ùt inhabilitates ad beneficia ecclesiastica, irregularitates &c.

Cæterùm, quando verba legis sunt dubia, censendum est, quòd contineant pœnam *ferendæ sententiæ*, adeóque quòd ante illam non incurrantur: quia pœnæ in mitiorem partem sunt interpretandæ. Hinc si lex tantùm comminetur pœnam, dicendo, e. g. *sub pœna quadrupli, sub pœna inhabilitatis &c.* censetur tantùm esse ferendæ sententiæ. Aliud esset, si lex adderet, *ipso jure*, vel *ipso facto* incurri pœnam; tunc enim esset *latæ sententiæ;* regulariter tamen requireretur sententia declaratoria criminis, nisi addatur clausula, quæ etiam istam excludat. Cæterùm post sententiam non potest quis judici positivè resistere: imò tenetur quis etiam positivè exequi pœnam, si non sit nimis gravis.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An leges tributorum, vectigalium & aliarum exactionum obligent in conscientia?

Quidam cum Navarro in summa c 23. n. 6. docent, has leges esse merè pœnales, ita scilicet, ut nihil præcipiant, sed tantùm ad mulctam persolvendam obligent, si quis tributa & vectigalia solvere neglexerit. 8.

Leges tributariæ obligant in conscientia; Verùm communis & certa est sententia, has leges, si tributa justa imponant, non esse purè pœnales, sed obligare in conscientia ad tributa solvenda, & exactiones præstandas: nam non tantùm Principes & Magistratus præcipiunt illa solvi, sed etiam Deus ad Rom. 13. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* Et ratio est, quia obligatio solvendi tributa fundatur in justitia commutativa. Nam subditi suis Principibus & Magistratibus debent præbere congruam sustentationem, ex quasi contractu, quo princeps se obligavit ad gubernandam ad commune bonum, ac defendendam rempublicam, administrandam justitiam, atque ad populi felicitatem meliori modo procurandam: subditi verò se obligârunt ad compensandos labores & curas regiminis, atque ad ea suppeditanda, quæ ad dignitatem sui Principis sustinendam atque ad rectam gubernationem ei sunt necessaria. Unde l. c. dicitur: *Ideo & tributa præstatis, Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes.* Et idem de reliquis exactionibus, quæ justè imponuntur ac præcipiuntur, dicendum: quas etiam exteri, merces invehentes vel evehentes, tenentur præstare, ex quodam quasi contractu & æquitate, ut, qui sentit commodum viarum, pontium &c. sentiat etiam onus solvendi vectigalia, pedagia, gabellas.

Si sunt justa. Dixi: Si tributa *justa* imponant. Nam si sint injusta, e. g. nimis multa aut nimis gravia, atque de injustitia constet, non tenentur subditi ea præstare; quia Princeps non habet jus tributa & exactiones injustas imponendi: cùm in bona subditorum non habeat jus proprietatis, sed tantùm jurisdictionis; ac proinde non pro arbitrio, sed prout bonum communitatis sibi subjectæ postulat, disponere de illis potest.

Si autem dubium sit, an sint injusta, debent solvi: quia major ac fortior præsumptio stat pro Principe ac justitia legis: & sic Princeps atque ipsius lex est in possessione, atque elidit possessionem libertatis ea solvendi. Aliud esset, si major & sanior pars populi prudenter censeret, tributa esse iniqua & injusta. Aliud item, si dubitaretur de ipsa potestate simpliciter imponendi tributa, & imponerentur ab aliquo, qui priùs non erat in possessione, tunc enim libertas ea solvendi esset in possessione, donec constet, eum habere potestatem.

9. *Nova tributa.* Nova autem tributa à Magiſtratu imponi poſſunt propter novas cauſas & neceſſitates emergentes: puta, propter defenſionem Reipublicæ, exſtructionem munimentorum, ſumptus in opera publica viarum, pontium, in opera religionis, pietatis, in iter aut profectionem Principis neceſſariam, in bellum neceſſarium &c.

Oppones. Magiſtratus ſtatuit pœnam non ſolventibus tributa, defraudantibus vectigalia, à via recta deviantibus, occultantibus merces &c. ergo leges tributorum, & præſertim vectigalium, pedagiorum, & gabellarum ſunt purè pœnales. ℞. Hoc non ſequi: nam triplici modo leges tributariæ &c. poſſunt ferri, ſicut etiam aliæ leges. Nempe vel præcisè imperando tributum, ſine adjectione pœnæ, & tunc dicuntur leges *morales*, præceptivæ nempe aut prohibitivæ tantùm: & tunc nullo modo dicuntur pœnales. Vel præcipitur tributum, ſimúlque ſtatuitur pœna non ſolventibus: & tunc ſunt leges *mixtæ* ex lege morali & pœnali. Vel præcisè ſtatuitur in defraudantes telonia, gabellas &c. confiſcatio mercium, aut certa pecunia ſolvenda, abſque ulla præceptione ſolvendi gabellas; & neque tunc datur propriè & ſtrictè lex merè pœnalis, ùt quæſt. præcedente dictum eſt; ſed ſolvi tunc debet ſtatuta pecunia propter legem *moralem*, quæ præcipit illam ſolutionem abſque ulla culpa illius, qui non ſolvit gabellas. Quamvis confiſcatio mercium &c. tunc dici poſſit *quaſi pœna*, & lex eam ſtatuens, *quaſi-pœnalis*. Cæterùm obligationem ſolvendi vectigalia, pedagia & gabellas mitigant authores quoad pauperes, circa ea, quæ ad victum neceſſaria invehuntur aut importantur; item quoad exteros, quibus non incumbit alere alienum principem: ut adeò tantùm ratione ſumptuum in parandis & reparandis viis, pontibus &c. ex quibus commodum percipiunt, videantur obligati.

Modus, quo feruntur leges tributariæ.

QUÆSTIO IV.

An obliget lex fundata in falſa præſumptione?

10. Reſp. non obligat: ſi nempe ſit lata ex præſumptione facti aut delicti alicujus commiſſi: quod tamen factum vel delictum hîc & nunc non datur.

Non obligat. Ratio eſt: quia factum illud vel delictum præſumptum eſt unica cauſa motiva ac fundamentum legis. Unde ceſſante illo ceſſat etiam lex: imò pro caſu illo lex nunquam fuit lata: cùm ſit implicitè conditionata: *ſi factum vel delictum ſubſiſtat.*

Oſtenditur exemplis matrimonii, Sic ſi uxor putatitia ſciat, matrimonium eſſe contractum cum impedimento dirimente, non tenetur reddere debitum conjugale, imò neque poteſt, licèt præceptum Eccleſiaſticum etiam ſub pœna excommunicationis redditionem debiti præcipiat. Quia ſcilicet hoc præceptum fundatur in præ-

præſumptione falſa, facti ſcilicet particularis, nempe matrimonii validè hìc & nunc contracti. Adeóque præceptum eſt quodammodo conditionatum: *ſi matrimonium ſit valide contractum.*

Item: ſi falſis teſtibus oppreſſus, per ſententiam Judicis condemneris Cajo ad ſolvendos centum, quos certò ſcis, te non debere, per ſe non teneris eos ſolvere: quia ſcilicet tam ſententia Judicis, quàm lex, præcipiens obedire Judici, hìc fundatur in præſumptione facti particularis, contractæ ſcilicet obligationis ſolvendi centum: quod tamen factum non ſubſiſtit. Dixi autem, quòd *per ſe* non tenearis, ſolvere: nam ſi non potes probare, te nihil debere, debes obedire Judici, exequenti ſententiam, latam ſecundum conſcientiam ſuam, & ſecundum allegata, & probata pro foro externo. Poſſes tamen in hoc caſu occultam compenſationem facere, ſi certò ſcis, te nihil debere, & alter mala fide egit in judicio. *Sententiæ judicialis.*

Sic etiam, licèt in Novell. 1. cap. 2. lex præcipiat, ut hæres, non conficiens inventarium, etiam ultra vires hæreditatis creditoribus teſtatoris ſolvat: tamen, quia hæc lex fundatur in præſumptione delicti commiſſi, quòd ſcilicet hæres aliqua ex maſſa hæreditatis ſubtraxerit, juxta communiorem DD. non tenetur in conſcientia ſolvere ultra vires hæreditatis, licèt non confecerit inventarium, ſi nihil ſubtraxit: eò quòd lex hìc & nunc fundetur in præſumptione falſa, commiſſæ nempe fraudis. Putant quidem aliqui, legem cit. fundari potiùs in quaſi-contractu aditæ hæreditatis, quo hæres cenſeatur creditoribus promittere plenam ſolutionem, adeóque eum ex hoc quaſi contractu in conſcientia obligari, ac proin præſumptionem legis non eſſe falſam. Verùm non poteſt præſumi, quòd aliter ſe voluerit per quaſi contractum obligare, niſi prout naturalis æquitas ſuadet. Unde, quando lex jubet, etiam ſupra facultates hæreditatis ſolvere, probabiliùs fundatur in præſumptione fraudis, quòd ſcilicet hæres aliqua ſubtraxerit, aut occultaverit: ùt ipſa lex cap. 2. indicat per verba: *& non per ea, quæ fortè ſurripiunt, aut malignantur.* Quæ præſumptio ſi falſa ſit, lex non obligat in conſcientia. *Hæredis.*

Idem ſentiendum puto de lege Aquilia, quadrupedaria, & noxalibus eas videlicet fundari in præſumptione alicujus commiſſæ culpæ, nempe alicujus negligentiæ, incuriæ, aut alterius delicti, aut quaſi delicti. Quæ præſumptio ſi in caſu particulari ſit falſa, lex Aquilia &c. in conſcientia probabiliter non obligat. *Legis Aquiliæ.*

Denique, ut alia exempla omittam, *Inſtit. de litter. oblig.* habetur, quòd ſi Cajo e. g. dederis chirographum, in quo te accepiſſe pecuniam fateris, quam tamen re ipſa non accepiſti, ultra biennium te non poſſe opponere exceptionem *non numeratæ pecuniæ*, ſed ad ſolvendum te condemnatum iri. Quia autem hæc lex fundatur in præſumptione numeratæ *Non numeratæ pecuniæ.*

pecu-

pecuniæ, ideo si hoc factum re ipsa non subsistat, non obligaris in conscientia Cajo aliquid restituere. Adeóque si compellaris à Judice ad restituendum, (quod te debere scripsisti) eò quòd vel non possis probare pecuniam non esse numeratam, vel per biennium distuleris opponere exceptionem, potes occultam facere compensationem, si certè tibi constet de non numerata pecunia: quia scilicet lex in hoc casu fundatur in præsumptione falsa alicujus facti, nempe numeratæ pecuniæ: quæ tamen non est numerata.

II. *Lex fundata in scientia vel præsumptione periculi universalis omnes obligat,*

Econtra, quando lex fundatur in præsumptione *periculi universalis*, seu frequenter, aut communiter contingentis, e. g. fraudum, peccatorum, incommodorum &c. & sic in præsumptione *periculi in genere*, obligat omnes, licèt respectu alicujus vel aliquorum, aut in casu aliquo particulari non subsit periculum.

Ratio est, quia tunc lex non fundatur in præsumptione falsa: nam lex universaliter in omnes est lata propter periculum comuniter aut frequenter præsens; & sic propter periculum in genere: hoc autem periculum in genere manet, licèt respectu aliquorum, vel in casu particulari cesset periculum aliquod in specie: adeóque manet causa motiva & fundamentum legis universalis, nempe periculum morale in genere, communiter aut frequenter præsens, propter quod lex universaliter in omnes est lata.

ùt lex vetans libros hæreticos,

Sic e. g. lex prohibens lectionem librorum hæreticorum fundatur in præsumptione periculi perversionis, quod periculum est frequens. Quare, licèt aliqui sint tam docti & probi, ut respectu ipsorum non sit periculum, lex tamen etiam ipsos obligat, sine facultate non legere ejusmodi libros: quia lex non fundatur in præsumptione periculi particularis respectu personæ singularis, sed in præsumptione periculi in genere, frequenter & communiter præsentis.

Idem dicendum de legibus prohibentibus nocturna conventicula, aut circumvagationes cum armis &c.

Lex irritans matrimonium clandestinum,

Idem etiam de legibus irritantibus certos actus propter periculum frequens in genere. Sic lex Tridentini propter tale periculum prohibet & irritat universaliter matrimonia clandestina: licèt ergo in casu particulari re ipsa non subsit periculum peccatorum, & incommodorum, tamen etiam pro tali casu irritat ex præsumptione periculorum frequentium, in genere; quæ præsumptio semper vera est.

Contractum pupilli, testamenta &c.

Propter eandem rationem lex irritat contractus pupillorum, absque authoritate tutorum, Professionem Religiosam ante 16. ætatis annum, alienationes rerum Ecclesiasticarum, electiones, testamenta, sine debitis solennitatibus facta: propter periculum generale videlicet & frequens immaturi adhuc judicii, damnificationis Ecclesiarum, fraudum facilè irre-

pen-

pentium &c. quæ causa irritandi manet, licèt respectu aliquorum, aut in casibus aliquibus particularibus non subsit periculum specificum: quia scilicet lex non fundatur in præsumptione periculi determinati in specie, aut respectu personæ alicujus singularis, sed in præsumptione periculi in genere, & frequenter contingentis, quæ præsumptio vera est: semper enim verum est dicere: *hoc periculosum est.* Quæ pariter est ratio, cur parens possit irritare vota, à filio adhuc impubere emissa; licèt constet, eum perfectum habuisse judicium: quia scilicet lex universaliter patribus dat hanc potestatem propter morale periculum in genere, imperfecti adhuc judicii. Nam leges attendunt id, quod frequentiùs contingit.

Quando autem lex fundetur in præsumptione periculi universalis, seu frequentis, aut tantùm in præsumptione facti alicujus, desumi debet ex materia & verbis legis, item ex usu & communi legis interpretatione.

Illud adhuc notandum, quod hactenus dictum est, de lege positiva intelligendum esse; nam lex naturalis non fundatur in ejusmodi præsumptionibus, sed eum tantùm obligat, respectu cujus est periculum. Hinc occasio peccandi respectu unius potest esse remota, respectu alterius verò proxima. Suarez *de leg. lib.* 5. *c.* 14. improbat modum loquendi, quo dicitur, leges fundari in præsumptione falsa: ait enim eas fundari in certa scientia periculi, non verò in præsumptione, seu conjectura: e. g. legem Tridentini, qua irritantur matrimonia clandestina, fundari in scientia periculi, eò quòd certum sit, existere periculum. Quæ doctrina Suarezii vera quidem est, non tamen recedendum à modo loquendi, communiter recepto, quo dicitur, ejusmodi leges fundari in præsumptione periculi universalis, seu communiter præsentis: non enim præsumptio hîc tantùm pro conjectura sumitur, sed aliquantò latiùs: ità, ut sensus sit, quòd leges *supponant* periculum.

Aliud de lege naturali.

QUÆSTIO V.

An obligat lex ignorata?

§. I.

An excuset ignorantia invincibilis.

Duplex est ignorantia, altera *invincibilis* seu *antecedens*, quæ etiam *probabilis* aut *inculpabilis* dicitur; quia vitari aut deponi hîc & nunc non potest. Atque hac ignorantiâ lex sive sit naturalis, sive Divina, sive humana, ignorata non obligat, saltem proximè & in actu secundo; consequenter excusat à formali culpa & pœna: à culpa quidem, quia tollit voluntarium, facitque transgressionem legis, invincibiliter ignoratæ, involuntariam. A pœna verò talis ignorantia excusat, quia ubi nulla est 12.

Lex invincibiliter ignorata non obligat.

culpa, neque pœna locum habet: quid enim aliud punitur, nisi culpa? unde culpa est causa pœnæ: cessante autem causa cessat etiam effectus.

Aliud de lege irritante. Dixi autem, quod lex *invincibiliter* ignorata non obliget, nempe præceptiva vel prohibitiva: nam lex irritans, etiam invincibiliter ignorata (saltem si non sit pœnalis) habet suum effectum: sic licèt inculpabiliter ignoretur lex irritans matrimonium clandestinum, aut lex irritans testamentum, electionem aut alienationem rerum ecclesiasticarum, absque solennitate substantiali factam, tamen obtinet suum effectum, quia ignorantia non potest supplere defectum substantialem alicujus essentialis requisiti ad actum. Idem contingit in lege statuente aliquam inhabilitatem, e.g irregularitatem, quæ etiam ab ignorante incurritur. Quia talis inhabilitas non statuitur in pœnam, saltem principaliter, sed in reverentiam Eucharistiæ, & propter decentiam statûs clericalis. Si igitur quis invincibiliter ignoret, defectui aut delicto alicui esse annexam irregularitatem, aut aliam inhabilitatem, non peccat quidem formaliter suscipiendo sacros ordines, re ipsa tamen est irregularis. Et si postea ipsi constiterit de irregularitate, tenetur in conscientia interim abstinere ab exercitio SS. Ordinum, donec obtinuerit dispensationem. Idem dicendum circa leges, statuentes impedimenta dirimentia matrimonii; nam licet invincibiliter ignoretur e.g. impedimentum consanguinitatis, affinitatis aut erroris substantialis circa personam, tamen matrimonium re ipsa est nullum, quamvis licitè contrahatur & consummetur, ac licitè in ejus usu pergatur, quamdiu manet ignorantia invincibilis impedimenti.

§. II.

An excuset ignorantia vincibilis?

13. *Vincibilis ignorantia non excusat.* Altera ignorantia dicitur *vincibilis*, *consequens* ac *culpabilis*, quam nempe hîc & nunc quis potest ac debet deponere, éstque rursus alia *crassa* & *supina*, orta ex magna negligentia in inquirenda veritate: alia *affectata*, quam studiosè aliquis quærit, amátque. Porro legis ignorantia vincibilis non excusat ab observatione legis, sed obligat sic ignorantem, adeóque hic peccat eam non observando, quia potest & debet ignorantiam deponere. Neque tantùm contrahit reatum culpæ, sed etiam pœnæ à lege statutæ: excepto casu, quo lex imponeret pœnam cum hujusmodi expressione: qui *scienter*, vel *temerè* vel *præsumptuosè*, vel *contumaciter*, hoc vel illud fecerit; nam tunc ignorantia etiam crassa & supina excusaret à pœna: non tamen ignorantia *affectata*, quæ per omnia æquiparatur scientiæ ac dolo.

§. III.

§. III.

An incurrat pœnam, qui scivit legem, sed ignoravit pœnam.

Illud autem solet disputari, an lex obliget ad pœnam statutam eum, qui scivit quidem legem, pœnam tamen adjectam ignoravit. Et quidem certum est, quòd pœnam statutam incurrat, si ignorantia pœnæ sit vincibilis & culpabilis; nisi lex illam tantùm in eos statuerit, qui scienter, aut temerè, aut præsumptuosè aut contumaciter illam transgressi fuerint; nam tunc ignorantia etiam crassa excusaret ab incurrenda pœna, ùt paulò ante dictum est. 14.

Igitur dubium in eo tantùm verti videtur, an incurrat pœnam, à jure humano statutam, qui legem quidem scivit, eámque transgrediendo culpam contraxit, invincibiliter tamen ignoravit, annexam esse pœnam. In qua quæstione dicendum existimo, *quòd etiam talis, modò sufficienter cognoscat gravitatem præcepti ac culpæ, incurrat pœnam; exceptis forte pœnis censurarum;* (quamvis non teneatur in se ipso pœnam exequi; nemo enim tenetur esse sui ipsius tortor, aut carnifex.) *Sciens culpam incurrit pœnam.*

Ratio est, quia pœna simpliciter statuta est pro culpa in delinquentem: neque jura, ordinariè saltem, requirere solent scientiam pœnæ, sed simpliciter statuunt pœnam in eos, qui culpabiliter legem transgrediuntur. Ergo modò lex sit cognita, aut culpabiliter ignorata, illam transgrediens incurrit reatum pœnæ, in transgressores statutæ. Et quidem de pœna à Deo infligenda id certum est; nam Deus infligit pœnam inferni omni graviter delinquenti ac non pœnitenti, licèt nesciverit, hanc pœnam esse statutam, modò sciverit legem naturalem, Divinam, vel humanam graviter præcipientem vel prohibentem, eámque transgressus fuerit.

Idem patere videtur etiam de pœna, à Judice humano infligenda; nam fur condemnatur ad patibulum, saga ad ignem, homicida ad gladium, latro ad rotam, licèt nesciverint, hanc pœnam delicto suo esse statutam. Certè Judices non solent multùm inquirere, an sciverint delinquentes hanc vel illam pœnam delicto suo esse à legibus statutam, an sciverint ordinationem criminalem Carolinam, legem Juliam de adulteriis, legem Corneliam de sicariis, aut de falsis, aut S. C. Libonianum, aut legem Pompejam de parricidiis &c. Ratio est, quam dixi, quia leges statuunt simpliciter & absolutè pœnas delictis in bonum publicum, non autem scientiæ pœnarum: adeóque ad eas merendas & incurrendas sufficit deliquisse.

Nam lex jubet punire delictum, tum ad castigationem delinquentis (cùm supplicium sit pœna peccati) tum ad correctionem ejusdem, ut ictus sapiat, tum etiam, ut horrore pœnæ inflictæ alii absterreantur à delictis committendis, & ad leges servandas moveantur. Qui finis statuendi

pœnam obtinetur, licèt delinquens nesciverit, pœnam illam esse statutam. Taceo, quòd in multis pro foro externo ne quidem toleretur ignorantia juris, seu legum: multò minùs excusabit ignorantia pœnæ, cùm sciuntur leges, & tamen malitiosè violantur. Deinde videtur fieri non posse, ut quis legem sciat, eámque malitiosè transgrediatur, quin, virtualiter saltem, simul cognoscat, se pœnâ dignum reddi: ut autem in specie sciat pœnam illam determinatam, quam lex in transgressores statuit, non requiritur ad illam merendam & incurrendam: saltem si aliunde sufficienter cognoscat gravitatem præcepti & culpæ suæ. Secus verò si hanc non sufficienter cognoscat, tunc enim vel nullam incurrit pœnam, vel

15. *In quantùm cognoscit delictum & culpam, incurrit pœnam.*

minorem, quàm à lege aliàs sit statuta. Sic si invincibiliter nescias matrimonium complicis, non incurris pœnam, pro adulteris statutam, cùm tantùm simplicem fornicationem committas, ùt docet Suar. *de leg. l.* 5. *c* 12. *n.* 9. Sic etiam, qui occidit Clericum, invincibiliter ignorans esse Clericum, non incurrit pœnam Canonis, licet mortaliter peccârit, & verè sit homicida: unde ùt homicida est puniendus, non autem ùt percussor Clerici: quia in tantùm quilibet puniri meretur, in quantùm culpabilis ac reprehensibilis est: in tantùm autem est culpabilis, in quantùm de culpa advertit, vel advertere potuit; cùm præcisè in tantùm culpa ei sit voluntaria & imputabilis.

Explicatur cap. ut animarum 2. de constit. in 6.

Neque obstat c. 2. de constit. in 6. ubi dicitur: *Sententiis per statuta quorumcunque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina.* Hoc, inquam, non obstat: nam Pontifex hîc non voluit, quòd scientes statutum, & ignorantes præcisè pœnam, eandem non incurrant: sed decidit, quòd ignorantes simpliciter, nempe tam statutum quàm pœnam, ignoratis statutis ordinariorum non ligentur: qui sensus tum ex verbis Pontificis, loquentis de ignorantia simpliciter, tum ex casu ipsi propositio videtur erui. Nam Clericus ille non erat in Diœcesi, quando Episcopus sub pœna excommunicationis prohibuit, ne Clerici gestarent arma, aut comam nutrirent, unde nescivit statutum illud novum Episcopi, quo arma & comam tam graviter prohibuit.

16. *Aliud fortè de censuris.*

Deinde casus ille loquitur de pœna excommunicationis, quæ fortè nunquam incurritur ab eo, qui invincibiliter ignorat, delicto suo illam esse annexam: quia excommunicatio, uti etiam aliæ censuræ, feruntur in delinquentes propter eorum contumaciam, & contemptum potestatis ecclesiasticæ ac legum ecclesiasticarum; videntur autem non esse contumaces, aut contemptores legum ecclesiasticarum, qui inculpabilem habent ignorantiam annexæ censuræ. Unde in conclusione addidi: *exce-*

ptis fortè pœnis censurarum. Et hinc multi docent, pœnas *vindicativas* incurri ab ignorante, non autem *medicinales*, quales sunt censuræ.

Dixi: *fortè;* nam ùt Suarez ait *tract. de legibus l.* 5. *c.* 12. *n.* 11. *magna est controversia, an ignorantia censuræ excuset illam.* Neque est adeò improbabilis sententia Covarruviæ *in cap. Alma mater. p.* 1. *§.* 10. aliorúmque, quos ibi citat, censuras latas à jure communi incurri ab eo, qui contumaciter detrectat servare leges ecclesiasticas, graviter præcipientes aut prohibentes, licèt nesciat censuras delicto suo annexas. Videtur enim pluribus DD. in tali casu inveniri tota ratio ac definitio censuræ. Contumacia enim sufficiens, imò & contemptus potestatis ecclesiasticæ habetur per hoc, quòd sciens legem ecclesiasticam, graviter prohibentem, pertinaciter detrectet eidem parere. Et quomodo aliàs rudiores, qui nesciunt censuras, possent illas incurrere? cur in Confessione sacramentali ante absolutionem à peccatis semper præmittenda absolutio à censuris, etiam tunc, quando pœnitens nihil scit de censuris, si non esset probabile, censuras incurri posse etiam ab ignorante? Taceo, SS. Canones simpliciter statuere censuras pro quibusdam gravibus delictis, cum pertinacia patratis, non requirendo notitiam censuræ. Ita illius sententiæ patroni de censuris latis à jure communi, cujus ignorantia aliàs etiam non toleratur.

Excipiunt enim censuras specialiter ab homine in aliquem latas aut ferendas; nam cùm istas regulariter præcedere debeat monitio & comminatio censuræ, non incurruntur regulariter ab omnino ignorante. Sicut autem certum videtur, istas ordinariè non incurri ab ignorante (nisi crimen & contumacia sint notoria) ita certum videtur, ignorantiam crassam & affectatam nunquam excusare ab incurrenda censura, lata à jure communi. Cæterùm facilè concedo, universim pœnam commensurandam esse culpæ: unde si quis absque cognitione pœnæ, à lege statutæ, non satìs advertat gravitatem culpæ, hoc ipso etiam minorem meretur pœnam. Nam omnis ignorantia, quæ minuit culpam, minuit etiam pœnam. Unde si tantùm ex gravitate pœnæ desumatur gravitas præcepti, minuitur utique pœna, si fuit ignorata.

§. IV.

An ignorantia juris & facti prosint pro foro externo?

Juris-consulti in ordine ad forum præcipuè externum aliam adhuc considerant divisionem notabilem ignorantiæ, nempe *ignorantiam juris*, & *ignorantiam facti.* Per illam ignoratur, quid jura seu leges statuant, per hanc verò, quid factum sit, ùt ex ipsis vocibus elucet. 17.

Ignorantia juris non prodest pro foro externo.

Jam verò de ignorantia facti alieni dicunt, quòd prosit ignoranti, eúm-

eúmque excuſet: niſi factum ſit notorium, valétque hîc reg. 47. in 6. *Ignorantia præſumitur, ubi ſcientia non probatur.* De ignorantia verò juris manifeſti ajunt, eam nocere ignoranti. Unde dicitur reg 13. in 6 *Ignorantia facti non juris excuſat.* Et l. regula 9. ff de J. & F. J. *Regula eſt, juris ignorantiam cuique nocere, facti verò ignorantiam non nocere:* & paulò poſt in eadem l. § 5 *Sciant, ignorantiam facti, non juris prodeſſe.* Item *l.* 12 *c. C. eod. Conſtitutiones Principum nec ignorare quemquam nec diſſimulare permittimus.* Hinc quaſi regulæ inſtar traditur, *juris ignorantiam non tolerari.* Ratio diſparitatis, cur toleretur & proſit ignorantia facti, non autem ignorantia juris, datur *l.* 2. *ff. eod. Cùm jus finitum & poſſit eſſe & debeat* (adeóque facilè ſcire poſſit & debeat) *facti verò interpretatio etiam prudentiſſimos fallat.*

Ex his autem juris principiis videri poſſet convelli, quod antè diximus, eum videlicet, qui legem invincibiliter ignorat, nec culpam nec pœnam incurrere. Nam ſi juris ignorantia cuique nocet, conſectaneum planè eſt, ignorantiam juris non excuſare à pœna incurrenda.

Quia jura præſumunt ſcientiam juris manifeſti, aut ignorantiam vincibilem.

Verùm hæc combinari poſſe videntur. Nam allatæ regulæ ſupponunt (ſaltem quando allegans ignorantiam certat *de lucro captando*) ignorantiam juris manifeſti ac clari (de quo ſolo intelligendæ ſunt) eſſe vincibilem ac culpabilem, cùm jus clarum & manifeſtum nemo ignorare permittatur, eò quòd facilè ſciri poſſit. Atqui ignorantiam juris culpabilem transgredienti legem nocere, eúmque pœnæ obnoxium facere, nos ipſi diximus. Si tamen pro foro externo ſufficienter probari poſſet, ignorantiam juris in aliquo caſu fuiſſe omnino invincibilem atque inculpabilem (quæ tamen probatio eſt admodùm difficilis, & ferè ex circumſtantiis & conjecturis tantùm, aut etiam aliquando ex juramento argui poteſt) excuſaret ignorantem etiam in eo foro à pœna, neque aliàs eidem regulariter noceret (extra præſcriptionem) quia ſcilicet tunc præſumptio ſcientiæ, aut ignorantiæ vincibilis, deberet cedere veritati.

Et hinc in quibusdam perſonis, ùt impuberibus, minoribus, fœminis, militibus, aliíſque rudibus, faciliùs toleratur ignorantia etiam juris, aliàs clari, ſaltem ſi certent de damno vitando: quia ſcilicet propter eorum ruditatem, aut infirmitatem judicii ſtat præſumptio pro eorum ignorantia inculpabili.

18. *Ignorantia verò facti alieni toleratur & prodeſt.*

Propter hanc ipſam præſumptionem, in dubio ignorantia facti *alieni* toleratur ac prodeſt ignoranti, etiam docto aliàs viro; quia nimirum in dubio præſumptio ſtat, quòd ignorantia ſit inculpabilis, cùm facta aliena etiam doctiſſimis & prudentiſſimis poſſint eſſe incognita. Econtra cùm factum proprium cuique notiſſimum eſſe debeat, præſumptio ſtat pro ſcientia facti; ſaltem ſi factum non ſit antiquum, aut ſi talis ſit naturæ,

aut

aut in talibus circumstantiis peractum, ut non facilè in oblivionem possit venire.

Ex quibus patet, rationem cur juris ignorantia regulariter noceat in foro externo, ignorantia autem facti prosit ignoranti, hujus, inquam, rationem esse *præsumptionem:* quia scilicet contra allegantem ignorantiam Juris clari & manifesti stat præsumptio scientiæ aut ignorantiæ vincibilis ac culpabilis, quam leges regulariter præsumunt. Econtra pro allegante ignorantiam facti alieni stat præsumptio, quòd invincibiliter & consequenter inculpabiliter ignoraverit illud factum. Cùm autem præsumptio debeat cedere veritati, ideo etiam ignorantia Juris excusat, quando constat, eam fuisse invincibilem; & econtra ignorantia facti etiam alieni nocet, si constet fuisse vincibilem, præsertim si crassa sit & affectata, quæ nunquam excusat. *Quia præsumitur esse invincibilis.*

19. Cæterùm Jura magìs præsumunt ignorantiam culpabilem, quando allegans ignorantiam *certat de lucro captando*, quàm *si certet de damno vitando.* Hinc dicitur l. 7. ff. de J. & F. J. *Juris ignorantia non prodest acquirere volentibus: suum verò petentibus non nocet.* Et l. 8. ibid. *Error facti nec maribus quidem in damnis vel compendiis obest: Juris autem error nec fœminis in compendiis prodest. Cæterùm omnibus juris error in damnis amittendæ rei non nocet.* *Ignorantia præsumitur vincibilis, quando agitur de lucro captando. Secùs quando agitur de damno vitando.*

Videtur proin in his aliísque legibus supra citatis se prodere aliqua contradictio. Nam quædam simpliciter dicunt, ignorantiam Juris cuique nocere: aliæ volunt, ignorantiam Juris nemini nocere, quando certat de damno vitando. Aliæ faciunt discrimen inter viros & fœminas; at *l.* 8. *cit.* confunduntur, paríque quoad hoc conditione censentur. Aliæ volunt, laboranti ignorantia Juris non competere condictionem indebiti, aliæ verò hanc ei adstruunt.

20. Sic *l.* 23. *ff. de condict. ind.* habetur, quòd repeti possit, quod ex transactione de jure invalida datum est. Et *l.* 12. *ibid.* quòd si quis usumfructum dederit, falsò existimans eum deberi, condictionem competere, & ad hæredem etiam transire. Ubi videtur lex supponere, usumfructum ex ignorantia Juris esse datum. Sic etiam *l.* 54. eod. dicitur, solutum indebitum ex causa, quæ jure non valuit, repeti posse. Ratio datur *l.* 14. ib. *nam hoc naturâ æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem.* Neque æquitas permittit, ut solutum sine causa maneat apud accipientem. Unde etiam lex 7. & 8. ff. de J. & F. J. apertè dicit, ignorantiam & errorem Juris non nocere illi, qui certat de damno vitando: sed, qui repetit, quod non debebat, vult reparare suum damnum, quod passus est. Deinde solutio indebiti est quasi-contractus, quo accipiens tacitè se obligat ad restituendum, si res sibi non sit debita. *Contrariæ leges de conditione indebiti.*

Contra

Contrà verò habentur etiam ſatis claræ leges, quòd repeti non poſſit, quod ex ignorantia Juris eſt ſolutum. Sic l. 10. C. de J. & F. J. habetur: *cùm quis jus ignorans indebitam pecuniam ſolverit, ceſſat repetitio: per ignorantiam enim facti tantùm repetitionem indebiti competere, tibi notum eſt.* Et l. 9. C. ad leg. falcid. ſolvens ex errore juris integra legata non permittitur uti beneficio legis Falcidiæ, in ordine ad ea repetenda. Sed neque repetitio datur, quando quis ex teſtamento imperfecto ſolvit legata, aut fidei commiſſa: ſi ſcivit, teſtamentum eſſe imperfectum: ſi autem hoc neſcivit, competit ei repetitio; quia ſolvit ex ignorantia facti alieni: quæ non nocet, niſi ſit craſſa, aut affectata.

Combinantur. Ad hanc igitur apparentem legum contrarietatem evitandam, cenſeo 1. ignorantiam invincibilem ſive juris ſive facti ſemper excuſare à culpa & pœna.

Cenſeo 2. Regulariter neque pro foro externo nocere ignorantiam invincibilem, ſi ſufficienter conſtet, eſſe invincibilem; nam hoc ſuadet æquitas naturalis, ut non noceat, quod ſine omni culpa contingit. Unde leges, quæ aſſerunt, ignorantiam Juris nocere, intelligunt id de ignorantia, quæ eſt, vel præſumitur eſſe vincibilis ac culpabilis. Nam hæc nunquam prodeſt, ſi de ea conſtet. Dixi regulariter: nam in præſcriptione, transactione, & fortaſſis etiam in re judicata, ignorantia etiam invincibilis nocet.

Cenſeo 3 Pro foro externo, in dubio præſumi vel ſcientiam Juris, vel ignorantiam Juris *culpabilem*, quando allegans ignorantiam certat *de lucro captando*, propter expreſſa verba *l.* 7. *&* 8. *cit.* adeóque tunc ignorantia nocet: quia præſumitur culpabilis. Quando verò allegans ignorantiam certat *de damno vitando*, in dubio præſumitur ignorantia invincibilis & inculpabilis. Quod Menochius *de præſumpt. lib.* 6. *c.* 23. *n.* 37. extendit etiam ad allegantem ignorantiam in facto proprio. Quia verò aliquæ leges ſuprà citatæ ſimpliciter & absque diſtinctione inter lucrum captandum aut damnum evitandum abſolutè & generaliter dicunt, ignorantiam Juris cuique nocere, id intelligendum eſt de ignorantia, quam conſtat eſſe culpabilem: vel intelligendum pariter eſt ad mentem legis 7. & 8. cit. de caſu, quo allegans ignorantiam vult lucrari: pro tali enim caſu præſumitur ignorantia vel error culpabilis; & quidem, ùt vult Menochius loc. cit. n. 24. etiam in ruſtico, muliere, milite.

21. *Solutum per ignorantiam invincibilem poteſt repeti.* Cenſeo 4. Etiam ſolutum per ignorantiam inculpabilem Juris poſſe repeti, ùt ex l. 23. cit. aliíſque videtur probabilius. Talis enim certat de damno vitando, quod ſolvendo indebitum incurrit: alter autem certat de lucro captando, retinendo rem, quam nullo juſto titulo retinet. Certè æquitas naturalis non permittit rem apud alterum exiſtere ſine cauſa,

aut

aut fieri locupletiorem cum alterius detrimento. l. 14. cit. unde l. 66. ff. de cond. ind. dicitur: *Hæc conditio ex bono & æquo introducta, quod alterius apud alterum sine causa deprehenditur, revocare consuevit.* Quando autem l. 10. cit. dicit, quòd non detur repetitio indebitæ pecuniæ, cum ignorantia Juris solutæ, id intelligendum est de casu, quo ignorantia est culpabilis, vel præsumitur talis esse: & idem dicendum de solvente integra legata: aut solvente legata ex testamento imperfecto: nam præsumitur scientia juris, quod concedit falcidiam detrahere, vel irritat testamentum imperfectum, adeóque solvens legata, censetur donâsse, vel saltem absolutè voluisse transferre dominium. Vel saltem præsumitur, quòd culpabiliter jura ista ignoraverit: consequenter non habet repetitionem. Hinc ait regula Juris 53. ff. *cujus per errorem dati repetitio est, ejus consultò dati donatio est.*

§. V.

Confirmatur præcedens doctrina ab authoritate.

Atque ex doctrina, in materia hac obscura hactenus tradita DD. varias decidunt quæstiones, in utróque Jure occurentes. Sic Andreas Gaill. *Practicarum observationum lib.* 2. *observ.* 48 infert; quòd ignorantia excuset hæredem emphitevtæ, si non solvat Canonem intra biennium, eò quòd ignoraverit rem esse emphitevticam. 2. Tempus quadriennii post perfectam ætatem, petendi restitutionem integrum, non currere ignoranti læsionem, (*verùm hæc sententia Gaillii est contra communiorem.*) 3. Ignorantiam operari, ut filii, nati ex illegitimo matrimonio, sint legitimi, & sui hæredes. 4. Tempus anni & diei petendi renovationem investituræ, non currere ignoranti, sed incipere à tempore scientiæ, quòd feudum vacet. 5. Renuntiantem beneficio vel privilegio per ignorantiam Juris, sibi non præjudicare, e. g. mulierem renuntiantem S. C. Velleiano, dum putat, se posse renuntiare. 6. Dari restitutionem in integrum ex capite ignorantiæ contra præscriptionem. Aitque, hanc sententiam esse communem, (at hoc falsum est) si autem aliqua publicè nota sunt, præsumi scientiam, vel saltem ignorantiam vincibilem: paria siquidem esse, scire, & scire debere. Adeóque tantùm ignorantiam verisimilem excusare. Facti autem proprii ignorantiam non esse verisimilem (saltem ordinariè, nisi nempe factum proprium sit antiquum, aut valde intricatum, sicut est calculus rationum reddendarum) si tamen de damno vitando certetur, præsumi etiam ignorantiam facti proprii. Ignorantiam autem facti alieni excusare, saltem regulariter, nisi sit notorium, aut tale, quod quis ratione officii debuit indagare; ùt in electione Episcopi priùs indagandum est à Canonicis, an sit legitimè natus, nec

22. Observatio Gaillii.

alio impedimento laboret. Nec est Pastoralis excusatio, si lupus comedit, & Pastor nescit: quia scilicet tenetur inquirere.

Econtra ignorantiam Juris regulariter non excusare (quia nimirum præsumitur scientia Juris communis, clari & manifesti, vel saltem præsumitur, ignorantiam fuisse vincibilem) nisi vel sexus imbecillitas, ùt mulieri, vel simplicitas, ùt rustico, vel ætas, ùt minori, aliquid indulgeat, vel de damno vitando agatur. Quia nempe tunc faciliùs præsumitur ignorantia invincibilis. Sic etiam faciliùs præsumi ignorantiam statutorum particularium, quàm Juris communis, præsertim si allegetur à peregrino aut cive novitio: econtra à cive antiquo ignorantiam statuti allegari non posse.

Quandoque autem admitti juramentum, quo ignorantia probetur: e. g. in vasallo, allegante ignorantiam feudi vacantis: item res peregrini non solventis gabellas non cadere in commissum, si juret, se ignorâsse gabellam ibi esse constitutam; nec alias pœnas ab eo incurri.

23. *Zoësii.* Sic etiam Zoësius in *comment. ad ff. de J. & F. J n.* 4. ait, ignorantiam invincibilem Juris excusare etiam pro foro externo, si sufficienter probetur. n. 7. minori etiam in acquirendo non obesse ignorantiam Juris; unde dicitur l. 11. C. de J. & F. J. *Quamvis in lucro nec fœminis, jus ignorantibus subveniri soleat, attamen contra ætatem adhuc imperfectam locum hoc non habere, retro Principum statuta declarant.* Idem arguitur ex *l.* 2. *eod.* idem dicitur de milite *l. regula* 9. *ff. eod. & n.* 8. ait, ignorantiam facti alieni nec in damno evitando nec in lucro captando obesse, modò crassa aut supina non sit. Ignorantiam autem facti proprii lucrum captanti obstare, non tamen agenti de damno vitando. n. 9. Probationem ignorantiæ incumbere illi, qui eam allegat, *nisi præsumptio Juris sit pro ignorante, veluti in facto alieno, & iis, quæ sciri non debent.* Illam autem non facilè probari, nisi per verisimilia signa, conjecturas aut jusjurandum: quæ enim ab animo pendent, vix aliter probari possunt.

Ex quibus apparet, hos authores pariter tenere, excusare ignorantiam invincibilem, non autem vincibilem: an autem sit vincibilis aut invincibilis, nisi aliunde constet, haberi ex præsumptionibus, ita quidem, ut regulariter præsumatur scientia juris aut ignorantia vincibilis, uti etiam scientia facti proprii, non autem alieni.

24. *Menochii.* Quam eandem doctrinam tradit Jacobus Menochius in præclaris suis commentariis de præsumptionibus. Unde lib. 6. præsumt. 23. n. 10. ait: *Pro regula statuendum est, neminem præsumi juris ignorantia aut errore aliquid fecisse.* Ac subdit, culpam latam esse, ignorare juris dispositionem, quam omnes scire debent, vel per se, vel per alios, quos consul

sulere possunt: hanc autem præsumtionem locum habere multò magis in actu geminato, aut quando actui adjecta est clausula *ex certa scientia.*

Ab hac autem regula recedendum esse docet à n 15. quando contrariæ sunt conjecturæ, & præsumptiones. Ut 1. quando tales sunt personæ, quæ probabiliter juris dispositionem nesciunt, ùt rudes, ac rustici simplices, de his enim regulariter præsumi ignorantiam aut errorem juris. Faciliùs etiam præsumi eundem in muliere, milite, minore &c. & quidem etiam tunc, quando adjecerunt clausulam, quòd *ex certa scientia* actum aut contractum conficiant: quia eadem facilitate, qua contractum ineundo se obligant, eadem patiantur addi illam clausulam. Hoc tamen locum non habere, quando prædictæ personæ tractant de lucro captando, tunc enim præsumi scientiam, uti etiam si aliæ circumstantiæ adsint, e. g. si clam agant.

2. Præsumi ignorantiam, quando actus contra legem positivam fit palàm ac publicè. Aut 3. Quando constat de persuasione personæ, cui ignorantiam alleganti, prudenter fides haberi ac credi possit. Uti etiam 4. Quando agitur de excludenda donatione, aut excludendo dolo, ac mala fide: tunc enim præsumi potiùs ignorantiam aut errorem: præsertim in Judice, Notario, Milite.

Deinde à n. 32. tractat de errore facti, aítque, circa factum proprium non præsumi ignorantiam sed scientiam: sic præsumi: dominum scire quantitatem & valorem sui patrimonii, diu possessi (nisi sit valde amplum, aut læsio enormissima.) Hanc tamen regulam non procedere, quando agitur de damno evitando, aut quando factum est obscurum, involutum & intricatum aut antiquum, aut gestum ab aliquo, multis negotiis abstracto: in his enim casibus præsumi potiùs ignorantiam in tali facto etiam proprio.

In facto autem alieno præsumi ignorantiam (invincibilem) adeóque illam alleganti non incumbere probationem illius: hinc præsumitur ignorare, rem esse alienam, qui eam cum titulo & bona fide possidet. Et successor vel hæres, licèt repræsentet personam defuncti, præsumitur ignorare illius factum: sicut etiam filius factum patris, e. g. testamentum præsumitur ignorare: nisi ex conjecturis aliud appareat, e. g. si publicè constaret, testamentum esse factum, & quale: vel si testamentum inveniretur apud ipsum filium, vel præsens fuisset, quando testamentum est factum.

Contra verò circa factum etiam alienum præsumi scientiam (aut ignorantiam culpabilem) quando quis tenetur & potest illud scire. Sic præsumi, quòd tutor sciat facta pupilli: utì etiam quando est publicum aut notorium factum, aut valde notabile.

Hos authores adducere placuit in hac quæſtione adeò intricata, ut appareat, quàm frequens ſit locus præſumptionibus, ubi de juris aut facti ignorantia eſt dubium. Parùm autem refert, an præſumatur ſcientia vel ignorantia vincibilis ac culpabilis, præſertim craſſa aut affectata; cùm hæc quoad effectum regulariter æquiparetur ſcientiæ. Cæterùm ubi conſtat de ignorantia vel ſcientia, nullus eſt locus præſumptionibus: cùm præſumptio cedere debeat veritati.

QUÆSTIO VI.

An lex dubia aut tantùm probabiliter exiſtens obliget?

§. I.

De lege poſitivè dubia.

25. In duplici ſenſu lex dubia poteſt intelligi: nam alia eſt *negativè dubia;* quando ſcilicet intellectus eſt hæſitans & ſuſpenſus circa exiſtentiam legis, neque pro exiſtentia legis, neque contra illam habet rationem gravem, quæ virum prudentem poſſit movere ad aſſenſum.

Lex negativè dubia non obligat.

Et quoad hoc ſatis conveniunt authores, legem ita negativè dubiam non obligare. Cùm enim exiſtentia talis legis nullo motivo probabili nitatur, æquivalet ejusmodi dubium ignorantiæ invincibili: utpote quæ nulla ratione vinci poteſt.

Et quomodo lex dici poteſt ſufficienter promulgata aut intimata, de cujus exiſtentia ne quidem ulla habetur ratio probabilis? profectò ſic graviſſima imponeretur obligatio ſervandi innumeras leges, quæ tamen neque exiſtunt, neque unquam exſtiterunt. Sicut igitur non teneris ſolvere, quando de debito contracto nulla probabili ratione conſtat, ſic neque teneris lege, quam latam eſſe nulla probabili ratione innoteſcit.

Sed & dubium practicum circa licentiam, non ſervandi ejusmodi legem dubiam facillimè, deponi poteſt, formaríque dictamen ultimum conſcientiæ moraliter certum (manente licèt dubio ſpeculativo circa exiſtentiam legis antecedentis) cùm libertas evidenter ſit in poſſeſſione certa adversùs legem, quam neque latam neque promulgatam eſſe ulla probabili ratione conſtat, ſed invincibiliter ignoratur: ſicut eſt in poſſeſſione adversùs legem humanam ſic negativè dubiam.

§. II.

De lege negativè dubia.

26. Major autem multò celebriórque per orbem, hoc præcipuè tempore, eſt controverſia circa legem *poſitivè dubiam:* quando nempe intellectus, hæſitans & ſuſpenſus circa exiſtentiam legis, tam pro exiſtentia legis,

gis,

gis, quàm pro nonexistentia habet rationem probabilem seu gravem, quæ virum prudentem & constantem de se ad assensum movere possit. Eadem ferè est quæstio, si intellectus circa existentiam legis non manet suspensus, sed amplectens motivum probabile, accedente imperio voluntatis, judicet, legem non existere. Pro utroque enim casu quæritur, an lex obliget: nempe an obliget, quando intellectus judicat (prout forsan potest in concursu duorum motivorum probabilium utrilibet adhærere) legem non existere, & quando suspendendo assensum nihil judicat de existentia legis, aut tantùm sub modo judicat; videlicet probabile esse eam non existere.

Notandum autem diligenter, duplicem hîc probabilitatem benè distinguendam. Alteram *circa existentiam legis*, præcipientis aut prohibentis, seu, quod idem est, versantem *circa licentiam actionis*; quam propterea probabilitatem *practicam* vocant: alteram *speculativam*, quæ non versatur circa existentiam legis, seu circa licentiam actionis, sed circa aliquid aliud, e. g. circa valorem Sacramenti, justitiam causæ, in judicium deductæ, bonitatem medicinæ &c. quas duas probabilitates Rigoristæ aut inscitè, aut non satis sincere solent confundere. 27. *Probabilitas alia practica versans circa licentiam actionis.*

Non enim ita argumentantur Probabilistæ: hoc probabiliter est valida materia Sacramenti: ergo etiam ubi habetur materia certa, licet eam adhibere. Actor habet causam probabilem: ergò Judex potest ei totum adjudicare: hæc medicina probabiliter est bona, ergo medicus potest eam dare ægroto. Hoc animal probabiliter non est homo, sed fera. Ergo licet illud occidere. Hoc probabiliter Titio debetur. Ergo potest occultam facere compensationem. *Alia tantùm speculativa.*

Non ita, inquam, arguunt Probabilistæ: non inferunt illi ex probabilitate merè speculativa, quæ non versatur circa existentiam legis, seu circa licentiam actionis, quod hoc vel illud sit licitum: sed dicunt, tunc tantùm fas esse sequi sententiam probabilem, quando probabilitas versatur *circa ipsam licentiam* actionis; quod in allatis exemplis non contingit: non enim est probabile, quòd in Sacramentis liceat adhibere materiam dubiam, seu tantùm probabiliter validam, si potest haberi certa. Neque est probabile, quòd Judex possit uni totum adjudicare, si alter æquè probabile aut probabilius jus habet &c. *Quæ non sufficit ad licitè agendum.*

Quare non satìs peritè videntur loqui, qui dicunt, licere sequi sententiam verè probabilem, non tamen Confessario, Judici, ac Medico: nam etiam istis licitum est, sequi sententiam verè ac solidè probabilem, si probabilitas versetur circa licentiam actionis, quando autem dubium est de valore Sacramenti, de justitia causæ, bonitate medicinæ &c. probabilitas, ùt dictum, non versatur circa licentiam actionis: sed certum

 est,

eſt, quòd debeat adhiberi materia certò valida, & medicina certò bona, ſi haberi poteſt.

28. *Probabilismus nihil habet commune cum propoſitionibus damnatis;*

Unde neque tangit Probabiliſtas propoſitio illa ab Innocentio XI. merito damnata: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc ſententiâ probabili tantùm utendum non eſt in collatione baptiſmi, ordinis ſacerdotalis aut Epiſcopalis.* Quia probabiliſtæ non docent, quòd quis licite poſſit adhibere materiam vel formam, quæ tantùm probabiliter ſufficit ad valorem Sacramenti, quando haberi poteſt certò ſufficiens: non enim probabile eſt, quod hæc actio ſit licita, nempe adhibitio materiæ aut formæ dubiæ, ſeu tantùm probabiliter ſufficientis ad valorem: adeóque probabilitas non verſatur circa lieentiam alicujus actionis, ſed tantùm circa valorem.

Et ratio ulterior eſt, quia licèt nec lex ſpecialis, neque conventio, nec periculum gravis damni incurrendi vetaret adhibere materiam dubiam, reverentia tamen Sacramento debita id vetaret, ne periculo fruſtrationis exponatur. Dixi autem, *quando haberi poteſt materia certa*: nam in caſu neceſſitatis poteſt adhiberi dubia, ſi non poſſit haberi certa, e. g. aqua roſacea in baptiſmo, dolor in pœnitente, qui probabiliter ſit ſupernaturalis: quomodo enim poſitivè certum fiet Confeſſario, pœnitentem elicuiſſe verum dolorem *ſupernaturalem?* imò, quomodo ipſi etiam pœnitenti hoc poſitivè certùm fiet? Si autem haberi poſſit materia certò valida, non eſt probabile, quod liceat adhibere aliquam dubii valoris, ùt dictum.

Quia illæ non loquuntur de probabilitate practica.

Sic etiam, quia non eſt probabile, quòd Judex poſſit ferre ſententiam pro eo, qui habet cauſam minùs probabilem, ideo idem Innocentius meritò damnavit etiam alteram hanc propoſitionem. *Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.* Imò ne quidem eſt probabile, quòd totum poſſit adjudicare uni, quando utraque pars habet æqualem probabilitatem cauſæ. Nam tunc vel debet rem controverſam partiri, vel æſtimationem dimidii alteri adjudicare.

Pariter neque eſt probabile, quòd infidelis poſſit adhærere ſuæ ſectæ, quando hæc ipſi eſt minùs credibilis, aut probabilis, quàm religio catholica. Unde omni jure ab eodem ſummo Pontifice proſcribi meruit hæc propoſitio: *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.* Unde talis tenetur in veritatem diligenter inquirere, additis ad Deum precibus: qui facienti, quod eſt in ſe, non denegat gratiam. Ad credendum enim fide ſupernaturali veritatem religionis catholicæ non ſufficit probabilitas revelationis; ùt conſtat ex iſta propoſi-

positione, pariter ab Innocentio XI. damnata: *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus DEUS.*

Habetur autem certitudo de veritate Religionis catholicæ ex motivis credibilitatis, puta ex antiquitate, visibilitate, infallibilitate, unitate, sanctitate, catholicitate Ecclesiæ, ex mirabili ejusdem propagatione, aliísque evidentibus miraculis, ex sanguine tot Martyrum, concordi doctrina SS. Patrum &c. quæ adeò manifesta sunt, ut religionem catholicam, si non evidenter veram, certè evidenter credibilem, & credendam proponant, atque adeò de illius revelatione dubitari nullatenus possit: dum econtra pro aliis sectis nullum omnino signum veritatis, nullum motivum credibilitatis, nulla prorsus habetur probabilitas, sed earum errores, atque miseriæ adeò patenter benè consideranti se ingerunt, ut evidenter sint incredibiles. Adeóque nulla ratione est probabile, quòd excusetur infidelis non credens, ductus opinione probabili; imo negatur suppositum, quòd ullam probabilitatem infidelis secta habere possit.

Quod autem dictum modò est de valore Sacramenti, de sententia Judicis, de infideli, idem de aliis pariter exemplis, in quibus non habetur probabilitas practica circa ipsam licentiam actionis, sed tantùm speculativa quædam circa aliquid aliud, intelligendum venit.

Sic non est probabile, quòd medico liceat adhibere medicinam dubiam, ant tantùm probabiliter bonam, si suppetat certò bona. Non est probabile, quòd possis occidere animal, quod probabiliter tantùm non est homo. Non est probabile, quòd possis auferre possessori, quod tantùm probabiliter tuum est: aut quòd possis pro vera & genuina gemma vendere, quòd tantùm probabiliter talis est. Non est probabile, quòd possis occultam facere compensationem, quando debitum est dubium, aut tantùm probabile. Neque est probabile, quòd Rex possit ob jus tantùm probabile inferre bellum, & alterum de possessione dejicere. 29. *Ex probabilitate speculativa & remota non potest inferri practica.*

Ratio horum est, quam sæpiùs dixi, quia in his aliisque ejusmodi exemplis probabilitas non versatur circa existentiam legis præceptivæ aut prohibitivæ, aut circa honestatem actionis, seu quod idem est, circa licentiam actionis. Probabilistæ autem dicunt, quòd tunc tantùm liceat sequi sententiam probabilem, quando probabilitas versatur circa ipsam licentiam actionis vel omissionis, seu quando probabile est, actionem esse licitam. 30. *Non sufficit tenuis probabilitas.*

Sed neque sufficit ipsis quæcunque probabilitas circa licentiam, sed requirunt probabilitatem veram ac solidam, fundatam in motivo gravi,

quod

quod virum constantem prudenter ad assensum movere possit, idque non tantùm absolutè, sed etiam comparativè & respectivè, ita, ut motivum, & in eo fundata probabilitas, non elidatur aut enervetur à motivis contrariis, sed maneat etiam in eorum concursu, & sic comparativè grave.

Non enim docti & cauti Probabilistæ docent vagum illum, laxúmque probabilismum, qui meritò damnatus est à sæpiùs memorato Innocentio XI. summo Pontifice in hac propositione, ordine tertia: *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modò à probabilitate finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Meritò, inquam, profligata est absurda hæc propositio: quia non distinguit inter probabilitatem practicam circa licentiam, & speculativam, versantem circa aliquid aliud, sed *generatim* loquitur: Probabilistæ autem inter ista diligenter distinguunt, distinguendúmque semper esse, solicitè monent.

Deinde dicta propositio vult, sufficere quamcunque probabilitatem, *quantumvis tenuem*, hoc est, quæ non est vera, solida ac comparativa probabilitas, seu nixa fundamento gravi, sed enervata à motivis contrariis, aut quæ tantùm est dubia, incerta, aut tantùm probabiliter talis, aut tantùm nixa motivo tenui vel levi.

Malesanam hanc doctrinam rejiciunt Probabilistæ: atque adhoc, ut quis licitè sequi possit sententiam probabilem, requirunt, ut probabilitas versetur circa licentiam actionis, ut certè sit probabilis, & quidem verè, solidè, practicè, non tantùm absolutè, sed etiam comparativè & respectivè, in concursu oppositæ probabilitatis ejusque motivorum. Unde *tenuis* probabilitas propriè loquendo, in alio quàm dicto sensu, juxta ipsos ne quidem datur, cùm per probabilem sententiam intelligant illam, quæ nititur motivo ac fundamento verè, absolutè & comparativè gravi. Tenuis proin seu levis probabilitas non est probabilitas, saltem vera ac propriè talis: nam quod est tenue, ac leve, non est grave.

§. III.

Crisis circa usum opinionum probabilium.

His jam limitationibus & cautelis circumseptus probabilismus, nequaquam dignus est iis convitiis, quæ in eum effudit P. Contenson ex sanctissimo & illustrissimo Ordine Prædicatorum; ex zelo utique optimo? quin imò gravissimis rationibus nititur, quorum aliquas insinuare potiùs lubet, quàm pro dignitate pertractare: cùm laborem istum more jam recepto Theologi sibi vendicent, ab intentione tamen & munere jurisprudentiæ, præsertim sacræ (cùm de obligatione legum agatur) non alienum.

Atque

Atque imprimis notandum, in aliquo sensu omnes debere probabilismum defendere: cùm Alexander VIII damnaverit hanc propositionem, numero tertiam: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Quæ propositio docuit, non esse licitum sequi probabilissimam relicta tutiore: nemo enim tam demens unquam fuit, ut diceret, illicitum esse sequi probabilissimam, si simul sit tutior. Ergo omnes oportet fateri, non semper tutiorem esse eligendam, neque requiri certitudinem, sed sufficere opinionem, ac probabilitatem aliquam; nam opinio probabilissima non egreditur fines probabilitatis. Quod prænotare placuit, tum, quia sic plura argumenta in Rigoristas retorquentur: e. g. quòd in dubio tutior pars sit eligenda, quòd operans se exponat periculo, quòd non possit formare dictamen ultimum practicum moraliter certum &c. tum etiam, ut pateat, quàm ineptè quibusdam imperitis vel ipsum nomen probabilismi nescio quid maligni sonare videatur; cùm tamen omnes eundem sub aliqua ratione tenere necesse sit, & *tutiorismum* illum universalem rejicere. *Licèt sequi opinionem probabilissimam relicta tutiore.*

Argumentum I. ab authoritate.

Afferunt deinde Probabilistæ pro sua sententia ingentem authorum numerum, quorum vel solus Rasslerus *in Norma recti disp.* 3. *quæst.* 9. *art.* 2. ultra 250. enumerat. Et Esparza in append a 232. testatur, etiam ex supputatione Rigoristarum, singulis authoribus sententiæ rigidioris decem alios respondere benignioris sententiæ Patronos. Stephanus Spinola ait, eandem *Recentiorum omnium calculo, & universali ferè populorum usu confirmatam esse.* Gabriel Boyvin, *omnes ferè DD. etiam sanctissimos & eruditissimos eandem tenere.* Mastrius, *communissimam, & in omni schola receptissimam* vocat. Tot autem auctores, virique ex omni hominum genere doctissimi utique nos potuerunt docere præcepta Dei. Utique hi non omnes ignoraverint legem naturæ universalem, atque ad omnes homines pertinentem. 32. *Imò etiam verè probabilem.* *Prob ab authoritate.*

Neque verum est, quod Rigoristæ jactitant, primum parentem probabilismi fuisse Bartholomæum de Medina, Dominicanum, qui scripsit circa annum 1577. nam licèt hic auctor, & plurimi post ipsum, viri doctissimi ac toto orbe celeberrimi, erudítiore ævo, hanc quæstionem novo studio atque ex instituto, & in propriis terminis, examinarint, & plerique probabilismum defenderint, falsum tamen omnino est, omnes Medinâ antiquiores stetisse pro sententia rigida. Certè Gabriel Vasquez, gravissimus & eruditissimus Scriptor 1. 2. *D.* 62. *c.* 4 asserit, sententiam benignam jam multò antè Medinam fuisse in scholis communem: eámque, ut videre est apud laudatum Rasslerum *loc cit. art* 4 nominatim tenuerunt, Albertus Magnus, Panormitanus, Alexander de Imola, *Etiam antiquorum.*

Jason, Dominicus Sotus, Landulphus à Corduba, Martinus de Ledesma, Mercado, Turrecremata, Viguerius, S. Antoninus, Joannes Nider. Plures citantur ab aliis: imò Terillus *tract. de consc. prob. quæst.* 21. & 22. propè omnes antiquos pro benigniore sententia stetisse contendit.

Qui autem pro opposita rigidiore citantur, intelligi possunt loqui vel de ultimo dictamine conscientiæ practico, quod per se moraliter certum esse debet, vel de probabilitate aliqua tenui, dubia, aut non comparativa, sed oppositis argumentis enervata, quæ non sufficit: vel de probabilitate, quæ non versatur circa licentiam actionis &c. Aliqui autem non satis constantes fuisse videntur in sua doctrina, aut quæstionem hanc parùm examinâsse, aut etiam falsis principiis nixos fuisse, e. g. quòd semper tutior pars sit eligenda, consequenter, quòd nec probabilissimam liceat sequi relicta tutiore: aut quòd nulla dari possit invincibilis ignorantia juris naturalis, aut quòd non excuset à peccato formali.

Adhuc apertiùs falsum est, sententiam benignam probabilismi esse propriam Doctorum societatis, atque ab his in scholas introductam, quod aliqui, ex Jansenii potissimùm sectatoribus, persuadere conati sunt (saltem rudioribus) cùm manifestè constet, communem illam jam in scholis fuisse antè, quàm ullus eorum typis aliquid vulgâsset de probabilismo. Rasslerus in præclaro atque eruditissimo suo opere de *Norma recti* disp. 3. quæst. 10. art. 1. n. 924 numerosum catalogum texit eorum, qui ex illustrissimis familiis S. Dominici & S. Francisci non tantùm probabilismum absolutè & simpliciter sunt amplexi, sed determinatè docuerunt, quòd etiam liceat sequi sententiam minùs tutam, simúlque notabiliter minùs probabilem: quam eandem doctrinam plurimi alii ex omni literatorum ordine, & in quibuscunque orbis Christiani Universitatibus celeberrimi Doctores amplexi sunt..

Præsertim Dominicanorum. Hanc sententiam nominatim docuerunt ex illustrissimo Ordine PP. Prædicatorum, Dominicus Sotus, Thomas Mercado, Barthol de Medina, Barthol. de Ledesma, Domin Bannez, Didacus Alvarez, Petrus de Ledesma, Navareta, Barnabas de Gallego, Didacus Nugnus, Cabezedo, Franciscus Lobez de Texeda, Gregorius Martinez, Hyacinthus Donatus, M. Casalas, Joannes Bapt. Ildephonsus Cæsar Augustanus, Ioannes à S. Thoma, Marcus Serra, Paulus Nazarius, Vincentius Candidus, Paulus de Blanchis, Thomas Villar, Ludovicus de la Cruz, aliique plures: quos inter sunt Sylvester Prieras, Joannes Bapt. Haquet, Ludovicus Lopex, Franciscus Victoria, ut videre est apud clarissimum D. Collegam Paulum Josephum Riegger in eruditissimo opere de *systemate Jurisprudentiæ naturalis cap. 6. in Notis ad §.* 13 ub

ubi simul plures ex Doctoribus Sorbonicis recenset, qui eandem sententiam docuerunt, ac subdit: *Hos vel ideo nominare volui, ut pateat, hanc sententiam nec novam, nec Doctoribus Soc Jes. propriam esse: quod tamen Pascalius in suis litteris provincialibus hunc in finem editis, innumeris convitiis & calumniis refertis, Christiano orbi persuadere omnibus nervis contendit, ut mirum non sit, has litteras provinciales Aquis sextiis sententia Parlamenti, V. Id Febr.* 1657. *lata, ad subeundas infames carnificis flammas fuisse condemnatas.* Magis mirum videri potest, virum Religiosum quemdam vicinum nuper admodùm Pascalii conatus prosequendi animum potuisse suscipere, quos conatus nec ulla quidem probabilitas excusare potest. Et cur in rivos bilem effundit, fontes absolvit?

Certè Michaël Solonius *de Just. & Jure art.* 4. *p.* 63. jam anno 1592. testatur, doctrinæ, quæ dicit, licitum esse sequi sententiam minùs probabilem, minúsque tutam, *multos ac gravissimos, ac maximè ex Discipulis S. Thomæ suffragari:* Bartholomæus autem de Ledesma, Dominicanus, jam anno 1585 ubi nemo adhuc ex Societate de probabilismo scripserat, eandem de probabilismo doctrinam appellavit *verissimam*, atque ex *usu universali omnium* comprobavit. Qui plura desiderat de scriptoribus Dominicanis circa hanc quæstionem, consulat Stephanum de Champs in famosa sua quæstione facti c. 3. & 5. item Matthæum de Moya tract. 1. de opinione probabili q. 6. §. 2. Rasslerum l. c. videri etiam hac de re meretur liber eruditissimus, italicè scriptus, cujus hic titulus: *Avvertenze Contraposte alla storia del Probabilismo* in Einsidlen anno 1744. editus, in quo præsertim *Avverdenza sesta* ostendit author, antiquos Thomistas docuisse probabilismum in eo sensu, quo hodie docetur.

Cæterùm utique nôrint, ex qua Familia fuerint Michaël Elizalde, Paulus Comitolus, Ignatius de Camargo, Estrix, Muniessa, Taberna, Thyrsus Gonzalez aliique plures, qui rigidiorem sententiam sunt amplexi.

Argumentum II. ex ratione.

Si dubium potest deponi, licitè agitur; si non potest deponi, datur ignorantia invincibilis.

Ratione Probabilistæ multiplici, eáque gravi sententiam suam confirmant, atque ita fermè argumentantur: Vel ille, qui tam pro quàm contra existentiam legis (prohibitivæ aut præceptivæ) habet rationem probabilem, potest dubium deponere, atque directè ac prudenter judicare, legem non existere; vel hoc non potest? Si potest dubium deponere, atque prudenter judicare, non existere legem ullam obligantem, prudenter etiam judicabit, se nulla lege obligari. Ergo tunc li- 33.

bertas manifestè est in possessione: neque obligatur lege, quam prudenter judicat, nunquam exstitisse: sicut nemo tenetur debito, quod prudenter judicat, nunquam esse contractum. Certè, si obligaremur legibus, qua prudenter judicamus, nunquam exstitisse, obligaremur innumeris legibus, quæ nunquam exstiterunt; atque sic difficultatibus gravissimis, scrupulis, anxietatibus, confusionibus, perplexitatibus, & perturbationibus plena essent omnia: neque lex divina ampliùs esset jugum suave, & onus leve, sed intolerabile, ac via salutis impossibilis. Accedit, quòd sic in immensum multiplicarentur peccata formalia, & offensiones Dei. Et quàm misera esset conditio rudium, quales sunt innumeri, & major longè pars humani generis? certè rusticus non ampliùs posset facere, quod Parochus licitum esse asserit, ùt ùt prudenter judicet, id sibi licere, nullámque legem prohibentem existere.

Potest autem dubium deponi, Sed neque apparet, cur intellectus non possit assentiri veritati probabili, licèt etiam in oppositum habeatur probabilitas: cùm in probabilibus intellectus quoad assensum vel dissensum subjaceat imperio voluntatis, ùt passim est receptum. Unde sicut voluntas pro sua libertate ex duobus bonis potest alterutrum pro lubitu eligere, sic etiam potest intellectui imperare assensum, utrilibet ex duabus propositionibus contradictoriis probabilibus præstandum. Et planè constat ab experientia, facilè nos judicare vera esse, quæ optamus vera esse, licèt tantùm probabiliter sint vera (imò licèt tantùm apparens probabilitas habeatur, ùt patet in hæreticis & temerè judicantibus.)

Et prudenter judicari, legem non existere; Quòd autem etiam prudenter hoc fieri possit, suadetur imprimis ex eo, quòd non agat imprudenter, qui nititur motivo seu fundamento solido, gravi ac prudenti, nempe verè probabili. Deinde, quando assensus, parti minùs probabili præstitus vel ipsi assentienti vel etiam alteri cuidam est melior atque optabilior, tunc voluntas prudenter imperat assensum, præstandum patri æqualiter, aut etiam aliquandò minùs probabili.

Quia intellectus habet rationem gravem, & voluntas majus suum bonum. Sic jubemur facta aliena in bonam partem interpretari, & ùt S. Thomas docet, debemus proximum nostrum bonum judicare, nisi manifesta habeantur indicia de illius malitia. Ergo possumus & debemus proximum judicare bonum, licèt probabiliùs sit malus; quia scilicet tale imperium voluntatis & assensus intellectûs melior est ipsi assentienti & proximo.

Propter eandem rationem jubetur subditus judicium suum conformare judicio superioris, ità, ut non tantùm idem velit, sed etiam idem sentiat, & sic proprium judicium, quod ipsi est probabilius, imò etiam tutius, deponat ac corrigat, licèt ipse sit doctior quàm superior, & pro judi-

judicio suo speculativo graviores etiam rationes habeat: quia scilicet tale judicium cedit in bonum & meritum subditi.

Hinc illa S. Ignatii aliorúmque doctrina, quòd in iis, in quibus manifesta veritas intellectum non rapit ad assensum, voluntas suo imperio ac pondere intellectum magìs in unam, quam alteram partem inclinare possit, utíque prudenter. Nam

Licèt ex parte intellectûs non detur gravior ratio pro assensu, quàm pro dissensu, datur tamen diversa ratio, quæ non datur pro dissensu: poterit igitur intellectus unam rationem seu motivum amplecti, quin amplectatur alterum: cùm semper habeat motivum pro veritate, quod non habet pro falsitate; quamvis aliud diversum habeat pro falsitate. Ex parte voluntatis autem datur gravior etiam ratio, inclinandi intellectum ad assensum, nempe major utilitas, propria vel aliena, quæ datur in consensu, non autem in dissensu. Ergo voluntas, cujus objectum est bonum, prudenter poterit imperare consensum præ dissensu, propter hanc ipsam nempe majorem utilitatem & bonitatem, quæ est in consensu: ùt ex exemplis allatis de judicio subditi, & de alienis moribus judicantis patet.

Verùm nullatenus est necessarium philosophicæ hunc doctrinæ probabilismum superstruere. Sic illa dubia atque incerta, imo sit etiam falsa, nullam tamen inde probabilismi doctrinæ infertur præjudicium. Nam si stante æquali utrinque probabilitate pro existentia & non existentia legis, præcipientis aut prohibentis, intellectus non potest prudenter judicare, legem non existere, tunc neque potest prudenter judicare, legem existere; quia æqualis pro utroque ponitur esse probabilitas: si autem non potest prudenter judicare legem existere, habet profectò invincibilem ignorantiam legis, utpote quæ vinci non potest. Quomodo enim vincatur, cùm prudenter judicari non possit, legem existere? Atqui lex, quæ invincibiliter ignoratur, non obligat ignorantem; cùm ei non sit sufficienter intimata. Certè libertas est in possessione contra legem ejúsque obligationem, si non potest prudenter judicare, eandem existere: ùt patet ab inductione de legibus humanis. Licèt igitur à parte rei existeret lex, prohibens e. g. pingere die festo, si tamen non sit sufficienter promulgata, aut intimata & applicata, non obligat in actu secundo, utpote invincibiliter ignorata. Si autem adversarius pertinaciter inclamaret, sufficienter constare de existentia legis, eodem jure regeri potest, non sufficienter constare de lege, cùm tanta habeatur probabilitas pro non existentia legis, quanta habetur pro ejusdem existentia. Consequenter libertas nullo modo dimovetur à sua possessione. Instantia rursus habetur in legibus humanis.

34. *Si autem non posset dubium deponi, daretur ignorantia invincibilis legis.*

Et confirmari poteſt ex caſu, quo quis negativè dubitat de exiſtentia legis: tale enim dubium æquiparatur ignorantiæ invincibili; quia non poteſt vinci ac deponi: ergo etiam dubium poſitivum eidem æquivalet, ſi non poteſt vinci aut deponi.

Argumentum III.

Deponi poteſt dubium practicum, & formari dictamen conſcientiæ moraliter certum.

35. Ratio autem ulterior, cur liceat ſequi ſententiam, ſolidè ac certè probabilem, eſt, quia, licèt judicio directo, remoto ac ſpeculativo nihil judicetur de legis exiſtentia vel non-exiſtentia, ſed intellectus circa hoc maneat ſuſpenſus, formari tamen poterit ultimum dictamen conſcientiæ practicum moraliter certum, ſicque dubium practicum omne circa licentiam actionis deponi poteſt, ſi non ex directis, ex principiis ſaltem reflexis, diſcurrendo e. g. in hunc modum: *Licitè poſſum me conformare in praxi atque in actionibus meis ſententiæ, quæ conſideratis omnibus mihi eſt probabilior. Sed conſideratis omnibus probabilior eſt mihi ſententia, quæ dicit, quòd liceat ſequi ſententiam æqualiter aut etiam aliquantò minùs probabilem, verè tamen ac ſolidè probabilem. Ergo licitè poſſum me in praxi atque in actionibus meis huic ſententiæ conformare.*

Poſſum ſequi ſententiam probabiliorem: ſed ſententia Probabiliſtarum eſt mihi probabilior. Ergo poſſum eam ſequi.

In hoc diſcurſu præmiſſæ mihi ſunt moraliter certæ, conſequenter etiam concluſio. Poſſum deinde hunc diſcurſum applicare particularibus materiis, atque actionibus, ſubſumendo e. g. *atqui, quòd cenſus germanicus ſit licitus, eſt ſententia verè probabilis:* aut: *quòd circumſtantiæ intra eandem ſpeciem aggravantes non ſint neceſſariò in confeſſione exponendæ: ergo licitè poſſum hanc ſententiam ſequi, ac pecuniam ad cenſum elocare, & circumſtantias illas non exponere.* Hæc jam concluſio eſt ultimum dictamen practicum, ſuppoſito priore diſcurſu, moraliter certum: ſive dein formem judicium directum ac ſpeculativum de non exiſtentia legis, prohibentis cenſum germanicum &c. ſive judicium ſuſpendam: modò ſciam eſſe verè ac ſolidè probabile, quòd non exiſtat lex, prohibens illum cenſum, & conſequenter verè probabile eſſe, quòd ſit licitus. Nam ultimum dictamen ſeu judicium practicum non connectitur, neque præſupponit judicium remotum ac ſpeculativum ùt abſolutum, quod dicat: *non exiſtit lex prohibens*, ſed tantùm ùt modale, quod dicat: *verè probabile eſt, non exiſtere legem prohibentem.* Sic enim jam formari poteſt allatus paulò ante diſcurſus, & dependenter ab eo dictamen practicum moraliter certum: quia ſcilicet certum mihi eſt, quòd licitè me poſſim conformare ſententiæ probabiliori: per propriam autem experientiam certus ſum, quòd ſententia illa mihi ſit probabilior, quæ docet, quòd liceat in praxi ſequi ſenten-

sententiam verè ac comparativè probabilem. Ergo quandocunque verè ac solidè probabile est, actionem esse licitam, possum illam licitè exercere.

Licèt enim re ipsa daretur lex prohibens censum germanicum tanquam usurarium, quia tamen verè probabile est, talem legem prohibentem non existere, Deus illum mihi hîc & nunc licitum facit: quia Deus non vult, ut lex me obliget in actu secundo, quando illa mihi non est sufficienter applicata & intimata. Atqui, quando grave fundamentum habeo, quòd lex non existat, non est mihi sufficienter intimata & applicata. Ergo, licèt re ipsa daretur lex, tamen me hîc & nunc non obligat. Atque hunc sensum habet illa auctorum quorumdam, ac præsertim Rassleri frequens expressio, quâ distinguunt inter legem antecedentem & consequentem, dicúntque: licèt lege *antecedente* prohibitus esset census germanicus (& idem de aliis sententiis verè probabilibus ac versantibus circa licentiam actionis) lege tamen *consequente* esset licitus: quia scilicet Deus lege quadam universali ac consequente in praxi vult licitum, quando verè probabile est, quòd sit licitum. Idem etiam respondere debent ipsi adversarii, quando docent, ùt docere debent, licitum esse sequi sententiam probabilissimam relicta tutiore. Nam licèt re ipsa daretur lex aliqua antecedens, prohibens e. g. census germanicos: quia tamen probabilissimum est, eam non dari, Deus lege consequente vult eos esse licitos. Idem evenit in casu conscientiæ invincibiliter erroneæ, in casu ignorantiæ invincibilis, in casu perplexitatis: ut adeò hæc doctrina prorsus nihil novum, aut in Theologia aut Jure peregrinum afferat. Quis neget, peccari aliquando tantùm materialiter, non verò formaliter? Atqui hoc contingit tunc, quando lege antecedente aliquid est præceptum aut prohibitum, non verò lege consequente. Idem volunt, qui dicunt, legem promulgatam obligare in actu primo eos etiam, qui illam adhuc invincibiliter ignorant, non tamen in actu secundo.

36. *Lex antecedens & consequens*

Ex quo patet, quàm vana sit illa Tutioristarum, & Rigoristarum objectio, qua dicunt, illos, qui docent probabilismum, aut sequuntur sententias probabiles, contemnere leges Divinas, agere contra reverentiam Deo debitam, atque in dubio practico, acsi perinde ipsis esset, an sit licitum vel illicitum, eos se exponere periculo peccandi, dum relictis tutioribus sectantur probabilia; eos non legem Divinam, sed probabilismum statuere pro regula actionum moralium, ac norma vivendi &c.

37. *Non spernit legem.*

Hæc enim omnia sunt falsa. Nam qui sequitur sententiam aliquam verè probabilem, atque versantem circa licentiam actionis, dubium omne practicum deponit, formátque dictamen conscientiæ moraliter certum, quòd nulla lex Divina hîc & nunc actionem ipsi prohibeat; & consequenter,

Neque exponit se pericula.

ter, quòd actio ſit licita: unde nullatenus contemnit aut parvi pendit legem Divinam, ſed eidem ſe conformat, paratus actionem omittere, ſi ſufficienter ei conſtaret, exiſtere legem aliquam prohibentem. Unde neque periculo peccandi, ſaltem formaliter, aut Deum offendendi ſe exponit, eò quòd per dictamen reflexum & practicum ſit certus, quòd Deus hîc & nunc actionem iſtam tanquam licitam permittet: licèt fortaſſis lex aliqua de ſe prohibens, operanti tamen non ſufficienter intimata & applicata, exiſteret.

Nulla paritas cum medicina dubia. Quare nulla eſt paritas cum ægroto, ſumente medicinam dubiam, relicta tutiore, aut cum viatore, eligente viam latronibus obnoxiam præ ſecuriore. Nam hi imprudenter agunt, quia nullo judicio aut dictamine intellectûs poſſunt periculum avertere, aut medicinam vel viam ſecuram reddere: dum econtra in noſtro caſu operans per ultimum dictamen moraliter certum omne periculum, Deum offendendi ac peccandi avertit, hoc ipſo, quòd certus ſit, nulla lege ſe hîc & nunc (in actu ſecundo) obligatum eſſe omittendam actionem

Falſum etiam eſt, quòd probabiliſmum ſtatuamus pro regula moralitatis prima & objectiva: hæc enim eſt ſola lex Divina, cui omnes actiones noſtræ conformari debent: dictamen autem conſcientiæ, ex principiis genuini probabiliſmi efformatum, eſt regula tantùm ſubjectiva, applicans nobis legem Divinam, hanc vel illam actionem nobis certò permittentem.

38. *Variæ formulæ dictaminis.* Cæterùm non unicum illud, de quo dixi, dictamen practicum moraliter certum, probabiliſmum ſuppeditat, ſed variè illud formari poteſt, etiam à rudibus: dicendo e. g. *Multò major Doctorum pars docet, licitum eſſe ſequi ſententiam verè probabilem. Ergo ego prudenter me conformo ipſorum doctrinæ.* Vel: *licitum eſt Doctoribus in ſcholis docere, quòd liceat ſequi ſententiam verè probabilem: ergo mihi licitum eſt eam ſequi.* Vel: *Parochus meus, homo doctus & pius, dicit, hoc mihi eſſe licitum: ergo hoc mihi, homini rudi, eſt licitum.* Vel: *Non conſtat mihi ſufficienter de hac lege: ergo hîc & nunc me non obligat*

Imò poterit aliquis, cui certum eſt, quòd liceat ſequi probabiliorem & quòd ſententia, docens licere ſequi verè probabilem, ſit probabilior, ita ſe reſolvere: *Hæc ſententia eſt verè ac ſolidè probabilis: ergo licitè eam ſequor.* Quia ſcilicet jam aliunde eſt perſuaſus, probabiliorem eſſe ſententiam docentem, quod liceat ſequi ſententiam verè probabilem: certum autem eſſe, quòd ſequi liceat probabiliorem.

39. *Non ſemper requiritur dictamen certum.* Aliquando ne quidem requiritur, ut quis expreſsè & poſitivè formet dictamen aliquod moraliter certum, nempe quando non dubitat de licentia actionis: talis enim non agit in dubio practico, neque formidat, hoc ipſo, quòd non dubitet. Et hunc caſum non infrequentem, præſertim apud rudiores, eſſe exiſtimo; qui utique non ſemper agunt reflexè, ſed bona

bona fide ex principiis directis, aut ex persuasione, qua jam sunt imbuti, exercitè procedunt.

Sed neque requirendum existimo, ut quis multùm examinet, an hæc 40.
vel illa ex oppositis sententiis sit probabilior, modò certus sit, sententiam, quam sequitur, esse verè, solidè, absolutè & comparativè probabilem, quanta enim difficultas, anxietas, imo sæpè impossibilitas in distinguendis ejusmodi gradibus probabilitatis, cum sæpè ne quidem docti post longum ac diligens examen certò deprehendere possint, quid magis, quid minùs sit probabile.

Non est necesse examinare gradus probabilitatis.

Sic e. g. dubium valde ac controversum est, an hæreditas ex testamento, non solenni, in conscientia debeatur hæredi instituto, an verò hæredi ab intestato: utraque sententia est verè probabilis. Quanta autem difficultas, determinare gradus probabilitatis, quænam sit probabilior, & quantùm sit probabilior? Quid igitur faciendum in hoc, aliísque casibus, tam in Theologia, quàm Jure utroque passim occurrentibus, si non licet simpliciter sequi sententiam verè ac solidè probabilem?

Modò constet de vera probabilitate.

Neque dicas, tutiorem tunc esse sequendam: nam contra hoc pugnant omnia argumenta hactenus allata. Deinde quænam in hoc casu sententia est tutior? pro hærede ab intestato est tutius, si hæreditatem relinquat hæredi instituto; huic verò est tutius, si hæreditatem non acceptet, sed relinquat hæredi ab intestato: probabilitas verò pro utroque videtur æqualis, vel saltem pro neutro notabiliter minor, quia discerni non potest. Quid igitur? an neuter potest acceptare?

Et hoc ipso confirmatur nostra sententia: nam ùt *l. c. c.* 8. §. 16. ex 41.
Gletle advertit Clariss. D. Riegger, si in conflictu opinionum probabilium teneremur sequi tutiorem, obstringeremur ad aliquid impossibile. Si enim in testamento, ratione solennitatum imperfecto, Titio relictum sit legatum, & ideò mihi titulo successionis ab intestato hæreditas obveniat, ego tenebor præstare legatum, quia tutius est solvere legatum: Titius verò tenetur illud non acceptare, quia tutius est illi non acceptare. Tenentur igitur ad contraria & impossibilia. Et hoc semper contingeret, quando duo pro jure, vel re acquirenda æqualem habent probabilitatem: quia uterque deberet tutiorem sequi. Tutius enim est alteri totum dare, quod probabiliter ipsius est: imò tutius est, petenti tunicam etiam pallium relinquere.

Semper tutiora sequi est impossibile.

§. IV.

An probabilismo debeatur laxitas disciplinæ?

At ingens per Probabilismum in orbem Christianum inducitur laxitas, 42.
ùt Rigoristæ conqueruntur, enervatio disciplinæ, morúmque corruptio. Ex hanc enim vitiosa radice pullulârunt tot luxuriantium ingenio-

Quærela Rigoristarum.

rum monſtra, tot, inquam, propoſitiones, Romanis meritò percuſſæ fulminibus. Deinde Alexander VII. anno 1655. pertæſus *novarum opinionum, quibus diſciplina Evangelica reſolvitur, ac conſcientiis cum gravi animarum periculo illuditur*, RR. PP. Dominicanos in comitiis Romæ congregatos hortatus eſt, ut ex ſeveriore & tuta doctrina S. Thomæ hanc morum licentiam, in dies graſſantem, cohibeant.

Cùm idem Pontifex anno 1665. propoſitiones quasdam, nimiùm laxas configeret, dicitur, eum non ſine magno animi mærore audiiſſe, complures opiniones, Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire, & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſerit, alienus omnino ab Evángelica ſimplicitate, ſanctorúmque Patrum doctrina, & quem ſi pro regula in praxi fideles ſequerentur, ingens erruptura eſſet vitæ Chriſtianæ corruptela: arctam eſſe ſalutis viam, quæ non debeat dilatari in perniciem animaram, per ſpatioſam latámque viam iri ad perditionem: ut proin ad rectam ſemitam fideles revocet, eum 28. propoſitiones damnâſſe ad minimum tanquam ſcandaloſas.

Reſp. Si Alexander VII. vel alius Pontifex judicâſſet, quòd nimia laxitas, aut propoſitiones, quas damnârunt, oriantur ex Probabiliſmo, ante omnia debuiſſent Probabiliſmum damnare, ut, exciſa radice vitioſa, maligni fructus excreſcere non poſſent, aut obſtructo fonte rivuli exareſcerent. Hoc nunquam fecerunt, ſed apertè demonſtrârunt, laxitatem, quam deteſtati ſunt, conſiſtere in propoſitionibus, quas damnârunt. Hinc Alexander VII. ait, ſe, ut fideles ad rectam ſemitam revocet, damnare certas propoſitiones, inter quas nulla eſt de Probabiliſmo; ergo judicavit, hunc non abducere à recta ſemita. Deinde ait complures opiniones laxas *partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire.* Probabiliſmus autem neque antiquatus fuit, neque noviter prodiit. Cùm jam dudum, antequam Alexander VII. naſceretur, fuerit in ſcholis communis.

Damnavit is propoſitiones, quibus dicitur, hominem nunquam teneri elicere actum fidei, ſpei & charitatis: virum equeſtrem poſſe acceptare duellum, ne timiditatis notam incurrat: eum, qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacere præcepto Eccleſiæ: non peccare maritum, qui occidit uxorem in adulterio deprehenſam; molitiem, ſodomiam, & beſtialitatem eſſe ejusdem ſpeciei infimæ: populum non peccare, ſi absque ulla cauſa non acceptet legem, à Principe promulgatam: duplicatum ſtipendium pro miſſa licitè accipi: beneficiatos non recitantes non teneri ad reſtitutionem ante ſententiam declaratoriam Judicis, eò quòd ſit pœna: aliásque plures.

Sed,

Sed, quæso! quid pestiferæ ejusmodi propositiones ad Probabilismum, seu ad benigniorem circa opiniones probabiles sententiam? Probabilismus illas nunquan docuit, neque ex eo ullo modo sequuntur. Probabilismus id duntaxat contendit, licitum esse sequi sententiam, solidè, verè absolutè & comparativè probabilem, seu nixam fundamento verè gravi, ac versantem circa licentiam actionis: quænam in particulari sententia sit probabilis, Probabilismus non definit. Propositiones damnatæ non sunt probabiles. Igitur nimia laxitas, quæ displicuit Pontificibus, consistit in ejusmodi laxis propositionibus in materiis particularibus, hanc laxitatem, ut RR. PP. Dominicani impugnarent, Pontifex monuit: hanc impugnamus etiam nos, licèt non moniti. Cesset hæc, Casuistarum præsertim, laxitas, ac præceps facilitas, in decidendis quæstionibus moralibus, nec probabile dicatur, nisi quod verè gravi fundamento nititur, & cessabit querela de doctrinæ laxitate. Certè Probabilismus, iis circumscriptus terminis, quos posuimus, cum hac nihil commune habet, cùm tantùm conditionatè loquatur, licitum nempe esse sequi sententiam, si non tantùm tenuiter, sed verè, solidè, absolutè & comparativè sit certò probabilis, versetúrque hæc probabilitas, gravi ac prudente ratione nixa circa ipsam licentiam actionis: an verò hæc vel illa in particulari sententia sit vel non sit ita probabilis, ùt dictum, nullatenus determinat. Unde scriptores, qui in ejusmodi propositiones laxas ac damnari meritas, sunt prolapsi, ex doctrina Probabilismi, de quo hîc est sermo, aut ex ejus principiis, illas nullo modo potuerunt inferre, sed ex aliis principiis: aut falsis, aut malè applicatis: unde sæpiùs contigit, ut ii etiam auctores in materiis particularibus in laxus præcipitati sint sententias, qui circa Probabilismum magnum rigorem præseferunt.

43. *Propositiones damnatæ non sunt ortæ ex probabilismo.*

Cæterùm auctoribus propositionum damnatarum doctrina sua probabilior visa est quàm opposita, cùm nemo facilè absolutè doceat, quod ei non videtur probabilius: quare, si doctrinæ de opinionibus sequendis abscribenda esset nimia laxitas, potiùs Probabiliorismo quàm Probabilismo esset abscribenda.

Illud adhuc notandum, quòd sicut aliqui Pontifices, ùt Alexander VII. & Innocentius XI. damnârunt plures propositiones, nimiùm laxas, sic alii, ùt Alexander VIII. & Clemens XI. varias damnârunt nimium rigidas. Profectò uterque scopulus est vitandus, ne dum toti sumus in uno devitando, impingamus in alterum. Media proin incedendum semita, ac rigor disciplinæ cum suavi Christi jugo ita miscendus, temperandúsque, ut via salutis non nimiùm dilatetur, neque etiam nimiùm coarctetur.

44. *Via salutis nec nimis dilatanda, nec nimis coarctanda.*

Hoc temperamentum assequi nos putamus, si ex unâ parte rejiciamus vagum illum nimísque laxum Probabilismum, qui contentus est generatim quacunque probabilitate, quantumvis tenui, incerta, nixa motivo levi, aut per contraria motiva enervata, aut non versante circa licentiam actionis, sed circa aliquid aliud, e. g. circa valorem actus &c. ex altera verò parte faveamus probabilitati verè ab solidè tali, certæ, nixæ fundamento gravi ac prudente, etiam in comparatione contrariæ probabilitatis solidè subsistenti, ac versanti immediatè ac directè circa licentiam actionis: absque obligatione tamen solicitè ac laboriosè dimetiendi gradus probabilitatis, utpote quod in praxi esset difficillimum ac sæpè impossibile: unde obligatio certos gradus probabilitatis dimetiendi ac supputandi esset, spectata humana infirmitate, nimiùm ardua, plena anxietate, perturbatione, & periculis peccandi formaliter; cùm humanæ mentes certæ reddi non possent, an sufficientem diligentiam adhibuerint in discernendis ac dimetiendis gradibus probabilitatis, an debitum ejusdem gradum attigerint, ac proin onus Christi leve nimiùm quantùm aggravaretur. Sufficiat igitur, nos certos esse, hanc vel illam sententiam, versantem circa licentiam actionis, absolutè, & comparativè etiam, seu in comparatione contrariæ probabilitatis ejúsque motivorum esse probabilem verè ac solidè.

§. V.

Sedes Apostolica, Theologia, & Jurisprudentia supponunt licitum esse usum opinionum probabilium.

Hanc viam tenuisse video ipsos summos Pontifices non raro, dum e. g. in matrimonio rato, aut professione Religiosa dispensârunt: aut dum matrimonia hæreticorum cum impedimento Juris Ecclesiastici contracta invalida decernunt. Aut dum Urbanus VIII. respondit, Missionarios in India posse procedere cum conversis ad fidem Catholicum secundùm sententias probabiles, ipsis magis favorabiles.

45. *Sententiæ probabiles* Imò hanc viam videntur inire passim Theologi ac Jurisconsulti, dum docent, in dubio juris posse nos sequi sententias probabiles, e. g inire matrimonium cum pacto castitatis, aut cùm impedimento criminis invincibiliter ignorato: Judicem posse secundùm allegata, & pro foro externo probata occidere eum, quem privata scientia scit innocentem: eum, qui, sub promissione ficta matrimonii, usum corporis obtinuit à puella, non debere eam determinatè ducere, sed posse illi dotando satisfacere: sponsam resilire posse à sponsalibus, si sponsus in fornicationem incidat: Clericum reconveniri posse à laico coram Judice laico actione reali in causa temporali, ubi ea consuetudo viget: præscriptionem inchoari

choari posse cum fide positivè dubia: reum in conscientia non teneri stare sententia Judicis, licèt jam transierit in rem judicatam, si postea manifesta instrumenta invenerit de justitia suæ causæ: possessorem bonæ fidei, re evicta, non teneri restituere fructus virtualiter exstantes: possessorem bonæ ac malæ fidei posse rem furtivam reddere furi ad se indemnem servandum: hæredem ab intestato non obligari solvere legatum profanum, aut relinquere fidei commissum ex testamento ratione solennitatum imperfecto: neminem teneri lege aquilia, aut legibus noxalibus, qui nullam commisit culpam theologicam: reum non obligari Judici interroganti fateri crimen capitale: ex contractu, metu gravi injustè extorto, neminem in conscientia obligari: filium-familias vi senatus-consulti Macedoniani non obligari in conscientia reddere mutuum, licèt illud adhuc formaliter exstet: confitentem non teneri facere confessionem materialiter integram exprimendo complicem consanguineum Confessario notum: filium naturalem, per matrimonium secundum legitimatum, posse succedere in primogenitura præ fratre minore, ex primo matrimonio nato: indebitum, ex ignorantia juris solutum, posse repeti: Clericos non teneri ad restitutionem, si bona beneficialia superflua erogaverint ad causas profanas: Ecclesiasticum privilegiatum simpliciter ad decimas colligendas in aliquo districtu, posse illas etiam ex novalibus colligere præ Parocho: matrimonium non debere validari coram Parocho & testibus, si priùs coram illis invalidè fuerit contractum: item: si ex defectu consensus matrimonium fuerit nullum, in certis circumstantiis sufficere, si illa pars sola renovet consensum tacitè, quæ illum priùs non præstitit: validè & licitè contrahi matrimonium cum opinione probabili de non existentia impedimenti dirimentis: Confessarium posse absolvere cum jurisdictione probabili: in mortis articulo posse sacerdotem, etiam non approbatum, absolvere in præsentia parochi: moribundum in praxi posse absolvi, licèt nulla signa determinata doloris edat: non teneri nos confiteri peccata negativè dubia, aut circumstantias intra eandem speciem notabiliter aggravantes: non teneri nos lege, Romæ tantum promulgata.

Has ego quidem assertiones non omnes facio meas, video tamen, licèt sint merè probabiles, eas à multis tam in scholis, quàm in libris editis doceri. Et quamvis fortassis suis auctoribus probabiliores videantur, quis tamen facilè gradus probabilitatis discernat? supponunt planè istæ opiniones, quòd liceat in praxi sequi sententiam verè probabilem, relicta tutiore, quando agitur de licentia actionis. Supponunt etiam, quòd non obstante probabilitate sententiæ oppositæ formari possit ultimum dictamen conscientiæ sufficienter certum, atque excludens dubium

practicum: aliàs iſtas ſententias, utpote minùs tutas, non liceret in praxi ſequi.

Atque ex hoc ipſo confirmatur veritas noſtræ doctrinæ: nam ſi principia probabiliſmi non ſint ſolida, tolli de medio debet valde magna pars Theologiæ ac Jurisprudentiæ, omnes videlicet eæ diſputationes, quibus de licentia actuum humanorum, quales ſunt fermè innumeri, in utramque partem probabiliter diſceptatur. Ceſſat enim diſputatio, ubi probabilitas locum non habet. Duobus velut vocabulis abſolvenda erit omnis de obligationibus humanis diſputatio: *Tutius eſt: ergo eligendum.*

46. *An in dubio tutior pars ſit eligenda.* At enim, opponunt adverſarii: ipſi SS. Canones in dubio tutiorem partem eſſe eligendam ſtatuunt: hoc enim dicitur c. ad audientiam 12. & c. petitio 24. de homicidio. c. Juvenis 3. de Sponſ. &c.

Reſp. Sacri Canones nunquam principium illud ſtatuunt pro lege aliqua univerſali, aliàs enim ne quidem probabiliſſimam ſententiam liceret ſequi, relicta tutiore: quod certò falſum, damnatúmque eſt: deinde etiam in dubio negativo de exiſtentia legis deberemus ſemper eligere tutiorem, ſtantem pro exiſtentia legis. Imò nullam ex paulò antè enumeratis ſententiis liceret ampliùs docere, aut in praxi ſequi, cùm oppoſitæ ſint tutiores. Imponerentur innumeræ graviſſimæ obligationes, quæ nunquam exiſterunt, ac ſuave Chriſti jugum fieret intolerabile humanæ infirmitati. Duo habentes jus æquè probabile obligarentur ad contraria & impoſſibilia, ùt ſuprà eſt demonſtratum. Pontifices ipſi ſæpiùs reſponderunt aut diſpensârunt ſecundùm ſententias verè probabiles, relicta tutiora. Et cur tot dubia ab Epiſcopis aliisque Prælatis ad varios Pontificis identidem ad deciſionem ſunt miſſa, ſi univerſalis datur obligatio, tutiorem ſemper partem in dubio eligendi.

Nullatenus igitur eſt credibile, voluiſſe Pontifices obligationem univerſalem imponere, tutiorem ſemper partem in dubio eligendi: ſed pro caſibus quibusdam particularibus reſponderunt, conſultius eſſe, ut pars tutior eligatur, & ſic indicant vel conſilium tantùm, vul debitum decentiæ ac convenientiæ, non autem debitum præcepti ſeu ſtrictæ obligationis. Deinde in dubio practico ſemper pars tutior debet eligi, etiam debito ſtrictæ obligationis, non autem in dubio ſpeculativo, quod verſatur circa licentlam actionis; & in hoc etiam ſenſu intelligi poſſunt Canones, & veteres quidam Scholaſtici, quando dixerunt, vel ſuppoſuerunt, in dubio partem tutiorem eligendm eſſe.

Cæterùm benè advertunt DD. ſententias rigidas, merè probabiles, non ſemper eſſe tutiores; cùm ſcilicet legem Dei, de qua David, *latum mandatum tuum minis*, ita coarctant & exaſperant, atque ſuave Chriſti

jugum

jugum ita aggravant, ut spectata humana infirmitate, infinita propemodum hominum, & actuum humanorum varietate, atque in rebus moralibus frequentissima incretitudine, durum ac difficile nimiùm redderetur, sícque Dei (qui nos de se sentire jubet in bonitate) offensionibus, ac peccatis formalibus, vel saltem periculis eorum frequentissimis homines nimiùm exponeretur. Qua enim ratione tutius sit id, quod frequenter adeò infirmis mortalibus esset lapis offensionis, & occasio ruinæ?

§. VI.

Synopsis argumentorum.

Unde tandem ita licet colligere: Deus potuit nobis permittere, ut in casu veræ ac solidæ probabilitatis, & consequentis inde dubii invincibilis de existentia legis, eadem nondum proximè obligaremur. Ergo censendus est id etiam voluisse: 1. Quia hoc censet innumeri Doctores sapientes ac Deum timentes, re benè expensa atque in propriis terminis examinata. pleræque per orbem catholicum Academiæ, & scholæ publicæ, Directores animarum &c. *Authoritas.*

2. Quia hoc magìs commendat suavem Dei gubernandi rationem, ac commodatam magìs humanæ infirmitati: minuit scrupulos, anxietates, perturbationes, imò etiam peccata formalia. Minùs difficilem reddit usum & administrationem Sacramenti pœnitentiæ, conversionem ac directionem animarum, & universim salutis negotium reddit magìs expeditum, ac religionem nostram magìs acceptabilem, tanquam onus leve & suave Christi jugum. *Difficultas*

3. Quia periculum, ne multæ leges, re ipsa existentes, amittant vim proximam obligandi, & sic augeantur peccata materialia, non est magnum adeò incommodum, cùm sinè offensione Dei hoc fieret, & absque detrimento salutis: multò autem majus malum est multiplicatio peccatorum formalium, quæ in sententia Rigoristarum contingeret. Et hinc *Multiplicatio peccatorum.*

4. Quia, si verè, solidè ac comparativè probabile sit, legem non existere, stante etiam dubio speculativo de illius existentia, formari nihilominus poterit dictamen ultimum conscientiæ moraliter certum de licentia actionis, hîc & nunc ponendæ, si non ex principiis directis, saltem ex reflexis, ùt ostensum est, sícque saltem ex lege Dei consequente est licitum, quod fortassis lege antecedente per se est prohibitum Unde nullum est periculum Deum offendendi (utpote qui solo peccato formali offenditur) neque operans se exponit periculo salutis. *Dictamen.*

5. Quia probabilioristæ argumenta sua, quòd tutior pars sit eligenda, quòd operans ageret in dubio, quòd non possit formare dictamen cer- *Retorsio.*

tum,

tum, quòd exponeret se periculo offendendi Deum, & incurrendi ruinam salutis &c. ipsimet debent solvere in dubio negativo, item in dubio positivo, quia etiam ipsi tutiorismum rejiciunt, & ex principiis directis meram habent probabilitatem & opinionem de licentia actionis. Unde pleraque argumenta possunt in ipsos retorqueri. Sic etiam ipsi debent admittere, quòd sæpiùs lege consequente sit permissum, quòd lege antecedente est prohibitum, e. g. in casu conscientiæ invincibiliter erroneæ, aut invincibilis ignorantiæ; aut perplexitatis, aut in casu dubii negativi, aut majoris probabilitatis suæ opinionis, si ea non obstante lex prohibens re ipsa existeret. Et sic etiam admittere debent, quòd stante dubio speculativo, aut probabilitate de existentia legis antecedentis prohibentis, haberi nihilominus possit certitudo practica de licentia actionis vi legis consequentis hîc & nunc ponendæ, ùt manifestè patet in casu, quo poneretur, quòd Deus expresè significaret, se nolle eum hîc & nunc obligare ad omittendam actionem, cui probabile est ex principiis directis, non existere legem prohibentem, licèt re ipsa talis existeret, & ipsi etiam probabile aut probabilius sit, eam legem existere. Planè in hoc casu stante dubio, aut etiam probabilioritate de existentia legis per se prohibentis, certus tamen esset, quòd hîc & nunc vi legis consequentis permissa sibi sit actio, ac consequenter quòd eam exercendo non peccet.

Paritas cum lege humana. 6. Quia leges humanæ non obligant proximè, seu in actu secundo, quando habetur grave ac solidum fundamentum judicandi, eas non existere: nam leges humanæ, ut obligent, debent esse claræ, sufficienter promulgatæ, intimatæ, ac notæ. Atque in dubio sequendum, quod est humanius, & benignius: ac in obscuris sequendum, quod est minimum: contráque eum, qui legem clariùs dicere potuit, & non dixit, interpretatio est facienda, ùt ipsæ leges monent: uti etiam, quòd favores sint ampliandi, odia verò restringenda. Unde principii instar habetur à JCtis, quòd lex non clara, nec certa, sed dubia, vel ambigua habeatur instar invincibiliter ignoratæ, ac proin neque ad decisionem causæ possit allegari, nec operetur effectum legis.

48. *Possessio libertatis.* 7. Deinde nemo à certa possessione libertatis moralis deturbandus est propter merum dubium superveniens. Atqui homo ante exortum dubium de existentia legis prohibentis aliquam actionem est in certa possessione libertatis moralis illam ponendi. Ergo per dubium ab hac sua possessione deturbari non debet: sicut à possessione non debet deturbari per dubium superveniens de contractu inito.

Unde, cùm dubitatur de existentia legis aut obligationis, pars illam adstruens est instar *Actoris*, qui petit & urget debitum: pars autem altera est instar *Rei* negantis debitum, ac defendentis suam libertatem seu immu-

immunitatem ab obligatione. Sed ex dispositione juris, *Auctori*, aliquid asserenti ac prætendenti, incumbit probare suam intentionem; aliàs absolvendus est reus: in dubio verò favorabiliores sunt partes rei.

Ratio ulterior est: qui vocat alterum ad *servitutem*, debet probare suam intentionem, aliàs pronuntiandum est pro libertate. At volens imponere obligationem vocat alterum ad servitutem. In dubio proin standum pro libertate; cùm alter suam intentionem non sufficienter probet.

Eodem modo discurrendum etiam propter paritatem rationis de legibus Divinis dubiis, de quarum non existentia habetur grave ac solidum fundamentum. Non enim Deus, de quo sentiendum in bonitate, minùs benignus est legislator. Sicut ergo legislator humanus non censetur velle proximè obligare in dubio invincibili de existentia, aut eos, qui gravem ac solidam rationem habent de non existentia legis, sic neque legislator Divinus.

Denique 8. illud notandum, quòd etiam Rigoristæ in praxi non rarò sequantur sententiam benigniorem; memorabile hujus rei exemplum habemus in R P. Constantino Roncaglia, qui in Theologia sua Morali tom. 1. tract. 1. de act. Hum. q. 1. c. 2. sic scribit: *Confessarius postquam diligenter Theologiæ Morali studuit, me auctore, non anxius sit circa illum tam agitatam quæstionem: an licitum sit sequi minùs probabile in conspectu probabilioris. Probabiliora sequenda docuit me meus Præceptor, & pariter ego pluribus abhinc annis eandem docui sententiam. At experimento vidi nihil ad praxin deservire. Quis enim vel studendo, & præcipuè dum audit confessiones, potest omnia momenta utriusque partis librare, & inde definire: hoc est minùs probabile: hoc probabilius? hoc esset onus intolerabile. Satìs mihi fuit in praxi sequi sententias, quas rationabili fundamento innixas putavi, & ita credidi satisfecisse meæ conscientiæ, absque eo, quòd Judicem me constituerem inter minùs probabilém & magìs probabilem.* Ita vir ille religiosissimus, quem usus & experientia docuit. 49. *Praxis Rigoristarum benigna, & doctrina eorum contraria.*

Optandum planè esset, ut severi Tutiorismi ac Rigorismi defensores, antequam scribere incipiant; atque acerba crisi alios proscindant, prìùs per aliquot annos in loco aliquo, ad quem frequentes peregrinationes instituuntur, confessiones excipiant. Fortassis experirentur, quàm intolerabile sibi ac pœnitentibus onus imponant. Difficile non raró est speciem & numerum peccatorum ex pœnitente elicere: quid? si omnes circumstantias, circa peccata etiam dubia oporteret singillatim exquirere? quid? si oporteret habere certitudinem positivam de contritione perfecta elicita à pœnitente, certóque ejus gradu? post omnia examina, torturas, instructiones, exhortationes, confessarius non haberet certitudinem positivam 50. *Pœnitentiæ Sacramentum intolerabile reddunt.*

de elicito perfecto amore Dei, ac certo ejus gradu, imò neque de actu supernaturali, utpote quem à naturali, ordinariè saltem, non discernimus. Unde ergo certitudo positiva de dispositione pœnitentis? oporteret igitur peccatores passim sine absolutione dimittere, aut rigorismum aliquantùm temperare, & sequi praxin, à viris doctis & timoratis probatam.

Videas etiam fortassis rigidæ doctrinæ Sacerdotes à Confessionibus audiendis se subducere. Christus ipse dixit olim de quibusdam: *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* Matth. 23. Dicunt nempe, & non faciunt: aliis rigidi, sibi faciles. Quod de iis etiam dictum intelligi potest, qui severitatem & rigorem doctrinæ magnum præseferunt, & concionatoriè ex cathedris, aut editis libris zelosè declamantes, viros doctissimos, de re litteraria & Ecclesia bene meritos indignis sanè modis proscindunt. Mirum! si talis loquendi scribendíve modus certo aut probabiliùs ipsis licitus videatur, quàm oppositus, qui mansuetudinem, humilitatem ac charitatem suadet.

QUÆSTIO VII.

An lex obliget in dubio, an sit abrogata, vel dispensata, vel jam impleta?

51. Resp. Si dubium sit tantùm negativum, omnino obligat. Ratio est: quia lex est in possessione, cùm certò constet eam exstitisse ante exortum dubium: neque prudenter judicari possit, eam esse abrogatam, aut dispensatam, aut impletam: cùm hoc judicendi nulla habeatur ratio probabilis, hoc ipso, quòd tantùm negativè dubitetur.

Major autem est difficultas, quando dubium est positivum: nam tunc habetur positiva probabilitas seu ratio gravis judicandi, quòd lex sit abrogata, vel dispensata vel impleta, adeóque videtur hoc prudenter judicari posse. Ergo etiam prudenter judicari poterit, quòd non ampliùs obliget: consequenter juxta principia Probabilismi videtur licitum, talem legem non observare. Conf. Legi probabiliter jam est satisfactum: ergo probabile est, quòd non ampliùs obliget, consequenter, quod oppositum sit licitum. Sed

Resp. Si verè ac solidè est probabile, quòd licitum sit ejusmodi legem non observare, locum etiam hîc habet doctrina Probabilismi, dicendúmque, quòd non obliget. An autem verè probabile sit, legem non obligare, quando probabiliter est abrogata aut impleta, ad Probabilismum definire non pertinet.

Lex, de cujus abrogatione aut Videtur autem dicendum, talem legem adhuc obligare, si æqualis habeatur probabilitas, quòd lex non sit abrogata, aut impleta. Quia videtur

tur adhuc esse in sua possessione: nam ante exortum dubium, aut probabilitatem de abrogatione aut impletione lex certò erat in possessione, per superveniens autem dubium aut probabilitatem de impletione, non depellitur à possessione, cùm etiam habeatur vel major vel æqualis probabilitas de non-impletione. Aliàs non posset in dubio melior esse conditio possidentis, si per dubium depelleretur à possessione. *impletione dubitatur servanda est.*

Conf. Qui nititur contra ejusmodi legem, priùs certò existentem, debet probare, eam aut esse abrogatam, aut dispensatam, aut jam esse ei satisfactum. Atqui si tam pro abrogatione aut impletione, quàm pro non abrogatione habetur æqualis probabilitas, non sufficienter probat abrogationem &c. Sic si certum est, te mutuum accepisse, & positivè dubitas, cum probabilitate in utramque partem æquali, an restitueris, non sufficienter probas, te restituisse: adeóque mutuans manet in possessione exigendi debitum, túque teneris adhuc illud solvere. Sic etiam, si certò tibi constat de commisso gravi peccato, & positivè cum æquali probabilitate in utramque partem dubitas, an confessus fueris, non sufficienter probas, te præcepto confitendi satisfecisse, adeóque manet illud adhuc in sua possessione, urgétque confessionem. Neque hoc est contra principia probabilismi, priùs posita, sed est illis quàm maximè conforme; nam sicut libertas manet in possessione, quando dubitatur, seu positivè seu negativè, an lex unquam exstiterit, quia scilicet ante exortum dubium libertas fuit in certa possessione, per dubium autem superveniens ab ea non depellitur, cùm non sufficienter probetur legis existentia; ita econtrario lex priùs certò existens non depellitur à possessione per dubium superveniens, seu positivum illud sit, cum probabilitate æquali in utramque partem, seu negativum, sine tali probabilitate. *Nam lex manet in possessione.*

Ex quibus patet etiam responsum ad argumentum contrariæ sententiæ: nam licèt prudenter judicari posset, legem non ampliùs existere, aut jam esse impletam, tamen etiam æquè prudenter judicari potest oppositum, scilicet, legem adhuc existere, aut necdum esse impletam, hoc ipso, quòd æquè probabile sit, illam non esse abrogatam, aut impletam. Ergo manet illa in sua possessione, in qua antè fuit. Non enim sufficit, ad eam à possessione sua depellendam, ut tantùm probabiliter ei sit satisfactum: si æquè probabile est, ei nondum esse satisfactum: adeóque manet lex adhuc in possessione certa, in qua antè fuit.

Hinc Theologi ac Canonistæ passim docent: si dubium sit, an dies jejunii, aut festi sit finitus, abstinendum adhuc à comestione & labore servili: quia tunc adhuc præceptum manet in possessione, utpote à qua per dubium superveniens non depellitur. Econtra, si dubium sit, an dies jejunii aut festi jam sit inchoatus, nondum dari obligationem ad abstinen- 52. *Constat inductione.*

 dum

dum à comestione aut labore servili: qui nempe tunc libertas adhuc est in possessione, in qua fuit ante exortum dubium. Propter eandem rationem, si dubites, an 21. ætatis annum expleveris, nondum teneris jejunare: si dubites, an votum emiseris, non teneris; benè verò, si de voto emisso constet, dubites autem, an impleveris: idem, si dubites, an recitaveris breviarium; quia scilicet præceptum manet in possessione. Econtra si dubites, an ante medium noctis aliquid comederis vel biberis, licet sacram Communionem sumere: quia libertas communicandi, quæ ante hoc dubium exstitit, per superveniens dubium non privatur sua possessione: quæ etiam ratio est, cur post contractum bona fide matrimonium petere & reddere possis debitum, licèt dubium superveniat de valore matrimonii, si dubium adhibita diligentia in inquirenda veritate non possis depellere; quia scilicet matrimonium, & in eo fundatum jus petendi & reddendi debitum manet in possessione: ac melior est conditio possidentis. Oppositum autem dicendum, si dubium facti, e. g. circa affinitatem contractam antecedat matrimonium: tunc enim matrimonium non est in possessione, sed præceptum abstinendi à copula, donec probetur sufficienter, matrimonium esse legitimè contractum. Ergo idem dicendum universaliter de legibus, eas videlicet obligare, si de earum existentia constet, dubitetur verò, an sint impletæ, dispensatæ, receptæ, aut abrogatæ; quia tunc manent in sua possessione, in qua fuerunt ante exortum dubium: meliórque est conditio possidentis. Adeóque videtur non esse probabile, quòd tunc licitum sit eas non observare. Quamvis aliqui, ùt Salas, Azor putent, legem non obligare, si dubium sit positivum, hoc est, si verè ac solidè sit probabile, legem non esse acceptatam, aut esse abrogatam, dispensatam, vel jam impletam.

Limitatio. Quorum sententiæ hoc potest tribui, quòd lex non obliget, si probabilius sit, quòd si abrogata, aut jam impleta; nam per majorem probabilitatem videtur lex dimoveri à possessione, vel saltem tunc non est melior conditio possidentis, cùm tantùm in pari causa melior sit ejusdem conditio. Idem dicendum, si unicè probabile sit, quòd sit abrogata, aut impleta, hoc est, si grave fundamentum habeatur judicandi, quòd sit abrogata aut impleta, nullum verò habeatur fundamentum in oppositum, judicandi nempe, quòd non sit abrogata, aut non impleta. Nam etiam tunc lex non ampliùs manet in possessione, aut saltem non est melior conditio possidentis.

Hinc si probabilius tibi sit, aut unicè probabile, quòd certam aliquam horam breviarii jam recitaveris, non teneris illam ampliùs recitare, nec solvere debitum, si probabilius tibi sit, vel unicè probabile, quòd jam solveris, nec votum implere, aut confiteri, si probabilius vel unicè probabile sit, te votum aut præceptum confitendi jam implêsse.

Atque

Atque ex doctrina hactenus tradita solvitur etiam illa quæstio, an lex obliget in dubio, an eam ferens habeat legitimam potestatem aut jurisdictionem. Nam si sit in possessione potestatis, & non constet de illegitima potestate, obligant illius leges, licèt æqualem habeas probabilitatem de legitima & illegitima possessione: quia præsumptio stat pro legitima, donec per gravius aliquod fundamentum sufficienter probetur, quòd sit illegitima. Aliud esset, si non esset in possessione potestatis ferendi leges; tunc enim libertas esset in possessione, donec probabilius fiat, eum pollere potestate.

Quando autem sufficienter constat, eum legitimam habere potestatem, & dubium superveniat, an lex sit justa, obligantur illa subditi, quia præsumptio & possessio stat pro legislatore, quamvis æqualis detur probabilitas pro justitia & injustitia legis. Et idem dicendum de casu, quo dubitatur, an non sit nimìs difficile, quod præcipitur. Verum de hoc sit

QUÆSTIO VIII.

An lex obliget in gravi metu, aut periculo gravis damni?

Certum est, quòd lex naturalis *prohibitiva* semper, ac pro semper obliget, non obstante quocunque metu aut periculo, etiam mortis, incurrendo per illius observationem. Ratio est: quia lex naturæ prohibens seu negativa vetat ea, quæ sunt intrinsecè mala, ac nullo casu possunt esse licita: quare nec ad mortem evitandam licita est irreverentia erga Deum, aut sacra, negatio fidei, mendacium, fornicatio, mollities &c. 53. *Lex naturalis negativa semper obligat.*

Contra verò lex merè humana regulariter non obligat, quando observari non potest sine certo periculo gravis mali vel damni, aut jactura in vita, membris, fama, aut fortunis magni momenti. Sic non teneris audire Missam, jejunare, recitare horas canonicas, communicare in Paschate cum adeò magna difficultate, ùt colligitur ex *c.* 2. *de observat. jejun.* *Aliud de lege humana.*

Ratio est, quia legislator humanus neque vult prudenter, neque regulariter potest obligare subditos cum tanto incommodo ac difficultate maxima. Legislator enim aut respublica non habet jus in vitam aut famam civis innocentis, nec in bona ipsius, extra causam gravem ac publicam. Ergo neque potest ferre legem adeò difficilem; qua eum obliget ad amittendam vitam, famam, aut bona fortunæ magni momenti. Accedit, quòd observatio talis legis videatur, spectata humana infirmitate, moraliter impossibilis: consequenter videtur non esse rationalis, aut prudenter ferri posse. (Ex quo inferunt aliqui, reum non teneri Judici crimen capitale fateri.)

Atque hinc ex sacris etiam litteris nobis constat, ne quidem divina præcepta positiva cum tanta difficultate obligâsse: sic Davidem, in defe- *Imò etiam de lege divina positiva.*

ctu aliorum, *panes propositionis* comedisse legimus, & Machabæos sabbato pugnâsse; quod tamen utrumque lege divina erat vetitum. Sic etiam licèt integritas materialis confessionis divina lege sit præcepta, passim tamen docent Theologi, legem illam non obligare, ubi magna se offert difficultas illam observandi, ac materialem confessionis integritatem procurandi, ùt contingit e. g. tempore pestis, aut quando confessio fieri non potest sine interprete &c.

Et naturali affirmativa. Imò ipsa etiam lex naturæ *affirmativa* non obligat pro certis casibus gravis difficultatis: sic aliquando non teneris proximo indigenti succurrere, aut servare depositum, aut statim restituere cum maxima tua difficultate, ac gravissimo periculo vitæ, aut maxima jactura rerum tuarum. Idem docetur de aliquibus votis e. g. recitandi certas preces, dandi eleemosynam &c. si servari non possint sine extremo vitæ periculo. Multò ergo minùs obligabit lex merè humana, sive ecclesiastica illa sit, sive civilis, si observari non possit sine maxima difficultate, aut metu gravissimo.

Oppones 1. Quod est contra legem humanam, est peccatum, sed peccatum nunquam est licitum. 2. Omnis lex fertur propter bonum commune. Ergo servanda est non obstante mortis periculo: quia homo tenetur pro bono communi vitam perdere. Resp. ad 1. In casu metûs aut difficultatis, de qua loquimur, nihil fit contra legem: quia pro illo non datur lex. Ad 2. Sufficit ad bonum commune, servari legem humanam ordinariè, & extra casum gravissimi metûs aut maximæ difficultatis. Imo non esset ad bonum commune, si legislator etiam pro casu maximæ difficultatis vellet obligare.

54. *Excipitur duplex casus,* Dixi autem, *regulariter* hoc procedere. Nam duo præcipuè sunt casus, in quibus humana lex cum præsentissimo etiam vitæ periculo obligat. Et primo quidem, quando ex circumstantiis transgressio fit intrinsecè mala, scandalosa, aut divino honori vel religioni injuriosa. Sic non licet die sabbati comedere carnes, si jubearis id facere in contemptum religionis catholicæ, vel legis ecclesiasticæ. Sic etiam Clemens XI. præcepit Siculis servare interdictum, non obstante certo periculo fortunarum aut exilii. Quia illius violatio visa est cedere in contemptum ecclesiasticæ potestatis. Eodem modo explicandum est, quod dicitur *c. 5. de his, quæ vi*, nempe incurri excommunicationem ab eo, qui metu inductus communicat cum excommunicato.

Alter casus est, cùm bonum reipublicæ aut publica necessitas exigit observationem præcepti: sic potest quis obligari ad assistendum pestiferis, ad custodiendam aut conservandam civitatem vel patriam, ad non deserendam stationem in militia &c. etiam in præsenti mortis discrimine.

In quo lex humana Neque dicas, in his casibus obligare legem naturalem, quæ dictat, bonum

num publicum esse præferendum privato. Nam licèt hæc possit concurrere, præsertim in priore casu, ubi comestio carnis vergeret in contemptum religionis, tamen dici potest, legem etiam ecclesiasticam pro tali casu obligare: sicut lex divina obligavit Judæos ad non vescendum carne porcina, in contemptum religionis à tyranno imperata. In altero verò casu lex naturalis non obligat aliquem determinatè hominem ad assistendum pestiveris, ad custodiam civitatis &c. si plures id possunt facere: consequenter præceptum humanum personam istam determinat, quæ deinde obligatur præcepto, non obstante mortis periculo. *obligat, non obstante quacunque difficultate.*

Et de his casibus, vel etiam de iis, in quibus sola lex naturæ obligat intelligendum est, quòd dicitur *c. 5. de his, quæ vi: licèt metus attenuet culpam, non tamen eam prorsus excludit.* Metus enim etiam gravis minuit quidem voluntarium, non tamen illud omnino tollit. Unde *l. 21. §. 5. ff. quod metûs causa* habetur: *coacta voluntas est voluntas*: sufficiens nempe ad peccatum contra præcepta naturalia, divina, & aliquando etiam humana, ùt dictum. Cæterùm quæ, & quanta difficultas, metus, aut periculum excuset ab obligatione legis humanæ, aut quando non observatio vergat in contemptum legis ecclesiasticæ, item quando publica necessitas exigat observationem legis, regula universalis dari vix poterit; sed ex circumstantiis, usu, Doctorum placitis est colligendum. In dubio tamen semper stat præsumptio pro potestate legislatoris, & obligatione legis, simpliciter existentis.

Lex irritans verò semper irritat. Quæ autem dicta sunt hactenus, intelligenda sunt de lege humana præcipiente vel prohibente. Nam lex humana irritans non cessat propter metum aut periculum etiam gravissimum. Sic non cessant impedimenta dirimentia matrimonii; licèt mortis comminatione adigaris, ducere e. g. consanguineam aut affinem: aut contrahere clandestinè. Quo casu docet Suarez *l. 3. de leg. cap. 3. n. 13.* licitum tibi quidem esse ad evitandam mortem actum externum materialiter ponere, sine intentione matrimonium verè celebrandi aut conficiendi sacramentum (quia tali casu nulla irreverentia fieret sacramento, & mendacium amphibologia evitari posset, aut restrictione mentali) nullus tamen metus, etiam præsentissimæ mortis licitum tibi faceret usum ejusmodi matrimonii, per signa externa sic materialiter, & in speciem tantùm initi; quia esset fornicatio: cùm matrimonium, cum tali impedimento contractum re ipsa esset nullum.

Colliges ex dictis, multò magis excusare ab observatione legis *impotentiam;* cùm ad impossibile nemo teneatur, quod etiam procedit pro casu, quo impossibilitati per peccatum priùs causam dedisti: modò de hoc doleas. Sic non teneris recitare Breviarium, quod in navigatione projecisti in mare, si nullum aliud habere possis, nec memoriter recitare 55. *An non potens implere totum teneatur ad partem.*

tare possis, modò de perversa illa voluntate seriò doleas: eámque retractes, cum animo recitandi, si posses.

Illud autem dubitari potest, an ille, qui non potest implere totum, quod præceptum est, teneatur saltem partem illius implere. Circa quod hæc datur regula: si res præcepta potest ac solet dividi, atque in una parte, quæ potest impleri, salvatur adhuc ratio seu finis præcepti, tunc quoad hanc partem servari debet, licèt non possit impleri totum. Hinc qui non potest jejunare tota quadragesima, debet jejunare diebus, quibus potest. Qui non potest abstinere ab altera refectione, tenetur abstinere à carnibus, si possit. Qui non potest totum Breviarium recitare, tenetur recitare horas, quas potest. Quia hæc sunt divisibilia, & finis præcepti urget implere partem; quæ impleri potest.

Si autem res præcepta est indivisibilis, aut non soleat dividi, aut in parte non salvetur ratio, seu finis præcepti, tunc, qui non potest totum implere, neque ad partem obligatur. Sic si vovisti peregrinationem ad Christi sepulchrum Jerosolymam, non teneris partem itineris conficere, si scias, te non posse Jerosolymam pervenire.

QUÆSTIO IX.

De effectu legis irritantis.

56. *Tribus modis actus irritatur ipso jure.*

Lex censetur actum irritare, & quidem *ipso jure*, seu *ipso facto*, nempe ante sententiam Judicis. 1. Si inhabilitet personam ad actum validè ponendum, e. g. pupillum. 2. Si lex det formam actui, hoc est, si certam solennitatem per modum formæ substantialis ad actum requirat, e. g. ad testamentum, electionem, alienationem rerum ecclesiasticarum. Aut etiam, si lex simpliciter ad actus valorem requirat aliquid tanqaum conditionem, *sine qua non.* 3. Si actum directè irritet per verba, nullitatem & irritationem absolutam significantia, qualia censentur: *Pro infecto habetur: nullam obligationem parit: non valet: irritus est: nullius est momenti: robur non habet. Tenetur acceptum restituere in conscientia: Fructus non facit suos &c.* In his proin tribus casibus actus ex ipsius legis dispositione, ante omne ministerium Judicis, declarantis nullitatem, aut irritantis, in se ipso est irritus, invalidus, ac nullus, atque pro tali habendus; saltem si irritatio non est pœnalis. Aliquando tamen contingit, ut actus quidem ipso jure sit irritus, lex tamen requirat declarationem judicialem nullitatis. Quo casu ante declarationem Judicis nondum habetur pro irrito quoad effectum; quod contingeret, si lex requireret declarationem Judicis, aut actum irritaret vel unicè, vel saltem principaliter in pœnam: ùt quidam fieri putant in irritatione matrimonii propter impedimen-

Aliquando requitur adhuc sententia declaratoria.

dimentum criminis: item in Religioso consentiente in sui electionem ad Prælaturam absque consensu superioris &c.

Econtra quando lex ipsa non irritat actum, sed tantùm jubet eum irritari, aut rescindi, dicendo e.g. *irritetur*, *annulletur*, *rescindatur &c.* tunc non est ipso jure irritus, sed validus, utque dum per sententiam Judicis irritetur, aut rescindatur. Hinc irritatio aut rescissio judicialis supponit, actum priùs fuisse validum: si enim jam ipso jure esset irritus, non posset à Judice irritari aut rescindi, sed tantùm declarari irritus. Exemplum est in venditione ultra dimidium justi pretii: hæc enim valet, donec rescindatur: & quamvis jam ante rescissionem detur obligatio naturalis resarciendi damnum injustè illatum; ad procurandam tamen irritationem nemo tenetur. Neque retrotrahitur irritatio ad tempus contractus, in quo est disparitas cum sententia declaratoria nullitatis; quæ retrotrahitur ad tempus contractus: unde cum re etiam fructus interea percepti sunt restituendi.

Aliquando lex jubet irritari aut rescindi actum.

57. *Metus & ignorantia non supplent defectum.*

Cæterùm quando lex actum simpliciter irritat, nullus metus, nulláque ignorantia facit illum validum, ùt jam suprà insinuatum est. Sic matrimonium cum impedimento dirimente, e.g. clandestinitatis aut consanguinitatis contractum, invalidum est, licèt invincibiliter atque inculpabiliter ignoraveris impedimentum, aut metu gravi ad contrahendum fueris adactus. Et idem dicendum de aliis actibus, à jure simpliciter irritatis e.g. de testamento imperfecto, alienatione rei ecclesiasticæ, aut fundi dotalis; in actu pupilli, professione religiosa ante 16. ætatis annum &c.

Ratio est, quia vel est defectus potestatis in agente, vel defectus solennitatis aut requisiti ad substantiam actus, vel actus ipse simpliciter & absolutè propter bonum commune est irritatus à jure. Nihil autum horum supplere potest ignorantia, metus, vel necessitas, ùt passim omnes agnoscunt; ac patet ab inductione in allatis exemplis. Unde neque potest quis eum effectu renunciare legi, actum irritanti in ejus favorem, & sic actum validum celebrare. Quia scilicet per renuntiationem non potest supplere defectum substantialem. Aliud esset, si de mente legislatoris constaret oppositum. Epikiæ autem hîc non videtur esse locus.

Aliud si irritatio esset pœnalis

Excipiunt tamen casum, quo irritatio actus vel unicè, vel principaliter statuta esset in pœnam. Nam tunc non incurreretur pœna irritationis sine culpa; quia cessante causa cessaret effectus, consequenter ab ignorante invincibiliter culpam & pœnam non incurreretur pœna. Item, si metus aut necessitas excusaret à culpa, hoc ipso etiam excusaret à pœna nullitatis. Sufficeret tamen ad incurrendam irritationem pœnalem, agnoscere culpam, cui pœna est statuta: nam delicto & culpæ statuitur pœna, ùt suprà diximus. Aliquando autem leges actum irritant, simúlque

imponunt pœnam delinquenti, ab irritatione distinctam. Quo casu dici potest pœnam illam statui propter delictum; irritationem verò non intendi principaliter ùt pœnam, vindicativam delicti, sed propter alios fines, puta propter bonum publicum, e. g. matrimonium cum impedimento criminis contractum irritatur, ut securitati conjugum consulatur, & alii à tali crimine absterreantur. Electio Religiosi sine consensu superioris irritatur, ut jura superioris firma persistant &c. Adeóque in his casibus actus est irritus, licèt ignoretur pœna adjecta. His igitur positis, duæ in hac re potissimùm occurrunt celebres quæstiones, an videlicet actus à jure irritatus etiam pro foro conscientiæ censeatur irritatus: item, an lex prohibens actum, illum etiam hoc ipso irritet?

Prænotandum autem 1. Quòd, si actum jure naturæ validum lex positiva nec approbat, nec improbet, non detur actio; datur tamen naturalis obligatio, & in foro externo exceptionem parit; ùt circa pactum nudum contingit.

Prænot. 2. Quòd lex humana possit actum invalidare *civiliter* tantùm, negando nempe actionem, vel concedendo rescissionem, manente interim obligatione naturali, usque dum actus per sententiam rescindatur, e. g. si minor, cum consensu curatoris læsus, petit postea restitutionem in integrum. Tunc enim, qui contraxit cum minore, potest acceptum retinere usque ad sententiam Judicis rescissoriam; dummodo nihil egerit contra justitiam, e. g. excedendo justum pretium, aut inferendo metum. Qui verò in tali casu aliquid promisit, & necdum tradidit, nec in externo, nec in interno foro obligatur tradere: quia habet justam exceptionem; nam cui competit actio ad dati repetitionem, vel contractus rescissionem, ei multò magìs datur exceptio ad retinendum, & *dolo petitur, quod mox restitui debet.* vide P. Engl. de constit. n. 51.

CONTROVERSIA I.

An actus à jure irritatus simpliciter, pro foro etiam interno sit irritatus?

58. *Sententia negans.* Magna quoad hanc quæstionem est DD. dissensio. Multi enim docent, actum à jure simpliciter irritatum censeri irritatum tantùm pro foro externo, & sic *civiliter* tantùm, pro foro autem conscientiæ non esse irritum: sed naturalem obligationem imponere, saltem ante sententiam Judicis candemnatoriam, aut declaratoriam. Pro hac sententia citantur Panormit. Innoc. Felin. Wading. Molin. Navar. Sichard. Clarus. Laym. Less. Nantica. Fachin. Wiest. Pich.

Fundamenta eorum sunt 1. Quia irritatio pro foro interno & externo sunt effectus legis separabiles: ergo lex irritans non debet extendi ad

ad forum internum, cùm recedat à jure naturali, quo actus foret validus pro utroque foro, adeóque est odiosa & strictæ interpretationis. Deinde in obscuris minimum est sequendum, seu quod minùs obligat vel gravat. Et finis legis sic obtinetur, cùm judex teneatur actum pronuntiare invalidum. Denique aliquæ leges addunt clausulam, irritantem etiam pro foro interno: hæc autem esset frustranea, si jam aliunde actum irritaret.

Contrarium tenent Covarr. Menoch. Vasq. Bonac. Dicast. Azor. Arnoldus Rath, Engel, ac teste Pichler recentiores Juris-Consulti passim.

Hanc ego sententiam probabiliorem judico, ac dico: Lex, irritans actum simpliciter, irritat illum pro utroque foro. Sic contractus pupilli, in quantum ipsi est noxius, neque in conscientia illum obligat, si absque tutoris authoritate sit initus: quia scilicet lex illum simpliciter irritat. Propter eandem rationem beneficiatus non recitans officium, ante omnem sententiam in conscientia tenetur fructus beneficiales restituere: quia nempe lex simpliciter irritat acquisitionem dominii. Sic etiam professio religiosa ante 16. ætatis annum, aut ante finitum annum novitiatûs, matrimonium clandestinum, aut cum alio impedimento dirimente contractum, est nullum pro utroque foro. Idem de testamento imperfecto, electione, alienatione rerum ecclesiasticarum, absque debita solennitate celebratis. 59. *Affirmans.*

Et ratio est: quia jura satis exprimunt voluntatem legislatoris, dum simpliciter, & absque ulla exceptione, limitatione, aut distinctione inter forum internum & externum, actum irritant. Aut cur potiùs pro foro externo, quàm pro interno irritatum esse dicamus? *Quia lex satis exprimit.*

Deinde leges non obtinerent suum finem, si actus simpliciter irritatus, in conscientia tamen obligaret. Volunt enim jura prospicere indemnitati & infirmitati certarum personarum, e. g. irritando contractum pupilli, alienationem rei ecclesiasticæ &c. qui finis planè non obtineretur, si pupillus in conscientia obligaretur contractu, sibi damnoso, sícque inefficaces atque enerves essent leges. Quid enim homini probo, Deum ac conscientiam curanti, prodesset, actum pro foro externo esse irritum, si nihilominus graviter in conscientia obligaretur? Quid prodest hæredi ab intestato, testamentum imperfectum pro foro externo esse irritum, si in conscientia tenetur hæreditatem hæredi instituto extradere, eò quòd testamentum pro foro interno valeat. Certè sic irritatio tantùm prodesset hominibus sceleratis, qui nec Dei nec conscientiæ rationem habent. Isti enim, ut ùt obligarentur in conscientia, pro foro tamen externo, quod solum curant, tuti essent; sícque peccatis præberetur occasio. *Nec obtineret finem.*

Neque dicas, patere viam judiciorum, ut sententia Judicis actus declaretur irritus, qua declaratione facta, neque pro foro interno ampliùs obli-

obliget, sícque ſatis conſuli pupillo, aliíſque, quorum actus pro foro externo ſunt irritati. Nam

Non opus ſententia judicis. Reſpondetur: Quid opus ire per ambages, difficiles, dubias, ac pretioſas, ubi breviori, certiori ac faciliore compendio finis legum obtinetur? dicamus, actum ſimpliciter à jure irritatum, ſimpliciter eſſe nullum, neque ullam in conſcientia obligationem parere: & res tota eſt ſalva: neque opus erit tribunalia obruere tot inutilibus litibus. Præſtat utique, jura ſua intacta ſervare, quàm poſt vulneratam cauſam remedium quærere. Eſt hæc ſiquidem ſimplex ac recta legum indoles, breviori, faciliori ac certiore calle tendere ad ſuos fines.

60. *Non faciendum divortium inter forum internum & externum.* Unde averſari ſolent leges divortium inter forum internum & externum, enatúmque celebre illud axioma: *Lex juſta pro foro externo eſt etiam juſta pro foro interno.* Cur à communi hoc juris principio excipiantur ſolæ leges irritantes? cur in iſtis recurrendum ad tribunal Judicis, ut obligationem conſcientiæ tollat.

Cur judex deberet declarare irritum? Deinde, cur Judex illam obligationem naturalem pro foro interno tollat, ſi leges eam intactam relinquunt? cur pronuntiet invalidum, quod jura ùt validum agnoſcunt? profectò Judex ſecundùm leges ferre debet ſententiam: ſi ergo leges agnoſcunt valorem actûs pro foro interno, cur Judex declaret actum invalidum pro foro interno. Quis eum jubet hoc facere? quomodo poteſt declarare irritum & invalidum, quod jure eſt validum? lex tantùm irritat actum pro foro externo, ùt tu quidem ais: ergo tantùm pro illo foro poteſt declarare invalidum. Declarando autem actum irritum pro foro externo, tam parùm irritat illum pro foro interno, & tam parùm tollit obligationem naturalem in conſcientia, quàm parùm lex irritans actum pro foro externo, juxta te illum irritat pro foro interno, aut obligationem naturalem conſcientiæ tollit: imò declaratio nullitatis pro foro externo multò minùs poteſt actum irritare pro foro interno, aut conſcientiæ obligationem tollere: quàm irritatio, à lege ſimpliciter facta. Certè non video, cur Judex debeat Titio adimere, quod Cajus ei dare in conſcientia fuit obligatus: cùm in noſtro caſu nulla lex hoc ei præcipiat, imò neque poteſtatem concedat. Dixi in *noſtro caſu:* nam aliud eſſet, ſi lex actum priús validum juberet reſcindere, aut irritare.

61. *Irritatio eſt omnino univerſalis & illiminata.* Hæc argumenta, ùt ùt per ſe valida, ex eo tamen magis adhuc confirmantur: quòd jura pro eo caſu, quo ſimpliciter actum aliquem irritant, uti conſueverint his vel ſimilibus expreſſionibus. *Actus non valet: nullius eſt momenti: nullius roboris: nullum effectum parit.* Atqui ſi pro fore interno valeret, & obligationem conſcientiæ induceret, hæ expreſſiones eſſent falſæ: ùt tum per ſe patet, tum ex ipſis etiam primis ſuppoſitio-

sitionis atque scientiarum principiis; ex quibus constat, ejusmodi propositiones, signo universali negativo *nullus* affectas, universaliter omnino supponere, & particulam *non*, præpositam, omnia negare. Dici planè non potest simpliciter, actum nullius esse momenti, nullius roboris, pro infecto esse habendum, nullámque obligationem parere, si pro foro interno est magni momenti, magni roboris, validus, gravémque obligationem pariens. Sicut, si pro foro externo valeret, non autem pro foro interno, non posset simpliciter dici, quòd nullius sit momenti, roboris, valoris &c. Impertinens est proin in præsenti quæstione, & à tenore legum aliena illa distinctio inter forum internum & externum, utpote cujus nullum in jure habetur fundamentum: sicut absque fundamento quis diceret, ejusmodi actus esse invalidos ante prandium, non autem post illud. Hinc *c.* 20. *de elect.* satìs clarè deciditur, quòd illegitimè natus, sine dispensatione electus, non possit bona conscientia dignitatem acceptare. Et *in extrav. ambitiosæ de reb. Eccles. non alien* non tantùm alienas res ecclesiasticas sine solennitate, sed etiam alienatas recipiens excommunicationem incurrit. Quod fieri non posset, si non peccaret, & quidem graviter, in conscientia. Consequenter lex irritans simpliciter electionem illegitimè nati, & alienationem sine solennitate non tantùm irritat pro foro externo, sed etiam pro interno.

Accidit, quòd leges simpliciter irritantes, ipsum agentem simpliciter inhabilem faciant ad agendum validè, aut solennitatem aliquam, quæ per modum formæ substantialis dat esse actui, simpliciter requirant: atqui actus ab inhabili gestus aut sine forma sua substantiali pro nullo foro potest esse validus. *Exempla.*

Rursus: Ipsimet adversarii admittunt, varios actus simpliciter irritatos, pro utroque foro esse irritatos, licèt lex non addat clausulam, specialiter exprimentem, quòd etiam pro foro interno velit esse irritos, e. g. contractum pupilli, matrimonium cum impedimento dirimente contractum, professionem religiosam ante legitimam ætatem &c. Ergo majori cum consequentia doctrinæ dicitur, quoad hoc omnes actus simpliciter irritatos esse ejusdem conditionis.

Afferunt quidem disparitatem inter matrimonium, & alios actus, quòd illud semel validum non possit ampliùs rescindi, adeóque pro utroque foro debere esse invalidum, si cum impedimento sit contractum. Verùm hæc disparitas videtur non esse sufficiens, cùm etiam alii actus sæpè vel omnino non, vel non nisi difficulter rescindantur, vel ex defectu probationum pro foro externo, vel aliis causis, non rarò occurrentibus. Deinde matrimonium non tantùm ex allata causa est invalidum, sed ex multis aliis, quas adduximus, quæ æqualiter

 pugnant

pugnant contra valorem aliorum etiam actuum, qui ſimpliciter à jure ſunt irritati.

Reſpondetur ad rationes dubitandi.

62. *Non eſt ratio diſtinguendi.* Sed neque difficulter ſolvi videntur, quæ pro oppoſita ſententia ſunt allata. Nam licèt irritatio pro foro interno & externo abſolutè poſſent ſeparari, tamen hîc absque ſufficienti fundamento ſeparantur: cùm nec lex eas ſeparet, nec magìs de irritatione pro foro externo, quàm interno loquatur, ſed ſimpliciter absque ulla limitatione aut exceptione irritet. Absque cauſa autem ſufficiente diſtinguere non debemus, ubi lex non diſtinguit: præſertim cùm lex juſta pro fore externo ſit etiam juſta pro foro interno: hoc eſt, quando præcipit, prohibet, aut irritat aliquid pro foro externo, idem ſimul facit pro foro interno.

Nihil contra jus naturæ. Neque ſic recedit à jure naturali: nam hoc tantùm jubet fidem validè datam ſervari. An autem hic actus, vel hoc pactum ſit fides validè data, jus naturale non decernit, ſed decernendum humanis poteſtatibus relinquit. Hæ autem, quando actum aliquem ſimpliciter irritant, ſatìs apertè decernunt, hanc vel illam fidem non eſſe validè datam, non diſtinguendo inter forum internum & externum.

Non fit extenſio legis Unde non extendimus irritationem, niſi quo lex ipſa eandem extendit: comprehenditur enim ſub tenore legis, ſimpliciter irritantis, non minùs forum internum, quàm externum, ſicut ſub tenore legis præcipientis aut prohibentis utrumque comprehenditur. Quare

Si *in obſcuris minimum eſt ſequendum*, ſeu, ùt P. Pichler hanc regulam explicat, *quod minùs obligat vel gravat*, dicendum planè eſt, actum pro utroque foro eſſe nullum: nam ſic utique minùs obligat, quàm ſi pro foro interno obligaret. Deinde minimùm eſt ſequendum *in obſcuris:* quando autem lex dicit, actum nullius eſſe momenti, nullius roboris aut valoris, pro infecto habendum eſſe, non obſcurè loquitur, ſed ſatis clarè utrumque forum comprehendit, ùt probavimus. Adeóque licèt lex irritans ſit ſtrictæ interpretationis, tamen ultra ipſa verba comprehenſiva legem non extendimus, conſequenter illam ſtrictè interpretamur, aut potiùs in ſenſu ſuo & tenore ſatis claro accipimus.

Quòd autem lex finem ſuum non obtineret, ſi actus ab ipſa irritati pro foro interno obligarent, pariter oſtenſum eſt. Neque apparet, cur Judex deberet pronuntiare ac declarare invalidum, quod jura ùt validum agnoſcunt, neque ùt invalidum declarari præcipiunt.

Clauſula non fruſtranea. Sed neque clauſula, aliquando addita, fruſtranea, qua dicitur e. g. *etiam pro foro animæ non ſuffragetur: quod obtentum eſt, non valeat retineri: viribus careat absque omni alia declaratione.* Nam ejusmodi clauſulam quandoque lex

lex addit, ne quisquam adversariorum sententiam sequi possit, cùm enim illa sit verè probabilis, posset quis in praxi illam sequi, e. g. non restituendo fructus beneficiales &c. hoc ne fiat, ad majorem cautelam addit quandoque lex illam clausulam.

Dices. Jura sæpè faciunt discrimen inter forum internum & externum. Sic pro foro externo negatur actio ob læsionem infra dimidium justi pretii, item actio *quanti minoris*, vel *redhibitoria*, ultra annum vel medium extensa: & tamen datur obligatio pro foro interno reparandi damnum. Ergo lex justa pro foro externo, non semper est justa pro foro interno. ℞. Omnis lex præcipiens, prohibens aut irritans actum aliquem simpliciter, præcipit, prohibet, aut irritat illum etiam pro foro interno: & in hoc sensu verum est dictum axioma. Lex autem denegans actionem nihil præcipit, prohibet, aut irritat; sed tantùm denegat assistentiam juris, relicta obligatione naturali pro foro interno.

Aliud irritare, aliud negare assistentiam juris.

CONTROVERSIA II.

An omnis lex prohibens sit etiam irritans?

§. I.

Rationes dubitandi.

Videri posset certa sententia, quam tenent plerique Theologi ac Canonistæ: videlicet non omnem legem, quæ actum aliquem prohibet, hoc ipso illum etiam irritare; ac consequenter non omnem actum illicitum esse etiam invalidum. Nam prohibere actum, & irritare actum sunt effectus legis valdè diversi, atque à se invicem separabiles, ac sæpè separati. Nam 63.

Aliud illicitum, aliud invalidum.

Multi actus sunt à legibus irritati atque invalidi, quin tamen sint prohibiti, atque illiciti; sic testamentum facere tantùm in præsentia quatuor vel quinque testium non est prohibitum, quamvis sit irritatum. Idem patet in contractu pupilli, fidejussione mulieris, aut renuntiatione facta paternæ hæreditati &c. quæ sunt de jure invalida, non tamen prohibita, aut illicita.

Contra verò multi sunt actus prohibiti atque illiciti, quin tamen sint irriti & invalidi. Sic ordinatio irregularis est illicita, non tamen invalida; Sacerdos excommunicatus illicitè consecrat, non tamen invalidè. Matrimonium cum impedimento tantùm impediente contractum, e. g. cum voto simplici castitatis, aut stantibùs sponsalibus cum alia, est illicitum, non tamen invalidum. Idem contingit in donatione rei, alteri promissæ, aut in venditione secunda, facta traditione rei, jam alteri priùs venditæ, sed absque traditione. Hæc enim donatio & venditio secunda est

quidem

quidem prohibita ac illicita, non tamen irrita aut invalida. Sic etiam ſententia ſub conditione ferri prohibetur, ac tamen ſic lata eſt valida.

Unde c. 16. de regular. dicitur: *Multa fieri probibentur, quæ, ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Accedit, quòd irritatio actûs ſit odioſa: adeóque lex prohibens non debet ad hunc effectum extendi, ſi de irritatione nihil meminit; præſertim, cùm *probibere* non ſignificet *irritare*, neque prohibitio ex ſua natura connectatur cum irritatione. Et licèt dubium eſſet, an legislator prohibens aliquem actum velit etiam eundem irritare, tamen in obſcuris minimùm eſſet ſequendum: ac contra eum, qui legem clariùs dicere potuit, interpretatio facienda.

64. *Difficultas ex l. non dubium.* Quamvis autem hæc argumenta certam omnino videantur reddere hanc ſententiam, fateri nihilominus oportet, graviſſimam contra eam oriri difficultatem ex jure civili, ac præſertim ex l. non dubium 5. Cod. de leg. ubi expreſsè dicitur: *Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus ſubſecutum, qui contrabunt lege contrabere probibente. Quod ad omnes etiam legum interpretationes tam veteres, quam novellas trabi generaliter imperamus, ut legislatori, quod fieri non vult, tantùm probibuiſſe ſufficiat, cæteráque quaſi expreſſa ex legis liceat voluntate colligere: boc eſt, ut ea, quæ lege fieri probibentur, ſi fuerint facta, non ſolùm inutilia, ſed pro infectis etiam babeantur, licèt legislator fieri probibuerint tantùm, nec ſpecialiter dixerit, inutile eſſe debere, quod factum eſt. Sed &, ſi quid fuerit ſubſecutum ex eo, vel ob id, quod lege interdicente factum eſt, illud quoque caſſum atque inutile eſſe præcipimus. Secundùm itaque prædictam regulam, qua ubicunque non ſervari factum, lege probibente cenſuimus, certum eſt, nec ſtipulationem bujusmodi tenere, nec mandatum ullius eſſe momenti, nec ſacramentum admitti.*

Hanc legem integram apponere placuit: quia quot verbis, tot ſolaribus radiis ſcripta eſſe videtur, ut adeò omne effugium ſit præcluſum. Hinc cauſ. 13. q. 2. can. 13. dicitur: *Conſtitutione Imperiali apertè ſancitum eſt, ut, quæ contra leges fiunt, non ſolùm inutialia, ſed etiam pro infectis babenda ſint.* Et l. 6. C. de pactis: *Pacta, quæ contra leges conſtitutionésque fiunt, nullam vim babere, indubitati juris eſt.* Videtur conſentire reg. 64. in 6. ibi: *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis baberi.* Qui textus adeò clari ſunt, ut mirum non ſit, plurimos Legiſtas cum Baldo, atque non paucos Canoniſtas in eam abiiſſe ſententiam, omnem legem prohibentem eſſe etiam irritantem.

§. II.

Rationis decidendi.

65. *Lex natura probi-* In tanta doctrinæ, legúmque, ùt apparet, contrarietate cenſeo 1. Quòd lex naturalis non omnem actum irritet, quem prohibet. Sic enim prohibet

hibet matrimonium stante voto simplici castitatis, aut stantibus sponsalibus cum alia, uti etiam venditionem ejusdem rei secundò factam, & tamen hæc non irritat. Quia tale matrimonium aut venditio non est ex se vel suo objecto turpe, sed tantùm ratione circumstantiarum extrinsecarum, nempe ratione voti, vel sponsalium, vel prioris venditionis, quæ non adimunt potestatem contrahendi. Igitur tunc tantùm jus naturale actum irritat, quando in agente est defectus potestatis: ùt si quis donet rem alienam. Aut quando actus perpetuam continet malitiam intrinsecam, vel objectum ipsum actus vel contractus de se sit turpe: ùt pactum de fornicatione committenda, accipiendis usuris &c. & ejusmodi actus nullum jus positivum potest validare: quia jus naturale positivè eos invalidat. *bens non est semper irritans.*

Censeo 2. Quòd jus Canonicum varios actus prohibeat, quos tamen non irritat, & hoc probant rationes & exempla allata pro prima sententia. Nam ante Tridentinum matrimonium clandestinum à jure Canonico erat prohibitum, non tamen irritatum, uti etiam professio Religiosa ante absolutum annum Novitiatûs. Et hodiedum susceptio SS. Ordinum omnibus irregularibus à jure Canonico est prohibita, uti etiam matrimonium, non præmissis denuntiationibus, & tamen tam susceptio ordinum, quàm tale matrimonium est validum. Et habetur clara decisio juris Canonici cap. 16. cit. quòd nempe multa prohibeantur fieri, quæ tamen facta obtineant roboris firmitatem. *Neque jus Canonicum.*

Unde quando reg. 64. dicitur, quod debeant pro infectis haberi, quæ contra jus fiunt, id intelligendum est de jure irritante: nempe pro infectis habenda esse, quæ fiunt contra jus irritans, vel quæ fiunt contra jus naturale prohibens intrinsecè mala.

Censeo 3. Per se & ex natura rei per meram prohibitionem positivam actum nunquam irritari. Nam etiam hoc probant rationes pro prima sententia allatæ: nam verbum *prohibere* non significat *irritare:* cùm val de diversa, & per se non connexa sint: sicut etiam esse *illicitum* & esse *invalidum*, omnino diversa sunt: ùt patet in exemplis allatis. Cùmque irritatio actûs sit odiosa, utpote auferens potestatem & libertatem validè agendi, à jure naturali permissam: verbum *prohibendi* per se est strictæ interpretationis; adeóque non debet extendi, per se loquendo, ad effectum *irritandi*, quem non significat. Dixi autem *per se loquendo*, nam 66. *Per se aliud est prohibere aliud irritare*

Censeo 4. De Jure civili, quæ prohibentur, irrita esse, nisi aliunde constet de mente legislatoris, quòd tantùm voluerit prohibere, non autem irritare. Hoc enim evincunt clarissimi textus ex jure civili allati, præsertim ex lege *non dubium:* ubi manifestè dicitur, actum pro infe- 67. *De jure tamen civili quæ prohiben-*

ipso jure regulariter etiam irritantur. cto esse habendum, licèt legislator prohibuerit tantùm, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est. Ergo vi hujus legis, nisi aliunde constet, quòd legislator voluerit tantùm prohibere & non irritare, censendum est, eum prohibendo, simul velle irritare; licet aliàs prohibitio non significet irritationem. Hinc Imperator præmisit hæc verba: *Non dubium est, in legem committere eum, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem.* Quasi diceret: verbum *prohibendi* non quidem significat *irritationem*, mens tamen legislatoris est, simul etiam irritare dum prohibet: nempe, nisi aliunde constet, quòd noluerit actum irritare. Sicut constat, quòd noluerit irritare sententiam sub conditione latam, licèt illam prohibuerit. Et sic semper constat, quòd nolit irritare, quando habetur lex, quæ actum aliquem in specie prohibet, agnoscit tamen ut validum.

Putant quidem plures DD. per legem *non dubium*, aliásque, non irritari actus prohibitos, sed tantùm præcipi Judicibus, ut irritentur per sententiam, hócque existimant, se colligere ex verbis hujus legis: *Nec pœnas insertas legibus evitabit* (per sententiam Judicis insligendas) nullum contractum inter eos *videri volumus* subsecutum (nempe Judici) pro *infectis habeantur* (à Judice) *cassum esse præcipimus* (hoc est cassari in judicio) verùm an lex cit. non plus velit, ex eo videtur dubium, quòd in fine dicat, si lex prohibet, *nec stipulatianem tenere*, nec mandatum *ullius esse momenti*. Et *l. 6. cod. de pact.* quæ contra leges, constitutionésque fiunt, *nullam vim habere.* Quæ expressiones viderentur falsæ, si actus à lege civili prohibiti, essent validi, donec per sententiam irritentur: tunc enim *tenerent: non essent nullius momenti, haberent vim.* Planè similes expressiones videntur indicare irritationem ipso jure.

68. *Requiritur tamen sententia declaratoria Judicis.* Fortassis meliùs salvaretur lex *non dubium*, aliæque, si diceretur, quæ à jure civili prohibentur, regulariter ipso jure esse irrita (nempe nisi aliunde constet, quòd legislator noluerit irritare actum aliquem specialem) quia tamen irritatio ista videtur esse pœnalis, ùt docet Suarez *l. 5. de leg. c.* 28. cùm ex prohibitione violata procedat, requiri sententiam declaratoriam Judicis, qua nempe non irritet, sed irritos esse declaret. Sic enim salvantur, per mediam velut viam, verba illa legis actus prohibitos *non tenere: nullius esse momenti: nullam vim habere:* cùm sint ipso jure irriti, & sententia declaratoria retrotrahatur ad ipsum tempus contractus initi, sícque omnes effectus contractus enervet. Simul tamen etiam salvantur alia, quibus dicitur: *Pœnas insertas legibus non evitabit* (post declarationem Judicis) *nullum contractum videri volumus subsecutum* (quia ipso jure est nullus, & volumus illum à Judice declarari nullum) *pro infectis habentur* (per sententiam declaratoriam nullitatis) *cassum esse præcipimus*

(cassum

(cassum declarari præcipimus) Planè legum contrarietas optimè videtur evitari, si dicatur, quæ contra legis prohibitionem fiunt, inutilia, infecta & sine viribus æstimanda ac declaranda esse à Judice, ita quidem, ut ipso jure sint nulla, sustineantur tamen interim quoad effectum usque ad sententiam declaratoriam: quæ omnes effectus etiam præteritos enervat.

§. III.

Respondetur rationibus dubitandi.

Neque dicas: Si contractus ipso jure est nullus, nullam dat jus, nec transfert dominium: adeóque, qui per talem contractum aliquid accipit, vel possidet, tenetur ante omnem sententiam illud tanquam alienum restituere. Nam

Resp. Si pœnæ, ipso jure latæ (qualis est irritatio ex prohibitione proveniens) externam aliquam executionem requirant, ad obligationem in conscientia inducendam, requiritur sententia declaratoria: usque ad quam lex suspendit effectum irritationis: ut contingit regulariter in amissione dominii, privatione beneficii aut fructuum beneficialium, confiscatione bonorum juxta *c. cùm secundùm leges* 19 *de hæret. in* 6. ubi bona hæreticorum *ipso facto* dicuntur amissa, & tamen executio suspenditur usque ad sententiam Judicis ecclesiastici declaratoriam criminis. Ergo simile quid videtur etiam dici posse in casu nostro, in quo irritatio pariter est pænalis propter prohibitionem. Unde accipienti aliquid ex tali pacto permittitur interea detentio & usus rei, præsertim si alter non repetat, donec Judex ferat sententiam declaratoriam. Aliàs enim frustra jura hanc sententiam declaratoriam criminis requirerent, si jam antecedenter daretur obligatio legem irritantem pœnalem exequendi. 69. *Executio suspenditur usque ad sententiam declaratoriam.*

Dices: Licèt jus civile eum, qui aliquid accipit ex pacto, à jure irritato in pœnam, non obliget directè ad restitutionem ante sententiam declaratoriam criminis, jus tamen naturale jam ante illam in conscientia obligat ad restitutionem, quia detinet rem alienam, cujus dominium nunquam est consecutus.

Respondetur ad hanc difficultatem: Licèt lex pœnalis ipso facto actum prohibitum irritet, tamen hæc irritatio nondum est omnino absoluta & completa ante sententiam declaratoriam criminis; sed decernitur irritatio pro casu & tempore, quo Judex declarabit, crimen esse commissum, cui à jure annexa est irritatio. Quare ante hanc declarationem accipiens aliquid ex pacto, lege prohibito, consequitur interim jus, nec tenetur restituere ante sententiam judicis declaratoriam criminis; quia videlicet irrita- 70. *Irritatio pœnalis non est omnino absoluta ante sententiam declaratoriam.*

irritatio actus respicit hunc eventum & hoc tempus, & est quodammodo conditionata, si nempe de delicto juridicè constiterit.

Quo tamen non obstante *ipso jure* talis actus dicitur irritus: quia non requiritur sententia condemnatoria, qua Judex actum irritet, sed pro casu, quo Judex declarat, crimen esse commissum, ab ipsa lege est irritatus: & ita quidem, ut sententia declaratoria, facta à Judice, & irritatio facta à lege, fictione Juris retrotrahatur ad tempus commissi criminis, atque ad rem unà cum fructibus restituendam pro utroque foro obliget. Unde meritò dici potest, pœnam incurri *ipso jure*, aut *ipso facto*. Deinde licèt lex prohibens actum (à Jure naturali non annullatum, de quo solo loquimur) ante declarationem delecti non obliget ad rem restituendam, per ejusmodi actum acceptam, vel ad abstinendum ab ejus usu, diminuit tamen & infirmat potestatem illa utendi pro lubitu, e. g. illam destruendi, alienandi &c. quia scilicet tenetur in casum sententiæ declaratoriæ rem cum emolumentis restituere, ùt fusè docet Suarez de leg. lib. 5. per plura capita.

Exempla. Exempla hujus doctrinæ ipsum etiam jus Canonicum nobis suppeditat. Sic *c. cùm secundùm leges* 19. *de Hæret. in 6.* dicitur, licèt bona hæreticorum *ipso jure* sint confiscata, non tamen licitum esse dominis temporalibus ipsorum bona fisco inferre ante sententiam declaratoriam criminis, à Judice Ecclesiastico factam. Ex quo DD. passim inferunt, hæreticos posse interim bona retinere, donec pronuntietur sententia declaratoria criminis.

Aliud exemplum affert Suarez l. c. cap. 8. ex Conc. Trid. sess 22. c. 11. de reform. ubi fertur *ipso jure* pœna privationis juris patronatus contra laicos patronos, & privationis beneficiorum contra usurpantes bona Ecclesiarum; & tamen per illam legem non obligantur statim hi delinquentes ad se spoliandos.

71. *Aliud si lex irritans excluderet etiam sententiam declaratoriam.* Et videtur confirmari usu & praxi, qua constat, non statim oriri obligationem ad pœnæ executionem, quatenus ex ministerio delinquentis pendet; licèt lex dicat, pœnam *ipso jure*, vel *ipso facto* incurri. Hæ enim voces tantùm excludunt sententiam condemnatoriam Judicis, non autem declaratoriam. Aliud esset, si adderentur voces, etiam sententiæ declaratoriæ exclusivæ, quibus e. g. diceretur, actum ipso jure esse nullum *absque ulla declaratione: ante omnem sententiam: sine omni ministerio judicis: sine omni monitione &c.* tales enim clausulæ satis indicant, mentem legislatoris esse, ut actus statim sit nullus, statímque ipso facto lex obligationem imponant, nulla exspectata sententia.

Exemplum habemus ex *c. licèt canon de elect. in 6.* ubi recipiens beneficium parochiale, si intra annum sua culpa non suscipiat ordinem presbyte-

byteratus, *nulla etiam monitione præmissa* privatus esse decernitur Ecclesia sibi commissa. Unde statim tenetur renuntiare beneficio. Sic etiam in *extrav. ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* bona suarum Ecclesiarum alienantes privantur suis beneficiis *ipso facto, & absque alia declaratione.*

Si autem ejusmodi clausulæ speciales non adduntur, regulariter irritatio pœnalis non incurritur, nisi post sententiam declaratoriam, si executio pœnæ requirit exercitium positivum delinquentis. Dico *regulariter*, excipiuntur enim, ùt aliàs dictum, censuræ latæ sententiæ &c. item si lex fieret inutilis, nisi statim ante omnem sententiam irritet vel obliget, fatendum utique est, illam statim irritare. Sic irregularitas statim incurritur, licèt lex non addat specialem clausulam: imó licèt utatur his vocibus, *fiat* aut *fiet* irregularis. Quia irregularitas regulariter tantùm à Jure statuitur, non autem ab homine. Item si lex diceret: *usurarius fit infamis*, juxta multos ipso facto fieret infamis, cùm per sententiam Judicis non posset irrogari infamia; eò quòd solvens usuras non posset agere actione famosa, sed tantùm condictione indebiti. Sic etiam leges statuentes impedimenta matrimonii dirimentia, licèt tantùm utantur verbo *prohibendi*, ex mente tamen Ecclesiæ statim ante omnem sententiam irritant: quia si matrimonium aliquando valeret, per nullam ampliùs sententiam posset irritari, rescindi, aut irritum declarari. 72. *Irritatio pœnalis regulariter non incurritur ante sententiam, si requiritur exercitium positivum.*

Hactenus autem dicta intelligenda sunt de casu, quo executio pœnæ requirit actionem positivam delinquentis, aut privat jure jam quæsito. Si enim lex inducit aliquam inhabilitatem, e. g. lex statuens irregularitatem, quæ facit inhabilem ad suscipiendos sacros ordines, & ad usum susceptorum, aut lex inhabilitans ad acquirendum beneficium Ecclesiasticum &c. regulariter ante omnem sententiam habet suum effectum, si lex dicat, inhabilitatem incurri ipso jure, aut ipso facto. Quia talis lex non privat jure jam quæsito, sed primùm acquirendo. *Aut quando privat jure jam quæsito.*

QUÆSTIO X.
Quomodo lex obliget?

Resp. Lex eo modo obligat, quo legislator eam vult obligare; nam ab ejus voluntate dependet vis obligativa legis. Mens autem legislatoris colligitur ex tenore legis, ex fine, materia, pœna adjecta, judicio prudentum &c. 73.

Im materia autem gravi regulariter censetur graviter obligare. Posset tamen lex positiva leviter obligare, etiam in materia gravi. Cùm enim legislator posset nullam legem ferre, posset etiam ferre legem, tantùm leviter obligantem. Dixi autem *lex positiva*: nam lex naturalis in materia *Quando graviter obliget?*

gravi necessariò obliget graviter. Imò in multis ne quidem potest dari parvitas materiæ, e.g. in blasphemia, in odio aut contemptu formali Dei, in perjurio, in simonia strictè dicta, in actibus venereis &c. quia semper manet ratio & necessitas graviter prohibendi.

In materia autem levi lex per se obligat leviter; nisi nempe ex fine legis, aut circumstantiis aliud colligatur. Sic præceptum datum Adamo de non comedendo pomo, & sigillum sacramentale etiam circa rem de se levem, graviter obligat. Cæterùm in dubio, an graviter vel leviter obliget, præsumi potest, quòd leviter obliget: quia libertas est in possessione.

Quæres, an lex obliget, ut ejus materia ponatur cum intentione satisfaciendi legi, aut eam implendi?

74. *Non requiritur intentio satisfaciendi legi.* Resp. Hanc intentionem non esse necessariam. Quia lex tantùm præcipit positionem materiæ seu actûs. Unde licèt nescias esse diem festum, si tamen audisti missam, satisfecisti præcepto illam audiendi. Quia lex non aliud præcipit, quàm auditionem missæ. Hinc etiam satisfaceres, licèt nolles per illam auditionem satisfacere. Non enim est in potestate operantis non satisfacere, si faciat id, quod præceptum est. Licèt ergo aliàs dicatur, quòd actus non operentur ultra intentionem operantium, tamen hoc tantùm verum est tunc, quando in potestate operantis est satisfacere, vel non satisfacere. Sic e.g. per donationem non solvis debitum. Econtra ebrius solvendo satisfacit debito. Quando autem lex præcipit actum poni modo humano, nempe cum applicatione intellectus & voluntatis, ùt lex de audienda Missa, recitando Breviario, administratione Sacramentorum &c. non sufficeret ista ponere in ebrietate.

75. *Uno actu impleri possunt plura præcepta.* Quæri etiam solet, an uno actu possit satisfieri pluribus legibus, talem actum præcipientibus? Ad quod respondetur, per se loquendo satisfieri, nam si quis ponat actum, quem plures leges jubent ponere, ponit totum id, quod præcipitur. Sic si incidat festum in Dominicam, satisfacis audiendo unam Missam: sicut etiam uno jejunio, si privilegium incidat in quadragesimam. Imò etiam eodem tempore satisfieri potest pluribus diversis legibus, diversos actus præcipientibus: si e.g. audiendo Missam die festo recites Breviarium.

Nisi aliud constet de mente legislatoris. Dixi autem *per se:* nam si de mente legislatoris aliud constaret, quòd e.g. intendat præcipere actum specialem, ad quem aliàs nulla detur obligatio, tunc non satisfieret pluribus legibus per unum actum. Uti etiam, si per unum actum non satisfieret motivo legum, aut rationi formali, sub qua obligant. Sic, si debes centum ex mutuo, & centum ex empto, non satisfacis debito utrique solvendo centum: quia scilicet non satisfacis utrique motivo seu causæ debendi.

Cæterùm leges universim specificantur, seu speciem suam & naturam acci-

accipiunt ab objecto suo formali, seu à motivo, propter quod feruntur. Et hinc etiam transgessiones legum, seu peccata specificantur ultimatò per motiva legum, ita ut illa peccata specie morali differant, quæ sunt contra diversas leges, sub diverso motivo ac ratione formali obligantes.

Quando autem uno actu violantur plures leges, probabiliùs unum tantùm peccatum committitur, ídque non tantùm, quando plures leges sub eodem motivo obligant, ùt quando lex naturalis, positiva Divina, ecclesiastica & civilis furtum simplex prohibent, sed etiam quando leges sunt diversæ, sub diversa ratione formali obligantes, tunc enim pariter unum tantùm peccatum committitur, quod per contrarietatem cum diversis legibus speciem suam moralem accipit, e. g. furtum in templo, quod ex contrarietate cum præcepto prohibente furtum, & cum præcepto prohibente sacrilegium conflatur, ita ut tertia species *furti sacrilegi* resultet, ac proin necessariò in confessione explicanda.

Sic etiam plures insignes Theologi docent, si actus sit unicus, licèt feratur in plura objecta totalia, unicum committi peccatum, e. g. si uno actu decernant, centum homines occidere, aut actu uno occidat centum, una e. g. tormenti explosione. Non enim apparet, unde multiplicitas moralis oriatur? cùm neque subjectum peccati, nempe actus, neque forma illius, seu libertas multiplicetur; & aliàs dicendum videretur, quòd etiam uno actu furatus centum aureos, centum peccata committat, quod nemo facilè dixerit.

CAPUT III.

De Subjecto Legis.

SUMMARIUM.

1. *Lege naturali obligantur omnes & soli rationis compotes: Ecclesiastica verò soli baptizati: etiam hæretici.*

2. *Non tamen pueri ante septennium: à pœnis verò ordinariis regulariter excusanter ante pubertatem.*

3. *Legislator neque vi directiva obligatur à suis legibus: obligatur tamen regulariter à jure naturali, decentia & æquitate eas servare.*

4 *Aliud tamen est in statu reipublicæ aristocratico aut democratico, in quo quivis conlegislator obligatur.*

5. *Eodem ferè modo, quo legislator, obligantur etiam Clerici legibus civilibus, quæ eorum statui non repugnant.*

6. *Peregrini non obligantur legibus particularibus sui domicilii.*

7. *Exeundo in locum dispensatum potest se quis eximere ab obligatione legis.*

8. *Non*

8. *Non tamen licet observationi legis impedimentum ponere.*

9. *Præcepta tamen personalia comitantur personam.*

10. *Tenemur statutis particularibus in loco etiam quasi domicilii.*

11. *Etiam peregrini tenentur legibus communibus, licèt in eorum patria sint abrogatæ.*

12. *Peregrini variis titulis fiunt subditi, & obligantur variis statutis particularibus.*

13. *Imò videntur regulariter obligari omnibus statutis localibus seu territorialibus, quia legislator vi superioritatis territorialis habet in eos jurisdictionem.*

14. *Conformitas & ordo reipublicæ id exigit.*

15. *Et legislator videtur satìs exprimere suam intentionem generaliter ferendo legem: sicut si fert legem interdicti localis.*

16. *Subjiciunt etiam se ipsos peregrini jurisdictioni territoriali, ingrediendo alienum territorium.*

17. *Explicatur* L. hæres. *permittique potest, quòd merè transiens non obligetur statutis localibus.*

18. *Quoad aliqua autem e. g. ad conferendos sacros Ordines, requiritur ex dispositione juris specialis subjectio.*

19. *A fortiori obligantur vagi statutis locorum, per quæ transeunt.*

20. *Præter modos speciales sortiendi forum, ratione domicilii, contractus, delicti, rei sitæ, dantur etiam generales; qualis est ingressus in territorium.*

1\. *Quinam obligentur lege naturali.*

Subjectum legis sunt subditi, qui per legem obligantur. Et quidem *lege naturali* omnes obligantur, rationis compotes, postquam nempe per lumen rationis lex ipsis est promulgata: non verò infantes & amentes (qui usu rationis carent) propter defectum promulgationis, ac libertatis moralis.

Legibus ecclesiasticis.

Legibus item ecclesiasticis ne quidem in actu primo obligantur Ethnici, Mahometani, Judæi: aliique infideles, non baptizati, quia non sunt subditi Ecclesiæ: tenentur tamen jure Divino baptismum petere, & per eum ingredi Ecclesiam. Econtra hæretici, qui per baptismum ingressi sunt Ecclesiam, obligantur ejus legibus, licèt per hæresin se separârint ab Ecclesia: quia rebellio non eximit eos à subjectione: nec digni sunt, ut Ecclesia eos eximat. Quòd autem leges Ecclesiæ non servent, sed contemnant, sicque sibi noceant, est per accidens, & nequaquam legibus, quæ sunt rationabiles, sed ipsorum culpæ ac perversitati est adscribendum. Ipsa præcepta Decalogi violantur à pluribus, nec tamen desinunt obligare, & esse rationabilia.

Obligantur etiam hæretici.

Pueri

Pueri verò, licèt fortè jam antè ad uſum rationis pervenerint, non obligantur ante ſeptennium completum legibus humanis. Imò nec impleto ſeptennio (quo uſus rationis aliàs præſumitur) obligantur ſtatim omnibus, ſed iis, quæ eorum ætati ac judicio diſcretionis conveniunt. Sic ad Sacramenta confeſſionis & communionis annuæ non ſtatim promiſcuè omnes admittuntur. 2. *An pueri obligentur?*

Minùs adhuc incurrunt pœnas ordinarias, à jure ſtatutas, ſaltem totas, utpote quæ ſecundùm jus civile regulariter mitigandæ ſunt, quamdiu ſunt minorennes. De jure Canonico verò pœnas regulariter non incurrunt ante annos pubertatis, excepta irregularitate propter homicidium, & excommunicatione propter percuſſionem Clerici, & ingreſſum in monaſterium Monialium. *An pœnas incurrant?*

Diſputari ſolet, an & quomodo legislator teneatur ſuis legibus? Docent aliqui, eum teneri *vi directiva* ſuarum legum, quatenus obligant ſub culpa; non autem *vi coactiva*, quatenus obligant ſub pœna. Verùm neutro modo obligatur legislator à ſuis legibus: eò quòd ſoli ſubditi per leges, etiam quoad vim directivam, obligari poſſint: legislator autem non eſt ſuus ſubditus, nec ſuus ſuperior, cùm erga ſe ipſum nec ſuperioritatem, nec ſubjectionem habeat. Unde ſummus Pontifex per ſe ac directè non obligatur à legibus eccleſiaſticis & SS. Canonibus: quia nec reſpectu ſui ipſius, nec reſpectu alterius Pontificis, qui legem tulit, eſt ſubditus: cùm par in parem non habeat jurisdictionem. Ex quo inferunt, validum fore matrimonium Pontificis, cum impedimento juris tantùm eccleſiaſtici contractum: ſicut validum eſſet teſtamentum ſummi Principis, ſine ſolennitate, à jure civili requiſita, confectum. 3. *An & quomodo legislator?*

Quamvis autem legislator non obligetur, ſaltem per ſe ac directè lege ſua, obligatione immediatè orta ex lege, obligatur tamen eam ſervare jure quodam naturali, atque ex decentia & æquitate, ut non præbeat ſcandalum, ſed exemplo præeat, & ut caput reipublicæ ſe conformet corpori, æquitatem juſtitiæ commutativæ ſervet in contractibus initis, in quibus privati inſtar habetur. Unde licèt matrimonium Papæ eſſet validum, eſſet tamen illicitum propter indecentiam & ſcandalum.

Cæterùm quando poteſtas legislativa communis eſt pluribus, ùt in republica ariſtocratica aut democratica, aut in concilio vel capitulo aliquo contingit, quilibet conlegislator tenetur lege, à toto corpore lata; quia quilibet eſt ſubditus totius corporis. 4. *Quomodo in Democratia?*

Eodem fermè modo, quo leges propriè legislatorem non obligant, dicuntur etiam Clerici non obligari legibus civilibus, neque vi directiva nec coactiva, atque ne quidem tunc, quando ipſis ſunt favorabiles, niſi quatenus Pontifex illas acceptavit, & approbavit per SS. Canones. Ratio eſt: 5. *An Clerici,*

quia Clerici non sunt subditi Potestatis sæcularis, tenentur tamen ex decentia & æquitate naturali se conformare communitati in commerciis, in taxato rerum pretio, contractibus, aliísque, quæ eorum statui, SS. Canonibus, & immunitati ecclesiasticæ non repugnant, uti etiam concurrere ad communes impensas, conservationes viarum, pontium &c. si pro bonis suis temporalibus commodum ex iis hauriant.

Et Religiosi? Pariter Religiosi exempti legibus Episcopalibus per se non obligantur, hoc ipso, quòd à jurisdictione Episcopi sint exempti; exceptis iis casibus, in quibus non sunt exempti, quorum plures refert Chockier. Dixi, *per se*, nam si ratio scandali, aut boni publici observationem legis exigeret, jure naturali obligarentur.

Disputari autem hîc maximè solet, an, & quomodo *peregrini* obligentur. Et quidem certum, indubitatúmque est, eos obligari legibus naturalibus ac Divinis, ubicunque versentur, utì etiam legibus ecclesiasticis communibus, pro tota Ecclesia latis; nisi versentur in loco, ubi sunt abrogatæ vel dispensatæ. Possunt enim se conformare incolis loci, ad quem perveniunt, ac favore locali frui. Verùm hoc magìs examinandum est.

CONTROVERSIA I.

An peregrini obligentur legibus sui domicilii?

6. *Peregrini non obligantur legibus particularibus sui domicilii.* Resp. Non tenentur legibus particularibus sui domicilii: nam illæ se non extendunt extra territorium legislatoris; quod solum statuta locorum respiciunt. Ratio est: quia legislator extra suum territorium non habet jurisdictionem, unde c. 2. de constit. in 6. dicitur: quòd *extra territorium jus dicenti impunè non pareatur.* Ubi quidem explicitè tantùm dici videtur, quòd egressus extra territorium legislatoris à pœna sit immunis, passim tamen à DD. intelligitur de immunitate etiam à culpa: cùm sit eadem ratio, nempe defectus jurisdictionis in legislatore extra ejusdem territorium; propter quem defectum extra suum territorium neque sub culpa neque sub pœna obligare potest.

An posset se conformare loco, in quo versatur. Ex quibus infertur, non obligari te ad Missam audiendam, aut jejunandum, si in loco, in quo versaris, non sit dies festus aut dies jejunii, licèt in patria tua sit talis. Item, licitum esse Germano, Mediolani quatuor primis diebus quadragesimæ, & in Belgio sabbatis intra festum Nativitatis Domini, & festum Purificationis B. V. vesci carnibus, quia ibidem est licitum.

7. *Licitum est exire in locum dispensatum.* Imò si in Diœcesi tua, e. g. Brixinensi non esset dispensatum tempore quadragesimæ in comestione carnis, esset autem dispensatum in Diœcesi Tridentina aut Curiensi, posses eò te conferre, ut carnibus vesci possis. Qui enim utitur jure suo, non agit in fraudem legis, legislator autem non prohi-

prohibet egressum ex Dioecesi Brixinensi, nec intentionem, in Dioecesi dispensata vescendi carnibus. Propter eandem rationem, si in loco tui domicilii esset dies festus, posses exire in locum, ubi non est, ibíque vacare labori servili, neque teneberis ibidem audire Missam: quia scilicet ibi non est dies festus.

Dices: Non licet impedimentum ponere legi, ejúsque observationi; aliàs liceret die festo toto tempore antemeridiano somnum capere & sacerdoti naviganti licitum esset, Breviarium in mare projicere, ea intentione, ut observatio legis fiat impossibilis. Ergo neque licitum est, exire ex loco tui domicilii, ut obligationem jejunandi evadas.

Resp. n. c. disparitas est: quia dormiens, & Breviarium projiciens manent legi subjecti, utpote quæ publicè est promulgata, & ad omnes fertur: adeóque non licet impedimentum ponere observationi legis; imò datur obligatio adhibendi media ordinaria & necessaria, ut lex observetur. Econtra egressus in locum, ubi non est dies jejunii, aut festi, non manet subjectus legi, cùm nulla lex jejunii pro eo loco sit lata, aut si abrogata, vel dispensata, consequenter in eo loco non tenetur jejunare. Et hinc longè aliud est, facere aliquid, per quod te omnino eximas à lege, ita ut respectu tui omnino cesset, e. g. petendo dispensationem, exeundo è loco, in quo lex obligat, ita laborando ac te defatigando, ut non ampliùs tenearis jejunare &c. Et aliud, manente lege respectu tui, voluntariè ponere impedimentum ejus observationi; quod nunquam licet. Verbô: licet facere, ut lex cesset: non licet facere, ut stante lege, eam non possis implere: seu, licet legem evitare, non licet contra illam agere. Et hinc etiam teneris legis impletionem antevertere, si prævideas postea non posse impleri, ùt contingit in audienda Missa, recitando Breviario, Communione paschali &c. quia scilicet impedimentum superventurum non tollit legem.

8. *Non tamen licet observationi legis impedimentum ponere.*

Aliud esset, si legislator universalis prohiberet specialiter exire ea intentione, ut lex evitetur, prout Urbanus VIII. speciali decreto prohibuit exire ad locum, ubi Tridentinum non est promulgatum, ad contrahendum ibidem clandestinè matrimonium: nam tale matrimonium irritavit.

Aliud item esset, si præceptum non esset *locale*, seu afficiens certum locum ac territorium, sed *personale*, inhærens ipsi personæ, in quam legislator habet jurisdictionem, non præcisè ratione territorii, sibi subjecti, sed ita, ut persona ipsi immediatè sit subdita: nam tunc præceptum superioris personam, ubicunque esset, efficeret. Sic, si aliquis ab Episcopo excommunicetur, licèt egrediatur ex illius Dioecesi, manet

9. *Aliud est de præceptis personalibus.*

tamen

Hæc enim ... ju nam. tamen excommunicatus, debétque à communione cum fidelibus abſtinere. Idem dicendum, ſi Epiſcopus alicui Clerico imponat præceptum non ludendi aleis, aut abſenti Clerico præcipiat, ut redeat, & in loco ſui beneficii reſideat: aut ſi ſuperior regularis imponat Religioſo præceptum. Nam in his caſibus ipſa perſona *ratione ſui* (& non tantùm ratione territorii) ſuperiori eſt ſubdita, adeóque etiam abſenti præceptum imponi poteſt, cúmque comitatur, quocunque ſe conferat.

Idem contingit etiam in præceptis, particularibus perſonis impoſitis à ſuperiore ſæculari, nam hæc obligant illas etiam extra territorium Principis, ùt patet in militibus, legatis &c. qui tenentur exequi mandata ſui Principalis, licèt extra illius territorium exiſtant: ſicut filius tenetur obſequi mandato patris ſui, etiam abſentis. Quia ſcilicet in his, aliíſque ejusmodi caſibus, perſona ipſa ratione ſui ſpecialiter eſt ſubjecta ſuperiori, utpote qui in perſonam habet poteſtatem dominativam vel jurisdictionem ſpecialem.

Contra verò, quando aliquis non ratione ſuæ perſonæ, ſed ratione loci vel territorii tantùm eſt ſubditus, extra territorium illud non obligatur ſtatutis aut legibus particularibus illius territorii. Et hinc quia leges feruntur, regulariter ſaltem, à Principibus vi ſuperioritatis & jurisdictionis territorialis, non egrediuntur extra limites territorii.

Imò, ſi quis præcisè ratione territorii eſt ſubditus, extra illud non manet ſubditus: (quia ceſſante cauſa ceſſat effectus) niſi ſuperior univerſalis, e. g. ſummus Pontifex quoad aliquos effectus faciat ſubditum; ſicut e. g. peregrinum in ordine ad ſuſcipiendos ſacros ordines facit ſubditum Epiſcopo ſuæ originis, aut domicilii; vel, niſi ſuperior territorialis, dando tacitè vel expreſsè poteſtatem delegatam, faciat ſubditum, uti cenſetur contingere, quando e. g. civis Oenipontanus, cum ſuo Parocho extra Parochiam & Diœceſin peregrinatus, ab eodem abſolvitur.

CONCLUSIO II.

An peregrini obligentur ſtatutis particularibus loci, in quo verſantur?

10. *Teneris ſtatutis loci, in quo habet domicilium aut quaſi-domicilium.* Certum eſt primò, quòd illi, qui ex ſua patria aliò migrârunt, ibíque ſtabile fixerunt domicilium, teneantur ſtatutis etiam & conſuetudinibus particularibus illius loci. Quia non ſunt peregrini, ſed incolæ ac ſubditi illius loci ratione *domicilii* ibidem fixi, cum animo ſtabiliter in eo habitandi. Idem extenditur etiam ad eos, qui in aliquo loco habent *quaſi-domicilium*, hoc eſt cum animo, per notabile tempus, e. g. per majorem anni partem ibi habitandi, ùt ſtudioſi, ad Academiam aut Gymnaſium

ſium aliunde adventantes, Milites præſidiarii, Mercatores quidam & Opifices. Nam etiam iſti obligantur ſtatutis localibus illius territorii, niſi ſpecialiter eximantur.

Certum eſt ſecundò, quòd etiam peregrini, qui nempe nec domicilium, nec quaſi-domicilium in loco aliquo habent, ſed præcisè transeunt, aut brevi tempore ibi morantur, obſtringantur legibus communibus ſeu univerſalibus, eccleſiaſticis & civilibus, ſi in loco, ad quem perveniunt, uſu receptæ vigeant: ſive deinde in eorum patria, aut in loco eorum domicilii vigeant, ſive non vigeant. Ratio eſt, quia legibus communibus omnes tenentur, niſi in loco, in quo quis verſatur, ſint abrogatæ, aut diſpenſatæ. Licèt ergo in patria tua ſint abrogatæ, ibique degens iis non ſtringaris; ſi tamen è loco illo excedis, non poteris ampliùs frui favore locali patriæ tuæ, teneriſque legibus communibus, ſi in loco, ad quem pervenis, vigeant. Sic licèt in Diœceſi tua pro quadrageſima in comeſtione carnis ſit diſpenſatum, ſi tamen in aliam Diœceſin pervenias, in qua non eſt diſpenſatum, teneris à carne abſtinere ac jejunare ratione legis communis jejunii. Item Mediolanenſis tranſiens per Germaniam tenetur etiam primis quatuor diebus quadrageſimæ abſtinere à carnibus, uti etiam Belga ſabbatis intra Nativitatem Domini, & feſtum Purificationis: licèt in ipſorum patria contraria conſuetudo vigeat.

11. *Etiam peregrini tenentur legibus communibus.* *Licet in patria eorum ſint abrogatæ, aut diſpenſatæ.*

Certum eſt tertiò, quòd etiam peregrini poſſint fieri ſubditi illius loci, per quem tranſeunt, ratione contractûs, delicti, ac rei ſitæ. Unde ſi ratione horum ibi conveniantur, tenentur Judicem illius loci agnoſcere, ac Judiciis ſecundùm illius loci ſtatuta, ac conſuetudinem ſe ſubjicere.

12. *Peregrini fiunt ſubditi ratione contractus, delicti & rei ſitæ. Multiſque etiam particularibus legibus tenentur. Poſſuntque ſpecialia ſtatuta condi pro peregrinis.*

Certum eſt quartò, quòd etiam peregrini teneantur legibus particularibus & conſuetudine locorum, quibus regulantur contractus, taxantur pecuniæ, ac rerum pretia. Item illis, quibus prohibentur inferri aut efferri certæ merces, aut rebus invehendis aut evehendis imponuntur certa vectigalia, telonia &c.

Certum denique eſt quintò poſſe à Magiſtratibus locorum ſpecialia ſtatuta condi pro peregrinis, quibus iſti obligantur.

Quamvis autem in iſtis DD. facilè conveniant, magna tamen inter eos fervet diſceptatio, an allata tantùm ſint exceptiones à communi regula; an verò potius ſtatuenda ſit regula contraria, quòd nempe peregrini ſimpliciter obligentur peculiaribus legibus ac conſuetudinibus loci, in quo ad breve tempus morantur. Nam obligari eos docent Suarez, Vaſquez, Navarrus, Palao, Salas, Henriquez, König, Schmier, Zoeſius *de conſtit. n.* 33. Schambogen *eod. tit. n.* 31. atque in eandem pro-

pendet Covarr. *lib.* 4. *var. c.* 20. *n.* 8. imò Suarez *lib.* 3 *de LL. cap.* 33. *n.* 3. hanc ſententiam vocat communem: citátque pro eadem Innoc. Hoſtienſ. Panormit. Gemin. Sylveſt. & ipſum etiam S. Auguſtinum, qui ùt refertur *Can. illa* 11. *§. at ille diſt.* 12. ad Januarium ſcribit: *Ad quamcunque Ecclesiam veneris, ejus morem ſerva.*

Pro ſententia autem negativa citantur Roſella, Azor, Leſſ. Sayr. Sanch. Laymann, Engl, Wieſtner, Schmalzgruber, Pichler, Söll.

13. *Imò peregrini obligantur omnibus ſtatutis territorialibus.* Poſſet fortaſſis utrisque aliquid dari, ac dici, quòd peregrini obligentur ſtatutis territorialibus ſeu localibus, quæ nempe ratione territorii feruntur, ſícque locum ipſum reſpiciunt & afficiunt, non verò ſtatutis perſonalibus, quæ ratione civium aut incolarum feruntur, ſícque non tam territorium, quàm cives & incolas reſpiciunt & afficiunt.

Ratio ita diſtinguendi eſt: quia ſicut poteſt Princeps vel Magiſtratus leges particulares ferre *perſonales* pro ſolis peregrinis, ſic poteſt ferre leges perſonales, aut quaſi-perſonales, tantùm pro civibus & incolis, quæ nimirum tantùm cives & incolas concernant, non verò advenas & peregrinos; & tales defacto varias dari, non eſt dubium legenti ſtatuta civitatum ac provinciarum. Alia enim concernunt incolas, alia peregrinos.

Contra verò ſtatuta *realia* ſeu *localia*, quæ immediatè reſpiciunt & afficiunt territorium, eíque quodammodo adhærent, ac tantùm ratione territorii perſonis indefinitè & illimitatè imponuntur, iſta inquam, ſtatuta localia promiſcuè omnes obligant, ſive ſint incolæ, ſive peregrini: niſi aliqui ſpecialiter ſint excepti & privilegiati. Ratio eſt, quia tales leges immediatè reſpiciunt & afficiunt territorium: ergo mediante illo comprehendunt omnes in illo exiſtentes.

Quia vi juris territorialis Princeps habet in eos poteſtatem jurisdictionis. Neque opponas, peregrinos non eſſe ſubditos, neque Magiſtratum in eos habere juriſdictionem: nam imprimis dici poteſt, quòd Magiſtratus habeat jurisdictionem ratione ſui territorii in omnes exiſtentes in ſuo territorio, ſi non ſint ſpecialiter exempti, peregrinos autem non eſſe ſpecialiter exemptos. Et cur non poſſit Princeps ſimpliciter omnibus hoc vel illud in ſuo territorio prohibere vel præcipere? Deinde, quomodo poteſt Parochus peregrinum, in ſuam parochiam venientem abſolvere in confeſſione, ſi non ſit ei ſubditus, ſi nullam in eum habet jurisdictionem? quomodo poteſt Epiſcopus prohibere alieno ſacerdoti, ne celebret Miſſam in loco, à ſe interdicto in ſua Diœceſi? an non interdictum locale etiam peregrini ſervare debent? Si dicas, hoc interdictum eſſe locale, dico & ego, nobis ſermonem eſſe de lege locali, quæ nempe directè ac immediatè reſpicit territorium legislatoris, & mediante territorio omnes in eo exiſtentes: niſi, ùt ſæpiùs dictum, aliquæ perſonæ ſpecialiter ſint exem-

exemptæ & privilegiatæ: ſicut Clerici & Religioſi ſunt exempti à jurisdictione territoriali Magiſtratuum ſæcularium.

Rurſus: quomodo ſunt ſubditi peregrini, quando pro illis ſpeciales leges feruntur, aut quando indefinitè feruntur leges, quibus præſcribitur forma contractuum, taxatur pecuniæ valor, ac rerum pretium, quibus prohibentur inferre, aut efferre frumentum, vinum, certáſque merces, aut quibus imponuntur vectigalia aut telonia pro evehendis aut invehendis rebus?

Sicut ergo Adverſarii hîc dicere debent, quòd Princeps vi juris territorialis poſſit his legibus etiam peregrinos obligare, & actu obliget, vel quòd peregrini, ingredientes alienum territorium, cenſeantur ſe ipſos his legibus ſubjicere. Sic etiam nos idem dicere poſſumus reſpectu omnium legum localium, quæ vi juris territorialis indefinitè ac ſine limitatione feruntur, atque immediatè territorium reſpiciunt & afficiunt.

Aliud eſſet, ſi leges ferrentur immediatè ratione certarum perſonarum, puta, civium aut incolarum, aut intentio legislatoris vel ex forma & tenore legis, vel ex materia præcepta, vel ex aliis circumſtantiis colligeretur eſſe reſtricta ad ſolos incolas.

Si autem hoc colligi non poſſit, & lex illimitatè loquatur, non apparet ſufficiens ratio peregrinos excipiendi, cùm verba legis non minùs propriè eos comprehendant. Et cur, qui ſentiunt favorem & commodum loci, non ſentiant etiam onus? ſed peregrini gaudent immunitate & commodo loci, e. g. diſpenſatione locali in jejunio. Si diſpenſatio e. g. circa comeſtionem carnis, aut laborem ſervilem die feſto, ita afficit locum, ut ea comprehendantur etiam peregrini, quamvis ſit actus jurisdictionis, cur non etiam aliæ leges poſſunt locum ac territorium ita afficere, ut omnes in eo exiſtentes comprehendant?

Neque dicas, diſpenſationem eſſe tantùm actum jurisdictionis voluntariæ: nam ſatis oſtenſum eſt, jus territoriale non tantùm jurisdictionem voluntariam complecti, ſed etiam contentioſam, & quidem etiam reſpectu peregrinorum, ùt patet in legibus contractuum, taxatione rerum & pecuniarum, impoſitione vectigalium, prohibitione evehendi frumentum &c.

Et quanta difformitas in una provincia, Diœceſi, imò in una urbe &c. quando aliqui legibus obligantur, alii iis ſunt ſoluti, alii diem feſtum debent agere, alii non, alii abſtinere à labore ſervili, alii eidem vacare? quid magis difforme & conveniens, quàm ſi aliquis peregrinus feſto S. Caſſiani aut S. Antonii Abbatis Oeniponti labore ſervili, triturrando e. g. frumentum in area, aut findendo ligna in foro perſtreperet? 14. *Pax, ordo, & conformitas exigunt.*

peret? an hoc conveniens, an licitum putem? At ratione ſcandali hic labor peregrino eſt illicitus, inquis. Ego verò non video, cur ſcandalum oriri aut poſſit, aut debeat, ſi populo conſtet, ſtreperum ejusmodi hominem eſſe peregrinum, cui feſto illo locali vacare ſervili labori nequaquam ſit interdictum. Si ſcandalo eſt, ex eo provenit, quòd homines ſint perſuaſi, omnibus in urbe eſſe prohibitum feſto illo laborem ſervilem exercere: ſicut perſuaſi eſſe videntur, non eſſe licitum homini peregrino Catholico Oeniponti comedere carnes, ſi ibidem eſſet dies jejunii, quamvis tantùm Diœceſano ſtatuto eſſet præceptum.

Certè ad uniformitatem, ordinem ac decentiam & ædificationem publicam plurimùm facit, ſi etiam peregrini in actionibus ſuis ſe accommodent loco, ad quem perveniunt. Unde meritò S. Auguſtinus loc. cit. dixit: *Ad quamcunque Eccleſiam venias, illius morem ſerva.* Ex quo etiam orta eſt illa gnome: *Si vivis Romæ, Romano vivito more.* Planè iſta uniformitas, ordo ac decentia, contraria verò confuſio, atque inconvenientia ſufficiens ratio eſt, leges locales ferendi pro omnibus, in loco illo verſantibus, adeóque cenſendum eſt, legislatorem lege ſua omnes comprehendere, in quos jurisdictionem localem poteſt exercere: cùm eadem ſit ratio pro omnibus. Imò propter uniformitatem ipſi etiam Religioſi exempti obligantur ſervare feſta Diœceſana.

Unde hîc locum non habent illa juris axiomata, quòd *in dubiis minimum ſequi oporteat*; quòd *contra eum, qui legem clariùs dicere potuit, ſit interpretatio facienda*; quòd *in odioſis mitior pars ſit eligenda*: quòd nulla obligatio ſit aſſerenda, niſi probetur &c.

15. *Legislator ſatìs clarè videtur intentionem ſuam exprimere,*

Nam ſi eſt ſtatutum locale reſpiciens territorium, ac publicè promulgatum, illimitatè & absque omni exceptione latum, ſatis clarè ſignificat legislator, quòd velit omnes obligare, etiam peregrinos, in ſuo territorio exiſtentes, præcipuè cùm bonum publicum non minùs exigat, eos lege comprehendi, quàm incolas, & ex difformitate agendi oriatur confuſio in republica. Sicut, qui fert interdictum locale, ſatìs ſignificat, etiam peregrinos teneri illud ſervare; conſequenter neque peregrinum ſacerdotem poſſe ibidem Miſſam celebrare. Sicut enim hoc interdictum reſpicit certum locum, ſic etiam leges locales.

Sicut exprimit reſpectu incolarum, quamvis eos non nominet ſpeciatim.

Planè ſi ejusmodi axiomata hîc locum haberent, poſſet eodem jure dici, quòd ſtatutis particularibus obligentur tantùm cives, non autem omnes incolæ, licèt habeant ibi domicilium: neque ii, qui tantùm habent quaſi-domicilium: nam iſtos lex non magìs exprimit quàm peregrinos. Ergo ſi minimum ſequendum, ſi interpretatio facienda contra legislatorem, ſi mitior pars eligenda, dicere omnino oportet, ſolos cives lege com-

comprehendi, non verò reliquos incolas. Quod cùm nemo dicat, ſatis apparet, ejusmodi parœmias non benè applicari, quando lex eſt illimitata, fundata in jure territoriali, ac territorium reſpiciens, ſimúlque bonum publicum, non minùs exigit legem ferri etiam pro peregrinis, quàm pro incolis. Nam quando lex non excipit, neque diſtinguit, neque nos debemus id facere. Unde relatè ad omnes leges locales, vel peregrini ipſo ingreſſu ſe ſubjiciunt legibus loci, atque ſic Judici loci quaſi prorogant in ſe jurisdictionem, vel legislator vi juris territorialis poteſt leges univerſales ferre in omnes exiſtentes in ſuo territorio, etiam independenter à propria ſubjectione peregrinorum: cùm hoc ipſo, quòd alienum territorium ingrediantur, legibus illius localibus, & conſuetudinibus receptis ſubjecti eſſe videantur: ſicut ingrediens locum interdicto ſubjectum, hoc ipſo obligatur ſervare interdictum.

Dicta proin axiomata locum habent, quando verba legis non ſunt 16.
comprehenſiva, tunc enim in odioſis non debent extendi. In noſtro autem caſu ſunt comprehenſiva; cùm, ùt dictum, omnes in territorio exiſtentes eodem prorſus modo comprehendantur, & inſuper ratio legis pro omnibus æqualiter pugnet. Non igitur hìc fit extenſio legis, ſed illius acceptio juxta litteralem ac propriam omnino ſignificationem & ſenſum, qui ad uniformitatem, ordinem ac publicam ædificationem eſt convenientior, & conſequenter legislatoris, bonum publicum ſpectantis, intentione dignior, atque jurisdictioni territoriali honorificentior.

Peregrini ingredientes territorium tacitè ſe ſubjiciunt jurisdictioni territoriali.

Sed oppones cum P. Antonio Söll: *l. hæres abſens* 19 *ff. de Judic.* ubi expreſsè dicitur, viatores non ſortiri forum loci, per quem tranſeunt. Reſp. Hoc omnibus ſolvendum eſſe: nam certum eſt, quòd peregrini ſortiantur forum ratione delicti, & rei ſitæ. Igitur in illa lege tantùm modificatur aliquantùm forum contractus, ac dicitur, quòd, ſi quis aliquid emerit à mercatore advena, quem ſcit confeſtim inde diſceſſurum, debeat illius domicilium ſequi, ſi velit eum convenire: ſi vero mercator pergulam aut officinam ibi habeat, poſſe eum ibi conveniri. Illud ad ſummum 17.
ſequitur, quòd ſi quis merè tranſeat, ita, ut ne quidem per breve tempus in loco moretur, ſed, ùt lex ait, *confeſtim* inde ſit profecturus, non teneatur legibus particularibus illius loci, quod facilè concedere poſſumus. Nam ſi *confeſtim* ſit receſſurus, non datur occaſio ſervandi ibidem ſtatuta: cùm cenſeri vix poſſit, fuiſſe moraliter in illo loco: cùm breviſſima mora pro nulla mora habeatur. Dixi autem *ad ſummum* hoc ſequi; nam cit. lex *hæres* non dicit, quòd peregrinus non debeat ſervare leges particulares aut ſtatuta loci, ad quem pervenit, ſed tantùm, quòd emptor non poſſit ibi convenire venditorem, quem ſcivit, confeſtim inde profecturum: nullum autem credo eſſe ſtatutum particulare alicujus loci, quo contra-

Neque obſtat l. hæres.

Permitti poteſt, quòd merè tranſiens non obligetur.

rium ſtatuatur. Conſequenter poteſt peregrinus hanc legem juris communis ſervare, licèt teneatur ſervare ſtatuta locorum. Et ſi daretur in eo loco ſtatutum aut conſuetudo contraria, derogans limitationi illi juris communis, teneretur etiam tranſiens illo ſtatuto & conſuetudine locali.

Dices: Licèt illis, qui in loco aliquo habent quaſi domicilium, ùt ſunt Studioſi, milites, famuli &c. poſſint ibidem omnia Sacramenta conferri (præter ordines ſacros) peregrinis tamen non poteſt Epiſcopus alia Sacramenta conferre, quàm Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, & hoc ſolùm ex proprii Epiſcopi licentia. Ergo ſignum eſt, quòd peregrini non fiant ſubditi loci illius, ad quem perveniunt.

Reſp retorq. Peregrini debent ſervare interdictum locale: debent ſervare leges locales circa contractus, taxationem rerum, pecuniæ, mercium, circa telonia, vectigalia, exportationem vel importationem mercium, fructuum, pecudum, aliarúmque rerum: debent ſervare leges, ſpecialiter pro peregrinis latas: & ſi delinquant, puniuntur &c. Ergo Magiſtratus locales habent in eos jurisdictionem: & quidem non tantùm ex contractu aut delicto; nam antecedenter ad omne delictum poſſunt ferri ſpeciales leges pro peregrinis; & defacto ante omnem contractum aut delictum feruntur promiſcuè pro incolis & peregrinis leges, regulantes contractus, in futurum ineundos, leges pro delictis futuris, leges taxantes valorem pecuniæ, pretia rerum, vectigalia &c. Atqui lex non poteſt ferri in eum, aut pro eo, qui nullo modo eſt ſubditus.

18. *In ordine ad aliquos actus exercendos requiritur major ſubjectio.*

Quòd autem Epiſcopi non poſſint licitè peregrinis alterius Diœceſis conferre omnia Sacramenta, absque conſenſu tacito vel expreſſo Epiſcopi eorum domicilii, aut originis, inde eſt, quòd Eccleſia hoc ſpecialiter prohibuerit, requirátque ſpecialem ſubjectionem: quod uſus ipſe confirmat. Unde ſpecialis hæc exceptio firmat potiùs regulam in contrarium circa non excepta. Sic malè argueres: quaſi domicilium non facit ſufficienter ſubditum in ordine ad conferendum Sacramentum Ordinis, ſed requiritur, ut ſit ſubditus vel ratione originis, vel ratione domicilii. Ergo quaſi-domicilium neque facit ſufficienter ſubditum in ordine ad conferenda alia Sacramenta, quod eſt falſum. Quare non requiritur ſemper ad omnia æqualis ſubjectio, ſed in ordine ad aliquos actus major, in ordine ad alios verò ſufficit minor.

19. *A fortiori obligantur vagi.*

Et quod de peregrinis dictum eſt hactenus, de *vagis* pariter intelligendum venit: hoc eſt, de iis, qui nullibi ſtabile habent domicilium, ſed per provincias circumvagantur, ùt quidam circumforanei, mendicabula &c. nam & iſti tenentur legibus locorum, ad quæ perveniunt; licèt brevi tantùm tempore in eo morentur, propter eaſdem rationes, ex quibus peregrinos obligatos eſſe diximus. Nam, ùt Suarez loc. cit. ait, leges illæ ſunt uni-

universaliter latæ pro toto territorio: nec deest potestas in legislatore, utpote quæ fundatur in jure territoriali: & cùm potestas legislativa & subjectio sint correlativa, hoc ipso etiam fiunt subditi, quando territorium alienum peregrini aut vagi ingrediuntur. Nec deest finis, nempe bonum publicum, ad quod maximè conducit pax, tranquillitas, uniformitas, ordo, & æqualis vivendi ratio: sine qua confusio, dissidia, inordinationes, ac turbationes civitatis vix satìs evitari queunt.

Hinc *c. quæ contra* 2. *dist.* 8. S. Augustinus ait: *Gentis consuetudine, vel lege firmatum nulla civis aut peregrini libidine violetur.* Et addit rationem: *turpis enim omnis pars est, suo universo non congruens.* Et quid æquius, quàm ut peregrini & vagi, sicut, quam primum ex patria sua egrediuntur, jure illius statutario obligari desinunt, ita loci illius consuetudine & legibus obligentur, ad quem perveniunt.

Atque ex hoc magis etiam assertio nostra circa peregrinos confirmatur; Nam vagi obligantur statutis locorum, in quibus existunt, ùt plures ex Adversariis cum Thoma Sanchez fatentur. Ergo etiam peregrini: nullo enim quoad hos solida potest dari disparitas. Cùm ergo concedant, vagos obligari, peregrinos etiam obligari debent concedere. Unde *c. fin. de feriis, & c. consilium* 2. *de observat. jejun.* dicitur, in festivitatibus & abstinentiis servandam esse consuetudinem regionis, non distinguendo inter cives, incolas, peregrinos, viatores, aut vagos.

Neque dicas, quòd nemo fiat subditus, nisi vel ratione originis, vel domicilii, aut quasi-domicilii, vel delicti, vel contractus, vel rei sitæ. Hoc enim falsum esse, patet ex hactenus dictis. Nam quando peregrinus ingreditur territorium aliquod, vel se ipsum subjicit legibus ac consuetudinibus localibus, vel Princeps aut respublica jure territoriali statim accipit in eum potestatem ac jurisdictionem, ùt ostensum est: & patet in potestate ferendi leges specialiter pro peregrinis, item in potestate ferendi leges contractuum, vectigalium &c.

Sed cur leges dicunt, quòd fiat quis subditus ratione domicilii, delicti, contractus &c. si peregrinus jam independenter ab istis titulis fit subditus per solum ingressum in aliquod territorium? si enim datur hic generalis titulus sortiendi forum, quid opus illos speciales assignare?

Resp. Licèt jura modos illos, quibus quis fiat subditus, specialiter assignent, tamen certum est, quòd dentur insuper etiam alii: quomodo enim aliàs posset dominus territorialis leges ferre pro peregrinis? quomodò eos obligare, ut servent leges taxantes pecuniæ valorem, ac rerum pretia, imponentes vectigalia, prohibentes invehi aut evehi frumentum &c.? Si dicas, intervenire pactum tacitum inter peregrinum & dominum territorialem, potero utique & ego hoc ipsum dicere: quòd nem- 20. *Præter modos specialiter acquirendi jurisdictionem dantur*

etiam generales. pe Princeps peregrino concedat ingressum in suum territorium sub pacto tacito, ut se subjiciat in ordine ad servanda statuta & consuetudines locales.

Igitur modi illi sortiendi forum in jure specialiter exprimuntur, ut pateat, posse aliquem ex plurimis titulis, & in pluribus locis conveniri, nempe vel in loco domicilii, vel quasi domicilii, vel contractus, vel delicti, vel rei sitæ, ita, ut penes actorem stet, in quonam ex istis locis velit reum convenire.

CAPUT IV.

De Interpretatione Legis.

SUMMARIUM.

1. *Interpretatio authentica, usualis, doctrinalis.*
2. *Spectanda mens legislatoris.*
3. *Sensus proprius verborum.*
4. *Vitandum absurdum.*
5. *Leges concordandæ.*
6. *Causa legis consideranda.*
7. *Quænam lex odiosa, ac favorabilis. Spectanda materia & subjectum legis, cui aliquid præcipitur.*
8. *Odiosa strictè interpretanda: favorabilia largè.*
9. *Privatus non potest legem extendere: licèt videatur par aut similis ratio.*
10. *Declarare tamen potest, casum comprehendi in lege.*
11. *Judex tamen sæpiùs debet judicare secundùm casum similem.*
12. *Communis interpretatio vim legis habet.*
13. *Quando Epiikiæ locus.*
14. 15. *Epiikiæ Exempla.*

§. I.

Quid, & quotuplex sit interpretatio legis?

1. *Interpretatio* legis est declaratio, quomodo lex sit intelligenda, an hunc vel istum casum comprehendat.

Authentica. Alia est *authentica*, quæ fit ab ipso legislatore, vel ejus successore, vel ab illius superiore, vel ab alio, qui ab his potestatem habet, sicut Christus dedit summo Pontifici, tanquam suo Vicario potestatem interpretandi, & declarandi legem naturalem ac divinam; & hæc declaratio est authentica, habétque in effectu vim legis.

Usualis. Alia est *usualis*, per usum nempe & consuetudinem introducta: habétque pariter vim legis, si sufficienter de ea constet. Unde *consuetudo l. 37. ff. de leg.* dicitur: *optima legum interpres.*

Doctrinalis. Alia denique vocatur *doctrinalis*, quam faciunt DD. Juris Consulti, ac Judices inferiores. Hæc equidem non habet vim legis, licitum tamen est

eſt eam ſequi. Eſtque vel *extenſiva*, quando ad caſum vel perſonam non expreſſam extenditur: vel *declarativa*, ſeu *comprehenſiva*, quando nempe vel verba obſcura explicantur, vel declaratur, quòd perſona, vel caſus, non expreſſus in lege, comprehendatur tamen ſecundùm legislatoris intentionem in lege. Vel *reſtrictiva*, quando propter circumſtantias benignè interpretamur, hunc caſum ſub lege, aliàs univerſaliter lata, ex mente legislatoris, non contineri. Et hæc interpretatio reſtrictiva dicitur *Epiikia* ſeu interpretatio legis ſecundùm æquum & bonum: nam *ἐπιείκεια æquitatem* ſignificat.

Jam verò circa interpretationem doctrinalem tradi ſolent

§. II.
Aliquot Regulæ.

Regula 1. Legis interpretatio ſemper fieri debet juxta mentem legislatoris. Ratio eſt: quia mens & intentio legislatoris eſt anima legis, & menſura obligationis, ex ea ortæ. Hinc *can. humanæ* 11. *cauſa* 22. *q.* 5. dicitur à Gregorio M. *Non debet aliquis verba conſiderare, ſed voluntatem & intentionem, quia non debet intentio verbis deſervire, ſed verba intentioni. Et c. ult. de R. J. in 6. Certum eſt, quòd is committat in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.* Idem omnino dicitur *l. non dubium* 5. *cod. de legibus.* 2. *Mens legislatoris.*

Regula 2. Verba tamen legis ſumenda ſunt in propria ſignificatione, in qua communiter ſumuntur à Jurisperitis: niſi aliud conſtet de mente legislatoris. Ratio eſt, quia ex verbis legis regulariter colligitur mens legislatoris. Et ſi quisque pro lubitu poſſet verba legis in ſenſu improprio ſumere, etiam tunc, quando in proprio ſumi poſſunt, nihil ampliùs eſſet in jure certum. Aliud eſſet, ſi ex verbis propriè ſumptis ſequeretur abſurdum &c. Si autem verba ſunt dubia, intelligenda ſunt ſecundùm ſenſum magìs uſitatum inter Jurisperitos. 3. *Senſus proprius.*

Regula 3. Quamvis odia ſint reſtringenda, favores autem ampliandi, omnis tamen lex, etiam pœnalis & odioſa, ita eſt accipienda, ut non evadat inutilis, otioſa, imprudens, abſurda. 4. *Vitandum abſurdum.*

Regula 4. Lex poſterior, ſi fieri poteſt, ita eſt explicanda, ut priorem non abroget, aut ei non deroget, quia correctio legis vitari debet, quantùm poteſt. Hinc ſi lex prior ſit ſpecialis pro aliquo caſu, non cenſetur correcta per poſteriorem generalem, niſi id exprimat. Quamvis aliàs ſub genere cenſeatur comprehendi omnis ſpecies: & *ubi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debeamus.* 5. *Legum concordia.*

Regula 5. Ceſſante tota & adæquata cauſa legis, legem etiam ceſſare cenſendum eſt; cùm ceſſante cauſa ceſſet etiam effectus. *C. cum ceſſante* 60. *de appell. l. adigere ff.* 6. *de Jure Patronat.* 6. *Cauſa legis.*

§. III.

De Interpretatione legis odiosæ & favorabilis.

7. Quæres I. An & quomodo lex odiosa sit restringenda, favorabilis verò extendenda? Resp. Si verba legislatoris sint clara, aut de ejus mente aliunde constet, nullus est locus interpretationi, sive lex sit odiosa sive favorabilis.

Quando autem verba legis sunt dubia, æquivoca, aut dubium est, an hic vel ille casus sub lege comprehendatur, tunc si lex est odiosa, non est ad illum extendenda: secùs verò, si sit favorabilis. Ratio est: *quia odia restringi, & favores convenit ampliari. c. 15. de R. J. in 6.* Unde etiam passim dicitur, quòd lex odiosa sit *strictæ*, favorabilis verò *amplæ interpretationis.* Sic in lege favorabili nomine *civium* veniunt etiam *Clerici*, & nomine *Clerici* etiam *Religiosi*, non autem in odiosa.

Quænam lex odiosa. Sed unde desumendum est, an lex aliqua sit odiosa, an verò favorabilis? ratio dubitandi est, quia lex sæpè uni imponit onus, alteri affert favorem; igitur respectu unius videtur esse odiosa, respectu alterius verò favorabilis. Sic lex imponens tributa videtur esse favorabilis principi, odiosa verò respectu subditorum: sic etiam lex statuens excommunicationem in percussores Clericorum est favorabilis Clericis, percussori autem est odiosa. Neque dici potest, attendendum esse, quid lex *principaliter* intendat, an favorem, an odium: nam hoc ipsum in praxi sæpè difficile erit discernere, an lex principalius odium, an favorem intendat.

Spectandum subjectum legis & materia. Quare attendendum, an materia præcepta illi, cui aliquid præcipitur aut conceditur, afferat gravamen an favorem. Nam si illi est onerosa, licèt aliis faveat, tamen simpliciter videtur esse dicenda odiosa. Sic leges pœnales, ac tributariæ censentur odiosæ, quia gravamen afferunt ei, cui aliquid per illas præcipitur, licèt cedant in bonum publicum, aut in bonum Principis. Nam in ordine ad hanc denominationem non debet attendi finis legis: aliàs omnis lex esset favorabilis dicenda, cùm omnis tendat ad bonum publicum. Attendendum proinde, an materia legis ei faveat, in quem lex fertur; & quia leges præcipientes, prohibentes & irritantes communiter subditis, in quos feruntur, imponunt obligationem, libertatem restringunt, ipsorúmque actus prohibent, aut irritant, vel onus actus exercendi imponunt, ideò leges istæ ùt plurimùm odiosæ sunt censendæ, præsertim, si sint *pœnales* aut *irritantes:* nam in has duas species potissimùm lex odiosa dividitur.

Contra verò leges *permissivæ*, *privilegia*, *gratiæ ac beneficia* Principum sunt favorabilia illis, quibus conceduntur, adeóque simpliciter censenda sunt favorabilia; licèt aliis, qui privilegia tolerare debent, sint onerosa.

In

In dubio tamen, an leges ſint odioſæ, an verò favorabiles, dicendæ ſunt potiùs favorabiles: quia de Principe beneficium potiùs, quàm odium præſumendum eſt.

8. *Odioſa ſtrictæ interpretationis.* Jam verò, ùt dixi, leges odioſæ ſunt *ſtrictæ interpretationis*, præſertim ſi ſint pœnales aut irritantes: adeóque non ſunt extendendæ ultra id, quod lex apertè comprehendit; & quidem etiam tunc, quando pro caſibus & perſonis non expreſſis militat ſimilis aut eadem ratio: aut quando non expreſſa cum iis, quæ ſunt expreſſa in lege, ſunt aliquo modo correlativa aut connexa: modò lex de ſolis expreſſis, ſalva verborum propria ſignificatione, poſſit intelligi.

Favorabilis ampla. Contra verò favorabiles leges dicuntur eſſe *amplæ interpretationis*, ita, ut multò faciliùs præſumatur, caſus etiam non expreſſus comprehendi ſub lege. Verùm hoc ulteriùs examinandum eſt. Unde

§. IV.
An lex extendenda ad caſum ſimilem?

9. *Privatus non poteſt legem extendere.* Quæres 2. An lex ſit extendenda ad perſonam aut caſum non expreſſum propter *ſimilitudinem* ſeu *paritatem rationis* aut etiam propter *identitatem rationis?* Reſp. Regulariter ne quidem lex favorabilis ab homine privato extendi debet. Ratio eſt: quia, licèt pro caſu, à lege non expreſſo, ſit ſimilis, vel par, aut etiam eadem ratio: tamen non poteſt inde inferri, quòd legislator illum voluerit incluſum in lege: cùm potuerit pro lubitu rationem pro uno caſu aſſumere, non autem pro altero; ne nimis multa ſimul prohibeat, aut præcipiat, aut irritet.

Licèt videatur par ratio. Sic licèt Princeps uni ex ſuis Provinciis varias leges odioſas, aut favorabiles imponat, non ſequitur, quòd etiam ad aliàs ejuſdem Provincias ſint extendendæ; licèt par aut ſimilis aut eadem ratio pro iiſdem pugnet. Nam ſi leges ſunt odioſæ, hoc ipſo non ſunt extendendæ, ſed potiùs reſtringendæ. Si autem ſunt favorabiles, ſubintrat aliud principium Juris, nempe, *quod alicui gratioſè conceditur, non eſſe ab aliis trahendum in exemplum Reg. 74. in 6.*

Unde ſi Pontifex uni Ordini Religioſo aliquid prohiberet, aut ſpeciale privilegium conferret, in neutro caſu fieri poſſet interpretatio extenſiva ad alios ordines, licèt par ratio, aut etiam eadem pro aliis pugnaret. Unde enatum illud axioma: *ratio legis non eſt lex.*

10. *Declarare tamen poteſt, caſum comprehendi in lege,* Dixi autem 1. *regulariter.* Nam aliud eſſet, ſi verba legis aliquo modo eſſent univerſalia, ut cenſeri poſſent, alios etiam caſus, pro quibus eſt par vel eadem ratio, comprehendere: tunc enim lex non tam extenderetur, quàm declararetur, alios etiam caſus, licèt non adeò clarè expreſſos, comprehendere: ſicque interpretatio non tam eſſet *extenſiva* (quam

(quam homo privatus, utpote carens jurisdictione non facere potest) sed *comprehensiva.*

ùt in relativis. Et idem dicendum de *correlativis*, quæ videlicet habent relationem mutuam: nam, quòd lex dicit de uno correlativo, censetur etiam de altero dicere: si sit identitas rationis. Sic quando lex dicit, quòd maritus lucretur dotem, si uxor committat adulterium, censetur etiam dicere, quòd uxor lucretur donationem propter nuptias, si maritus fiat adulter. Et quia maritus non tenetur reddere debitum uxori adulteræ, neque uxor tenetur illud reddere marito adultero: cùm ad imparia judicari non debeant. Valétque hîc illud axioma: *ubi est eadem ratio, debet esse eadem juris dispositio.*

Connexis, Idem pariter contingit in *connexis*, quando scilicet unum connectitur cum altero, vel ab eo dependet, vel in eo includitur; utì includitur pars in toto, contentum in continente, minus in majore. Nam *cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus. Reg.* 53. *in* 6. hinc, qui potest dispensare cum illegitimo ad sacerdotium, potest etiam dispensare ad minores ordines. Qui potest condere testamentum, potest etiam condere codicillum. *Æquiparatis.* Denique datur locus huic interpretationi comprehensivæ in *æquiparatis à Jure.* Unde si excommunicatio sit lata in eum, qui aufert centum florenos, censetur etiam lata in eum, qui aufert calicem ejusdem valoris.

11. *Aliud est de Judice,* Dixi, ab *homine privato* regulariter non posse fieri extensionem legis ad casum non expressum, licèt pro eo sit par, aut eadem ratio. Nam Judex in ferenda sententia potest, imò debet quandoque legem extendere, vel potiùs interpretari pro casibus & personis non expressis, si sit par, vel eadem ratio: uti etiam, si in judicio contradictorio in causa simili vel eadem jam sit ita pronuntiatum.

Ratio datur *l.* 10. 11. 12. 13. *ff. de legib.* quia non possunt omnes casus & causæ singillatim exprimi in legibus: cùm ergo Judices debeant omnes causas & casus decidere, debent à casu simili, qui exprimitur in jure, vel à paritate rationis juvari ad legis interpretationem. Unde axioma: *casus similis expresso non censetur omissus.* Apud privatos autem non datur talis necessitas.

Aliud de privato. Unde hi, licèt detur paritas aut etiam identitas rationis, non possunt facere interpretationem extensivam circa non expressa in lege, nisi, ùt dictum, verba sint aliquo modo *universalia*, aut *indefinita*, aut expressa cum non expressis sint *correlativa*, aut *connexa*, aut in *jure æquiparata*, aut sequeretur iniquitas, vel absurdum, si lex non etiam intelligeretur de non expressis. In his igitur casibus censendum est, casum in lege positum

ſitum tantùm exempli causâ eſſe adjectum, legem autem etiam intelligendam de aliis ejusmodi caſibus.

Ex dictis patet, per *interpretationem doctrinalem*, videlicèt à privatis DD. factam, non poſſe legem propriè extendi ad perſonas & caſus non expreſſos aliquo modo in lege. Quia ex defectu Jurisdictionis non poſſunt legem extendere ad id, ad quod legislator eam non extendit. Sed tantùm poſſunt *interpretatione comprehenſiva* declarare, caſum non expreſſum, ſaltem implicitè & ſecundùm mentem legislatoris, in lege comprehendi: sicque non tam ipſi legem extendunt ad caſum non expreſſum, quàm declarant, legem ex mente legislatoris ſe ad eundem extendere. Atque hoc modo, & pro caſibus allatis, nempe correlationis, connexionis, æquiparationis, intelligendum eſt, quod dicitur *l. ideo* 27. *ff. de LL. ſemper hoc quaſi legibus ineſſe credi oportet, ut ad eas quoque perſonas, & ad eas res pertinerent, quæ quandoque ſimiles erunt.*

Cæterum ſi communiter Jurisperiti plerique legem aliquam ita explicant, ut ſub illa caſus etiam non expreſſos comprehendant, jam non ampliùs eſt interpretatio merè *doctrinalis* ſed *uſualis*, quæ habet vim legis, eſtque optima Juris interpres. Sic e. g. quia Juriſtæ Novellam 66. c. 1. ubi Imperator decernit, ut leges teſtamentariæ non obligent, niſi in provinciis Romani Imperii ſint promulgatæ, neque tunc ante lapſum duorum menſium, communiter extendunt ad alias etiam leges Imperiales, hócque uſu ipſo obſervatur, dici poteſt, quòd hæc interpretatio jam ſit uſualis, & vim legis habeat. 12. *Communis interpretatio non eſt tantum doctrinalis.*

§. V.

De Interpretatione per epiikiam.

Quæres 3. An etiam per *epiikiam* interpretari legem liceat? Reſp. affirmativè. Nam leges univerſales vel admodum rigoroſæ aliquando benigna aliqua interpretatione juxta veriſimilem mentem legislatoris ſecundùm *bonum & æquum* explicandæ ſunt, & ab his aliqui caſus in ſpecie excipiendi, quos ipſe legislator excepiſſet, ſi fuiſſet interrogatus: non enim poſſunt omnes caſus legibus exprimi, ſed illi, qui plerumque atque ordinariè contingunt. Fundatur igitur epiikia, ſeu benigna hæc interpretatio reſtrictiva in præſumpta mente legislatoris, quòd ſit incredibile, eum in his circumſtantiis voluiſſe obligare; licèt caſus in verbis legis videatur comprehendi. 13. *Poteſt aliquando declarari, quòd lex hunc caſum non comprehendat.*

Favent autem epiikiæ ipſæ leges: nam *placuit in omnibus rebus præcipuam eſſe juſtitiæ æquitatiſque, quàm ſtricti juris interpretationem.* L. 8. C. de *Judic.* Item: *in omnibus quidem, maximè tamen in jure æquitas ſpectanda eſt.* L. 90. *ff. de R. J.*

14. *Exempla.* Sic e. g. licèt Moniales legem habeant strictæ clausuræ, in casu tamen incendii per epiikiam possent hanc legem interpretari, quòd in his circumstantiis non obliget ad manendum in monasterio. Sic etiam Machabæi interpretati sunt legem, quòd liceat Sabbato contra hostes pugnare. Lex jejunii non obligat infirmum, licèt lex ipsum non excipiat. Neque lex procurandi integritatem materialem confessionis pro omnibus circumstantiis obligat. Item lex jubens reddere depositum, non jubet reddere gladium, quando alter se ipsum vel alium illo prævidetur occisurus. Ex quo patet, non tantùm circa jus humanum, sed etiam Divinum ac naturale locum esse epiikiæ.

Difficultatem tamen movent alia Juris effata: nam l. 1. C. de leg. ait Imperator: *Inter æquitatem júsque interpositam interpretationem nobis solis & oportet & licet inspicere.* Ubi planè sibi soli reservavit interpretationem per epiikiam. Et in *l. prospexit* 12. *ff. qui & à quibus manumissi* J. C. vult, legem etiam *duram* observandam esse, si ita scripta sit. Item can. 3. dist. 4. S. August. ait: *Non de legibus, sed secundùm leges judicandum esse.* Ergo videtur omnis locus epiikiæ esse sublatus.

15. *Non tamen, si verba sunt clara.* Resp. Hæc tantùm probant, quòd lex dura servanda sit, quando verba legis ac mens legislatoris adeò clara sunt, ut non admittant aliam interpretationem: non tamen probant, quòd epiikiæ non possit esse locus, quando verba sunt generalia, quæ in particulari casu, salva adhuc verborum generalitate, admittunt interpretationem ex bono & æquo. Si autem dubitatur, quid justum aut æquum sit, tunc juxta *de l.* 1. *C. de leg.* Princeps est consulendus. Vide P. Engel *l.* 1. *tit.* 2. *§.* 4. *n.* 77.

Cæterùm circa leges irritantes, & quæ formas substantiales actibus præscribunt, epiikia non habet locum. Sic non valet matrimonium clandestinum, quacunque urgente necessitate, nec contractum cum alio impedimento dirimente. Quia hìc attenditur ad agendi rationem uniformem, non autem ad bonum alicujus privati.

CAPUT V.

De Cessatione Legis.

SUMMARIUM.

1. *Lex cessat cessante causa.*
2. *Per abrogationem, revocationem, legem, vel consuetudinem contrariam. Species autem derogat generi, non contrà.*
3. *An abrogari possit lex, à superiore confirmata?*
4. *Quid sit dispensatio?*
5. *An sufficiat præsumpta?*
6. *Jus naturale indispensabile.*

7. *Quis*

7. Quis poſſit diſpenſare?
8. Epiſcopus diſpenſare non poteſt in lege Pontificia, niſi ei tacitè vel expreſsè ſit permiſſum.
9. Permiſſum autem eſt in variis caſibus: ùt in frequentibus: urgente neceſſitate: in levioribus: in dubiis: ſi conſuetudo, privilegium, vel lex ipſa concedat.
10. Quinam alii diſpenſare poſſint?
11. Superior etiam ſecum ipſo poteſt diſpenſare.
12. Non tamen ſe ipſum abſolvere, aut inſtituere: nec tutor in rem ſuam fieri auctor.
13. Prælatus in lege ſua etiam absque cauſa juſta diſpenſat validè: non tamen licitè.
14. In lege ſuperioris verò nec validè nec licitè.
15. Cauſæ diſpenſandi in impedimentis matrimonii.
16. In voto caſtitatis aut Religionis.
17. Diſpenſatio ceſſat per revocationem, lapſum temporis præfixi, ceſſante cauſa.
18. Praxis petendi diſpenſationem à Dataria.
19. A. S. Pœnitentiaria.
20. Praxis ſcribendi pro diſpenſatione.
21. Praxis exequendi diſpenſationem.

Lex ceſſare poteſt vel *totaliter*, vel tantùm *partialiter*. Totaliter ceſſat *abrogatione*, vel *ceſſante adæquata cauſa finali*: item ceſſante materia vel objecto legis, vel ceſſantibus circumſtantiis, pro quibus eſt lata. Partialiter ceſſat *derogatione*, *diſpenſatione*, & ceſſante partiali cauſa finali. De quibus jam dicendum.

§. I.

Quando lex ceſſet ceſſante illius cauſa?

Reſpond. Lex ceſſat ex integro, quando ceſſat totus illius finis intrinſecus, ſeu cauſa finalis, nempe bonum communitatis, quod lex intendit tanquam finem ſuum eſſentialem, ùt patet ex ipſa definitione legis. Ex hoc defectu ceſsârunt leges cæremoniales veteris teſtamenti, utpote figuræ Chriſti, ac legis Evangelicæ. 1. *Lex ceſſat ceſſante fine.*

Si autem tantùm ceſſaret finis extrinſecus, aut intrinſecus quidem, ſed non totus, nempe in una tantùm vel altera parte legis, lex non ceſſaret totaliter, ſed tantùm quoad illam partem, cujus finis ceſſat, *quia utile per inutile non debet vitiari c.* 37. *de R. J. in* 6.

Quando verò lex fundatur in periculo communi, ne quidem partialiter ceſſat lex, licèt reſpectu alicujus determinati ceſſet periculum. Quia finis talis legis eſt præcavere periculo communi, ac frequenter contingere ſolito: hic autem finis non ceſſat. Sic lectio librorum hæretico-

ticorum prohibetur etiam illi, reſpectu cujus nullum eſt periculum perverſionis: quia propter commune periculum hæc lex eſt univerſaliter lata.

§. II.

Quando Lex ceſſet abrogatione vel derogatione?

2. Reſp. Quando vel tollitur lex totaliter à legislatore, aut ejus ſuperiore, aut ſucceſſore, per revocationem, vel per novam legem aut conſuetudinem contrariam, tunc lex dicitur *abrogari.* Quando verò lex tantùm quoad partem aliquam revocatur aut tollitur, dicitur ei *derogari.*

Lex poſterior generalis non abrogat priorem particularem.

Porro per legem poſteriorem generalem non cenſetur abrogata lex prior *particularis* ſeu *ſpecialis*, niſi in poſteriore aliqua illius mentio fiat: erit igitur tunc lex prior aliqua exceptio & limitatio poſterioris generalis legis. Si autem prior lex ſit *generalis*, clauſa in corpore juris, (quam prom legislator præſumitur ſcire) abrogatur per poſteriorem generalem contrariam, vel ſi poſterior ſit particularis, priori derogatur, licèt non fiat mentio prioris. Et univerſim ſpecies derogat generi, non genus ſpeciei.

3. Quæres, quis poſſit abrogare legem? ℞. Certum eſt, quòd eam abrogare (ſaltem validè) poſſit ipſe legislator, ejus ſuperior ac ſucceſſor.

An lex à ſuperiore confirmata abrogari poſſit ab inferiore.

Dubitatur autem 1. An inferior poſſit legem ſuam propriam abrogare, quando à ſuperiore eſt confirmata? ℞. Si ſuperior confirmationi clauſulam adjecit, qua irritat abrogationem, aut derogat derogationi, ab inferiore faciendæ, non poteſt inferior legem ſuam propriam abrogare, vel per novam legem ei derogare. Idem dicendum: ſi ſuperior legem inferioris ſimpliciter confirmavit & authorizavit, ſine ejusmodi clauſula irritante, aut derogante; nam etiam tunc non poteſt inferior legem ſuam abrogare (quia confirmatio authoritativa, ùt diſtincta à mera approbatione, cenſetur eſſe lex ſuperioris) niſi lex inferioris cedat in bonum ipſius: tunc enim poſſet eam abrogare, quia non cenſetur ſuperior velle ei invito beneficium obtrudere: adeóque tunc probabiliùs poſſet inferior legem ſuam abrogare; pro hoc enim caſu videtur confirmatio ſuperioris eſſe facta ſub tacita conditione: *ſi inferior non velit abrogare legem ſibi faventem.* Ita Abb. Palao, Wieſtner, Schmalzgruber.

Dubitatur 2. An Epiſcopus abrogare poſſit conſtitutiones factas in Synodo Diœceſana? ℞. Poteſt per ſe loquendo eas abrogare, ſi viderit expedire. Ratio eſt, quia ſolus Epiſcopus habet poteſtatem legislativam, Clerici verò non habent votum deciſivum, ſed tantùm conſultivum. Unde Epiſcopus iis non aliter obligatur, quàm ſi ab ipſo ſolo eſſent latæ, nempe ex decentia naturali, ad vitandum ſcandalum, & in quantùm bonum com-

mune

mune exigit. Dixi autem *per se loquendo;* nam si constitutiones synodales essent confirmatæ à sede Apostolica, aut in pactum transiissent, Episcopus non posset eas abrogare: imò neque in iis dispensare, aut eis derogare.

§. III.
Quando & quomodo lex cesset per Dispensationem?

Dispensatio difinitur, quòd sit *relaxatio legis publica auctoritate facta pro aliquo particulari casu vel persona manente interim aliorum obligatione.* Unde lex tantùm cessat respectu eorum, cum quibus dispensatur, non autem respectu aliorum. Quare dispensatio ab aliquibus definitur, quòd sit *exemptio alicujus vel aliquorum à communi lege.* 4. *Quid sit dispensatio?*

Quamvis autem fieri possit nuda superioris voluntate; non sufficit tamen voluntas, quæ tantùm daretur, si superior rogaretur. Nam voluntas, quæ tantùm daretur, hîc & nunc non datur (quamvis tunc aliquando sit locus epiikiæ, qua præsumitur voluntas superioris absolutè existere) si tamen consensus superioris tantùm requireretur, ut actus aliquis fiat cum dependentia à voluntate superioris, dispensatio valeret etiam cum consensu conditionatè præsumpto: quia tunc superior non est invitus quoad substantiam, sed tantùm quoad modum; qua ratione Religiosi aliquando excusantur à gravi peccato, licèt non petant licentiam à superiore. Propriè tamen loquendo superior concedens Religioso facultatem aliquid accipiendi, dandi aut retinendi, non dispensat in lege: utpote quæ non absolutè & simpliciter prohibet aliquid retinere, sed tantùm prohibet, illud retinere sine licentia superioris: sicut pœnitens dans facultatem Confessario peccata exposita evulgandi non dispensat in lege sigilli, eámque non tollit, sed tantùm ponit conditionem, sub qua nunquam obligavit lex sigilli. Econtra præceptum jejunii e.g. simpliciter & absolutè obligat, nisi legislator per dispensationem respectivè ipsam legem tollat. 5. *Non sufficit præsumpta.*

Sic etiam in jure naturali nemo, & in jure divino nullus mortalium dispensat, nec potest dispensare; sed eam tantùm ponit materiam, eásque circumstantias & conditiones, sub quibus jus naturale nunquam obligavit: quin habeat jurisdictionem ad omnem dispensationem requisitam, ùt in secunda parte hujus tractatus dicetur. Aliud est, quòd summus Pontifex aut Concilium generale interpretari possit (interpretatione etiam *authentica*) jus naturale ac divinum positivum, an nempe hoc vel illud in his circumstantiis comprehendatur sub lege naturali aut divina. 6. *Jus naturale indispensabile.*

Quod objici solet, Papam dispensare in voto solenni Professionis, in matrimonio rato, in Sacramento confirmationis conferendo à simplici sacerdote &c. solidum non est, quia vel ista sunt juris humani: vel si essent juris divini, Deus censeretur dare potestatem Ecclesiæ, ex rationibus gra-

vissimis in iis dispensandi, sicut aliquando Papa censetur Episcopis dare facultatem dispensandi in jure communi, ac lege Pontificia, ut mox dicetur. Quando autem Papa dispensat in voto, non dispensat in jure naturali; quia facere non potest, ut stante voto non detur obligatio, sed dispensat in actu, quo quis vovit (quisque est veluti lex privata) eúmque moraliter tollit.

7. *Quis possit dispensare.* Quæstio igitur solùm superest, quis dispensare possit in lege humana? Ad quam respond. Dispensare posse ipsum legislatorem, ejúsque superiorem & successorem, eósque omnes, quibus hi potestatem dispensandi delegant. Unde sequitur, dispensare posse Papam in omnibus legibus ecclesiasticis, etiam à Concilio generali latis: Episcopum in constitutionibus synodi diœcesanæ: non tamen Archi-Episcopum in legibus Concilii provincialis, quia non sunt latæ à solo Archi-Episcopo, sed à Concilio provinciali, illius superiore.

§. IV.

An Episcopus dispensare possit in lege Pontificia?

Potissimùm autem disputatur, an Episcopus, vel alius Prælatus dispensare possit in lege Pontificia? Rationes dubitandi sunt 1. quia c. *nuper* 29. *de sent. excomm.* Innoc. III. rescripsit Episcopo Uratislaviensi: *Quando conditor Canonis* (excommunicationis) *absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videri facultatem aliis relaxandi.* Ergo idem dicendum de legibus, quando Papa dispensationem sibi non reservavit.

2. Quia Episcopus potest in sua Diœcesi, quòd Pontifex in tota Ecclesia.

3. Quia constat ex praxi, quòd Episcopi passim dispensent in observatione festorum, jejuniorum &c.

4. Quia sine hac potestate Episcopi non possent rectè gubernare suas Diœceses, ac subditorum necessitatibus consulere.

8. *Episcopus dispensare per se non potest in lege Pontificia.* Sed dicendum, quòd in legibus Ecclesiæ universalibus Episcopi dispensare non possint, extra casus, tacitè vel expresse ipsis permissos. Ratio est: quia inferior non potest tollere aut mutare legem superioris. *Clement.* 2. *ne Romani de elect.* tolleret autem, saltem partialiter & mutaret, si dispensaret.

Neque difficilis est responsio ad argumenta contraria. Ad 1. Absolutio à censura, non reservata, non prohibetur à lege: adeóque per absolutionem nullum jus violatur. Per dispensationem autem violatur jus superioris.

Ad 2. Axioma illud non est universaliter verum, sed tunc tantùm, quando dispositio Episcopi non est contra jus commune, aut constitutiones sedis Apostolicæ, vel pro casibus, in quibus Pontifex tacitè vel ex-

pressè

per sè dat potestatem Episcopo in jus commune. Cæterùm Episcopus non potest canonizare Sanctos, confirmare ordines Religiosos, definire articulos fidei &c.

Ad 3. Potestatem dispensandi in jejuniis & festis, cùm sint casus frequentes, habent inferiores Prælati ex tacita concessione Pontificis, ùt consuetudo declarat, vi cujus Episcopus & ejus Vicarius, item capitulum sede vacante, atque Prælati, potestatem quasi Episcopalem in suo territorio exercentes dispensant etiam in impedimentis impedientibus matrimonii, quæ sunt juris ecclesiastici.

Ad 4. Est eadem responsio: Nam ut necessitati fidelium consulatur, sufficit, Episcopos habere facultatem dispensandi in certis casibus & circumstantiis ex tacita vel expressa concessione sedis Apostolicæ. Sed

Quæres 1. Quando Episcopis & Prælatis inferioribus censeatur esse concessa potestas dispensandi in lege Pontificia? Resp. 1. In casibus frequenter occurrentibus in aliqua materia: ùt de observatione festorum & jejuniorum diximus, quia nimis difficile esset fidelibus, in his semper Romam recurrere. 9. *In pluribus tamen casibus est ipsi concessum, ùt in frequentibus,*

2. Quando in casu extraordinario urget necessitas dispensandi, & periculum est in mora, neque ad superiorem facilè recurri potest; tunc enim censetur inferiori concessa facultas dispensandi: cùm hoc suave Ecclesiæ regimen exigat. Unde plures gravissimi DD. censent, posse Episcopum dispensare etiam in voto perfectæ castitatis, aut ingrediendi Religionem, aliàs Papæ reservatis, in casu extraordinario gravissimæ & urgentissimæ causæ, ubi difficilis esset recursus ad Papam, & in mora periculum. Imò pro tali casu non videri reservatum Pontifici; probabiliùs tamen Religiosos, etiam mendicantes, neque pro tali casu dispensare in eo posse. Aliud esset, si emissum esset votum castitatis non perfectæ. *necessariis,*

3. Si materia est levis, & lex non obligat sub mortali. Hæc enim minora cum ipsa jurisdictione concessa esse præsumuntur. *levibus,*

4. Cùm dubium est, an casus indigeat dispensatione: tunc enim vel nulla requiritur, vel sufficit dispensatio Episcopi. *dubiis.*

5. Si consuetudine sit præscripta facultas dispensandi in lege superioris: nam consuetudo legitimè præscripta confert jurisdictionem. *Consuetudine,*

6. Cùm in lege dicitur, dispensari posse. Hoc enim intelligendum est de Episcopis & inferioribus Prælatis.

7. Si habeatur ex speciali privilegio. Sic aliqui Episcopi Germaniæ à sede Apostolica varia obtinent privilegia, singulis quadrienniis vel quinquenniis petenda ac renovanda; e. g. ut tanquam delegati sedis Apostolicæ pro utroque foro dispensare possint cum pauperibus in tertio vel *Privilegio.*

quarto gradu consanguinitatis & affinitatis in ordine ad contrahendum matrimonium, aut permanendum in jam contracto; dispensare item in impedimento publicæ honestatis, orto ex sponsalibus de futuro: in impedimento criminis, si neuter conjugum machinatus est in mortem: in amisso jure petendi debitum &c.

Jure. Quandoque etiam jus ipsum dat nominatim Episcopis potestatem dispensandi. Sic Conc. Trident. *sess* 24. *cap*. 6. *de Reform*. Episcopis amplam dat potestatem *in irregularitatibus omnibus & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus; excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis, deductis ad forum contentiosum*. Item potestatem in foro conscientiæ per se vel per Vicarium, ad id specialiter deputandum, subditos suos absolvendi *à quibuscunque casibus occultis, etiam sedi Apostolicæ reservatis*.

10. *Etiam alii.* In specie autem quoad casus sibi permissos in lege etiam Pontificia dispensare possunt non tantùm Episcopi, sed etiam *Legati Apostolici* cum habitantibus in sua provincia, capitulum sede vacante, Prælati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, & *Prælati regulares* cum suis Religiosis, saltem si sint exempti, quia obtinent jurisdictionem quasi Episcopalem. Imò in quibusdam casibus etiam *Parochi*, saltem ex consuetudine, utì in jejunio quoad personas particulares, quoad laborem servilem die festo &c. per se tamen Parochi jurisdictionem non habent pro foro externo. Neque tantùm cum incolis, sed etiam *vagis* potest superior loci dispensare; Archi-Episcopi autem non possunt dispensare cum subditis suorum suffraganeorum, saltem extra suam propriam Diœcesin; quia extra actualem visitationem non habent in eos jurisdictionem, nisi in causa appellationis. Imò etiam in actuali visitatione habere Archi-Episcopum jus absolvendi subditos sui suffraganei, non autem cum eis dispensandi, docet Suarez cum aliis. De peregrinis dubium est, an Episcopus cum eis dispensare possit; probabilius potest cum illis dispensare saltem quoad constitutiones particulares suæ Diœcesis.

§. V.
An quis secum ipso dispensare possit?

Ratio dubitandi est, quia dispensatio est actus jurisdictionis, nemo autem, propriè loquendo, habet in se ipsum jurisdictionem, utpote quæ tantùm in subditos exercetur. Et hinc superior non potest se ipsum absolvere à censuris, vel aliis pœnis & inhabilitatibus. Deinde de jure Canonico *nemo potest se ipsum instituere in beneficio:* & de jure civili *tutor in rem suam author fieri non potest.* Verùm

11. *Superior etiam se-* Dicendum, quòd superior etiam secum ipso possit dispensare, vel indirectè, quatenus e. g. cum tota Diœcesi dispensat in jejunio, vel alteri delegan-

legando potestatem dispensandi, e. g Confessario; sicut e. g. Papa suo Confessario dat jurisdictionem in se ipsum: vel etiam probabiliùs directè se ipsum eximendo à lege. Ratio est, quia ex una parte Prælatus non debet esse deterioris conditionis, quàm subditi: ex altera verò parte dispensatio est actus jurisdictionis voluntariæ, quæ non semper requirit distinctionem personarum: & dum superior e. g. Papa ipsi dedit potestatem dispensandi, censetur etiam illam concessisse quoad se ipsum. Imò tunc dispensatio potiùs ipsi Papæ adscribenda est. *cum ipso potest dispensare.*

Neque obstat, quòd nemo se ipsum absolvere possit à censura: quia hæc absolutio fit per sententiam judicialem, quam nemo in se ipsum ferre potest. Quoad alias pœnas, si per sententiam sint in ipsum latæ, non potest secum dispensare. Econtra quoad pœnas, quas ipso jure incurrit, potest secum ipso, sicut cum aliis dispensare, ùt docet P. Schmalzgr. de constit. n. 61. 12. *Non tamen se ipsum absolvere.*

Quòd autem nemo possit se ipsum instituere in beneficio ecclesiastico, specialiter pro illa materia beneficiali statutum est; quia turpe videtur, & vel avaritiam, vel ambitionem sapere, si Prælatus sibi ipsi beneficium ecclesiasticum conferat, vel voto suo se ipsum eligat. Aliter se habet in electione Imperatoris, ubi Elector voto suo se ipsum potest eligere. Et Prælatus ecclesiasticus concedens subditis indulgentias, censetur etiam sibi ipsi illas concedere. Unde retorquetur *Aut instituere.*

Similiter, ne tutor in rem suam author fiat, specialiter statutum est, & meritò, quia aliàs pupillus periculum incurreret damni in bonis suis.

Cæterùm cùm dicimus, Prælatum posse secum ipso dispensare, id non intelligimus de summo Prælato, seu de Papa: nam hic non potest secum ipso dispensare: non in lege naturali vel divina, ùt per se patet: sed neque in lege humana, quia illa non obligatur. Propter quam rationem neque Prælatus inferior potest secum ipso dispensare in lege sua propria, vel sui antecessoris; quia videlicet iis non obligatur. Igitur tota quæstio recidit ad casum, quo Prælatus habet potestatem dispensandi in lege superioris, e. g. Episcopus in lege summi Pontificis.

§. VI.

An Prælatus possit dispensare sine causa?

Resp. 2. Legislator in lege sua propria absque causa dispensare potest *validè*, non tamen *licitè*. Quòd *validè* possit, ratio est, quia eadem potestate, qua legem tulit, potest illam vel ex integro, vel ex parte rursus tollere; cùm legis existentia ab ipsius voluntate dependeat: consequenter potest etiam, quos lubet, ab ea eximere. Quòd autem *licitè* non 13. *In lege propria validè dispensat sine causa,*

Non tamen licitè. possit sine justa causa dispensare, ratio est, quia est per se indecens & imprudens, aliquem sine causa à rationabili lege eximere: dum sic Princeps inæqualitatem faciendo vitium acceptionis personarum incurrit, & occasionem præbet querelis eorum, qui soli portare debent onera, aliis sine causa exemptis. Neque dicas, quòd lex dependeat à voluntate legislatoris; nam ita ab ea dependet, ut tamen teneatur prudenter uti sua potestate. Hinc Tridentinum seff. 24. c. 5. de Reform. matrim. ait: *In matrimoniis contrahendis vel nulla omnino detur dispensatio, vel rarò, ídque ex causa & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.* Seff. 25. cap. 18. de Reform. verò universim in dispensationibus justam causam requirit. Sic enim loquitur: *Sciant universi, sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistinctè observandos. Quodsi urgens, justáque ratio, & major quandoque utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis à quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum, alitérque facta dispensatio subreptitia censeatur.*

Sed neque aliquid probant, quæ contra objici solent: nam legislator nequidem ferre legem potest sine causa boni communis. Et quamvis Princeps remittere alicui possit tributa absque causa, tunc tamen se habet instar personæ privatæ: in dispensatione verò agit personam publicam. Licèt autem in petendis dispensationibus non semper assignetur causa, non tamen sine causa conceduntur: qualis e. g. sunt merita erga Ecclesiam, vel præterita, vel futura, & exinde speranda. Notant tamen DD. quòd si legislator in lege propria sine justa causa dispenset, secluso scandalo, & notabili damno aliorum, solùm committat peccatum veniale: eò quòd non videatur gravis deformitas in eo, quòd pars se non conformet toti. Hinc quando Trident. l. cit. graviter prohibet dispensationem sine causa, eámque pro subreptitia vult censeri, intelligendum id est pro casu, quo gravis inordinatio, & publici boni damnum ex dispensatione oritur.

14. *In lege verò superioris neque validè.* Resp. jam 2. Inferior in lege superioris nec validè nec licitè dispensat absque justa causa, quia superior non potest censeri dare facultatem dispensandi sine rationabili causa. Consequenter dispensans egrediens limites suæ potestatis nulliter agit *c. cùm dilecta 22. de rescript. & l. diligenter 5. ff. mandati.*

Cæterùm justæ causæ dispensandi censentur, necessitas, utilitas, pietas, misericordia, æquitas, gratitudo, &c. Censent autem DD. validè & licitè dispensari, modò dispensans rationem verè probabilem de sufficientia & justitia causæ habeat: subditum autem, qui bona fide proponit causas dispensandi, posse esse securum de obtenta dispensatione. Licèt aliàs

aliàs diſpenſationes, utpote vulnera legum, ſint ſtrictæ interpretationis, nec extendendæ, niſi ad acceſſoria & inſeparabiliter connexa. Ipſa tamen poteſtas diſpenſandi dicitur eſſe amplæ interpretationis: unde diſpenſatio in dubio cenſetur valida & licita, poſſuntque ii, qui habent poteſtatem diſpenſandi *ordinariam*, eam alteri delegare.

Quæres 1. Quænam in ſpecie ſint cauſæ juſtæ, diſpenſandi in impedimentis matrimonii? ℞. 1. Evitatio peccati, ſcandali, infamiæ, gravis inimicitiæ. 2. Defectus dotis competentis ut non poſſit nubere extraneo æqualis conditionis: aut ſi fœmina 24. annorum alium virum paris conditionis non inveniat. 3. Anguſtia loci; ſi verè omnes ſint conſanguinei aut affines. 4. Conſervatio familiæ illuſtris, aut bonorum in familia magnatum. Item dignitas perſonarum, ac nobilitas, vel excellentia officiorum. 5. Præclara merita in Eccleſiam, etiam tantùm conſanguineorum, vel intercedentis pro obtinenda diſpenſatione. Tridentinum tamen decernit, ut *in contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel rarò, idque ex cauſa, & gratis.* 15. *Cauſæ diſpenſandi in impedimentis matrimonii.*

Quæres 2. Quænam cauſæ diſpenſandi in voto caſtitatis aut Religionis? ℞. 1. Periculum valdè magnum incontinentiæ, ſeu frequentis lapſus carnalis. 2. Difficultas valde notabilis exequendi votum. 3. Majus bonum publicum, quod ſperatur ex nuptiis, e. g. ad pacem publicam, ad conſervandam familiam valde illuſtrem, vel ad avertendum grave malum propriæ domus. 4. Ceſſatio cauſæ, propter quam voviſti. E. g voviſti caſtitatem ex ſpe ingrediendi religionem: nunc autem non potes impetrare ſuſceptionem. 5. Quando ſupervenit dubium, an materia voti non ſit facta inutilis, mala, aut majoris boni impeditiva. 6. Si metu, etiam levi, aut dolo eſt extortum. 7. Si dubites, an ſatis deliberatè ſit emiſſum. 16. *In voto.*

§. VII.

De Ceſſatione Diſpenſationis.

Quæritur, quando & quomodo diſpenſatio, legitimè facta, ceſſet? Reſp. Ceſſat per revocationem diſpenſantis, aut ejus ſuperioris ac ſucceſſoris, item per lapſum temporis præfixi, ac per ceſſationem cauſæ finalis adæquatæ. Hinc diſpenſatus in jejunio præcisè propter morbum, eo ceſſante rurſus ſubjectus eſt legi communi. Unde etiam ceſſat, ceſſante quacunque cauſa, cui diſpenſans voluntatem ſuam determinatè ac præcisè noſcitur alligâſſe. 17. *Ceſſat revocatione. Ceſſante cauſa &c.*

Aliud eſt, ſi diſpenſatio jam eſſet redacta ad actum irrevocabilem. Sic licèt cauſa diſpenſandi ceſſet poſt contractum jam matrimonium, editam

tam professionem religiosam, obtentum beneficium &c. non tamen cessat dispensatio, aut ejus effectus.

Cessat etiam dispensatio, si sit alligata certo loco, tu verò ex illo egrediaris. Sic licèt legatus Apostolicus per Helvetiam impertiverit mihi dispensationem circa lectionem librorum prohibitorum, quia tamen illam tantùm pro sua Provincia concessit, ex illa egresso nova dispensatione opus fuit. Non tamen per se cessat morte dispensantis, nisi nempe ad tempus suæ vitæ eam restrinxisset; aut à successore revocetur.

Sicut autem per se non tenetur superior dispensare (quia est gratia) nisi videlicet gravis necessitas vel utilitas publica exigat, vel lex dicat, dispensari debere: sic potest etiam cum invito dispensari; quia liberum est legislatori legem ponere, & positam rursus tollere. Non tamen censetur invito obtrudere velle dispensationis beneficium: adeóque regulariter dispensatio cessat etiam per resignationem aut renuntiationem ipsius dispensati.

§. VIII.

Quomodo dispensatio petenda à Sede Apostolica?

18. *Modus petendi dispensationem à Dataria.*

Resp. Pro dandis dispensationibus duplex Romæ erectum esse tribunal. Alterum ex iis vocatur *Dataria*, quæ dispensat etiam pro foro externo: debétque *Oratoris* seu supplicantis proprium nomen, simúlque Diœcesis (vel Diœcesium, si plures sint supplicantes e. g. circa dispensandum in impedimentis matrimonii) exprimi: solutis simul expensis ac taxa pecuniaria, nisi expetatur & expediatur dispensatio *in forma pauperum*. Quando scilicet oratores veram paupertatem allegant, quòd nempe ultra sustentationem statui suo convenientem non habeant, ac insuper sint *miserabiles*, hoc est, qui proprio labore & industria tantùm vivant: debéntque hujus paupertatis testimonium ab Ordinario petere, ac Romæ exhibere.

Litteræ autem supplices diriguntur ad Papam, exponendo veras causas petendi dispensationem, sine ob & subreptione. Exteriùs pariter fit inscriptio summo Pontifici, qui deinde dispensationem, per Cardinalem Datarium expeditam, dirigit ad Vicarium Generalem Diœcesis, eíque mandat, ut servatis certis clausulis, ibi expressis dispenset cum Oratoribus, idque gratis omnino; nam tantùm Datariæ *compositionem*, ùt vocant, seu taxam pecuniarum debent persolvere.

Porro Dataria adhuc alia duo tribunalia sub se complectitur, in quibus expediuntur dispensationes in impedimento consanguinitatis & affinitatis, videlicet *Cancellariam*, ubi in secundo & tertio gradu, & *Præfecturam*

cturam Brevium, in qua in primo affinitatis gradu dispensatur ad matrimonium contrahendum, aut in contracto persistendum.

Alterum tribunal est *sacra Pœnitentiaria*; à qua datur dispensatio pro solo foro interno, idque circa triplicem materiam, nempe 1. circa *vota* e. g. castitatis ad petendum debitum post matrimonium contractum, aut Religionis ineundæ propter vires debiles, aut gravem metum incontinentiæ. 2. Circa *impedimenta occulta matrimonii* contrahendi vel contracti (excepto impedimento consanguinitatis, in quo non dispensat Pœnitentiaria ad contrahendum, sed tantùm ad permanendum in contracto: & quidem tantùm in tertio vel quarto gradu.) Denique 3. Circa *varias censuras & irregularitates occultas*, item ad condonandam obligationem restitutionis ob neglectas horas canonicas, aut ad commutandum onus recitationis horarum in aliud opus pium. *Occultum* autem delictum est, quod neque facto neque jure est notorium. 19. *à Pœnitentiaria.*

Si autem à S. Pœnitentiaria petatur dispensatio, non exprimuntur vera nomina dispensandorum, sed tantùm ficta, e. g. *Caius*, *Bertha*, *&c.* aut per litteras A. B C. neque ullæ solvuntur expensæ aut taxa. 20. *Modus scribendi.*

Litteræ verò (in quibus exprimendum factum cum necessariis circumstantiis ac causis dispensandi, nihil addendo falsi, aut reticendo veri, per quod absterreri à dispensando posset) diriguntur vel ab ipso oratore, vel ab alio ejus nomine, ad Majorem Pœnitentiarium, seu Cardinalem Pœnitentiarium, cum titulo: *Eminentissime ac Reverendissime Domine Domine.* Exteriùs autem sic fit inscriptio: *Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Domino S. R. E. Cardinali Majori Pœnitentiario. Romæ.*

In fine litterarum additur: *Dignetur sua Eminentia responsum dirigere Oenipontum ad me infra scriptum.*

Litteræ autem dispensatoriæ (involucro clausæ) Româ mittuntur ad eum, qui pro se, vel pro alio vel aliis dispensationem petiit, cum inscriptione exteriùs facta: *Discreto viro Confessario ex approbatis ab Ordinario, per latorem* (vel latricem) *præsentium eligendo.* Litteræ autem Romanæ una cum litteris supplicantis ad confessarium missæ, quando e. g. petita est in restituendis fructibus ob non recitatas horas dispensatio, ita circiter sonabunt: *Sacra Pœnitentiaria tibi Confessario, à Latore electo, concedit facultatem, ipsum latorem, si ita sit, audita priùs ejus sacramentali confessione ob omissionem recitationis præfatarum horarum canonicarum authoritate Apostolica absolvendi, illique fructus ex dicto beneficio hactenus male perceptos, mediante aliqua eleemosyna, arbitrio tuo taxanda, gratiosè condonandi.* Debet autem Confessarius per se esse doctor Theologiæ aut SS. Canonum (nisi Roma aliter ordinaverit, aut aliis etiam hujusmodi litteras aperiendi privilegium de-

 derit,

derit, ùt dedit Gregorius XIII. PP. Societatis JEſu, à ſuperioribus ſuis ſpecialem ad id licentiam habentibus.)

21. *Modus exequendi diſpenſationem.* Poſtquam autem ille, ad quem Româ miſſæ ſunt, litteras accepit, debet eas (reſerato involucro ſibi inſcripto) ſigillatas tradere oratori (vel oratrici) potéſtque orator eligere Confeſſarium, quemcunque velit, modò prædictas qualitates habeat: huic igitur à ſe electo Confeſſario orator tradit litteras obſignatas, reſerandas ab eo & legendas, atque apud eum deponit confeſſionem ſacramentalem, in qua Confeſſarius examinat, an preces veritate nitantur, & omnia ita ſe habeant (quia non eſt merus executor, ſed Judex delegatus) debétque credere oratori, niſi aliunde ſciret, eſſe falſa, potéſtque opera præſcripta ſecundùm circumſtantias moderari, ſed non omnino condonare. Tum verò data priùs ſecundum formam conſuetam ſacramentali abſolutione, poſt illa verba: *Ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine &c.* addere debet (e. g. ſi petita ſit diſpenſatio in impedimento matrimonii jam contracti) *Et eadem auctoritate declaro, te in dicto matrimonio manere, debitum conjugale reddere poſſe & debere: diſpenſo etiam tecum, ut idem debitum petere licitè poſſis, in nomine Patris &c.*

Data autem abſolutione & diſpenſatione debet litteras S. Pœnitentiariæ lacerare, vel alio modo, e.g. amoto ſigillo deſtruere, ut ad probandum pro foro externo nihil omnino valeant: aliàs incurrit excommunicationem, quia pro ſolo foro interno Pœnitentiaria concedit diſpenſationem. Unde ſi poſtea impedimentum e. g. matrimonii innoteſceret, & deduceretur ad forum contentioſum, deberent ſeparari, niſi nova diſpenſatio pro foro externo à Dataria obtineatur. Cæterum diſpenſatio Româ dimiſſa non exſpirat, licèt re adhuc integra moriatur Pontifex aut Cardinalis Pœnitentiarius.

Illud adhuc notari poteſt, præter Majorem Pœnitentiarium, qui ſemper eſt Cardinalis, conſtitutos eſſe Romæ in tribus præcipuis Baſilicis alios quoque Pœnitentiarios ſubordinatos ac *Minores*, nempe in Vaticana PP. Societatis JEſu, in Lateranenſi PP. Franciſcanos Reformatos, & ad Mariam Majorem PP. Dominicanos, quibus executio, ſi ſupplicantes exiſtant Romæ, ſæpius committi ſolet. Ad quos, ſi non placeret immediatè ad Cardinalem Pœnitentiarium ſcribere, pro diſpenſatione procuranda ſcribi poteſt, vel ad Procuratorem Generalem alicujus Religioſi ordinis Romæ degentem.

Qui plura deſiderat de forma & praxi diſpenſationem tam pro foro interno tantùm, quàm etiam pro foro externo, conſulat Thomam Sanchez *lib.* 8. *de matrim. præſertim diſput.* 34. Pyrrhum Corradum *in Praxi diſpen-*

dispensat. lib. 7. & 8. Anacletum Reiffenstuel in *append. libr.* 4. *Decret.* & Vitum Pichler ad *tit. de matrim. contracto contra &c.* §. 2. & 3.

CAPUT VI.

De Rescriptis.

SUMMARIUM.

1. *Rescripta publicè promulgata habent vim legis.*
2. *Alia gratiæ, alia justitiæ.*
3. *Quis dare possit.*
4. *An excommunicati possint accipere.*
5. *Stylus Curiæ Romanæ.*
6. *Quid exprimendum.*
7. *Datum motu proprio sanat regulariter vitium subreptionis.*
8. *Quid operentur clausulæ:* si preces veritate nitantur: salvo jure tertii, non obstantibus &c.
9. *Vitiosum rescriptum quando censeatur.*
10. 11. *Ob- vel sub- reptitiè per dolum obtentum est ipso jure nullum.*
12. *Licèt dolus non sit causa concessionis.*
13. *Et quidem ante omnem sententiam, saltem pro foro interno: & de jure Canonico.*
14. *Valet tamen quoad Judicem delegatum de jure civili. Qui de causa etiam principali potest cognoscere & judicare.*
15. *Quando sub- vel ob- reptio non est dolosa, valet rescriptum, si Princeps tamen daturus fuisset: puta, si subsistat causa finalis, ac principalis, nec deficiat forma substantialis.*
16. *De præsentatione rescripti.*
17. *An incipiat valere à die* datæ *vel* acceptæ.
18. *Rescripta regulariter sunt strictæ interpretationis.*
19. *Quibus committenda eorum executio.*
20. *Quando exspiret potestas per illa delegata.*
21. *Quid? si quis plura de eadem re obtinuit rescripta.*
22. *De rescriptis Moratoriis.*

§. I.

Quid, & quotuplex sit Rescriptum?

Ad tractatum de Legibus pertinent etiam *Rescripta Principum*, *data quidem ad consultationem*, *vel supplicationem alterius*, quæ tamen vim legis sortiuntur, quando publicè promulgantur, aut corpori Juris inseruntur. 1. *Rescripta publicè promulgata habent vim legis.*

Ut patet ex libris decretalium & Codicis, qui majori ex parte compositi sunt ex rescriptis Pontificum aut Imperatorum, initio quidem ad privatos missis, dein verò per insertionem in corpus juris canonici vel civi-

civilis, ac publicam promulgationem vim legis nactis. Secus verò jus quidem illi rescriptum affert, cui datur: non autem parit jus commune.

Sicut autem consuetudo alia est contra jus, alia præter jus, alia secundùm jus, sic etiam rescriptum. Præcipua tamen ejus divisio est in *Rescriptum gratiæ*, & *Rescriptum justitiæ*. Rescripta gratiæ dantur ex liberalitate Principum, quibus nempe favor aliquis, beneficium, privilegium, dispensatio, exemptio, vel indulgentiæ conceduntur.

2. *Rescriptum gratiæ & justitiæ.* *Rescripta justitiæ*, sive *ad lites* vocantur, quæ dantur in ordine ad declarandum jus dubium, aut justitiam administrandam, e. g. quando Princeps causæ alicujus ad se delatæ cognitionem delegat alteri.

Inter hæc assignant aliqui quasi medium seu *mixtum*, quando simul gratiam & justitiam complectitur.

In dubio autem præsumitur potiùs esse Rescriptum justitiæ: nam gratia tanquam donatio aliqua debet probari.

§. II.

De causa efficiente Rescripti.

3. *Quis dare possit.* Rescriptum dare potest Princeps, præsertim supremus, ut Papa, Imperator, Rex, aliíque superiorem non agnoscentes, ùt respublicæ independentes: cùm enim polleant suprema potestate legislativa, ac dominio alto, rescripta gratiæ & justitiæ possunt concedere contra jus humanum, præter jus, & secundùm jus. Imò inferiores etiam Principes ac legislatores, in quantum eorum potestas se extendit; quamvis horum litteræ non ita propriè vocentur *rescripta*, sed potiùs *responsa*, *litteræ commissionis &c.*

Ad causam efficientem rescripti reduci etiam potest orator, seu is, qui petit & obtinet illud. Omnis autem est capax obtinendi pro se Rescriptum, qui non specialiter prohibetur.

4. *Quis accipere.* Prohibentur autem à sede Apostolica rescriptum petere hæretici, item excommunicati, excommunicatione majore, etiam tolerati, ita quidem, ut rescriptum, à tali impetratum regulariter sit omnino invalidum, & ipso jure nullum. *c.* 1. *h. t. in 6.* quia regulariter excommunicatio facit omnino inhabilem. Hodie autem de stylo Curiæ Romanæ plerisque rescriptis solet inferi absolutio à censuris, quoad effectum illius rescripti duntaxat consequendum.

An excommunicatus. Dixi autem *regulariter*, nempe extra casus, à jure exceptos. Sic 1. valet rescriptum, obtentum ab aliquo in ipsa causa suæ excommunicationis: aliàs non haberet medium ad sui defensionem, & impetrandam absolutionem. *c.* 1. *cit.*

2. Si

2. Si Papa sciens excommunicationem rescribit: nam tunc præsumitur dispensâsse. Et hinc, ùt dictum, curia Romana rescriptis ordinariè inserit absolutionem à censuris, ut rescripta sint valida, & effectum sortiantur.

3. Si excommunicatio sit lata sub conditione necdum impleta, aut primùm post acceptum rescriptum justitiæ incidat in excommunicationem: tunc enim valeret, licèt impetrans per exceptionem repelli posset.

4. Si rescriptum sit concessum ab Episcopo, vel alio ordinario Papâ inferiore, quia non est adeò propriè rescriptum; aut si concessum sit à Principe sæculari, quia dispositio juris Canonici ad hoc non est extendenda, utpote odiosa.

Cæterùm potest quis etiam pro alio impetrare rescriptum gratiæ, sine speciali mandato: imò etiam justitiæ personis conjunctis, e. g. consanguineis vel affinibus.

§. III.
De causa formali Rescripti.

Forma rescripti consistit in legitima illius expeditione, ad quod requiritur 1. Ut observetur stylus curiæ: nempe, ut præponatur nomen Pontificis vel Imperatoris, annus Christi, Pontificatus vel Imperii, dies, locus: atque ut Papa Episcopos nominet *Venerabiles Fratres*, Reges autem, Principes & alios *Dilectos Filios*. Item ut rescripta gratiæ ornentur filo serico rubri coloris: justitiæ verò filo cannabino, à quo dependet plumbum. 5. *Servandus stylus curiæ.*

2. Ut habeat tres partes, nempe 1. Narrationem supplicantis, velut speciem facti. 2. Petitionem. 3. Conclusionem Principis seu dispositionem, cum consuetis clausulis. Semper tamen subintelliguntur istæ: *Salvo jure tertii: si preces veritate nitantur.* Imò *l. fin C de divers. rescrip.* expressè requiritur hæc clausula ad rescripta Imperialia.

3. Ut exprimatur jus tertii, rescriptum jam priùs in eodem negotio obtentum, & quidquid moveret ad rescriptum non dandum, vel non dandum hoc modo. Specialiter verò in rescripto justitiæ exprimi debet, an lis jam pendeat, & coram quo judice. Judicis petiti distantia ultra diætam, seu decem horas à Diœcesi adversarii: non enim præsumitur Pontifex in tam distantem locum velle vocare partes, nisi id exprimat. Exprimi etiam debet, si jam lata sit sententia, aut interposita appellatio vel deserta, facta transactio, laudum &c. 6. *Quænam exprimenda.*

In rescripto autem *Beneficiali* exprimi debet beneficium, quod jam possidetur, item illud, quod petitur: item jus ad illud, qualitas ejusdem,

modus, quo vocat, quis sit in illius possessione, vel detentione, reditus illius, nomen Sancti Ecclesiæ, in qua vacat, aut petitur, nisi sit Ecclesia cathedralis.

Notandum tamen, Canonicatus omnes Germaniæ & Hispaniæ à Romana curia taxari tantùm ad 24. aureos. Adeóque etiam quoad rescripta hi tantùm reditus sunt significandi.

Porro, si rescriptum petatur in *forma pauperum*, seu in *forma communi*, quando nempe petitur beneficium à Clerico paupere, ipsíque confertur, debet fieri mentio illius patrimonii.

7. *Datum motu proprio.* Datur autem rescriptum aliud *motu proprio*, aliud *ad instantiam*. Motu proprio dicitur concedi gratia, quando illa non est petita, aut quando quidem est petita, princeps tamen in rescripto addit, se motu proprio illam concedere. Hæc autem verba sanant vitium subreptionis, si non sit contra jus tertii jam quæsitum, aut persona sit inhabilis, e. g. irregularis, aut laborans impedimento, aut taceatur qualitas intrinseca beneficii, e. g. quòd sit curatum. In his enim tribus casibus per clausulam *motu proprio* non tollitur jus tertii, inhabilitas, impedimentum, nisi id exprimatur.

Ad instantiam. *Ad instantiam* rescriptum concedi dicitur, quando Princeps inductus est præcibus impetrantis, & ita concessum præsumitur, quoties in litteris non exprimitur, id concedi motu proprio. *c.* 23. *de præbend. in* 6.

Aliæ insuper rescriptis addi solent clausulæ, vel saltem subintelligi: quales sunt 1. *Si preces veritate nitantur. L.* 7. *C. de diversis rescriptis.* Nam hæc clausula invalidum reddit rescriptum, si res non ita se habeat in puncto aliquo substantiali, quia Princeps censetur alligare suam voluntatem narrationis veritati, præsertim in rescriptis gratiæ & quoad substantialia.

8. *Variæ clausulæ.* 2. Additur, vel subintelligentur clausula *salvo jure tertii:* quia Princeps non censetur derogare juri alterius, nisi id exprimat. Unde rescriptum est ipso jure nullum, quod cedit in damnum tertii.

3. In rescripto beneficiali clausula: *Si is, cui confertur, dignus sit*, hoc est, si non laboret impedimento canonico, facit rescriptum invalidum, si sit indignus.

Clausulis *derogatoriis*, quibus e. g. dicitur: *Non obstantibus quibuscunque privilegiis, sub quacunque forma concessis*, non censetur derogatum privilegiis in corpore juris clausis, benè tamen aliis privilegiis ac prioribus dispositionibus, quæ non sunt in corpore juris; nisi essent munitæ clausula prægnante, seu *derogatoriarum derogatoria*, hoc est tali, qua privilegia adeò firmiter conceduntur, ut per nullam constitutionem revocata censeri debeant, nisi expressa & specifica mentione iis derogetur. Nam talia

talia ex mente concedentis non includuntur in generali revocatione. Idem dicendum de privilegiis, conceffis per modum pacti, e. g. in compenfationem meritorum; nam ut iftis derogetur, requiritur eorum fpecialis mentio.

§. IV.
De vitiis Refcripti.

Vitiofum cenfetur refcriptum, quando forma prædicta juxta ftylum curiæ non obfervatur, ac neceffaria non exprimuntur, e.g. fi fit contra jus commune, fine claufule ejusdem derogatoria *c.* 15. 25. *quæft.* 2. ibi: *Refcripta, contra jus elicita, ab omnibus Judicibus præcipimus refutari: nifi fortè eft, quod non lædat alium, & profit petenti, vel crimen fupplicantibus indulgeat.* Ratio eft: quia præfumitur Princeps non velle uno refcripto tollere jus, tam maturo judicio infertum corpori juris, nifi id exprimat. Sicut etiam non cenfetur derogare confuetudini legitimè præfcriptæ, nifi exprimat. 9. *Vitiatur refcriptum Si fit contra jus commune fine claufula derogatoria.*

Sic etiam cenfetur vitiofum, fi non exprimat jus tertii: fi impetretur poft tranfactionem jam initam, aut poft appellationem defertam: fi delegetur Judex incertus, ad arbitrium petentis eligendus, aut in præjudicium Judicis ordinarii delegetur Judex pro omnibus caufis & negotiis, aut fi committatur aliquid infolitum ac nimis durum, aut contra bonum publicum. Item fi contineat manifeftos errores, rafuram, lituram, cancellationem in loco fufpecto, aut parte fubftantiali, præfertim in conclufione, quam non fit credibile in curia Principis irrepfiffe, aut contigiffe. Sæpiùs tamen ejusmodi nævi præfumi poffunt in curia contigiffe, fi litteræ adhuc claufæ & figillatæ offerantur. *Aut contra jus tertii.*

Præcipuè autem vitiatur refcriptum per *ob & fubreptionem. Obreptio* contingit, quando exprimitur falfum: *fubreptio* verò, quando reticetur verum. Et tunc dicitur refcriptum *ob-vel fubreptitiè* obtentum, ac meritò præfumitur deeffe confenfum in concedente; cùm in refcriptis addatur vel fubintelligatur hæc claufula: *Si preces veritate nitantur*, & confenfui nihil magìs fit contrarium quàm error. 10. *Per ob-& fubreptionem.*

CONTROVERSIA,
An & quomodo per ob-vel fubreptionem Refcriptum fiat invalidum?

Refp. 1. Refcriptum tam juftitiæ, quàm gratiæ eft ipfo jure nullum, quando eft obtentum per ob-vel fubreptionem *dolofam* ac *malitiofam*. Colligitur ex c. 15. & 16. h. in quibus dicitur, quod *fraus & dolus alicui patrocinari non debeat:* quòd *mendax precator careat penitus impetratis.* cap. verò 20. dicitur: *Qui per fraudem vel malitiam falfum exprimunt, vel fupprimunt* 11. *Ipfo jure nullum.*

veritatem, in suæ perversitatis pœnam nullum ex litteris commodum consequantur. Adeóque irritatur totum rescriptum quoad omnes partes, si tendant ad eundem finem.

Etiam gratiæ. Quamvis autem textus citati loquantur de rescriptis justitiæ, extenduntur tamen etiam excommuni DD. & Interpretum ad rescripta gratiæ, vel potiùs hæc etiam in lege comprehensa censentur: cùm ratio allata, nempe quòd fraus nemini patrocinetur &c. potiùs pugnet contra rescripta gratiæ. Nam his, si valent, totum negotium est confectum; quoad rescripta autem justitiæ, cùm ordinariè tantùm Judex delegetur, subeundum adhuc est fraudulento judicium, in quo contra dolosum rescriptum excipi potest, aut si non excipiatur, potest condemnari.

12. *Licèt dolus non sit causa.* Procedit hæc responsio etiam in casu, quo dolosa expressio falsitatis, aut suppressio veritatis non est causa concessionis: nam ùt ex citatis Canonibus constat, indistinctè vitiatur rescriptum per dolum.

Aliud si tantùm circa accidentale. Si tamen falsitas dolosè expressa non versaretur circa substantiam causæ, sed tantùm circa aliquid extrinsecum, aut accidentale, quod ad causam vel negotium per se non pertineat, rescriptum valeret; quia rescriptum tantùm vitiatur per reticentiam eorum, quæ exprimi debent, aut per expressionem falsam eorum, quæ per se ac intrinsecè pertinent ad causam, aut secundùm praxin & stylum curiæ necessariò requiruntur. Atque hæc satis certa.

Majus autem dubium est, an nullitas rescripti dolosè impetrati oriatur ante omnem sententiam Judicis, etiam declaratoriam criminis seu doli commissi? Ratio dubitandi est, quia c. 20. de rescrip. habetur, quòd *in perversitatis suæ pœnam nullam ex litteris suis commodum consequantur.* Sed pœnæ non videntur incurri ante omnem sententiam.

13. *Nullum est ante sententiam.* Sed dicendum: Rescriptum gratiæ ob- vel subreptitiè per dolum obtentum ante omnem sententiam esse nullum, saltem pro foro interno. Nam licèt nullitas rescripti in pœnam perversitatis sit statuta, hæc tamen pœna est merè negativa, non privans aliquo jure antecedenter jam quæsito, talis autem pœna incurritur ante omnem sententiam. Et cur gaudeat gratiâ aut privilegiô, per dolos & fraudes impetrato? Sic enim *mendax precator non careret penitus impetratis:* cùm concessio privilegii ac gratiæ ante sententiam Judicis valeret, quæ sæpè propter defectum actoris, aut alias circumstantias non ferretur. Dixi autem; *saltem pro foro interno:* nam impetrans rescriptum dolosè non potest bona conscientia eo uti: si tamen contra conscientiam suam illud executori gratiæ obtulerit, debet is de veritate precum cognoscere, & an non dolosè sit obtentum; detecto autem dolo, debet rescriptum irritum declarare & precatorem dolosum repellere. Ex quo patet, rescriptum etiam vitiosum

Saltem pro foro interno.

osum (nisi dolus esset notorius) tantisper sustineri quoad potestatem executori datam ad examinandum ipsum rescriptum & cognoscendum, an preces veritate nitantur: & sic quoad forum externum non esse omnino nullum ante sententiam Judicis delegati, aut executoris.

Idem probabiliùs etiam de rescriptis justitiæ est dicendum: quòd nempe etiam delegatio Judicis dolosè obtenta ante omnem sententiam Judicis sit nulla: saltem de Jure Cauonico & pro foro interno, *quia mendax precator penitus debet carere impetratis. c. 15. b.* Ergo etiam carere debet Judice delegato impetrato, ejúsque actis, *quia fraus & dolus alicui patrocinare non debet.* c. 16. h. 1. & c. 20. non tantùm expresè dicitur, quòd dolosè obtinens rescripta *nullum ex iis commodum consequatur:* sed etiam additur, *ita videlicet, quòd delegatus (postquam sibi de hoc facta fuerit fides) nullatenus de causa cognoscat.* Quibus verbis Judici delegato, postquam sufficienter agnoscit, litteras malitiosè esse impetratas, adimi videtur omnis potestas de causa ipsa cognoscendi & judicandi; nam ùt paulò antè dictum de executore gratiæ, de veritate rescripti, & an preces veritate nitantur, potest etiam Judex delegatus cognoscere, imò debet, si dolus non sit notorius ac certus. Unde quoad hanc potestatem, Judici delegato concessam, rescriptum non est omnino nullum, licèt per ob- vel subreptionem dolosam sit obtentum. Cognito autem sufficienter dolo, debet rescriptum irritum declarare, & ad cognitionem causæ principàlis non procedere. Hoc enim solum *c. 20. cit.* videtur prohibitum.

Dixi autem, *saltem de jure Canonico:* nam aliud fortè est de Jure civili. Difficultatem movent quædam leges: quia *l. 2. C. si contra jus.* habetur: *Si præscriptione* (exceptione) *mendaciorum opposita: sive in juris narratione mendacium reperiatur: sive in facti, sive in tacendi fraude, pro tenore veritatis, non deprecandis affirmatione, datum Judicem cognoscere debere, & secundùm hoc de causa convenit ferre sententiam.* Ubi planè Judici datur potestas cognoscendi & judicandi de causa, etiam postquam exceptio de rescripto per mendacium impetrato interposita, ac fraus detecta est.

Et canonico.

14. *Aliud de jure civili quoad Judicem delegatum.*

Neque dicas 1. Hîc non esse sermonem de Judice *delegato;* sed de ordinario, qui non habet potestatem judicandi vi rescripti, sed vi juris ordinarii: consequenter licèt rescriptum sit invalidum, eum tamen posse cognoscere & judicare. Hoc, inquam, dici non potest: nam quid opus per rescriptum Judici ordinario dare potestatem judicandi, quam aliunde vi sui officii habet? deinde lex expresè loquitur de Judice *dato:* atqui per Judicem *datum* leges designant Judicem delegatum. Ergo hac lege Judici delegato datur potestas judicandi de causa, etiam postquam ipsi compertum est, rescriptum malitiosè esse obtentum.

Neque dicas 2. Hanc legem non loqui de mendacio doloso, sed per igno-

Qui potest

causam cognoscere & judicare

ignorantiam vel errorem commissο. Nam quis unquam innocenter est mentitus, aut per ignorantiam, cùm mendacium sit locutio contra mentem? & cur precator in petitione rescripti circa jus vel factum mentiatur, nisi ut decipiat, & per fraudem obtineat rescriptum, quod sine mendacio obtinere desperat? Deinde lex apertè dicit, Judicem datum debere de causa cognoscere & judicare, licèt rescriptum *tacendi fraude* sit obtentum. Quòd autem per hanc legem Judici delegato non tantùm detur potestas cognoscendi de veritate & valore rescripti, atque de eo ferendi sententiam, sed etiam cognoscendi de ipsa causa principali, ad quam judicandam est delegatus, atque de ea sententiam ferendi, ratio est: quia lex dicit, quòd delegatus etiam comperto mendacio aut fraude, pro tenore veritatis ad cognoscendam & definiendam per sententiam causam debeat procedere. Et planè de causa ferre sententiam non tantùm est de rescripto ferre sententiam. Neque tamen supplicans ex mendacio aut fraude fert commodum: quia judex delegatus secundùm merita causæ & rigorem justitiæ debet judicare, & si suspectus sit, potest pars altera contra eum excipere. Cæterùm nihil est novi, quòd princeps aut respublica etiam illi, qui fraude adeptus est officium Judicis, det jurisdictionem, ut acta illius valeat, ùt patet in Barbario Philippo. Quantò ergo magìs poterit dare jurisdictionem innocenti, quando tantùm alius quispiam commisit fraudem.

Licèt fraude sit obtentum.

Rursus *l. & si* 4. *eod.* dicitur: *Etsi non cognitio causæ, sed executio mandatur de veritate precum inquiri oportet, ut, si fraus intervenerit, de omni negotio cognoscatur.* Ubi iterum Judici delegato datur potestas de tota causa cognoscendi, licèt rescriptum per fraudem sit obtentum. Ergo quoad Judicem datum seu delegatum videtur validum esse rescriptum ob vel subreptitiè fraudulenter obtentum, saltem ante sententiam Judicis, qua aut irritet rescriptum, aut rescindat, aut saltem declaret dolum commissum. Certè pro foro externo videtur omne rescriptum, etiam Pontificium, interim sustineri, donec Judex delegatus de veritate precum cognoscat: hoc enim ipsi per rescriptum demandatur, ut examinet, an preces veritate nitantur, an non sub- vel obreptitiè sit obtentum. Ergo saltem quoad hanc cognitionem valida est potestas Judici delegato per rescriptum data, licèt postea dolosè obtentum deprehendatur. Unde jus Canonicum *c.* 20. *cit.* non prohibet Judici delegato de veritate precum, & an rescriptum dolosè sit obtentum cognoscere; sed tantùm vetatur, dolo detecto, de causa ipsa principali cognoscere: de jure civili autem neque hoc videtur ipsi esse prohibitum, sed potest ad ipsius etiam causæ principalis discussionem procedere, nisi Princeps, qui rescripsit, exceptioni alterius partis deferat, & rescriptum aut rescindat, aut irritum esse declaret. Si autem pars altera

non

non excipiat contra rescriptum, aut princeps exceptioni non deferat, valida erit sententia Judicis delegati, relicta parti condemnatæ via appellationis, aliisque Juris remediis.

Resp. Jam ad controversiam propositam 2dò; Quando ob- vel subreptio non contingit malitiosè, sed per simplicitatem aut ignorantiam inculpabilem, tunc pariter rescriptum est invalidum, si Princeps, exposita sincerè veritate, non fuisset daturus rescriptum. Tunc autem censetur non fuisse daturus, quando non subsistit causa finalis, aut impulsiva seu motiva principalis, vel deficit forma substantialis. Ratio est: quia tunc deest voluntas & consensus Principis, cui nihil tam est contrarium, quàm error. 15. *Aliud de obtento non dolosè*

Quando autem subsistit causa finalis, aut motiva principalis, nec deficit aliquid ad formam substantialem pertinens, sed ob- vel subreptio tantùm circa aliquid aliud ex simplicitate aut ignorantia contingit, rescriptum est validum: quia censetur Princeps daturus fuisse illud, licèt obreptio vel subreptio illa accidentalis non contigisset. Unde poterit in tali casu Judex delegatus procedere etiam in causa principali, sibi commissa; non tamen secundum formam in rescripto præscriptam, sed secundùm ordinariam: e.g. si quis in sua supplicatione per ignorantiam falsò narrâsset, in sua patria esse consuetudinem, omnes causas tractandi *summariè*, & ideò Papa delegâsset cum clausula, *processus summarii, & appellatione remota*, tunc à delegato non forma hujus rescripti sed processus juris ordinarius instituendus esset. *Si vitium non dedit causam.*

Tota hæc doctrina de impetratione rescripti dolosa & non dolosa, continetur *cap.* 20. *h. t.* ubi Pontifex addit, quòd si expressa fideliter veritate Princeps non fuisset daturus rescriptum, *à delegato non esse procedendum, nisi forsitan eatenus, ut partibus ad suam præsentiam convocatis, de precum qualitate cognoscat.*

Neque hoc locum tantùm habet in rescriptis justitiæ, sed etiam, de quo magìs disputatur, in rescriptis gratiæ, quia scilicet etiam tunc, deficiente aliquo ad rescripti formam ac substantiam ex praxi & stylo curiæ requisito, deficit ipsum rescriptum: & quidem si malitiosè est obtentum, deficit totum quoad omnes partes in eo contentas; quia mendax precator *penitus* carere debet impetratis, *nullúmque ex eo commodum* consequi. Si verò per ob- vel subreptionem non malitiosam est obtentum, deficit secundùm eas partes, quarum causa finalis deficit, vel respectu quarum datur defectus substantialis, subsistentibus partibus aliis, non vitiatis, cum vitiata non connexis: quia utile per inutile non debet vitiari.

Et hinc etiam, quando supplicans in sua petitione assignat duas causas

ſas, unam veram & alteram falſam, quarum tamen quælibet eſt ſufficiens, valet reſcriptum: ſaltem ſi falſa cauſa ſine malitia eſt inſerta.

Cæterùm error circa qualitatem, quæ non redundat in perſonam aut rei ſubſtantiam, reſcriptum non irritat; ut ſi pro nomine Petri poſitum ſit nomen Joannis, ſi appelletur nobilis, graduatus, Suevus &c. qui non eſt talis.

§. V.

De Reſcripti Præſentatione, & Interpretatione.

16. *Tempus præſentationis.* Reſcriptum ab impetrante præſentari debet Judici delegato aut executori gratiæ tempore à reſcribente præfixo. Aliàs vires ſuas amittit.

Si autem à reſcribente nullum tempus eſt præfixum, reſcripta gratiæ quocunque tempore præſentari poſſunt, etiam poſt mortem concedentis *c. 9. de offic. Jud. Deleg.* & hinc præferendus eſt, qui priores litteras ſuper beneficio e. g. obtinuit, licèt alter poſteriores litteras priùs præſentârit: ſi ille abſque dolo & negligentia notabili offerre ac præſentare diſtulerit. *c. 12. b.t. in 6.*

Reſcriptum autem Juſtitiæ præſentari tamdiu poteſt, quamdiu durat jus agendi vel excipiendi, ſuper quo impetratum eſt. Quia reſcripta, etiam juſtitiæ, regulariter ſunt perpetua. Si tamen impetrans reſcriptum per annum præſentare neglexerit, alius verò interim obtineret aliud, prævaleret hoc ſecundum, licèt prioris non ſit facta mentio. *c. 23. b. t.*

17. *Quando incipiant valere.* Quæres 1. An reſcripta ſeu litteræ valeant à die *datæ* (expeditionis) quo videlicet Romæ ſunt expeditæ, an vero à die *præſentatæ*, quo nempe Judici delegato vel executori gratiæ ſunt præſentatæ?

Reſp. Reſcripta gratiæ regulariter valent à die datæ: Juſtitiæ verò à die præſentatæ. (Quamvis ea, quæ pertinent ad valorem, debeant ſubſiſtere à die datæ) quia jurisdictio non datur completè niſi ſcienti & acceptanti. Si autem poſt præſentationem reſcribens moriatur, re adhuc integra, extinguitur jurisdictio delegati, non verò, ſi per citationem, (aut ſaltem, ùt alii volunt, per litis conteſtationem) lis jam ſit inchoata, tunc enim ei perpetuatur Jurisdictio. *c. gratum 20. de offic. & poteſt. Jud. deleg. l. & quia 6. ff. de Jurisd.*

18. *Quomodo interpretanda.* Quæres 2. Quomodo reſcripta ſint interpretanda? Reſp. 1. Debent ſumi ſecundùm mentem reſcribentis, in ſenſu proprio, & clauſulas adjectas, ſpecialiter verò reſcripta Juſtitiæ oportet ſtrictè interpretari, & quantùm fieri poteſt ſecundùm jus commune, ut jurisdictioni ordinarii & juri tertii quàm minimè præjudicentur. Unde nullatenus ſunt extendenda ad perſonas & cauſas non expreſſas. Hinc nomine Clericorum non intelligitur in his Epiſcopus, neque Religioſus, neque nomine civitatis ſuburbia, niſi ex circumſtantiis aliud colligatur.

Reſp.

Resp. 2. Etiam rescripta ad beneficia strictè sunt sumenda: nam horum petitio sæpè censetur esse ambitiosa: nisi concessa sint in compensationem. Sic etiam dispensationes sunt strictè interpretationis, utpote restrictivæ juris communis. Aliud tamen foret, si dispensatio daretur *motu proprio* intuitu publicæ utilitatis, aut privilegia data essent toti alicui Regioni, aut ea, ad quæ extenduntur, sint accessoria aut connexa.

Quando autem dicitur, beneficia Principum esse amplæ interpretationis, de illis tantùm id intelligendum est, quæ sunt in præjudicium privatum Principis, non autem de iis, quæ sunt in præjudicium tertii aut boni publici. Quo casu, cui concessum est id, quod est plus, non hoc ipso concessum ei intelligitur id, quod est minus: nisi minus sit accessorium majoris, aut connexum cum majore, aut in eo comprehensum.

Ipsa tamen potestas dispensandi, ùt aliàs monuimus, tam ordinaria, quàm legata est latæ interpretationis, si nemini præjudicet, nisi tantùm concedenti. Ratio est, quia interest boni publici, illos, quibus lex est justo gravior, ab illa eximi posse.

§. VI.

De executione & Exspiratione Rescriptorum.

Rescripta justitiæ Sedis Apostolicæ regulariter committenda sunt personis in dignitate aliqua ecclesiastica constitutis, vel Canonicis cathedralibus, aut superioribus Regularium; præsertim si causæ cognitionem & jurisdictionem ecclesiasticam exercendam demandent. 19. *Quibus committenda executio.*

Dixi autem *regulariter*: nam si Papa committeret simplici Clerico, commissio foret valida: præsertim si apponat clausulam, se id ex *certa scientia* facere.

Et quidem, si executio non sit commissa personæ, sed dignitati, aut officio, e. g. Episcopo, Præposito, Decano, Vicario Generali, Abbati, Priori conventuali &c. commissio transit etiam ad successores. Dignitas enim est perpetua, non tamen potest Episcopus executionem, sibi delatam, Vicario suo committere. Imò neque Episcopus potest suscipere executionem, commissam suo Vicario, quia dignitas in litteris expressa videtur esse conditio *sine qua non*: & quoad jurisdictionem tantùm ordinariam, & delegationem ad universalitatem causarum, idem est Episcopi & Vicarii tribunal: non autem quoad causas particulares, specialiter commissas.

Tenetur autem executor præfixo tempore executionem suscipere: aliàs

aliàs cessat ejus potestas delegata, nisi in rescriptis ad litem ipsi consensu partium prorogetur jurisdictio.

20. *Quando exspiret potestas delegata.* Si autem in litteris nullum certum tempus executionis est determinatum, hoc ipso neque lapsu temporis extinguitur jurisdictio delegata quoad rescripta justitiæ. Si verò sit rescriptum gratiæ ac beneficium, Ordinarius, ad quem directæ sunt litteræ, intra 30. dies, à præsentatione litterarum computandos, conferre debet beneficium, & provisum mittere in possessionem: nisi obstet legitimum impedimentum: quòd si impedimentum occurrat e. g. ex eo, quòd alius se opponat, oportet priùs de hoc cognosci: & tum primùm incipit currere tempus 30. dierum.

21. *Quid? si quis prius obtineat?* Si autem duo impetrata sint rescripta contraria super eadem re, prævalet prius; nisi posterius sit magìs speciale, aut munitum clausula derogatoria, aut prioris faciat mentionem: in his enim casibus prævaleret posterius: nisi per prius jam esset tertio jus in re quæsitum; tunc enim non censeretur Papa illi velle præjudicare, nisi prioris mentionem faciat, aut specialem clausulam derogatoriam apponat. Si verò, qui prius accepit, per annum integrum uti eo neglexerit, secundum valebit, etsi prioris mentionem non faciat *c.* 9. *&* 23. *b. t.*

Si tamen tuo contraria simul essent obtenta, utrumque suspectum esset; quando autem successivè per se & regulariter per speciale derogatur generali.

Sed quid, si quis plura accepit rescripta seu gratias exspectativas ad plura diversa beneficia vacatura? ℞. Tunc posterius, si non faciat mentionem prioris, probabiliùs habendum est pro subreptitio, aliàs enim præberetur occasio fraudibus, ad obtinenda plura beneficia contra SS. Canones.

Cæterùm quando Papa per rescriptum concessit Episcopo potestatem providendi de beneficio, ad se devoluto, certæ personæ, si res sit adhuc integra, per mortem Papæ potestas data extinguitur *c.* 36 *de præbend. in 6.* quia per mortem *§.* 10 *Instit. de mandat.*

Aliud foret, si potestas concessa esset in favorem Episcopi, vel Ecclesiæ, pro qua mandatur provisio: tunc enim non extingueretur morte concedentis *arg. c.* 36. *cit.* Idem dicendum, si Episcopo Papa daret potestatem generaliter, conferendi aliqua indeterminatè beneficia (ad collationem Sedis Apostolicæ devoluta) in certa Ecclesia, nulla nominata persona; nam tunc ne quidem re adhuc integra, exspiraret data potestas per mortem dantis. *c.* 36. *cit.*

Aliàs verò circa exspirationem rescriptorum hæc datur regula: quòd scilicet rescripta Justitiæ extinguantur cum morte concedentis, re adhuc integra, seu antequam initium executionis factum sit, rescripta verò gratiæ

tiæ vim suam retineant, etiam post obitum concedentis, licèt res adhuc sit integra, quia decet, concessum à Principe beneficium esse mansurum. Aliud esset, si Princeps in rescripto certis clausulis aliter mentem suam explicaret.

Quæres, an Princeps debitoribus dare possit rescripta *Moratoria*? 22.
℞. Potest illis talia dare in quinquennium, intra quod tempus non teneantur solvere debita. *De Rescriptis moratoris.*

Non tamen omnibus promiscuè debitoribus dari possunt, sed iis tantùm, qui non ex propria culpa ad incitas sunt redacti, sed bello, incendio, vel aliis casibus fortuitis, aut hominum injuria.

Neque extendit se rescriptum ad creditores futuros, æquè pauperes, opifices, mercenarios, Ecclesias, fiscum, pupillos: quia sunt in Jure privilegiati.

CAPUT VII.

De Consuetudine.

SUMMARIUM.

1. *Cur dicatur* Jus non scriptum? *Per quales actus introducatur?*
2. *Quot actus requirantur?*
3. *Et quantum tempus?*
4. *Qualis consensus legislatoris?*
5. *Quotuplex sit consuetudo?*
6. *Quid consuetudo* juxta, præter *ac* contra *legem?*
7. *Quando sit rationabilis, aut irrationabilis?*
8. *Tractetur controversia, quomodo consuetudo contra legem possit esse rationabilis, cum rationibus dubitandi.*
9. *Rationes decidendi fundantur in distinctione inter consuetudinem causalem, & formalem jam introductam, cui assistit consensus legislatoris.*
10. *Resp. rationibus dubitandi.*
11. *Actus mali sunt tantùm occasio.*
12. *Lex naturalis & divina nulla consuetudine potest abrogari.*
13. *Disparitas inter consuetudinem & præscriptionem multiplex.*
14. *Conciliantur leges.*
15. *Si consuetudo reprobatur tanquam corruptela, manentibus eisdem circumstantiis non potest abrogare legem.*
16. *De effectibus consuetudinis, ejúsque obligatione.*
17. *Non requiritur, ut consuetudo in judicio contradictorio sit approbata, sed sufficit, ut sit notoria facto.*
18. *Consuetudo obligare potest, vel sub culpa, vel sub pœna, vel sub utraque, sicut lex scripta.*
19. *An possit abrogare legem, munitam clausula:* Non obstante quacunque consuetudine? *Explicatur magis doctrina de lege, reprobante consuetudinem tanquam corruptelam.*
20. *Consuetudo potest etiam abrogare legem irritantem: imò etiam novam irritatio-*

tationem inducere, e. g. impedimenta dirimentia matrimonii.

21 *Quomodo consuetudo sit optima interpres legum.*

22. *Consuetudo* immemorialis *æquiparatur privilegio, nisi eam allegans sit inhabilis ad possidendum, aut consuetudo sit reprobata à lege tanquam abusus & corruptela, nec mutatæ sint circumstantiæ.*

23. *Tempus tamen immemoriale fundat præsumptionem privilegii & tituli.*

24. *Consuetudo, cùm sit res facti, probari debet. Et quomodo?*

25. *Quomodo consuetudo abrogetur per consuetudinem?*

26. *Et legem contrariam?*

Cum consuetudo sit *Jus non scriptum*, oportunè tractatio illius legibus scriptis subjungitur, præsertim cùm quotidianus ejusdem passim sit usus, & pleraque cum jure scripto habeat communia, nempe honestatem, utilitatem, rationabilitatem &c.

Quid sit Consuetudo.

1. *Jus non scriptum.* Proprie sumpta est *jus non scriptum, diuturnis populi moribus introductum, cum aliquo legislatoris consensu.*

Dicitur 1. *Jus non scriptum* seu lex. Licèt enim postea in scripta referatur, non tamen dicitur lex scripta: quia originem suam non ducit à voluntate legislatoris promulgata, sed ab usu & moribus populi. Sic, licèt duo libri Feudorum adjungantur corpori juris scripto, non tamen censentur esse jus scriptum, sed consuetudinarium, quòd originem suam referat ad mores populorum. Licèt autem consuetudo multo cum *traditione* habeat communia, differunt tamen in eo potissimùm, quòd traditio neque abroget antiquam legem, neque novam constituat, sed jam constitutam promulget, applicétque.

introductum populi moribus. Dicitur 2. *Populi moribus*, seu actibus *frequentatis, notoriis, non interruptis*, majoris saltem partis de communitate. Non autem sufficiunt actus communitatis imperfectæ, e. g. alicujus familiæ, sed debet esse communitas *perfecta*, cui lex imponi possit, & quæ, nisi potestatem transtulisset in Principem, legem ferre posset. Licèt enim legem de se non ampliùs ferre possit, ex consensu tamen saltem legali Principis potest: & hinc non tam est lex populi quàm Principis. Cæterum major pars populi debet esse ex capacibus legis, non computatis infantibus, amentibus &c. Debet etiam actus poni voluntariè, nempe cum intentione obligandi, aut obligationem tollendi. Unde non sufficiunt ad inducendam consuetudinem actus, merè materialiter positi, ex errore, aut ignorantia, aut coactione, neque actus *meræ facultatis.* Sic usus æquæ benedictæ, salutatio Angelica: aut mos audiendi sacrum die non festo, frequens invitatio

tatio ad convivium &c. non inducunt consuetudinem, quæ sit lex: cùm sint actus meræ facultatis, positi sine intentione, inducendi obligationem. Actus enim non operantur ultra intentionem operantium; debent insuper actus esse frequentati. Quot autem requirantur, non conveniunt DD. Aliqui cum Azor putant, sufficere unicum actum continuatum. Sed quia unus actus non durat longo tempore, & consuetudo dicit mores populi seu frequentiam actuum, non sufficit unus tantùm vel alter actus. Aliqui cum Sylvestro docent, sufficere duos vel tres actus, si id sciat legislator, & non contradicat. Sed ex dissimulatione aut non resistentia legislatoris non statim inferri potest consensus, multa enim dissimulare quandoque Principes debent, quæ tamen non approbant. Deinde si actus paucos approbaret Princeps, non vi consuetudinis, sed vi hujus approbationis & consensus cessaret lex ante decennium. 2. *Quot actus requirantur.*

Alii cum Glossa existimant, duos actus judiciales inducere consuetudinem seu stylum curiæ. Verùm nisi actus ejusmodi ponantur ab ipso Principe, cujus sententia, licèt unica, loco legis habenda est, etiam ad inducendum per consuetudinem stylum curiæ requiritur decennium. Quot autem requirantur actus ad inducendam cousuetudinem, relinquitur arbitrio Judicis, pro diversis circumstantiis decidendum, & extra forum judiciale arbitrio prudentum, qui secundùm actuum qualitatem & circumstantias id determinare debent.

Dicitur. 3. *Diuturnis:* Quamvis autem jura non determinent tempus, præcisè ad inducendam consuetudinem requisitum, sed indefinitè tempus longum requirant, quia tamen decennium in Jure est tempus longum, ùt patet in tempore ad præscriptionem inter præsentes requisito, ideò regulariter ad consuetudinem sufficit & requiritur decennium, quo actus vel ad constituendam legem, vel ad eum abolendam sint continuati à majore parte communitatis, idque non tantùm de Jure civili, sed etiam Canonico. Licèt enim contra Ecclesiam Romanam non præscribatur, nisi 100. annis, & contra aliam Ecclesiam 40. annis, tamen in ordine ad leges Ecclesiasticas per consuetudinem contrariam abrogandas, hoc locum non habet, quia consuetudo abrogans legem ecclesiasticam non est contra Ecclesiam, cùm fiat cum illius consensu, possitque Pontifex legem restituere, quandocunque ad bonum Ecclesiæ visum fuerit. 3. *Quantum tempus.*

Sufficit igitur ad consuetudinem tempus 10. annorum, & quidem etiam tunc, quando legislator est absens, quia consuetudo non inducit legem, nec eam abrogat, necessariò ex consensu expresso Principis, sed potest id etiam fieri ex consensu legali, seu generali in jure expresso, quo omni consuetudini, legitimè introductæ, vim dedit inducendi vel abrogandi legem.

Neque obſtat, quòd ad præſcribendum contra abſentem requirantur 20 anni: nam hoc ſpecialiter in Jure eſt expreſſum in favorem abſentis à rebus ſuis, cujus per præſcriptionem tollitur. Per conſuetudinem autem nullius jus tollitur, cùm ipſe legislator conſenſum ſuum per leges illas dederit, quibus omnem conſuetudinem legitimè introductam approbavit, eíque vim tribuit. Neque ullibi Jura exprimunt, quòd ad conſuetudinem plus quàm decennium requiratur, licèt legislator ſit abſens, modò actus ſint continui, & non interrupti. Cenſerentur autem interrupti, ſi Princeps puniret transgreſſores legis, ad quam abrogandam actus tendunt, vel communitas, aut major illius pars contra conſuetudinem ageret, quamvis actu unico.

4. *Qualis conſenſus legislatoris.* Dicitur 4. *Cum aliquo legislatoris conſenſu: l.* 32. *ff. de legib.* Ratio eſt, quia nempe poteſt ſtatuere legem. vel ſtatutam abrogare, niſi qui habet poteſtatem legislativam. Hic autem conſenſus poteſt eſſe vel *perſonalis*, quo legislator mores populi, contra vel præter legem exercitos expreſſè approbat, vel tacitè, quatenus ſcilicet, cùm poſſet, non contradicit: vel *legalis* ſeu *juridicus*, qui in legibus & Canonibus eſt expreſſus, dum nempe conſuetudinem per actus continuatos populi introductam generaliter approbant, eíque vim legis tribuunt, rationabilis & legitimè præſcripta ſit. Et hic conſenſus legalis ſufficit, etiam abſque conſenſu perſonali, tacito vel expreſſo. *c. fin. h. t. l.* 32. *&* 35. *ff. de LL. l. fin. C. quæ ſit longa conſuetudo.*

Et hinc duplex ſolet notari modus introducendi conſuetudinem, nempe per *viam conniventiæ*, cùm adeſt conſenſus ſuperioris tacitus; & per *viam præſcriptionis*, cùm tantùm habetur conſenſus legalis.

§. II.
Quotuplex ſit Conſuetudo?

5. *Generalis & ſpecialis.* RESP. 1. Alia eſt *generalis* totius Eccleſiæ, Imperii aut regni. (Si autem ſit *generaliſſima*, per orbis politi potiſſimas provincias exporrecta, *jus Gentium* conſtituit.) Alia *particularis* alicujus Diœceſis, vel civitatis, aut certæ alicujus claſſis hominum, e. g. militum, mercatorum, opificum &c. Alia *ſpecialiſſima* alicujus pagi, Eccleſiæ, monaſterii, aut alicujus tantùm curiæ ſpecialis &c.

Canonica, civilis. 2. Alia *Canonica*, ſeu materia Eccleſiaſtica. Alia *civilis*, nempe in materia civili ac profana: ſive deinde à Clericis introducatur, ſive à laicis, ſive ab utriſque.

Cauſalis formalis. 3. Alia eſt conſuetudo *cauſalis*, quæ etiam conſuetudo *materialis*, aut conſuetudo *in fieri* ab aliquibus dicitur. Conſiſtit hæc in ipſis actibus populi, per decennium frequentatis, quibus conſuetudo introducitur. Alia

verò

verò est consuetudo *formalis*, seu ipsum formale jus, ex actibus, legitimo tempore continuatis, resultans, quæ etiam consuetudo *in facto esse* quandoque appellatur.

4. Præcipuè autem dividitur consuetudo in eam, quæ est secundùm legem, in eam, quæ est præter legem, & in eam, quæ est contra legem.

Consuetudo secundùm legem consistit in observantia legis, seu in actibus, à majore parte communitatis exercitis, quibus legem superioris observant. Et hinc ista consuetudo firmat legem ac stabilit, legémque dubiam interpretatur: cùm consuetudo sit optima interpres legum. 6. *Juxta legem.*

Consuetudo præter legem inducit jus novum, & præcipit aliquid, vel prohibet, de quo priùs nulla lex exstabat. *l.* 32. *ff. de legibus*, ibi: *de quibus causis scriptis legibus non utimur, id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine inductum est.* & *l.* 33. *eod. Diuturna consuetudo pro jure & lege in his, quæ non ex scripto descendunt, observari solet.* *Præter legem.*

Consuetudo contra legem abrogat legem præexistentem vel ei derogat, quod fieri potest vel non recipiendo & non observando legem, vel actus legi contrarios faciendo. Potest etiam aliquando contingere, ut consuetudo contra legem non tantùm legem antiquam abroget, sícque communitatem in libertatem reponat, sed etiam novam constituat legem, e. g. quando communitas aliqua inciperet in testamento tantùm adhibere quatuor testes, ea intentione, ut abroget legem, requirendum septem testes, simul tamen velit irritum esse testamentum, si pauciores adhibentur, quam quatuor. Quo casu per consuetudinem contra legem abrogaretur lex exigens præsentiam septem testium, & introduceretur nova lex de sufficientia & necessitate quatuor testium. *Contra legem.*

Imò, quandocunque per consuetudinem contra legem abrogatur lex antiqua, videtur introduci lex nova *permissiva*, per quam acquiritur jus novum secundùm consuetudinem agendi, simúlque aliis prohibetur, ne quemquam de communitate impediant vivere secundùm consuetudinem introductam, & legem permittentem. Habet enim ejusmodi consuetudo contra legem omnia illa, quæ ad legem permittentem requiruntur.

§. III.
Rationabilitate Consuetudinis.

Cum consuetudo sit locô legis, & habeat vim legis, rationabilem esse oportet: cùm omnis lex rationabilis esse debeat. Unde quæritur, quando consuetudo aliqua rationabilis & bono communi expediens censeri debeat, quando verò è contrario tanquam irrationabilis vires suas amittat. 7.

Ad

Quando irrationabilis. Ad quam quæstionem Resp Consuetudo est irrationabilis censenda 1. Quando est contraria juri naturali aut Divino. Cùm enim consuetudo sit jus merè humanum, contra jus altius prævalere non potest; sicut neque jus humanum scriptum contra illud prævalere potest.

2. Si non quidem juri naturali aut Divino strictè accepto directè repugnet, sit tamen contra decentiam & æquitatem aliquam: e. g. si Canonicis sine justa causa absentibus darentur quotidianæ distributiones.

3. Si disciplinam Ecclesiasticam enervaret: e. g. si permitteret interdictum & alias censuras impunè violari. *c.* 5. *h.* aut immunitatem criminibus concederet. *c.* 10. *eod.* aut si cederet in ruinam libertatis Ecclesiasticæ, e. g. permittendo, personas Ecclesiasticas tanquam reos trahi ad forum sæculare, & universim si consuetudo à lege reprobetur tanquam *corruptela.* Atque hinc etiam

4. Si periculosa esset reipublicæ, atque ad ejus perturbationem, bonorum dissipationem, atque ad judicorum perversionem tenderet. *c.* 3. & 10. *eod.*

5. Si tendat in damnum Ecclesiarum, e. g. permittendo, ut res earum alienentur sine solennitate canonica: vel ut de iisdem laici pro lubito disponant, aut beneficia Ecclesiastica sine authoritate Prælati Ecclesiastici conferant.

6. Quando introducitur aliquid, quod ne quidem per legem superioris introduci potuit.

Contrà verò rationabilis est consuetudo, quando de se vel positivè, vel saltem negativè est honesta, hoc est non inhonesta, atque ad bonum publicum tendens, e. g. ut evitentur nimiùm frequentes transgressiones, ac perturbationes reipublicæ ex iis ortæ.

Sed quid, si dubium sit, an consuetudo sit rationabilis, aut bono communi expediens? Resp. Si consuetudo non est legi contraria, censendum est in dubio, eam esse rationabilem, quia delicta non præsumuntur. Hinc posteri possunt pergere in consuetudine, à majoribus introducta, atque, in dubio, de ejus rationabilitate præsumere.

Si verò consuetudo sit contra legem, in dubio standum est pro lege, ac præsumenda potiùs irrationabilitas consuetudinis, quia dubia honestas consuetudinis non debet prævalere legi certæ, quæ est in possessione. Excipitur tamen consuetudo *immemorialis:* cùm tempus immemoriale præsumptionem pariat de justitia tituli, consequenter etiam de rationabilitate consuetudinis.

Maximè autem in hac materia disputandum occurrit, quomodo consuetudo contra legem possit esse rationabilis. Unde tractanda hoc loco.

CONTROVERSIA.

Quomodo consuetudo contra legem sit rationabilis?

Cum omnis consuetudo, ut sit legitima, debeat esse rationabilis, dubitatur præcipuè de ea, quæ est contra legem, quomodo possit esse rationabilis. 8.

Rationes dubitandi. Ratio dubitandi est 1. Quia consuetudo hoc ipso, quod sit contra legem est contra aliquid rationabile adeóque videtur non esse rationabilis. Neque enim rationabile potest esse contrarium rationabili: sicut ratio non potest esse contra rationem.

2. Quia actus, quibus introduceretur consuetudo contra legem, sunt peccaminosi, cùm sint voluntariæ transgressiones legis. Ergo consuetudo talis non potest esse rationabilis. Conf. Præscriptio non potest inchoari, nec continuari mala fide. Ergo neque consuetudo, utpote quæ debet esse legitimè præscripta, & pari passu cum præscriptione ambulat.

3. Quia *l. consuetudinis* 2. *C quæ sit long. consuet.* dicitur: *Consuetudinis úsque longævi non vilis auctoritas est, verùm non usque adeò sui valitura momento, ut aut rationem vincat aut legem.* Ergo consuetudo non potest abrogare legem, aliàs enim illam utique vinceret.

9. *Ratio decidendi.* Sed dicendum, quòd sicut lex posterior, quæ priorem abrogat, est rationabilis, ita etiam consuetudo, formaliter abrogans legem. Apertè hoc supponitur *c. fin. h. t.* ubi dicitur, quòd consuetudo non præjudicet juri positivo, nisi fuerit *rationabilis & legitimè sit præscripta.* Ergo supponit Pontifex Gregorius IX. quòd consuetudo etiam contraria juri positivo possit esse rationabilis.

Rationabilis autem erit, si habeat ea, quæ aliàs ad legitimam consuetudinem requiruntur, eáque evitet, quæ paulò antè de irrationabilitate consuetudinis sunt allata.

Licèt consuetudo causalis sit irrationabilis. Et ratio ulterior est: quia, licèt consuetudo *causalis*, seu actus illi, quibus currente decennio exercitis, tandem inducitur consuetudo *formalis*, ac jus illa utendi, sint contra legem, ac consequenter peccaminosi, tamen ipsa consuetudo formalis, jam completa, non est peccaminosa, quia non est contra legem, utpote quæ jam formaliter per illam abrogata, non ampliùs existit: sicut lex posterior, formaliter abrogans priorem, non est peccaminosa, nec propriè contra legem.

Non tamen formalis. Licèt ergo actus præcedentes, contra legem facti, fuerint irrationabiles, quamdiu scilicet lex durabat; postquam tamen accedit Principis consensus, vel personalis vel legalis, in abrogationem legis, utpote quæ propter frequentes adeò transgressiones, longo tempore continua-

Nixa consensu legislatoris. tas, fit inutilis, ut adeò ad bonum commune conducat, eam tolli, ne prævaricationes & peccata continuentur, postquam, inquam, Principis consensus propter has rationes accedit, neque consuetudo ampliùs est irrationabilis, nec actus secundùm illam à posteris positi.

Atque ex his etiam soluta jam fermè sunt, quæ in oppositum allata sunt, argumenta. Nam

10. *Resp. ad rationes dubitandi.* Ad 1. Licèt consuetudo causalis, seu actus, quibus introducitur consuetudo contra legem, sint contra legem rationabilem, ipsa tamen consuetudo formalis, & actus ad eam consequentes non sunt ampliùs contra legem rationabilem, utpote jam abrogatam: sicut lex posterior, abrogans legem priorem, non est propriè contra legem rationabilem. Atque ex hoc patet etiam responsio

Ad 2. Nam, licèt plures DD. cum Layman, Azor, Pirhing, Engel, existiment, consuetudinem non introduci per actus peccaminosos antecessorum, sed tantùm à posteris, persuasis, antecessores licitè egisse, facilè tamen concedo, primos quidem contra legem agentes peccasse; nego tamen, consuetudinem formalem, ad ejusmodi actus consequentem, quæ sola vim legis obtinet, esse rationabilem, cùm nitatur consensu Principis, eam approbantis, adeóque non ampliùs sit contra legem, utpote jam abrogatam.

11. *Actus mali sunt tantùm occasio.* Neque dicas, ex turpi adeò atque deformi matre (actibus videlicet peccaminosis, contra legem factis) non posse tam pulchram enasci sobolem, consuetudinem nempe rationabilem, quæ & legem tollat, & vim legis nanciscatur: nam hæc consuetudo non tam enascitur ex actibus peccaminosis, quàm ex consensu & voluntate Principis, legem abrogantis, & consuetudinem approbantis. Actus enim peccaminosi, contra legem passim facti, occasionem duntaxat dederunt, ut Princeps propter legis inutilitatem ad bonum publicum, ad ulteriores ejusdem transgressiones evitandas, illam revocârit, ac moribus populi, ad bonum commune hîc & nunc magìs conducentibus, assensum præbuerit, ferè sicut legislatores, mutatis rerum circumstantiis, propter majus bonum communitatis, per leges posteriores abrogant priores. Quamvis autem exinde illicitum aliquod capere possint mali ad transgressionem legis, minùs tamen id noxium est, quàm perseverantia legis, cujus observantia post diu continuatas à communitate transgressiones moraliter non potest ampliùs sperari.

12. *Lex naturæ & divina nulla* Non tamen sequitur, etiam leges naturales, aut Divinas propter frequentes transgressiones, fieri inutiles, adeóque per consuetudinem abrogatas censeri posse: nam imprimis ad abrogandas illas nemo prudens unquam intentionem suam dirigit. Deinde præterquam, quòd vel versantur

tur circa ea, quæ intrinsecè mala vel bona esse noscuntur, quia illas altioris esse potestatis persuasum omnes habemus, facilè intelligimus. nulli humanæ per orbem potestati fas esse sacraria illa ingredi, atque æternæ Mentis decreta convellere. Neque blandiri nobis unquam possumus, prævaricationibus nostris legum æternarum summi illius legislatoris consensum accedere. *consuetudine potest abrogari.*

Quod in confirmationem ab adversariis, si qui sunt, adductum vidimus, facilè enervatur. Nam licèt præscriptio tam ad inchoationem suam, quàm continuationem, bonam fidem exigat, alia tamen est consuetudinis indoles; atque in multis omnino diversa.

Nam 1. Præscriptio privatas duntaxat personas concernit, vel si communitatem respicit, tanquam personam particularem eandem considerat. Consuetudo verò integram perfectámque communitatem respicit, quam aut novo legis onere afficit, aut ab antiquo absolvit. Atque hinc 13. *Disparitas inter consuetudinem & præscriptionem.*

2. Consuetudo versatur tantùm circa incorporalia, definiendo nempe obligationes, aut ab eisdem sublevando. Præscriptionis autem negotium tam in corporalibus quàm incorporalibus acquirendis occupatur. Unde

3. Consuetudo nullius jus aut dominium rerum diminuit: quibus tamen conquirendis præscriptio inhiat. Atque ut mitem ac humanum consuetudo genium prodat,

4. Illa licentiam quodammodo & consensum à superiore petit, nihilque absque eo, vel personali vel legali, impetrato disponit. Præscriptio verò consensum illius, contra quem præscribit, cujusque jus it perditum, nequaquam requirit. Quoad tempus etiam constantior est consuetudo. Nam

5. Illa universaliter ad suam perfectionem decennium requirit. Præscriptio autem varias hìc formas induit. Aliquando enim triennium duntaxat exigit, aliquando decennium, quandoque vicennium, non raro tricennium, nunc 40. annos postulat, aliquando centum, aut etiam tempus immemoriale: prout nimirum res, quæ præscribuntur, aut contra quos præscribuntur, plus aut minus privilegii habere noscuntur. In uno tantùm, de quo hìc consuetudo insimulatur, præscriptio sanctiorem videri posset speciem præseferre. Eò quòd

6. Bonam fidem requirat, & titulum: consuetudo verò ex mala etiam fide enasci possit, Principis verò consensus ipsi sit pro titulo. Verùm, ùt ex hactenus dictis patere arbitror, hoc non est consuetudinis formalis ac jam completæ vitium, utpote Principis favore legitimatæ, licèt ex vitiata radice natales suos aliquatenus hauriat.

Ad tertium tandem argumentum, ex *l. 2. cit.* petitum respondetur: hanc legem explicari per *c. fin. h. t.* ibi: *Licèt etiam longævæ consuetudinis non sit vilis authoritas, non tamen est usque adeò valitura, ut vel Juri positivo debeat præjudi-* 14. *Leges conciliantur.*

judicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta. Atqui consuetudo, de qua nos loquimur, nempe instructa iis, quæ ad consuetudinem legitimam requiruntur, atque Principis assensu suffulta, est rationabilis, & post decennium legitimè præscripta. Unde, quando Imperator Constantinus *l. 2. cit.* ait, consuetudinis non esse tantas vires, ut legem vincat, loquitur de consuetudine, necessariis requisitis destituta, ùt DD. communiter interpretantur.

Cæterùm etiam primi actus, qui legi videntur contrarii, non semper sunt peccaminosi, saltem formaliter, quia sæpè contingit, ut homines propter difficultatem observationis aliásque circumstantias bona fide existiment, se illa non esse obligatos. Unde hoc sæpè de antecessoribus, legem non observantibus præsumi potest.

15. *Quid? si reprobetur tanquam corruptela* Quæres, an rationabilis esse possit consuetudo, quæ à lege reprobatur ùt *corruptela?* ℞. Quamdiu manent eædem circumstantiæ, ejusmodi consuetudo manet irrationabilis, eò quòd directè vel indirectè adversetur Juri naturali, decentiæ & æquitati: e g. si adversetur bonis moribus, bono communi aut Ecclesiarum, immunitati Ecclesiasticæ, pactis & conventionibus, ac Juri tertii, aut Juri Gentium: si nimiùm relaxet atque enervet disciplinam Ecclesiasticam &c. *c. 5. & 10. h. t. c. 4. de immunit. Ecclesiarum. c. 49. de sent. excomm. Bulla cœnæ §. 15. ac reliquis.*

Unde, nisi mutentur circumstantiæ, ejusmodi consuetudines, etiam futuræ, vim omnem amittunt. *Etiam futuræ*, inquam; nam si lex aliqua tantum simpliciter reprobat consuetudinem, absque eo, quòd ut corruptelam aut irrationabilem damnet, potissimùm, de præterita id consuetudine intelligendum est.

§. IV.

De Effectibus Consuetudinis, ejúsque probatione.

16. Primus effectus est, quòd, ut jam dictum, consuetudo secundùm legem, confirmet, ac stabiliat legem: consuetudo præter legem, inducat legem novam, ejúsque obligationem; consuetudo verò contra legem, eandem abroget, & aliquando aliam, saltem permittentem inducat.

Quando obligat. Illud autem dubitari potest; quando actus populi frequentati censeri debeant inducere consuetudinem obligatoriam, quando verò habendi sint pro actibus meræ facultatis? ad quod respondetur, quatuor potissimùm esse, ex quibus conjectura fieri potest, consuetudinem esse obligatoriam.

1. Si inducatur consuetudo in re gravi, atque difficili: neque enim solet populus conformiter operari in re difficili absque obligatione.
2. Si homines probi piaculo sibi ducant, contra consuetudinem agere.
3. Si contra consuetudinem agentes reprehendantur aut puniantur.

4. Si

4 Si consuetudo sit valde utilis reipublicæ, atque ad eam provocent homines, aut eam allegent.

Si autem hæ aliæque hujusmodi circumstantiæ desint, in dubio præsumendum potiùs est, quòd sint actus supererogatorii, ac meræ facultatis. Lex enim, tanquam res facti, non præsumitur, sed probari debet.

Non tamen requiritur, ut consuetudo in Judicio contradictorio sit approbata, aut introducta per actum Judicialem, sed sufficit notoreitas facti ex actibus extrajudicialibus. Quæ objiciuntur, plus non probant, quàm sufficere ad inducendam & probandam consuetudinem actus Judiciales, non tamen eos esse necessarios: quia sine illis potest consuetudo esse rationabilis, & legitimè præscripta, atque de ea sufficienter constare, per duos e. g. testes de visu. 17. *Sufficit, ut sit notaria facto.*

Alter effectus consuetudinis est, quòd possit obligare vel sub sola culpa, vel sub sola pœna, vel sub utraque simul. Ratio est: quia etiam lex omnibus his modis obligare potest. Consuetudo autem vim legis habet. Et quoad hoc à lege scripta non differt. Hinc etiam per consuetudinem, sicut per legem scriptam, abrogari potest obligatio quoad culpam, manente obligatione ad pœnam, saltem impropriè dictam. Et vicissim potest consuetudo abrogari quoad pœnam, manente culpa. Quia scilicet hæc omnia etiam lex potest. Neque dicas, eum, qui committit culpam, mereri etiam pœnam: nam licèt mereatur pœnam non tamen hanc determinatam, quàm lex imposuit: hæc enim per consuetudinem jam supponitur abrogata. 18. *Obligare potest sicut lex scripta*

Tertius effectus consuetudinis est, quòd aliquando etiam abrogare possit legem, prohibentem consuetudinem contrariam vel derogantem omni consuetudini, etiam futuræ, aut munitam hac clausula: *non obstante quavis consuetudine:* tunc scilicet, quando mutantur circumstantiæ, ita ut consuetudo contraria tali legi rationabilis esse incipiat. Nam pro tali casu legislator etiam legem suam rationabiliter abrogare posset. 19. *Potest abrogare legem cum clausula: non obstante &c.*

Si verò maneant eædem circumstantiæ & causæ, propter quas consuetudo contraria, etiam futura, est reprobata aut prohibita à lege, non potest hæc abrogari per consuetudinem, præsertim si ista tanquam corruptela sit reprobata. Quamdiu enim manent eædem circumstantiæ, lex perseverat esse rationabilis, deficítque tunc consensus legislatoris in consuetudinem reprobatam, impeditque ejusdem efficaciam. Sicut lex prohibens omnino præscriptionem alicujus rei, impedit ejus præscriptionem, licèt adsit titulus & bona fides. *Si mutentur circumstantiæ.*

Et ratio ulterior est, quia, licèt lex, munita ejusmodi clausula, derogante consuetudini, sit lex merè humana, quæ absolutè per consuetudinem contrariam abrogari posset, tamen, cùm manentibus iisdem circumstantiis

tiis & causis, propter quas contraria consuetudo est reprobata tanquam corruptela, pergat esse rationabilis, consuetudinem illi contrariam irrationabilem esse necesse est. Consuetudo autem, quamdiu est irrationabilis, nullam legem abrogare potest.

An autem, & quando circumstantiæ & causæ ita mutatæ censeri debeant, ut consuetudo sit habenda pro rationabili, arbitrio Judicis, & extra Judiciale forum, prudentum æstimationi relinquitur. Neque enim regula universalis dari potest, cùm circumstantiæ in infinitum sint variabiles.

20. *Etiam legem irritantem.* Quartus consuetudinis effectus est, quod abrogare etiam possit legem irritantem, quæ scilicet formam aliquam substantialem actui præscribit, aut certas personas, ad agendum, contrahendum, eligendum &c. reddit inhabiles. Cùm hoc fieri pariter possit per legem scriptam. Ex quo sequitur, per consuetudinem introduci posse impedimenta matrimonii dirimentia, & introducta rursus abrogari, si non sint introducta Jure naturali aut Divino. Quando autem *c.* 5. *de consangu. & affin.* dicitur, consuetudinem inter gradus prohibitos contrahendi matrimonium esse potiùs corruptelam, id intelligendum est de consuetudine necdum legitimè præscripta.

21. *Optima interpres legum.* Quintus effectus est vis interpretandi legem. Cùm consuetudo sit optima interpres legis. Et quidem, si legitimè jam sit præscripta, interpretatio, quam affert consuetudo, est omnino authentica, vim legis jam sortita. Solétque etiam appellari interpretatio *usualis*. Si autem necdum sit præscripta, seu legitimo tempore continuata, interpretationem legis tantùm *Doctrinalem* facere potest.

Cùm igitur consuetudo, præsertim legitimè præscripta, legem interpretatur; secundùm illam regulandi sunt contractus. Judicia, tam interna, quàm externa. Imò consuetudo quandoque legem etiam Divinam interpretatur, e.g. circa usum Sacramentorum &c.

22. *Immemorialis æquivalet privilegio.* Denique quæri potest, quem effectum habeat consuetudo *Immemorialis*? ratio dubitandi est, quia veteres Jurisconsulti pro regula tradunt consuetudinem immemorialem, seu cujus initii non exstat memoria, æquiparari privilegio, haberique loco tituli, legitimè constituti & probati: adeóque per eam acquiri omnia posse, quæ per privilegium: atque hinc clausula legis prohibente vel irritante consuetudinem contrariam, non comprehendi immemorialem.

Excipiuntur duo casus. Quamvis autem hæc regula plerumque vera sit, fallit tamen in duobus casibus. 1. Quando allegans pro se consuetudinem (aut etiam præscriptionem) immemorialem, est incapax possidendi, sicut laici sunt incapaces possidendi jus decimandi, eligendi aut confirmandi ad beneficia Ecclesiastica: unde, nisi per privilegium Pontificium habilitentur, & reddantur capaces possessionis, per consuetudinem etiam immemorialem acquirere non

possu

possunt jus decimandi, eligendi, confirmandi, aut conferendi beneficia. Nam qui est incapax possidendi, est etiam incapax acquirendi per præscriptionem aut consuetudinem. In hoc igitur casu consuetudo immemorialis non æquiparatur privilegio: cùm per privilegium prædicta jura Ecclesiastica à laicis obtineri possint, non autem per consuetudinem ullam, secluso privilegio Pontificio, quod vel re ipsa datum sit, vel saltem datum esse præsumatur.

Alter casus, in quo prædicta regula fallit, est: quando consuetudo à lege reprobatur, præsertim tanquam abusus & corruptela: nam tunc manentibus iisdem circumstantiis & causis reprobandi, neque immemoriali tempore consuetudo potest fieri rationabilis. Quapropter nulla unquam consuetudine obtineri potest immunitas ab observatione interdicti Ecclesiastici, aut potestas obtinendi simul duos canonicatus, Personatus &c. quamvis per privilegium hæc obtineri possint, ùt benè advertit P. Schmalzgruber *n.* 31. *h. t.* Ratio est, quia, cùm consuetudo & præscriptio omnem vim suam debeant legibus, vim nullam habent, quando illis resistit jus.

Quamvis autem tempus immemoriale habilitare non possit incapacem, 23.
fundare tamen potest præsumptionem privilegii, olim concessi, præsertim *Fundat*
si concurrat constans fama de concesso privilegio Pontificio: ut adeò tunc *præsumtionem privi-*
possessio juris ulteriùs continuari possit, donec probetur privilegium non *legii.*
esse obtentum.

Licèt enim tempus immemoriale possessionis unà cum existimatione publica de obtento privilegio faciat præsumptionem privilegii, hæc tamen præsumptio non est juris & de jure, nullam admittens probationem in contrarium; sed si vitium tituli, seu defectus privilegii, in ejusmodi possessione ab adversario sufficienter probetur, præsumptio cedere debet veritati.

Quando verò consuetudo non est immemorialis, probari debet, sicut 24.
præscriptio; quia facta non præsumuntur. Aliud esset, si consuetudo es- *Consuetu-*
set notoria, aut constituat stylum curiæ, aut tantùm de rationabilitate sit *do probari debet.*
quæstio; tunc enim ad Judicem pertinet definire.

Debet autem consuetudo plenè probari; nempe vel per litteras publi- *& quomo-*
cas, instrumenta, vel acta judicialia, aut per famam publicam, aut per duos *do.*
minimùm testes, qui deponant, se vidisse, sic observari per decennium continuò in illo loco, scientibus & præsentibus multis. Immemorialis autem consuetudo probatur, si testentur, se ita vidisse, & à majoribus audisse observatum, quin viderint, vel audiverint fieri contrarium.

Licèt autem in foro interno uni gravi auctori possit adhiberi fides, si nemo contradicat: pro foro tamen externo unus testis, etiam excellens, *præsumptivè* tantùm probat, non autem *concludenter*. Neque admittitur juramentum suppletorium: nam, quia consuetudo pluribus debet esse

nota,

nota, suspectum esset testimonium: nisi agatur de consuetudine valde antiqua.

§. V.
De Cessatione Consuetudinis.

25. *Quomodo abrogetur per consuetudinem contrariam.* Duplici potissimùm ratione cessat consuetudo. Quando nempe abrogatur vel per *consuetudinem contrariam*, vel per *legem*.

Circa abrogationem per consuetudinem notandum: universalem consuetudinem abrogari per aliam universalem, particularem per particularem. Per particularem verò universalis non abrogatur, sed ei tantùm derogatur. Ratio est: quia in tantùm abrogatur prior consuetudo, vel ei derogatur in quantum posterior ei est contraria, vel ex toto, vel tantùm ex parte. Per non usum autem abrogari nunquam potest consuetudo, si actus consuetudinis, jam completæ, ulterius exercendi se nulla obtulit occasio.

26. *Quomodo per legem.* Circa abrogationem consuetudinis *per legem* novam contrariam observandum: illam non abrogari, nisi lex ei clarè ac directè sit contraria. Hinc lege universali abrogatur consuetudo æque universalis: licèt lex de consuetudine nihil meminerit, neque addat clausulam derogatoriam. Nam universalis consuetudo censetur cognita esse legislatori: cùm igitur legem directè eidem contrariam fert, satis intelligitur velle illam abrogare.

Lege tamen universali Principis supremi & universalis non censetur abrogari consuetudo particularis alicujus loci: nisi hujus mentionem faciat, vel saltem addatur clausula derogatoria generalis cujuscunque contrariæ consuetudinis. *c. licèt* 1. *de constit. in* 6. ubi hæc ratio datur: quia Princeps universalis, e. g. Pontifex, Imperator, Rex, Particularium locorum consuetudines præsumitur ignorare: adeóque non censetur per constitutionem, à se noviter editam, illis in aliquo derogare, nisi expresse caveatur in ipsa.

Imo probabiliter neque per legem particularem Principis supremi aut universalis, e. g. Papæ aut Imperatoris, latam pro loco aliquo speciali, abrogatur consuetudo specialis, præsertim immemorialis illius loci: nisi expresse apponatur clausula derogatoria. Censetur enim consuetudinem illam particularem Princeps ignorasse, sicque per accidens lex frustratur effectu.

Dixi autem per legem Principis *supremi & universalis*, qui nempe propter multitudinem locorum, sibi subjectorum, & molem negotiorum, non potest facilè scire omnes particulares consuetudines cujuslibet loci sibi subjecti. Contra verò de principe inferiore, aut qui parvum tantùm districtum habet sub sua jurisdictione, præsumitur, quòd sciat consuetudines illius particulares. Unde, quando fert legem, præsertim particularem, illis directè contrariam, censetur easdem velle abrogare.

)o(

APPARATUS ERUDITIONIS AD JURISPRUDENTIAM PRÆSERTIM ECCLESIASTICAM,

in quo reviſo, auctoque
Præter Juris Univerſalis Principia,
JUS NATURÆ, GENTIUM, DIVINUM,
APOSTOLICUM, & PONTIFICIUM, JUS SYNODALE
OECUMENICUM, NATIONALE AC PROVINCIALE,
Unacum
Provinciarum ac Regnorum Eccleſiaſtico & Politico Statu, Diſciplina Eccleſiæ, Hæreſibus exortis &c. continua Sæculorum ſerie ad præſens usque tempus deductum, inſertísque in hac præſertim nova editione pro re nata multis obſervationibus criticis, ac controverſiis Juridicis, Publicis, ac Polemicis
METHODO HISTORICO-DOGMATICA
colliguntur, & brevi ac clara Idea delineantur.

In Utilitatem eruditionis amantium, quibus vaſta Conciliorum, Decretorum Hiſtoriarum &c. volumina perlegendi aut occaſio aut tempus deficit.

AUTHORE
P. JOSEPHO BINER, S. J.
SS. Theol. & SS. Canonum Doctore, horúmque in alma Cæſareo-Leopoldina Univerſitate Oenipontana, nunc in celeberrima Epiſcopali Academia Dilingana, Profeſſore Ordinario ac Publico.

PARS II.

De Jure Naturæ & Gentium, de Jure Poſitivo Divino & Apoſtolico.

CUM FACULTATE SUPERIORUM AC PRIVILEGIO CÆSAREO.



Auguſtæ Vindelicorum & Friburgi Brisgojæ,
Sumptibus Fratrum IGNATII & ANT. WAGNER Bibliop. MDCCLIV.



PARS II.

DE JURE NATURÆ ET GENTIUM, JURE POSITIVO DIVINO, ET APOSTOLICO.

Magni in Theologia & Jurisprudentia momenti eſt accurata de Jure Naturali tractatio, quam plures ſcriptores ſpiſſis voluminibus ſunt complexi. Ego, quantùm materiæ dignitas & amplitudo patiebatur, eandem contraho, nihil tamen omiſſurus eorum, quæ ad Jus Naturæ & Gentium *in genere explicandum viſa ſunt utilia; deductis etiam paſſim ex principiis generalibus, concluſionibus & exemplis ſpecialibus, ut Jurium Candidatus convenienti apparatu ad Jurisprudentiam ſolidè perdiſcendam præparetur. Tranſeo deinde ad* Jus Poſitivum Divinum & Apoſtolicum *explicandum adjunctis obſervationibus criticis in Canones Apoſtolorum & Conſtitutiones Apoſtolicas.*

CAPUT I.

De Jure Naturæ.

SUMMARIUM.

QUÆSTIO I.

Quid ſit lex naturæ?

1. *Variæ ſententiæ, in quo conſiſtat jus naturæ, & quodnam ſit illius principium.*
2. *Eſt ordinatio Divinæ voluntatis.*
3. *Neceſſaria.*

4. *Circa actiones vel omissiones morales,*
5. *Per rectam rationem promulgata.*

QUÆSTIO II.

De principio Juris naturæ immediato.

6. *Principium immediatum, ex quo ordinariè inferimus legem naturæ, est recta constitutio rationalis reipublicæ.*
7. *Hæc autem recta constitutio stat in recta habitudine ad Deum, proximum, & se ipsum.*
8. *Hoc tamen principium non videtur esse ultimatum: sed fundatum in altiore.*
9. *Nec adæquatum. Quod ostenditur ex casu, quo mendacium esset necessarium ad conservandam patriam, vel rempublicam.*

QUÆSTIO III.

De Principio juris naturæ ultimato & universali.

10. *Hoc est solus Deus, ejúsque perfectiones.*
11. *Quas commendare est finis intrinsecus naturæ rationalis.*
12. *Quidquid igitur præcipi exigunt divinæ perfectiones, jure naturali est præceptum: & quidquid prohiberi exigunt, eodem jure est probibitum.*
13. *Ostenditur inductione: & præsertim exemplo mendacii, semper jure naturæ probibiti, etiam pro casu, quo esset necessarium ad conservandam rempublicam.*

QUÆSTIO IV.

Solvitur Difficultas,

An, & quomodo aliqua sint intrinsecè mala, alia verò tantùm extrinsecè.

14. 15. *An & quomodo aliqua sint mala antecedenter ad legem Dei, & probibita, quia mala?*
16. *Ad hoc explicandum maximè servit duplex nostrum principium juris naturæ. Expenduntur etiam aliorum sententiæ.*
17. *Solvitur difficultas.*
18. *Præsertim ratione peccati Philosophici.*
19. *Omnis peccans cognoscit legem Dei,*
20. *Etiam Atheus.*
21. *Quid de casu invincibilis ignorantiæ Dei.*

QUÆSTIO V.

An lex naturæ semper sit absoluta, immutabilis, & indispensabilis?

22. *Refertur sententia adstruens legem naturæ conditionatam & dispensabilem.*
23. *Refellitur hæc sententia.*
24. *Exemplo homicidii,*
25. *Furti,*
26. *Usurarum,*
27. *Polygamiæ,*
28. *Matrimonii in primo gradu consanguinitatis in linea recta.*
29. *Quæ omnia sub ea ratione specifica, sub qua sunt intrinsecè mala, & subjecta juri naturali, semper absolute & indispensabiliter sunt probibita.*
30. *Unde in sensu proprio ne quidem materialiter jus naturæ est mutabile aut dispensabile.*

31. *Neque admittit epiikiam strictè dictam.*

32. *Nam homicidii e. g. duæ sunt species, altera semper licita, altera necessariò semper probibita.*

33. *In quo est disparitas cum mendacio, perjurio, blasphemia, odio Dei formali, quæ* sub omni sua ratione *semper sunt necessariò probibita.*

34. *Papa non dispensat in jure naturæ, quando dispensat in voto, juramento &c.*

35. *Nec Pater, quando irritat vota filii, sed tantùm faciunt, ne votum, juramentum, actus, contractus &c. moraliter perseveret. Quod multis aliis exemplis ostenditur.*

36. *Quomodo contractus pupilli, aliique jure positivo irritati, jure naturali valeant? jus naturæ eos non validat positivè, sed tantùm præcipit, fidem validè datam servare. Quid autem in contractibus requiratur, ut fides sit valide data, humanis potestatibus decernendum relinquit.*

37. *Nec tamen propriè datur lex naturæ permissiva. Quid dicendum de casu, quando concurrere videntur plures leges naturales, quarum observatio est incompossibilis.*

QUÆSTIO VI.

An detur lex naturæ irritans?

38. *Talis datur.*

39. *Statuuntur tres regulæ discernendi, quinam actus jure naturæ sint irritati. Prima est: si in causa efficiente seu operante sit defectus potestatis aut habilitatis ad agendum naturaliter requisitæ: e. g. in infante, amente &c.*

40. *Secunda: si defectus sit ex parte* materiæ, *seu* objecti, *ut, si sit turpe, impossibile &c.*

41. *Tertia: si sit defectus ex parte* actus: *puta, si deficiat constitutivum illius essentiale, aut sit intrinsecè turpis, ut contingit in contractu simoniaco, usurario &c.*

42. *Solvitur objectio, quomodo pupillus &c. habeat potestatem disponendi.*

43. *Pacta, vel ex objecto, vel de se intrinsecè turpia, jure naturæ sunt irrita, nec oritur ex eis obligatio.*

44. *Non tamen tantùm ratione modi, aut circumstantiæ extrinsecè turpia. Unde valet matrimonium, initum stante voto simplici castitatis, aut stantibus sponsalibus cum alia, item venditio secunda, facta traditione.*

QUÆSTIO VII.

In quo consistat lex naturæ irritans?

45. *Etiam hæc stat in lege æterna Dei necessaria, quæ actus illos, in quibus est defectus vel ex parte operantis, vel ex parte materiæ, vel ex parte ipsius actus, decernit invalidos.*

46. *Non enim ipsa natura contractus, aut aliquid aliud potest esse hæc lex: cùm omnis lex à jurisdictione superioris debeat descendere.*

QUÆSTIO VIII.

Quodnam sit subjectum juris naturalis?

47. *Jus naturæ tripliciter accipitur. 1. Pro appetitu innato, & sic rebus etiam inanimatis est commune. 2. Pro instinctu naturæ: & sic commune est omni-*

omnibus animalibus, quo ſenſu illud Ulpianus ſumpſit. 3. *Pro lege Dei neceſſaria, per lumen rationis promulgata, éſtque hoc ſolùm jus naturæ propriè ſumptum.*

48. *Unde omnes & ſolæ creaturæ, rationis uſu præditæ, obligantur jure naturæ, propriè dicto.*

49. *Nullatenus verò brutis convenit: imò neque amantes, aut infantes ante uſum rationis illo obligantur, quia promulgatur per uſum rationis.*

QUÆSTIO IX.

Quomodo per cauſas jus naturæ compendiosè ſit explicandum?

50. *Cauſa* efficiens *juris naturalis eſt ſolus Deus.*

51. *Cauſa* formalis *ejus voluntas, per lumen rationis promulgata. Quæ promulgatio ipſam legem naturalem conſtituit.*

52. *Cauſa* finalis *immediata, ac minùs principalis eſt recta conſtitutio humanæ reipublicæ: finis verò ultimatus & principalis eſt Deus ipſe, cujus perfectiones exigunt probiberi ea, quæ ſunt contra rectam conſtitutionem naturæ rationalis, & habitudinem rectam ad Deum, proximum, & ſe ipſum &c. Ex quo etiam habetur principium immediatum & ultimatum juris naturæ.*

53. *Cauſa* materialis, *ſeu materia juris naturæ ſunt actus humani, neceſſariò præcipiendi, aut probibendi, aut irritandi, prout perfectiones Dei, prudenter ad finem ſuum gubernantis rationalem rempublicam, exigunt.*

54. *Subjectum denique juris naturalis propriè ſumpti ſunt omnes & ſolæ creaturæ, uſu rationis præditæ.*

1. icut DD. facilè conveniunt, quòd detur lex naturæ aliqua, univerſalis ac neceſſaria, præcipiens aut prohibens ea, quæ rectæ rationi ſunt conſentanea, vel diſſentanea: ita in diverſas opiniones abeunt, quando decidenda quæſtio, in quo conſiſtat lex naturæ.

Variæ ſententiæ. Hæc enim aliis eſt natura rationalis, aliis recta ratio, aliis lumen naturæ, aliis habitus primorum ac univerſalium principiorum moralium, aliis ordinatio Divinæ voluntatis neceſſaria.

Nec major eſt concordia in ſtatuendo *principio juris naturæ*, ſeu fundamento, ex quo neceſſaria atque infallibili illatione deduci poſſit, quænam ſint illa, quæ lege naturali ſint præcepta vel prohibita.

Nam hoc principium alii conſtituunt in judicio prudentum, aut in judicio hominis alicujus hypothetici: ad omnia ſcilicet & ſola illa jus naturale ſe extendere, quæ homo aliquis prudentiſſimus absque omni ſtu-

dio

dio partium aut privati commodi, ſolíque bono ac felicitati naturæ rationalis intentus, cenſeret univerſaliter omnibus eſſe præcipienda, vel prohibenda: aut quæ antecedenter ad omnem hypotheſin aut caſum particularem, judicio omnium prudentum expediret humano generi eſſe licita vel illicita, in ordine ad rectam conſtitutionem & felicitatem humanæ reipublicæ.

Secundùm alios principium juris naturæ eſt inſtinctus naturæ, aut id, quod natura omnia animalia docuit, aut lumen naturæ, aut convenientia ac diſconvenientia cum recta ratione ac natura rationali.

Alii docent, illa eſſe objecta legis naturalis, quæ conveniunt vel diſconveniunt cum recta conſtitutione ac felicitate naturali humanæ reipublicæ. Alii verò illa, quæ ſunt convenientia vel contraria amori naturaliter debito Deo, proximo ac ſibi ipſi.

Alii cum Puffendorffio ac pluribus aliis Proteſtanticis DD. volunt, *Socialitatem* eſſe juris naturæ primum principium, ita quidem, ut illa ſubjaceant legi naturali, quæ conveniunt vel diſconveniunt cum vita hominum ſociali.

Alii denique altiùs proſpicientes principium juris naturæ ex perfectionibus Divinis petunt, ac docent, omnia & ſola illa lege naturali eſſe præcepta vel prohibita, quæ præcepta aut prohibita eſſe Divinæ perfectiones exigunt, ita quidem, ut ſi non præcepta aut prohibita eſſent, redundaret imperfectio in ipſum Deum.

In tanta ſententiarum varietate, ac frequenti confuſione quid ordinatius ac ſolidius videatur, jam exponendum eſt breviter.

QUÆSTIO I.

Quid eſt lex naturæ.

Reſpond. Eſt ordinatio Divinæ voluntatis neceſſaria circa actiones & omiſſiones creaturarum rationalium, per rectam rationem promulgata. 2.

Eſt ordinatio Divinæ voluntatis.

Dicitur 1. *Ordinatio Divinæ voluntatis*, quia nemo alius poteſt totum genus humanum tam ardua & univerſali obligatione adſtringere, niſi Deus ſupremus legislator, & ſuperior omnium creaturarum rationalium. Et licèt fingeres, Deum creaturæ alicui dare poteſtatem ferendi legem naturalem, tamen etiam hæc reſolveretur ultimato in divinam voluntatem, actuum moralium univerſim omnium primam regulam ac normam, primúmque legum omnium efficiens principium.

Neceſſaria.

Dicitur 2. Ordinatio *neceſſaria.* Licèt enim Deo, ſibi ipſi pleniſſimè ſufficienti, liberrimum fuerit, naturam rationalem condere, creatione 3.
tamen ſuppoſita, ſapientiæ ac providentiæ conditoris ac gubernatoris

fuit,

fuit, per leges naturales ad honesti ac decori rationem candem adstringere, atque hoc pacto ad felicitatem statui naturæ competentem provehere.

Porro per hoc, quòd lex naturalis sit *necessaria*, differt ab omni lege positiva, quæ à legislatore, sive divino sive humano, non fertur necessariò, sed liberè.

Differt etiam à lege permittente, quæ abusivè tantùm & impropriè dicitur lex naturalis, cùm non sit necessaria, sed versetur circa indifferentia, quæ de se nec bona nec mala sunt, consequenter nec præcipi nec prohiberi exigunt.

Sed neque hæc Deus positivè permittit: dicendo quasi: *volo, ut hæc sint permissa;* sed negativè tantùm quatenus cira illa nihil disponit, sed disponenda legibus positivis relinquit.

Sic lex naturalis non jubet positivè, actum pupilli e.g. aut testamentum insolenne esse validum, aliàs Princeps aut respublica non posset tales actus irritare: sed quia lex naturalis circa illos nihil disponit, dicitur illos permittere. Unde quia lex naturalis merè permittens non est propriè lex, definitio legis naturalis propriè ac strictè sumptæ non debet illam comprehendere.

4. *Circa actiones vel omissiones morales.*

Dicitur 3. *Ordinatio circa actiones vel omissiones creaturarum rationalium.* Nam omnis lex versari debet circa mores hominum, seu actiones & omissiones præscribendas, dirigendas ac temperandas: cujus directionis creaturæ irrationales sunt incapaces. Unde Ulpianus impropriè & pro instinctu naturali jus naturæ sumpsit, dum omnibus animalibus illud commune fecit.

Patet ex dictis verbis etiam divisio legis naturalis in *affirmativam*, quæ bona præcipit, & *negativam*, quæ mala prohibet. Hæc dicitur obligare *semper pro semper* ad omissionem actus prohibiti: illa verò *semper* quidem, sed *non pro semper* obligat ad ponendum actum præceptum, e.g. amoris Dei aut proximi.

5. *Per rectam rationem promulgata.*

Dicitur 4. *Per rectam rationem promulgata.* Nam recta ratio, lumen rationis, dictamen, seu judicium intellectus non est ipsa lex naturalis, sed proponit creaturæ rationali legem, eámque manifestat, tanquam illius notificatio, promulgatio & applicatio; siquidem per rectam rationem, cœlestem velut radium, & aureum characterem supremus legislator æternam suam voluntatem in tempore scribit in cordibus nostris, & intellectui, præparatæ velut tabulæ, imprimit, atque hoc pacto creaturæ rationali applicat, promulgátque. In quem sensum *Psal.* 4 dicitur: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, lumen nempe rationis, per quam Deus nobis ostendit sanctissimam suam voluntatem. Unde hoc lumen non est ipsa

ipſa lex, ſed legem, ordinationem videlicet Divinam pro objecto habet, tanquam illius promulgatio & applicatio.

Qua ratione etiam explicatur illud Apoſtoli *Rom.* 2. *Cùm enim gentes, quæ legem* (poſitivam Divinam) *non habent naturaliter ea, quæ legis* (naturalis) *ſunt, faciunt, ejusmodi legem* (poſitivam) *non habentes, ipſi ſibi ſunt lex:* quatenus ſcilicet legem naturalem per lumen rationis à Deo in cordibus ſuis deſcriptam gerunt. Unde addit Apoſtolus: *qui oſtendunt opus legis* (naturalis) *ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium illius reddente conſcientia ipſorum.*

Porro ſicut communiter docetur, quòd promulgatio tanquam pars conſtituat ipſam legem, ſeu vim obligativam, ſic idem de promulgatione iſta privata & interna dici poteſt: quam ob cauſam in definitione legis etiam naturalis eandem apponendam cenſui.

Quia tamen radius ille luminis naturalis, non ita dilucidè ſemper humanis mentibus illabitur, ut absque omni diſcurſu ac prudenti illatione veritas ſufficienter illuſtrata appareat, ſed dubium ſæpius relinquatur, an hoc vel illud ſub imperio Juris naturalis comprehendatur, ſeu, an ordinatio Divinæ voluntatis neceſſaria ad hoc vel illud extendatur. Ideò ſit

QUÆSTIO II.

Quodnam eſt principium Juris naturalis?

Reſp. Principium ſeu fundamentum, ex quo recta ratio infert legem naturalem, ſeu hoc vel illud in particulari legi naturali ſubjectum eſſe, conſiderari poteſt duplex; *immediatum* unum, ſed non ultimatum, alterum *mediatum & ultimatum.* 6.

Immediatum Principium, ex quo inferre ſolemus *communiter*, aliquid lege naturali eſſe præceptum vel prohibitum, eſt *recta conſtitutio & felicitas naturæ rationalis, ſeu humanæ reipublicæ*, ita, ut omnis actio humana, quæ neceſſaria eſt ad rectam conſtitutionem naturæ rationalis, lege naturali ſit præcepta, & omnis actio, quæ eſt contraria rectæ conſtitutioni ac felicitati ejusdem naturæ rationalis, lege naturali ſit prohibita. *Principium immediatum, recta conſtitutio naturæ,*

Unde ſic ratio noſtra arguit: *Si homicidium injuſtum e.g. furtum, adulterium &c. non eſſent prohibita, malè eſſet conſtituta humana reſpublica. Ergo lege naturali ſunt prohibita.* Ecce principium immediatum, ex quo recta ratio inferre conſuevit, quòd hoc vel illud lege naturali ſit prohibitum!

Si ulteriùs quæratur, unde cognoſci aut probari poſſit, quòd aliquid ad rectam conſtitutionem aut felicitatem naturæ rationalis ſit neceſſarium, aut eidem ſit oppoſitum, declarari id & confirmari poteſt, dicendo, tunc

7. *Quæ respicit Deum,* tunc humanam rempublicam benè eſſe conſtitutam, atque felicem, *quando quilibet homo gnaviter exequitur officia, quæ ab illo naturaliter debentur Deo, ſibi ipſi, ac proximo;* his tribus ſiquidem officiis omnis rectitudo ac naturalis felicitas creaturæ rationalis abſolvitur, ut proin tota reſpublica rationalis benè ſit conſtituta, ſi quilibet illius civis bene ſe habeat ad Deum, ad ſe ipſum, & ad proximum, ſive per amorem, ſive per aliam virtutem, trino illi objecto naturaliter debitam.

Proximum, Unde quia Deo debentur à creatura religio, amor, reverentia, cultus & obedientia &c. ſibi ipſi temperantia, prudens amor, ordinata æquabilíſque vitæ ac morum compoſitio &c. Proximo charitas, juſtitia, miſericordia, fidelitas, gratitudo, aliáque ſocialis vitæ officia, omnis natura *Se ipſum,* rationalis benè erit conſtituta, ſi hæc ſolerti uſu in praxin eant, ſervata animi tranquillitate, & pace cum Deo, proximo, ſecum: ac proin hæc omnia jure naturali præcepta eſſe conſenda ſunt. Contra verò malè eſſet comparata rationalis civitas, ſi virtutum illa officia negligere, aut contraria illis vitia liceret committere; ſi blaſphemia, odium Dei, ſacrorum contemptus, ſi intemperantia, impudicitia, ſi effrænis ac diſtorta morum projectio, ſi ſuperbia, ira, invidia, injuſtitia, aliæque reipublicæ rationalis peſtes non eſſent prohibitæ.

Quamvis verò hæc ita ſe habeant, ac recta conſtitutio atque naturalis felicitas rationalis univerſitatis ſit principium illud, ex quo legem naturalem, aut præcipientem aut prohibentem inferimus, tamen nec ultimatum illud nec adæquatum cenſeo, imò nec certum ſatis ac ſolidum, niſi altiori firmiorique fundamento nitatur, tanquam ultimato & inconcuſſo juris naturalis principio.

8. *Non tamen ultimatum.* Quæro enim, quid Deo, ùt abſoluto rerum omnium Domino, ineluctabilem adeò atque inflexibilem neceſſitatem imponit, ut per leges naturales rectam conſtitutionem ac felicitatem humanæ reipublicæ procuret: ut exigentias & clamores creaturarum exaudiat? ut curam illarum ſuſcipiat? Poteſt Deus totam orbis molem vel nutu unico deſtruere, & in nativum ſuum nihilum redigere; cur ergo non etiam ſibi ac ſuis ruinis relinquere?

Et in phyſicis quidem habemus compertum: quòd Deus, licèt ſit auctor omnis naturæ corporeæ, tamen ùt abſolutus Dominus contraire poſſit ejusdem exigentiis, & appetitibus innatis, ſpoliando ignem calore, aquam frigore, ſolem lumine, materiam forma, licèt ſic videatur creaturæ inferri violentia, & prodire opus deturpativum naturæ. Quænam ergo ineluctabilis illa cauſa eſt, quæ Deo neceſſitatem poteſt imponere, ut exigentiis creaturarum moralibus ſatisfaciat? ut earum felicitati proſpiciat? ut legibus naturalibus adſtringat, atque coërceat? cur non pro

caſu

casu saltem particulari legem naturalem potest omittere ac permittere, quod nunc jure naturæ censemus illicitum? Altiùs profectò hic eundum, & è cœlo petendum, quod in terris non invenitur.

Dixi etiam, quòd principium illud, ex felicitate & recta constitutione humanæ reipublicæ, atque ex debitis officiis petitum, non sit adæquatum: quin falsum videri potest. Argumenta plura præstò sunt, affero unicum. Pone casum, vel, si vis, finge, mendacium, aut aliud vitium, jure naturæ illicitum, esse necessarium ad conservationem humanæ reipublicæ, interituræ, nisi mendacio sustentetur: pone, mendacio omnia alia peccata posse impediri, omnes reliquas miserias & inordinationes omnium mortalium posse tolli: an licitum dices? non credo. At ex principio tuo non tantùm licitum pro eo casu, sed etiam præceptum esse inferas oportet. Nam ostendo utrumque. *Omnis actus, qui ad felicitatem humanæ reipublicæ est necessarius, non tantùm licitus. sed etiam præceptus est.* Hoc tuum est principium: ex quo ego sic colligo: *sed mendacium in casu posito est necessarium ad felicitatem humanæ reipublicæ* (interituræ, si non mentiaris) conclusionem ipse formes: planè mendacium in hoc casu non ampliùs esset vitium, sed virtus, jure naturæ præcepta. Rursus: *Omne illud est jure naturæ illicitum, quod est oppositum rectæ constitutioni ac felicitati humanæ reipublicæ, atque officiis amoris eidem debitis.* En tuum fundamentum juris naturæ ultimatum! *atqui omissio mendacii in hoc casu est opposita rectæ constitutioni ac felicitati humanæ reipublicæ, atque officiis amoris eidem debitis. Ergo omissio mendacii in hoc casu est illicita.* Neque dicas, mendacium esse contra veracitatem & commercium inter homines: nam ex omissione mendacii in dato casu multò plus damni sequeretur humanæ reipublicæ, quàm ex omnibus mendaciis, ùt per se patet. Deinde licèt in hoc casu licitum esset mendacium, tamen ex principiis adversariorum non sequeretur, quòd in aliis casibus etiam esset licitum, ubi ab illo non dependet conservatio reipublicæ: ergo non sequeretur, quòd intercideret humanum commercium.

9. *Nec adæquatum.*

Non disputabo tecum de possibilitate casus propositi: sit impossibilis; at ostendit tamen, mancum esse tuum principium, imò falsum. Deinde non video satìs, cur casus hic absolutè sit impossibilis, si, ùt tu quidem asseris, juri naturæ non aliud fundamentum, nisi massa creata sit substernenda: nam tunc mendacium non foret vitium, sed virtus, jure naturali præcepta. Cur ergo absolutè implicet, ut Deus hanc virtutem requirat ad conservandam humanam rempublicam, aliàs à se destruendam?

Vel pone alium casum, certò possibilem, quòd mendacio possis patriam ab hoste liberare. Nam etiam in hoc ex tuo principio sequitur,

quòd mendacium ſit præceptum, & omiſſio illius jure naturali prohibita, utpote contraria officiis amoris, patriæ naturaliter debitis.

QUÆSTIO III.

Quodnam ergo eſt principium ultimatum & univerſale Juris naturæ?

10. Reſp. Cùm in rebus creatis nec ſatis ſolidum nec ſatis univerſale deprehendamus fundamentum, niſi cuidam per ſe ipſum firmo atque immobili ſuperſtruatur, ad altius eluctandum eſt rerum omnium principium, baſin ac fundamentum, ad Deum videlicet O. M. bonitatis omnis fontem ac primam originem.

Principium ultimatum & adæquatum eſt Deus,

Dicendúmque: Principium ultimatum Juris naturæ eſt ipſe Deus infinitè perfectus. A quo enim alio poſſet imponi Deo neceſſitas conſulendi humanis rebus per leges naturales, niſi à ſua eſſentia ac perfectione infinita? Quàm neceſſe eſt, Deum eſſe infinitè perfectum, ſapientem ac providum, tam neceſſe eſt, eum ſapienter ac providè gubernare humanam rempublicam. Quod, ut evidentiùs demonſtratum eam, ſic arguo.

Ejusque perfectiones.

Cùm Deus ſibi ſoli infinitè ſufficiat, nulláque re indigere poſſit, neceſſe nullatenus habuit, ut extra ſe ipſum operetur, producendo hanc mundi machinam, eámque rationalibus creaturis animando;

Suppoſito tamen, quòd ex liberrimo voluntatis ſuæ beneplacito creationis opus ſuſceperit, tanquam auctor naturæ prudentem eidem finem præfigere debuit, non alio neceſſitante, niſi ſapientia ſua ac providentia infinita.

Operi igitur ſuo finem præpoſuit, ad quem tenderet, quoque obtento benè eſſet conſtitutum, ac felicitatem ſuam conſecutum. Omnia ſiquidem benè ſe habere noſcuntur, ſi ad finem ſuum benè ſunt comparata.

11. *Quas commendare eſt finis naturæ rationalis.*

Quis igitur finis creaturæ præſertim rationalis? Non quæro de fine ſupernaturali in ſtatu naturæ elevatæ: hic enim eſt Deus, ùt poſſidendus æternùm per viſionem intuitivam & amorem beatum, tanquam plenè ſatiativum appetitus rationalis; ut proin Deus ipſe ſit finis & beatitudo objectiva, poſſeſſio verò hujus finis & fruitio per viſionem & amorem beatitudo ſit formalis naturæ rationalis, ſpeciali atque indebito favore elevatæ.

Sed quæro de fine naturali, à Deo, ut auctore naturæ, creaturæ rationali præfixo. Sanè quemadmodum nihil terrenum, creatúmve eſſe poteſt finis & beatitudo ejuſdem objectiva ac ſupernaturalis, ſic neque poteſt eſſe illius finis ac beatitudo naturalis, eò quòd nullius boni creati, poſ-

possessio, nec omnium simul, satiare possit vastam capacitatem & immensos velut appetitus humanæ mentis.

Unde novimus, veteres illos Philosophos, utì in perpetua jurgia, ita in absurdos omnino errores esse prolapsos, ubi de fine hominis incidit disceptatio: dum per terrenæ bonitatis simulacra ac vanas umbras serpentes, vagantésque ad veri boni fastigium obtutum attollere aut noluerant, aut gentilitatis glaucomate obcœcati non poterant.

Solus Divinus ille Plato aquilæ instar in Divinissimum justitiæ solem atque immensum illud lumen obtutum defixit, vel sola ratione naturali acuente aciem, ac monstrante veritatem, quæ sua satis luce se signat.

Hanc amplexa melior philosophia ac Christiana ethica, nullatenus dubitat, finem hominis ac felicitatem etiam naturalem non esse aliam, quàm possessionem summi boni, quantam quidem ratio status naturalis potest capere: cùm possessio boni creati implere ac saturare nequeat appetitum rationalem.

Hæc autem possessio ultimi finis aliud esse non potest, quàm cognitio Dei infinitè boni ac perfecti, ejúsque amor, cultus ac reverentia, atque recta habitudo ad Deum, qua videlicet in ordine ad ultimum finem suum bene se habeat creatura, ut ex ipsa natura auctoris naturæ perfectiones ac gloria resplendeat.

Indubitata siquidem veritas est, rem quamlibet perfectionem suam, constitutionem rectam, ac felicitatem obtinere, si ad finem suum rectè sit comparata. Cùm igitur Deus, naturæ rationalis author, providus ac sapiens, eandem ad se tanquam finem ultimum, atque ad gloriam suam ac perfectiones manifestandas condiderit; imò ad alium finem ultimum, quàm ad gloriam suam ac laudem condere non potuerit, vel ex ipso creationis fine consectaneum esse intelligimus, tunc creaturam rationalem rectè esse constitutam, felicem, beatámque secundùm status naturalis capacitatem, quando ad finem suum bene est comparata; quando à Divino suo authore ita creatur, conservatur, ac gubernatur, ut opus authorem commendet, ejúsque perfectiones in se velut penicillo expressas, repræsentet.

Cùm igitur hic sit finis creaturæ rationalis, Deúsque ad alium creare eandem ac gubernare non possit, nisi nempe ad gloriam suam extrinsecam, satìs profectò intelligimus, sapientiæ ac providentiæ Divinæ esse, ita naturam rationalem condere, ac gubernare, ut nihil in ea scabrum, distortúmque, nihil cum fine illo ultimo, sapientissimo ac prudentissimo, pugnans ex voluntate authoris sui sit reperire: aliàs enim imperfectio operis redundaret in ipsum artificem & auctorem.

Quidquid igitur sapientiæ ac providentiæ sanctissimi conditoris ac gubernatoris, aliisque perfectionibus Divinis est oppositum, lege necessaria prohi- 12. *Quidquid*

igitur est contra divinas perfectiones, est contra jus naturæ.

prohibet: & quidquid perfectio Dei, ad sapienter ac providè gubernandam creaturam rationalem exigit præcipi, id præceptum esse lege naturali nullatenus ambigi potest. Demonstremus veritatem istam, ùt ùt per se certam & indubitatam, per exempla.

Prohibet Deus lege naturali ac necessaria, quidquid amori, reverentiæ, cultui, obedientiæ, reliquísque officiis, Deo debitis adversatur, ùt odium Dei, blasphemiam, perjurium, idololatriam, superstitionem; nam si horum quidquam Deus licitum faceret, non ampliùs sapienter ac providè ad finem suum gubernaret humanam rempublicam, quia non ampliùs benè se haberet ad Deum, ejúsque gloriam ac perfectiones manifestandas; consequenter quàm necessariò Deus prudenter ac sanctè humanam rempublicam gubernat, tam necessariò ei interdicit, quidquid officiis erga Deum adversatur; ac necessariò præcipit, quidquid requiritur, ut erga Deum, finem suum ultimum, bene se habeat.

Eodem ex fonte derivatur necessitas earum legum, quæ hominis officia erga proximum & vitam socialem ordinant; nam & hæc Deus lege æterna necessariò disponit, quia Deus est, quia perfectus est, quia providè ac sapienter condidit ac gubernat res humanas ad suum finem, ut videlicet perfectiones creatoris commendent, & gloria gubernatoris ex eis resplendeat.

Ostenditur per exempla.

At verò ad hunc finem, creaturis rationalibus necessariò præfixum, non gubernaret sapienter humanam rempublicam, si non præciperet ea, quæ ad amorem mutuum, pacem ac concordiam inter homines conservandam, atque ad alia socialis vitæ officia sunt necessaria: si faceret licita injusta homicidia, adulteria, detractiones, furta, rapinas, & quidquid justitiam, charitatem, pacem ac quietem lædit: quia videlicet hoc pacto non ampliùs per sapientem, providam, Deóque authore dignam creationem ac gubernationem ad finem suum bene comparatæ essent humanæ per orbem societates; quia non ampliùs essent natæ, gloriam ac perfectiones conditoris ac gubernatoris sui manifestare: quin potiùs notam quandam aut impotentiæ aut imprudentiæ in authorem ac gubernatorem suum refunderent.

Atque eodem prorsus modo de officiis, quæ quilibet homo jure naturali sibi ipsi debet, est discurrendum. Cùm enim finis naturalis cujuslibet hominis, etiam secum ipso comparati, sit, ita esse constitutum, ut opus authorem commendet, facilè colligimus, quidquid hiulcum in moribus, distortum atque inordinatum in homine est reperire, id sanctissimis legibus sapientissimi conditoris ac providentissimi gubernatoris adversari. Unde iram, gulam, intemperantiam, acediam, cædem ac mutilationem sui ipsius, aliásque creaturæ rationalis inordinationes prohibitas, contrarias

rias verò virtutes, ùt amorem ſui prudentem, diſcretum ac moderatum, præceptas eſſe ex principio illo inferimus. Neque intereſt, an prima ſint principia moralia per ſe nota, e. g. *declina à malo, & fac bonum*, an verò concluſiones ex his principiis deductæ: nam per utraque nobis Deus legem ſuam manifeſtat, atque ad perfectionem ſuam commendandam, ac felicitatem noſtram comparandam dirigit. Unde parum attendi meretur diviſio illa, à quibusdam aſſerta, Juris naturalis in *primævum*, quod ſola principia juris naturalis, per ſe nota, complecti dicitur, & in *ſecundarium*, quod circa concluſiones morales ex principiis illis deductas verſari volunt.

Sed quid ad caſum illum dicendum, quem ſupra attulimus, quo videlicet mendacium ad conſervationem humanæ reipublicæ, aut patriæ ſaltem, eſſet neceſſarium? cur illud etiam pro tali caſu neceſſaria lege interdicitur? profectò hîc alia ratio dari non poteſt, niſi quòd omne mendacium ſit oppoſitum primæ ac ſummæ veracitati; conſequenter ſi Deus faceret licitum, redundaret imperfectio in ipſum Deum: & ſi homini poſſet facere licitum mendacium, cur non etiam ſibi? Videmus, quàm hæc abhorreant à Divina perfectione, ut ne quidem cogitari poſſint ſine blasphemia. 13.

Cur mendacium pro omni caſu prohibitum?

At omiſſio mendacii mundi ruinam traheret. Quid tum? an præferendum putas mundum Deo, conſervationem creaturæ perfectioni creatoris? igitur hoc etiam caſu Deus ſanctiſſimus ac ſapientiſſimus neceſſariò prohibet mendacium: nam ſi creaturæ faceret licitum, non ampliùs eſſet apta ad ſuum finem, videlicet ad perfectiones Divinas manifeſtandas, imò infinitam veracitatem Dei everſum iret: non igitur ſapienter gubernaret Deus ad finem ſuum creaturam rationalem, ſi mendacium ei faceret licitum: unde ad perfectionem Divinam ſatius eſſet, mundum in nihilum recidere, quàm Divinæ perfectioni afferri præjudicium.

Illud adhuc dubium quibusdam movet, quòd aliqua peccata, jure naturali prohibita, videantur nulli perfectioni Divinæ eſſe oppoſita, e. g. ingratitudo; cùm Deus neque gratus neque ingratus eſſe poſſit. Verùm licèt ingratitudo nulli ſingulari perfectioni Divinæ eſſet contraria, eſt tamen contra bonitatem, ſanctitatem ac ſapientiam Divinam, illam non prohibendo facere licitam.

QUÆSTIO IV.
Solvitur Difficultas,
An, & quomodo aliqua ſint mala antecedenter ad legem DEI.

Præcipuam hanc eſſe in hac re difficultatem cenſeo, ùt enim oſtenſum hactenus, lex naturæ eſt ipſa lex Divina neceſſaria, principium verò ultimatum, ex quo exiſtentiam talis legis colligimus, ſunt perfectiones 14.

 Dei,

Dei, ſapientiſſimè ac providentiſſimè gubernantis humanam rempublicam. At verò ulterior quæſtio hîc ſe offert, quare Divina perfectio exigat prohiberi furtum e. g. non verò eſum carnis die ſabbati. Videtur planè antecedenter ad legem Dei, ſeu abſtrahendo à lege Dei, in iſtis objectis intrinſecum dari diſcrimen, ita quidem, ut furtum habeat aliquam malitiam, propter quam neceſſariò à Deo prohibetur, quam malitiam eſus carnis, aliáque, quæ jure tantùm poſitivo ſunt prohibita, non habent.

Unde etiam recepta eſt illa Theologorum paræmia: *Aliqua eſſe prohibita, quia ſunt mala, & aliqua eſſe mala, quia prohibita.* Quod axioma ſenſum alium habere non poſſe videtur: quàm aliqua jam antecedenter ad omnem legem Dei, vel ſaltem ab illa abſtrahendo, eſſe in ſe ipſis mala, quia nempe ſunt diſconvenientia naturæ rationali, e g. furtum, homicidium, mendacium &c. alia verò ex ſe ipſis talem malignitatem, naturæ rationali repugnantem, non habere, ſed totam malitiam accreſcere ex diſconvenientia cum lege poſitiva, non neceſſaria. Quæritur igitur, quid ſit illa malitia, quæ eſt in furto, & propter quam neceſſariò prohibetur? vel, quid inveniatur antecedenter ad legem Dei in furto, quod non invenitur in comeſtione carnis? cur aliqua e. g. furtum aut mendacium, dicantur intrinſecè mala, ſecus ac alia?

15. *Quomodo aliqua ſint intrinſecè mala.* Ad quam difficultatem reſpondetur, furtum, abſtrahendo à lege prohibente, non eſſe malum formaliter ac theologicè, ſed radicaliter tantùm, fundamentaliter, ac velut phyſicè, quatenus nempe, ſuppoſita rerum diviſione eſt turbativum reipublicæ humanæ, quietis ac tranquillitatis publicæ: atque hac ratione adverſatur rectæ conſtitutioni humanæ ſocietatis. Unde fundamentum præbet legi prohibenti, exigítque, ùt paſſim auctores loquuntur, prohiberi.

Verùm, ùt dictum ſuprà, vi ſui abſoluti & independentis dominii poſſet Deus huic exigentiæ creatæ contraire, niſi perfectio ſapientiſſimi ac providentiſſimi creatoris ac gubernatoris, creaturam rationalem ad finem ſuum, manifeſtandas videlicet Divinas perfectiones, prudentiſſimè ordinantis, neceſſitatem legis imponeret.

Alia longè eſt eorum conditio, quæ lege duntaxat poſitiva ſunt liberè prohibita: hæc enim, antecedenter ad legem prohibentem, neque fundamentalem ac phyſicam habent malitiam, cùm non ſint per ſe noxia, neque oppoſita fini creaturæ rationalis, conſequenter neque perfectio ſapientiſſimi gubernatoris neceſſitatem ullam prohibendi illa imponit.

Licèt autem furtum e. g. hoc ſenſu dicatur fundamentaliter intrinſecè malum, quatenus eſt noxium humanæ reipublicæ, & oppoſitum felicitati ac rectæ conſtitutioni ejuſdem, ultimatum tamen principium, indefectibile atque immutabile, ex quo per neceſſariam conſequentiam legem æternam

nam prohibentem inferimus, est ipsa natura Divina infinitè perfecta, seu sapientia Dei providentissimè ad finem suum gubernantis creaturam rationalem.

Atque ex hoc ipso colliges, si non necessitatem, ntilitatem saltem, duplicis nostri principii ac regulæ, ex qua existentiam legis naturalis in ordine ad particulares materias inferimus. Immediatum siquidem principium est recta constitutio humanæ reipublicæ, aut creaturæ etiam cujusvis rationalis in ordine ad suum finem, manifestandas nempe Divinas perfectiones; ultimatum tamen semper erunt hæ ipsæ perfectiones, ac præsertim sapientia creatoris ac gubernatoris.

Unde nequaquam rejicio modos illos loquendi, receptos passim, quibus in praxi sic arguimus: hoc est contra felicitatem naturalem ac rectam constitutionem creaturæ rationalis, aut humanæ reipublicæ. Ergò jure naturali est prohibitum. Hoc exigit esse præceptum recta constitutio naturæ rationalis: ergo est præceptum. Hoc est contra officia, Deo, proximo, ac sibi naturaliter debita: ergo est illicitum jure naturali. Hox exigit bonum socialis vitæ, hoc exigit amor naturaliter debitus Deo, sibi ac proximo: ergo est præceptum lege naturali. Hoc est contra naturam rationalem, contra rectam rationem, hoc dictat recta ratio, ergo &c. Item: quidquid simpliciter expedit esse licitum ad felicem naturæ humanæ statum, id omne, spectato naturæ jure, est licitum: item, quod in ordine ad eundem finem simpliciter expedit esse præceptum vel prohibitum, id omne naturæ jure est obligatorium: similiter, quod simpliciter expedit, esse graviter vel leviter prohibitum pro humani generis beata conditione, est de jure naturæ graviter vel leviter prohibitum. 16. *Variæ DD. regulæ juris naturæ.*

Item: id omne simpliciter expedit, licere, in cujus licentiam homines consensissent, si ante omnem casum particularem ab authore naturæ requisiti tulissent suffragium: & econtra, id omne simpliciter non expedit, licere, in cujus licentiam homines non consensissent.

Has, inquam, aliásque authorum regulas non rejicio; quin, aliquas saltem ex iis, in praxi utiles esse ac veras fateor: Unde illas etiam tanquam principium immediatum statuo: Ultimatum tamen esse nego: Cùm principium ultimatum sint solæ Divinæ perfectiones, quibus omnes prædictæ regulæ tanquam fundamento ultimato per se ipsum firmo, indefectibili atque immutabili innituntur, ùt suprà demonstratum est.

Hinc mirari satis non possum, complures authores, qui integris tomis jus naturæ pertractant, de hoc principio vel omnino silere, vel perfunctoriam tantummodo de eo mentionem facere: cùm tamen certum esse videatur, rationem ultimatam, cur Deus ad exigentiam creaturæ rationalis ejúsque felicem statum legem necessariò ferre debet, aliam non esse, quàm

quàm ipſammet Divinam perfectionem ac providentiam ſapientiſſimi creatoris ac gubernatoris: imò communis Chriſtianorum doctrina ſit, felicitatem creaturæ rationalis, etiam in ſtatu naturæ puræ ſpectatam, aliam haud fore, quàm rectam conſtitutionem in ordine ad ultimum ſuum finem naturalem, ad Deum videlicet ejúſque perfectiones manifeſtandas ac commendandas. Unde ſolennis illa vox Theologiæ myſticæ, quòd Deus creare potuerit hominem, vel non creare pro lubitu, ad alium finem creare, quàm propter ſe, atque ad gloriam ſuam, non potuiſſe: quia ſcilicet infinitum bonum in creaturis ſuis neceſſariò ſe ipſum amat, & infinita ſapientia pro fine omnis operationis neceſſario habet ſummum bonum.

Ex quibus haud difficulter inferimus, rationem ultimatam, per ſe firmam, indefectibilem atque immutabilem legis Dei æternæ ac neceſſariæ non eſſe quærendam extra Deum infinitè bonum, ſapientem ac perfectum.

17. *Difficultates ſolvuntur.* Atque ex hac ipſa doctrina faciliùs, quàm ex ulla alia, videtur explicari, cur ea, quæ lege naturali à Deo prohibentur, dicantur intrinſecè mala, ſeu per ſe ipſa fundamentaliter ac radicaliter mala: quia ſcilicet ſunt oppoſita rectæ conſtitutioni naturæ rationalis in ordine ad ſuum finem naturalem, qui conſiſtit in tali habitudine ad Deum, authorem & gubernatorem ſuum, ut illius perfectiones manifeſtent ac commendent: quod non ampliùs contingeret, ſi Deus illa faceret licita. Unde in ipſa natura rationali datur fundamentum (quamvis non ultimatum) atque exigentia, ut à Deo ſapientiſſimo ac providentiſſimo gubernatore ac legislatore prohibeantur: & quia ſic ex fine ſuo intrinſeco natura rationalis exigit, ut talia ſint illicita, dicuntur *radicaliter*, *fundamentaliter*, atque etiam *intrinſecè* mala, *formaliter* verò mala per oppoſitionem cum lege naturali, quam Deus neceſſariò fert vi ſuæ infinitæ perfectionis, tanquam ſapientiſſimus ac providentiſſimus gubernator, ad exigentiam naturæ rationalis, ut illa ad finem ſuum rectè ſit comparata.

Unde natura rationalis per lumen rationis ſic arguit: ſi furtum e. g. aut homicidium injuſtum eſſet licitum, malè eſſet conſtituta in ordine ad ſuum finem humana reſpublica ac natura rationalis. Ergo Deus neceſſariò per legem æternam illud prohibet, vi ſuæ infinitæ perfectionis, tanquam ſapientiſſimus ac providentiſſimus creator ac gubernator creaturæ rationalis.

18. *Cur impoſſibile peccatum purè philoſophicum?* Ex quo ulteriùs conficitur, nullum dari, nec dari poſſe peccatum purè philoſophicum, quod præcisè eſſet actus humanus diſconveniens naturæ rationali & rectæ rationi, nullatenus verò ſit transgreſſio legis Divinæ. Nam imprimis impoſſibile eſt ex dictis, Deum non prohibere ea, quæ ſunt contra naturam rationalem & rectam rationem; cùm ipſæ Divinæ perfectiones Deum neceſſitent, ad illa prohibenda.

Deinde recta ratio non poteſt judicare, actum aliquem eſſe contra natu-

ram

ram rationalem, nisi in quantùm ostendit; illum actum esse contra finem naturæ rationalis, nempe contra rectam habitudinem ad Deum: consequenter simul ostendet, illum à Deo vi suæ infinitæ perfectionis esse prohibitum. Nam

Circa mendacium e. g. ita discurret (explicitè vel implicitè, formaliter vel virtualiter) mendacium est contra rectam constitutionem naturæ rationalis, & ita illicitum, ut, licèt omnes homines dicerent esse licitum, aut vellent facere licitum, tamen maneret illicitum, & quidem in omnibus circumstantiis. Ergo à supremo Domino ac legislatore vi infinitæ suæ veracitatis ac perfectionis est prohibitum.

Unde porro sequitur, sive fidelis peccet, sive barbarus, semper sub 19.
aliquo saltem prædicato, e. g. supremi Domini, legislatoris, aut altioris *Omnis peccans Deum cognoscit.*
potestatis, implicitè saltem, virtualiter ac confusè cognosci Deum, qui peccato offenditur. Est enim impossibile, ut recta ratio judicet aliquid esse contra naturam rationalem, & consequenter prohibitum, nisi simul judicet, quòd sit prohibitum ab altiore legislatore. Cur enim peccans aliàs timet? cur synteresis accusat, quem timet, præsertim si crimen est occultum? an natura rationalis se ipsam? cur quæso? quis suus est superior? quis suus legislator? cur mendacium maneret prohibitum, licèt tota humana respublica vellet illud permittere?

Licèt igitur etiam ab homine rationis compote Deus brevi aliquo tempore possit etiam invincibiliter ignorari, tamen ignorari nunquam potest à peccante: quia scilicet lumen rationis non potest dictare, aliquid tanquam naturæ rationali disconveniens esse prohibitum, nisi simul dictet ab altiori potestate esse prohibitum: cùm fundamentum ultimatum per se firmum & indefectibile hujus prohibitionis aliud esse non possit, quàm perfectio alicujus supremi gubernatoris, quæ eundem necessario ad legem illam in cordibus nostris scribendam atque sic nobis per lumen rationis promulgandam determinet. Quodnam enim aliud principium ultimatum, indubitatum, atque indefectibile habet natura rationalis judicandi, mendacium e. g. esse prohibitum necessario, nisi oppositionem cum perfectione supremi legislatoris?

Quæres: quid autem, si poneretur casus, quòd peccans invincibiliter ignoret Deum, & quidem sub omni prædicato? tunc enim peccans agnosceret tamen, mendacium esse illicitum. Quodnam autem tunc aliud fundamentum ultimatum judicandi, id esse prohibitum, nisi natura rationalis, cui illud nihilominus esset oppositum? Respondetur, casum esse impossibilem, licèt enim non negem, posse Deum ad breve aliquod tempus etiam invincibiliter ignorari, tamen fieri non potest, ut *peccans* eum ignoret: siquidem hoc ipso, quòd peccet, agnoscit confusè saltem, se

agere contra legem aliquam superioris potestatis; cùm ratio manifestè dictet, legem ferri non posse, nisi à superiore in subditum, consequenter neminem sui ipsius legislatorem esse, aut in se ipsum jurisdictionem posse exercere. Quis ergo ille superior, cujus legem peccans transgreditur? non alius homo: nam unde illi pòtestas in hominum conscientias? deinde licèt omnes homines vellent præcipere mendacium e. g. vel aliud intrinsecè malum, tamen illud maneret prohibitum. Ergo quoties quis peccat, præsertim contra legem naturæ, semper, saltem confusè & implicitè, agnoscit, se agere contra voluntatem supremi alicujus legislatoris, qui præcipere aut prohibere possit, licèt totum humanum genus se vellet opponere.

20. *Etiam Atheus.* Neque dicas, quòd Athei peccent, licèt nullum Deum agnoscant. Nam falsum est, quòd Deum non agnoscant, dum peccant: tam apertè enim se Deus signavit in suis creaturis, támque convincentia humanæ menti ac synthereſi indidit dictamina rationis, signato super nos lumine vultus sui, ut, quantumcunque impii conentur tam illustribus radiis aditum præcludere, omnémque Dei sensum ex cordibus suis excludere, tamen, nolint velint, synthereſis eis, dum peccant, acclamet: *Datur Deus; datur legislator altioris potestatis: datur vindex scelerum;* quem potiùs optant non existere, quàm non existere seriò sibi possint persuadere. Et sic dicit quidem impius in corde suo: *Non est Deus:* at non seriò: conatur potiùs, & attentat dicere, quàm seriò dicat, præsertim quando peccat.

Sed quid, si nullus daretur Deus? an mendacium, aliáque lege naturali nunc prohibita, tamen essent mala atque prohibita? cur tunc essent mala? cur illicita? à quo prohibita? profectò tunc ideò duntaxat essent illicita ac mala, quia tamen essent dissentanea naturæ rationali.

21. *De casu invincibilis ignorantiæ Dei.* Respondent ad hunc casum plures authores, uti etiam ad illum, quo poneretur, à peccantibus Deum sub omni prædicato invincibiliter ignorari, quòd in tali hypothesi (quam tamen utramque impossibilem esse agnoscunt) peccatum foret merè philosophicum, præcisè disconveniens naturæ rationali ac rectæ rationi, quod non esset offensa Dei, nec dignum pœna æterna.

Censeo tamen cum Viva in *Trut theol. ad prop. 2. ab Alexandro VIII. damnatam*, ex utraque hypothesi impossibili aut nihil sequi, aut sequi pariter impossibile, utramque nempe contradictionis partem; quòd videlicet tunc mendacium e.g. esset malum, illicitum, prohibitum, dissentaneum naturæ rationali, offensa Dei &c. & simul non esset. Esset malum, ac offensa Dei; quia est impossibile, ut recta ratio proponat mendacium tanquam illicitum ac disconveniens naturæ rationali, nisi simul illud proponat ùt disconveniens legi Dei, qua Deus vi suæ perfectionis necessa-

ceſſario illud prohibet, ùt oſtenſum eſt. Sequeretur tamen ſimul & altera contradictionis pars, quòd ſcilicet in tali caſu chymærico mendacium non eſſet malum, illicitum, diſconveniens naturæ rationali, ac offenſa Dei; quia ponitur Deum non exiſtere, aut à mentiente invincibiliter ſub omni prædicato ignorari: conſequenter nulla daretur, aut agnoſceretur lex naturalis, illud prohibens. Ex quo igitur tunc principio ratio colligat, mendacium eſſe prohibitum, malum, illicitum, diſconveniens naturæ rationali, ac offenſam Dei? at in terminis abſurdum eſt, mendacium non eſſe malum, ac diſconveniens naturæ rationali. Ita eſt: ſed dato uno abſurdo cætera accidunt: & ex impoſſibili aut nihil ſequitur, aut ſequitur quidlibet.

QUÆSTIO V.

An lex naturæ ſemper ſit abſoluta, immutabilis ac nunquam diſpenſabilis.

Complures ſunt DD. tum Theologi tum Juriſconſulti, qui legem naturalem dividunt in *abſolutam* & *conditionatam*. Illam immutabilem atque indiſpenſabilem ſtatuunt, hanc verò mutabilem ac diſpenſabilem. Exempla eorum, quæ ſunt juris naturalis *abſoluti*, afferunt blaſphemiam, odium, aut contemptum Dei, mendacium &c. quia hæc ita ſunt intrinſecè mala, atque Divinis perfectionibus per ſe oppoſita, ut pro omnibus caſibus atque omnibus circumſtantiis lege Divina abſoluta, immutabili ac indiſpenſabili neceſſario ſint prohibita. 22.

Juris autem *conditionati* exempla ponunt, homicidium, furtum, polygamiam, matrimonium conſanguineorum in primo gradu lineæ rectæ &c. nam, ut diſcurrunt, homicidium eſt quidem lege naturali prohibitum, ſed tantùm conditionatè, niſi Deus, qui ſupremum habet dominium vitæ & necis det poteſtatem, hominem occidendi, ſicque diſpenſet. Furtum pariter ſubjacere juri naturali conditionato, niſi nempe Deus, qui ſupremus eſt Dominus bonorum omnium, det facultatem occupandi alterius bona, ùt dedit Iſraëlitis ſpoliandi Ægyptios. In polygamia Deum in veteri teſtamento ſæpè diſpenſaſſe; diſpenſaturum pariter in matrimonio quoad primum gradum lineæ rectæ, ſi ſolus pater cum filia in mundo exiſteret. Hæc proin, aliáque multa juris eſſe naturalis tantùm conditionati, niſi nempe Deus diſpenſet.

Quamvis autem iſti authores quoad rem ipſam vix aliud videantur velle, quam id, quod omnes facile concedunt, tamen hic modus loquendi, tanquam improprius ac minùs in re tanta accuratus, doctiſſimis viris ſemper diſplicuit. Cum quibus

23. *Nulla lex naturæ conditionata mutabilis aut dispensabilis.* Dico: *Nulla datur lex naturæ conditionata, mutabilis aut dispensabilis, sed omnis semper est absoluta, immutabilis & indispensabilis.* Probatur: lex naturæ est lex æterna ac necessaria, præcipiens ea, quæ sunt intrinsecè bona, seu, quæ bonitas ac sapientia Divina exigit præcipi in ordine ad sapienter ac profidè ad finem suum gubernandam rationalem rempublicam: ac prohibens ea, quæ sunt intrinsecè mala, seu quæ bonitas ac sapientia infinita authoris ac gubernatoris naturæ rationalis exigit prohiberi in ordine ad rectam naturæ constitutionem in ordine ad suum finem, manifestandas videlicet & commendandas divinas perfectiones.

Ergò lex naturæ est semper absoluta & indispensabilis: nam sub ea ratione, sub qua aliquid est intrinsecè malum, exigens à Deo, tanquam optimo ac sapientissimo authore ac gubernatore prohiberi, semper lege naturali necessariò est prohibitum, exigente hanc prohibitionem non tantum ex fine suo intrinseco natura rationali, sed infinita etiam gubernatoris sapientia ac bonitate. Sub ea verò ratione, sub qua aliquid intrinsecè malum non est, sed ita comparatum, ut neque recta constitutio humani generis, neque sapientia conditoris ac gubernatoris exigant illud prohiberi, sub ea, inquam, ratione legi naturali nunquam subjacuit. Exempla rem magis illustrabunt.

24. *Ostenditur exemplo homicidii,* *Homicidium* est contra jus naturæ, sed non omne. Nam injustum semper, justum nunquam lege naturali est prohibitum. Sic si Deus, penes quem est dominium vitæ, det potestatem occidendi, occisio illa non subjacet legi naturali; nec tamen Deus dispensat in illa, sed dando facultatem occidendi facit, ut occisio non sit injusta, sed justa: occisio autem justa nunquam fuit vetita. Atque sic Deus præcisè mutat materiam, constituítque sub tali ratione, sub qua nunquam fuit prohibita. Si autem Deus dispensaret in lege naturali, deberet occisionem injustam, quæ sola est objectum legis naturalis, facere licitam: seu deberet occisionem sub ea ratione facere licitam, sub qua vetatur lege naturæ, nempe sub ratione *occisionis injustæ.* Et, si jus naturale esset conditionatum, deberet occisio *injusta* esse illicita, nisi Deus in occisione *injusta* dispenset, eamque faciat licitam; quod nunquam fit, nec fieri potest. Ita pariter Judex criminis convictum carnifici occidendum tradit: & quilibet iniquum aggressorem potest occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, quin tamen ulla in lege naturali fiat mutatio aut dispensatio: quia scilicet talis occisio justa nunquam fuit comprehensa sub lege naturali, prohibente tantùm occisionem injustam, nunquam verò justam.

25. *Furti,* Sic etiam furtum semper lege naturali est interdictum, & quidem absolutè & indispensabiliter; cùm Deus nunquam possit furtum licitum facere,

cere, poteſt tamen Deus, tanquam ſupremus rerum omnium Dominus, rei proprietatem ac dominium ab uno transferre in alterum, ſicut ab Ægyptiis tranſtulit in Iſraëlitas; quo facto non committitur furtum ab eo, qui rem aliquam ſurripit: nam furtum eſt *ablatio rei alienæ, invito rationabiliter Domino:* ſi autem Deus e.g. Iſraëlitis dat jus proprietatis in bona, quæ prius fuerunt Ægyptiorum, neque auferunt rem alienam, ſed ſuam; neque Ægyptii poſſunt eſſe rationabiliter inviti: quia Iſraëlitæ proprietatem acceperunt ab eo, qui habet ſupremum & ſupereminentiſſimum rerum omnium Dominium, conſequenter illud dare poteſt, cui vult, & quando vult.

Cùm autem Deus cuipiam tale dominium dat, atque ſic illud ab uno transfert in alterum, nihil immutat circa jus naturale, quo tantùm furtum prohibetur; Deus autem non facit, ut furtum ſit licitum, & ſic neque in lege naturali, neque in ejus objecto diſpenſat, ſed tantùm facit, ut non ſit furtum, adeóque, ut ſub lege naturali non comprehendatur: utpote qua tantùm furtum, tanquam ſemper & pro omni caſu ac circumſtantiis intrinſecè malum, abſolutè & indiſpenſabiliter prohibetur. Diſpenſaret autem Deus in lege naturæ & in ejus objecto, ſi furtum aliquando faceret licitum: quod, ùt dictum, fieri nunquam poteſt.

Eodem modo diſcurrendum circa uſuras: nam licèt exigere uſuras 26.
merè lucratorias, ſeu præcisè titulo mutui ſit intrinſecè malum, ac jure *Uſura-*
naturali ſemper prohibitum: potuit tamen Deus Iſraëlitis dare jus in bona *rum,*
gentium infidelium, & translato dominio concedere facultatem quaſi fœnus ab iis accipiendi: ſicut etiam defacto ex hoc titulo cenſus quincunces in Germania ſunt liciti: quia ſcilicet respublica dominium eorum in mutuantem tranſtulit, ſicut in præſcriptione.

Idem evenit in aliis exemplis: nam licèt Deus in veteri teſtamento 27.
dederit licentiam uni viro habendi ſimul plures uxores, quam licentiam *Polyga-*
in novo teſtamento ademit, tamen per hoc circa legem naturalem ejúsque *miæ,*
objectum nihil mutavit; neque enim diſpenſavit in *polygamia*, quatenus prohibetur jure naturali. Siquidem polygamia eatenus tantùm vetatur jure naturali, quatenus eſt acceſſus ad non ſuam (vel ſaltem traditio juris, quod tradens non habet) & ſub hac ratione eſt intrinſecè mala, atque ſemper pro omnibus circumſtantiis abſolutè & indiſpenſabiliter prohibita. Quia autem Deus, ſicut in vitam & bona fortunæ, ita etiam in humana corpora ſupremum habet dominium, ideò poteſt dare uni viro jus in plura corpora, & pluribus fœminis in corpus unius viri; prout fecit in antiquo teſtamento: in lege verò Evangelica hoc jus & poteſtatem, pro liberrimo voluntatis ſuæ beneplacito, ſuſtulit, quin propterea in lege naturæ aut ejus objecto quidquam mutarit, aut diſpenſarit: nam po-

lygamia, quatenus est accessus ad non suam, vel traditio juris, quod non datur, semper necessario fuit prohibita tanquam intrinsecè mala: quatenus verò est accessus ad suas, vel traditio juris, à Deo concessi, nunquam fuit prohibita. Quia igitur in novo testamento Deus ademit viro jus in plura corpora muliebria, matrimonium ratum cum pluribus esset attentata traditio juris, quod non existit, & matrimonium consummatum cum pluribus esset accessus ad non suas, & sic esset verum adulterium; cùm tantùm cum una habere possit validum matrimonium. In antiqua autem lege poterat cum pluribus stare verum matrimonium, cùm Deus concesserit viro jus in plura corpora.

Unde sequitur, quòd paradoxum videri posset, polygamiam in nova lege jure naturali esse prohibitam, in veteri autem fuisse permissam, quin tamen circa legem naturæ & ejus objectum quidquam fuerit mutatum, aut in ea dispensatum: quia scilicet Deus nunquam permisit, polygamiam, quatenus est accessus ad non suam (sub qua sola ratione jure naturali est prohibita) sed concedendo jus in plura corpora, præcisè fecit, ut polygamia consummata fuerit accessus ad suas uxores: quòd etiam in nova lege potuisset facere Deus, si voluisset. Quia autem ex sacra scriptura nobis constat, quòd non fecerit, sed ademerit viro jus in plura corpora, ideò polygamus accederet ad eas, quæ non sunt suæ uxores, committerétque adulterium, jure naturali semper absolutè prohibitum.

Neque dicas, Deum in jure naturæ dispensasse, quando dixit ad Osee: *Vade, sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum.* Osee 1. Nam Deus non præcepit Prophetæ, ut fornicetur, sed ut fornicariam publicam, seu meretricem in uxorem ducat, & ex ea generet filios legitimos, quibus tamen apud populum adhæsura esset macula matris, quæ priùs erat infamis meretrix. Vel per filios fornicationum intelliguntur tales, qui quidem ex legitimo matrimonio essent suscipiendi, sed tamen ex infecto matris sanguine descendentes in fornicationes matris exemplo essent prolapsuri, ùt Cornelius à Lapide explicat.

Manet igitur fornicatio semper jure naturali absolutè & indispensabiliter prohibita: quamvis Deus possit viro dare jus in corpus fœminæ, & facere, ut sit ejus uxor: quo casu non ampliùs esset fornicatio, utpote quæ est accessus ad non suam.

28. *Matrimonii in primo gradu consanguinitatis.* Similiter dico, matrimonium in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ, e.g. patris cum filia jure naturali esse prohibitum, semperque fuisse prohibitum: quia in hac providentia Deus nunquam dedit patri jus in corpus filiæ, ùt ex communi omnium sententia constat: & exemplum afferri nullum potest, quo Deum id unquam dedisse constet.

Posset

Poſſet tamen Deus in alia providentia abſolutè patri & filiæ, item matri & filio jus mutuum in corpora concedere: quod pro caſu, quo ſoli in mundo exiſterent, facilè concedunt authores: ego verò id Dei abſolutæ potentiæ neque pro aliis caſibus negandum cenſeo. Nam patrem matrimonio conjungi filiæ, non eſt intrinſecè malum, ac conſequenter de ſe neque jure naturali vetitum: aliàs neque pro caſu, quo ſoli exiſterent, poſſent conjungi. Sed intrinſecè malum ac jure naturali illicitum eſt juris mutui in corpora traditionem attentare, quod, utpote in hac providentia à Deo negatum, nec pater habet nec filia: item accedere ad fœminam non ſuam, quod pariter fieret, ſi pater attentaret matrimonium conſummare cum filia: quia, ùt dictum, Deus in hac providentia jus mutuum in corpora patri & filiæ omnino denegat.

Unde neque quoad hoc jus naturale eſt conditionatum, mutabile ac diſpenſabile: quia carnalis conjunctio patris cum filia, tunc tantùm eſt jure naturali prohibita, quando eſt acceſſus ad non ſuam: & pro hoc caſu ſemper abſolutè eſt prohibita; & Deus non poteſt diſpenſando illam facere licitam. Pro caſu autem, quo eſſet conjunctio cum ſua, ùt contingeret, ſi Deus daret illis jus mutuum in corpora, nunquam jure naturæ eſt prohibita: ergo neque pro hoc caſu datur locus diſpenſationi aut mutationi in lege naturæ.

Et ratio ulterior eſt, quia lex naturalis reſpicit ſuum objectum ſub ratione ſpecifica intrinſecè boni vel intrinſecè mali: quamdiu igitur manet iſta ratio ſpecifica, nullus datur locus ulli diſpenſationi aut mutationi, ùt per ſe patet: cum omnis mutatio ac diſpenſatio præjudicaret Divinæ bonitati, ſanctitati, ſapientiæ, aliiſque Divinis perfectionibus: conſequenter eſt abſolutè impoſſibilis. 29. *Jus naturæ reſpicit objectum ſemper ſub eadem ratione,*

Poteſt tamen Deus in pluribus materiis facere, ut in aliquo actu ratio ſpecifica intrinſecè mali non detur, ſicque non ſit objectum legis naturalis prohibitivæ, ùt in allatis exemplis eſt demonſtratum, dando videlicet jus in vitam, bona fortunæ, ac corpora in ordine ad generationem humanam &c.

Quo caſu dicunt aliqui, legem naturalem mutari, non quidem formaliter, ſed tamen materialiter, item objectum legis naturalis *mutari materialiter*, & ſubtrahi vel *extrahi à lege naturali.* Quem ego modum loquendi non quidem reprehendo, caſtigatiùs tamen nos loqui puto, ſi dicamus, quòd nulla vera mutatio in lege naturali, aut ejus objecto contingat: cùm lex naturalis ſemper eadem, ſempérque invariata neceſſariò permaneat, ſempérque idem omnino objectum habeat.

Unde neque propriè dici poteſt, materiam extrahi à lege naturali: 30. nam, ùt dictum, quod ſemel eſt objectum legis naturalis, ſemper manet *Neque ma-*

illius

terialiter mutatur lex natura. illius objectum, nec extrahi potest ab illa. Si verò aliquid non est objectum legis naturalis, per se non potest extrahi à lege naturali: quomodo enim ab illa extrahatur, quod nunquam fuit sub illa comprehensum? Quapropter si materia mutetur, e.g. si Deus det jus in vitam, bona, aut corpora, non mutatur objectum legis naturalis, multò minùs ipsa lex, sed ponitur aliquid, quod nunquam fuit objectum legis naturalis.

31. *An jus naturæ admittat epiikiam.* Ex quo solvitur illa quæstio, quam hîc aliqui instituunt, an videlicet jus naturale admittat interpretationem per epiikiam: nam licèt admittat epiikiam impropriè dictam, seu nudam declarationem legis, quando de illius existentia est dubium, propriè tamen dictam, seu emendationem aut exemptionem casus, in lege comprehensi, per benignam interpretationem nullatenus admittit. Unde etiam, quando ita mutatur materia, ut non sit objectum legis naturalis, lex naturalis non emendatur, nec mutatur, sed tantùm declaratur, hanc materiam, ùt vestitam his circumstantiis, non esse objectum legis naturalis. Vide Suarezium *l.* 2. *de leg. c.* 16. *n.* 7.

Atque ex his videtur etiam solvi posse illa difficultas, quam aliqui hîc sibi ex principiis suis formant, cur e. g. mendacium, blasphemia, odium Dei, pro omnibus casibus atque circumstantiis necessariò sint prohibita, ac juris naturalis absoluti & indispensabilis, contrà verò homicidium, furtum, &c. non pro omnibus casibus & circumstantiis sit prohibitum, adeóque sit juris naturalis tantùm conditionati, atque dispensabilis à Deo?

Nam, juxta doctrinam datam, negatur à nobis suppositum, quòd ullum jus naturale sit conditionatum, aut dispensabile, aut quòd aliquid, per dispensationem Dei fieri possit licitum sub ea ratione, sub qua prohibetur à jure naturali: sicut enim mendacium pro nullo casu, nullísque circumstantiis potest fieri licitum, sic neque homicidium injustum, furtum propriè dictum, adulterium, fornicatio &c.

32. *Homicidii una species semper licita, altera semper illicita.* Sed hoc solùm est verum, quòd non omne homicidium sed tantùm injustum; non omnis occupatio rei, sed tantùm alienæ: non omnis accessus ad fœminam, sed tantùm ad non suam, lege naturæ sint vetita. Quia igitur Deus facere potest, ut homicidium non sit injustum, ut res non sit aliena, ut fœmina sit uxor viri, & sic homicidium, occupatio, accessus non sit objectum legis, tantùm sequitur, quòd homicidium, occupatio rei, accessus ad fœminam &c. sint genera quædam, diversas sub se species continentia, puta, homicidium justum & injustum, occupationem rei propriæ & alienæ, accessum ad suam & non suam: quarum una species semper jure naturæ est prohibita, altera nunquam: ideò dicitur, quòd Deus mutare possit materiam, quatenus facere potest, ut loco unius speciei detur altera; e. g. loco homidii injusti justum, quatenus dat facultatem occidendi: licèt autem Deus hoc faciat, altera tamen species, nempe homicidium injustum,

justum, semper manet subjecta legi naturali, ac prohibita: consequenter propriè neque mutatur objectum legis naturæ, sed Deus tantùm facit, ut loco objecti detur aliquid aliud, quod non est objectum legis naturalis, nempe ut loco homicidii injusti detur justum. Certè sic materia seu objectum legis naturalis formaliter non mutatur, cùm idem semper illius objectum maneat: quidquid sit, an dicere velis, objectum mutari purè materialiter; ferè sicut Theologi dicunt, quòd materia pro Sacramento instituta mutetur purè materialiter, si e. g. ex vino acetum facias, quia nihilominus semper verum manet, quòd solum vinum de vite sit materia, seu objectum institutionis divinæ, & sic formaliter mutari non possit.

Econtra *mendacium*, *blasphemia &c.* non continent sub se geminas prædictas species, quarum una sit objectum legis naturalis, non verò altera: sed mendacium e. g. & perjurium sub omni sua ratione est illius objectum ac prohibetur: quia scilicet sub omni ratione adversatur primæ ac infinitæ veracitati; consequenter Divina perfectio exigit, illud pro omni casu atque omnibus circumstantiis prohiberi à sapientissimo authore naturæ, providentissimè gubernante rationales cœtus in ordine ad suum finem, seu rectam constitutionem. Idem dic de *odio Dei* ac blasphemia, quæ sub omni sua ratione adversantur Divinæ bonitati & sanctitati, ac proin cultui, amori, ac reverentiæ, Deo naturaliter à creaturis suis rationalibus debitæ: idem de *simonia*, qua pretio temporali emitur spirituale, quia sub quacunque ratione hi actus humani spectentur, semper invenitur in iis ratio ac necessitas prohibendi. 33. *Mendacium verò, perjurium &c sub omni ratione semper illicitum.*

Eodem ferè modo respondent Theologi, dum ex iis quæritur, cur aliqua peccata in objecto suo admittant parvitatem materiæ, non item alia. Nam respondent, ideò e. g. blasphemiam, odium formale Dei, simoniam strictè dictam, perjurium, actum venereum &c. non admittere parvitatem materiæ, quia semper in iis invenitur ratio prohibendi graviter: econtra in aliis e. g. in furto, si materia ablata sit parva, non esse rationem graviter prohibendi.

Objicies: Summus Pontifex potest dispensare in lege naturali, e. g. in *voto*, in *juramento &c.* ergo multò magìs ipse Deus. ℞. n. a. votum & juramentum obligant quidem jure naturali: quia recta ratio dictat, fidem Deo datam, & id, in cujus testem Deus, velut fideijussor, assumitur, religiosè esse servandum: & licèt Papa dispensare possit in voto & juramento, non tamen dispensare potest in jure naturali: cùm facere non possit, ut stante voto aut juramento non detur obligatio naturalis; quod tamen requireretur, si in ipsa lege naturali posset dispensare. 34. *Papa non dispensat in jure naturæ quando dispensat in voto aut juramento.*

Quid igitur facit Pontifex, dum dispensat in voto aut juramento? nihil aliud, quam, quòd votum aut juramentum relaxet, seu tollat, quod sic

contingit. Papa tanquam Vicarius Christi, in ordine ad gubernandam Ecclesiam, habet jurisdictionem in voluntates hominum, tanquam sibi subditas quoad sacra: adeóque habet etiam potestatem in eorum actus, quatenus illos approbare, vel improbare, confirmare, vel infirmare, ratificare, vel retractare & rescindere potest.

Quando igitur Papa potestate jurisdictionis dispensat in voto & juramento promissorio, retractat ac rescindit actum voluntatis, quo quis vovit aut juravit, & sic ipsum votum aut juramentum retractat, rescindit, ac tollit, quin in ipsa lege naturali ac ejus obligatione dispenset: cùm nunquam faciat, aut facere possit, ut votum aut juramentum, quamdiu perdurant, non obligent.

35. *Nec pater, quando ea irritat.* Idem contingit, quando pater e. g. irritat votum vel juramentum filii: nam quia habet potestatem patriam in filium, ejúsque actus, potest illos, quibus vovit aut juravit, vi potestatis dominativæ, irritare: quo facto tollitur ac cessat votum, & consequenter etiam illius obligatio: uti etiam, quando materia voti fit impossibilis, aut cessat esse de meliori bono. Item quando materia voti alterius potestati subjecta est, potest alter, prohibendo executionem voti in illa materia, indirectè votum irritare ac tollere.

Eodem modo explicatur, quomodo à contrahentibus tolli possit obligatio naturalis, quam inducit contractus e.g. emptionis & venditionis, quin propterea ulla fiat dispensatio in lege naturali. Nam sicut contrahentes liberè contractum ineunt, sic mutuo consensu possunt illum ac fidem datam liberè rescindere ac tollere: quo facto per se cessat obligatio naturalis, quam induxerat contractus, ac fides data. Quo toto in negotio nulla intervenit dispensatio aut mutatio in jure naturæ, ejúsque obligatione, utpote quæ solùm contingeret, si stante contractu ac fide data & absque remissione alterius cessaret obligatio. *Idem in aliis casibus.* Unde neque in illo casu dispensatur in jure naturæ, quo in alterius favorem juratò aliquid promisisti, ille verò tibi remittat, quod titulo religionis illi debes, quia juramentum promissorium hanc conditionem habet imbibitam, nisi alter remittat. Et tali modo etiam cessat obligatio naturalis satisfaciendi pro injuria, alteri illata, si nempe remittat læsus satisfactionem, vel condonet injuriam. quia lex naturæ tantùm obligat satisfacere pro injuria non remissa; sicut pro alio debito non remisso; nam condonata injuria vel debito, tollitur materia legis naturalis, & sic etiam ipsa lex cessat.

Dices 1. Tridentinum asserit, residentiam Episcopi esse juris naturalis, & tamen in ea dispensat Pontifex: uti etiam in decimis, immunitate ecclesiastica &c. Resp. Pontifex non dispensat pro iis casibus & circumstantiis, in quibus ista verè subsunt juri naturali præceptivo aut prohibitivo. Igitur dispensat, ut Episcopus per alium possit exercere curam animarum,

ut

ut locô decimarum alio modo provideatur Parocho, ut Clericus potestati laicæ subjiciatur in iis casibus & causis, in quibus jure tantùm ecclesiastico ab ea est exemptus.

Dices 2. Jure naturali valet contractus pupilli vel minoris, sinè consensu tutoris aut curatoris initus, testamentum, electio, alienatio rerum ecclesiasticarum sinè solennitatibus, donatio inter conjuges, aut inter alios, etiam immodica: & tamen hæc omnia jure positivo fuerunt irritata. Rursus jure naturali omnia fuerunt communia, omnes nascuntur liberi, & tamen jure gentium introducta est bonorum divisio, servitus &c. Econtra jure naturali non valet præscriptio, neque transfert dominia: jure autem positivo valet. Ergo potest respublica dispensare in jure naturali, illúdque mutare ac corrigere.

℞. Dist. cons. Potest respublica dispensare in jure naturæ merè permissivo, transeat: in jure naturali positivo, præcipiente, prohibente, irritante, validante, n. c. Quæ allata sunt, non subjacet legi naturali, positivè præcipienti, prohibenti, aut irritanti: nam lex naturæ non præcipit absolutè haberi pro valido contractum pupilli, aut matrimonium clandestinum, donationem inter virum & uxorem, renuntiationem paternæ hæreditatis futuræ, fidejussionem mulieris, testamentum, electionem, alienationem sinè solennitatibus, neque positivè & absolutè ea validat. Sic neque positivè præcipit bonorum communionem, aut libertatem, neque positivè prohibet divisionem aut servitutes, aut præscriptionem, neque eas positivè invalidat. Hoc enim si faceret, non posset respublica valorem tribuere: nam quod lex æterna necessariò vult esse prohibitum aut invalidum, non potest lex humana facere licitum aut validum: & quod lex æterna positivè ac absolutè vult esse licitum aut validum, lex humana non potest facere illicitum, & invalidum.

36. *Quo sensu contractus pupilli, aliaque dicantur jure naturæ valida.*

Igitur ad allata exempla, aliáque similia, lex naturalis, strictè loquendo, se non extendit, sed ad ea indifferenter se habet, ita, ut ea neque præcipiat, neque prohibeat, neque validet positivè, neque invalidet: nam Deus circa illa nullam fecit dispositionem positivam, sed reipublicæ humanæ pro rerum ac temporum circumstantiis per leges positivas disponenda reliquit: unde etiam creaturæ juris positivi dicuntur. Sicut Deus circa abstinentiam à carne directè nihil præcepit, sed dispositionem ac præceptum Ecclesiæ liberum reliquit.

An autem propterea, quòd Deus contractum pupilli neque decernat ùt absolutè validum, neque ùt absolutè invalidum, sed hoc decernendum inferioribus potestatibus relinquat, dicendum sit, valorem contractus pupillaris esse objectum juris naturalis permittentis, est quæstio ferè de nomine.

Communis usus loquendi videtur obtinuisse, ut dicatur, quòd sub sit juri naturali: ùt patet ex usitatis illis loquendi formulis: *Contractus pupilli aut minoris jure naturali valet. Fidejussio mulieris, mutuum filiifamilias, donatio inter conjuges, promissio non revocandi testamentum, renuntiatio juris ad hæreditatem paternam, electio aut alienatio rerum ecclesiasticarum sine præscriptis solennitatibus &c. jure naturali valent: actus & contractus præcisè à jure positivo irritati jure naturali valent.*

Verùm per hunc loquendi modum non volumus significare, quòd lex naturæ absolutè ac positivè validet illos contractus, aut pro validis haberi præcipiat, (sicut neque alios contractus) sed hoc tantùm dictat lex naturalis, *fidem validè datam esse servandam; contractu validè inito esse standum:* adeóque etiam pupillo standum esse contractu, validè inito &c.

An autem hic vel ille contractus debeat esse validus, an hæc vel illa fides sit validè data, nec ne, jus naturale absolutè & positivè non decernit, sed magistratibus humanis decernendum relinquit: qui proin pro potestate à Deo concessa possunt contractus regulare, ac decernere, quid ad contractum validum requiratur, quid non requiratur; sic Conc. Tridentinum ad valorem contractus matrimonii requisivit publicitatem, ac clandestinum fecit invalidum.

Adeóque lex naturæ præcipit quidem, servare omnem fidem validè datam, ac contractum validum; & eatenus obligatio contractuum subjecta est legi naturali propriè dictæ. Quantùm verò pertinet ad valorem contractus, indifferenter ac permissivè se habet. Et hoc posteriore sensu dicimus, quòd e.g. contractus pupilli jure naturali valeat, quatenus nempe jus naturale illum non irritat. Et hinc si neque jure positivo esset irritatus, simpliciter & absolutè valeret, inducerétque obligationem naturalem, quia fides data nullo jure esset irritata. Ad summum igitur dici potest, quòd contractus pupilli, & alii à jure positivo irritati, valeant jure naturali permissivo, in sensu explicato.

37. *Non datur lex naturæ permissiva.* Dico, *ad summum:* nam, ùt jam quæst. 1. insinuatum est, propriè loquendo, nulla datur lex naturalis purè ac liberè permittens: cùm omnis lex naturalis, propriè dicta, sit necessaria, ad exigentiam naturæ rationalis & Divinæ perfectionis lata. Propter quam rationem etiam suprà tantùm transmisi, quòd respublica possit dispensare in jure naturali permittente, illúdque corrigere ac mutare: quia scilicet strictè ac propriè loquendo, nulla datur lex naturalis purè permittens. Meliùs diceretur, quòd detur lex positiva divina, liberè permittens, contractum pupilli esse validum, sed tantùm conditionatè, supposito nempe, quòd jure positivo humano non irritetur, & sic concedi potest, quòd detur lex divina positiva, quæ sit conditionata, non autem naturalis. Servari tamen potest modus loquendi

con-

confuetus, quòd ejusmodi actus & contractus jure naturali valeant, modo per hoc nihil aliud intelligatur, quam quòd jus naturæ ad illorum valorem indifferenter ſe habeat.

Quæres, quid dicendum, ſi dentur plures leges affirmativæ, ſibi invicem contrariæ, e. g. præceptum naturale, in extrema neceſſitate ſuccurrendi vitæ corporali & ſpirituali, ſuccurrendi patri, & alteri cuidam homini, ſuccurrendi privato, & reipublicæ, ita tamen, ut non poſſis utrique ſuccurrere? tunc enim videtur in uno præcepto naturali diſpenſari, vel illud tantùm eſſe conditionatum.

Reſp. Cùm præcepta poſitiva non obligent *pro ſemper*, ſeu pro omni tempore, ideò neque ſunt proprie conditionata, neque opus eſt diſpenſatione: nam quando concurrit præceptum fortiùs obligans, alterum hoc ipſo pro illo caſu nunquam exſtitit, ſi non poſſit ſimul impleri. Hinc quia ordo charitatis fortius te obligat, ſuccurrere vitæ ſpirituali, quàm corporali, patri, quàm alteri, reipublicæ, quàm privato homini, ideò pro caſu, quo non potes utrique ſuccurrere, tantùm teneris ſuccurrere vitæ ſpirituali, patri, aut reipublicæ. Unde præcepta naturalia, etiam affirmativa, nunquam ſibi ſunt contraria, nunquam conditionata, diſpenſabilia aut mutabilia. Et eodem modo diſcurrendum etiam de aliis ejusmodi caſibus: e. g. dum in maxima neceſſitate tua aut indigentia potes non reſtituere depoſitum, aut ablata injuſtè, imò auferre alteri ſua, & in certis caſibus etiam vitam.

QUÆSTIO IV.

An detur lex naturæ irritans?

Ratio dubitandi eſt, quia lex naturalis videtur tantùm verſari circa bona & mala: illa præcipiendo, hæc prohibendo: per hoc autem, quòd lex prohibeat actum, non irritat illum hoc ipſo. Sic lex naturæ prohibet matrimonium ſtante voto caſtitatis ſimplici, item ſtantibus ſponſalibus de futuro cum alia, non tamen illud irritat; ſicut neque ſecundam venditionem, ſecuta traditione, quamvis illam ſtante prima venditione tanquam malam & peccaminoſam prohibeat. Deinde, non poteſt exhiberi aliqua regula, quæ oſtendat, quinam actus à lege naturali ſint irritati. Ergo videtur, nulla dari lex naturalis irritans. 38.

Sed dicendum, *quòd non tantùm detur jus naturale præcipiens ac prohibens, verùm etiam irritans quosdam actus.* Ita tanquam certum ſupponunt Theologi & Canoniſtæ: quid enim inter eos communius, quàm dicere: *Hic actus jure naturæ eſt nullus, irritus, non valet jure naturali?*

Sic e.g. dicunt: contractus cum dolo & errore substantiali initus est jure naturali nullus: contractus, qui non est simpliciter liber ac voluntarius, non valet: matrimonium cum impedimento impotentiæ initum, jure naturæ est irritum: pactum de re turpi, aut impossibili facienda jure naturali est invalidum. Ergo datur lex naturæ, quæ quosdam actus reddit invalidos.

39. *Regulæ circa actus irritos.* Regulam autem dignoscendi actus, jure naturali irritatos, statuunt geminam. Prima est: quòd pactum, contractus, dispositio, actus sit invalidus, quando ex parte agentis, contrahentis, aut disponentis est defectus potestatis aut capacitatis, naturaliter requisitæ ad validè operandum. Ratio est: quia actus non potest esse validus, quando ex parte causæ efficientis deest potestas & capacitas, naturaliter requisita ad agendum.

Defectus ex parte causæ. Sic dispositio, quam facit infans, amens, plenè ebrius, dormiens, aut aliàs usu rationis carens, jure naturali est nulla: quia ex parte disponentis est defectus rationis, naturaliter requisitæ ad operandum moraliter, & contrahendam obligationem; atque sic est incapax ex ipsa natura rei ad agendum moraliter, philosophicè, juridicè, & theologicè: cùm non possit consensum rationalem ac moralem ponere. Unde etiam tales non possunt benè moraliter aut malè agere. Sic etiam dispositio vel contractus, quem celebrat, inductus dolo substantiali vel errore, vel absoluta coactione, non valet: quia ex parte contrahentis deest advertentia & libertas naturaliter requisita ad consensum sufficientem: nihil enim est volitum, nisi præcognitum, & nullus datur actus moralis sinè libertate. Item dispositio, quam facit compos quidem rationis, sed tamen carens potestate, naturaliter requisita ad agendum vel disponendum, est pariter nulla, & quidem jure naturali, ùt per se patet. Sic invalidè fert legem, qui non est superior, seu qui non habet subditos, ex defectu nempe potestatis & jurisdictionis. Invalidè eligit, præsentat, confirmat, instituit, qui non habet jus & potestatem. Invalidè disponis de re aliena e.g. jam priùs donatam aut venditam, simúlque traditam, donando vel vendendo alteri: ex defectu nempe dominii & potestatis disponendi. Invalidus est contractus matrimonii cum impedimento impotentiæ, cùm non possis tradere jus in corpus tuum, in ordine ad generationem prolis, quod non habes.

40. *Defectus ex parte materiæ seu objecti.* Altera regula est; quòd actus, contractus, ac dispositiones jure naturali sint nullæ, quando ex parte materiæ, seu objecti est defectus, puta, quando materia, circa quam contractus versatur, est impossibilis aut turpis (ita, ut intrinsecam ac perpetuam turpitudinem habeat) quia ad impossibile & turpe nulla potest dari obligatio: cùm igitur omnis contractus

tractus validus pariat obligationem, nullus, qui versatur circa rem turpem præstandam, potest esse validus. Et quidem hoc etiam tunc verum est, quando objectum etiam tantùm leviter est prohibitum atque illicitum. *ut si est turpe.*

Colliges: nullum esse pactum, quo promittis aliquid, de se malum: e.g. quo promittis mentiri, furari, fornicari, injustè occidere, vel ad malum cooperari: imò neque juramentum subsisteret, quia non est vinculum iniquitatis.

Idem dicendum, si contractui conditionem turpem adjicias, eamque alter contrahentium adimplere eodem contractu promittat: quia scilicet ad turpe non potest dari obligatio: adeóque totus contractus corruit, utpote qui non aliter initur, nisi sub obligatione, conditionem illam turpem implendi.

An autem impleta turpi conditione, e.g. commissa fornicatione, aut cæde ab assassino patrata, teneatur alter promissam mercedem solvere, est quæstio, alibi uberiùs discutienda. Puto interim, quòd non teneatur, quia, cùm pactum propter turpitudinem intrinsecam ac perpetuam fuerit nullum, non potest assignari titulus, quo obligetur ad solvendum.

Prædictis duabus regulis, saltem claritatis gratiâ, tertiam adjiciendam censeo: quòd scilicet actus, aut contractus jure naturæ sit invalidus, quando est defectus in ipso actu; quod contingit 1. Quando vel deest aliquod constitutivum, requisitum per se ad naturam contractus: sic quia tria sunt constitutiva ex natura rei ad emptionem & venditionem requisita, nempe merx, pretium, & consensus mutuus: quidquid horum desit, emptio jure naturali est nulla: quia deficit ipsa natura contractus. Hinc, si quis vellet emere equum, ea tamen conditione, ut pretium nullum debeat solvere, per se & ex natura rei contractus foret nullus. 41. *Defectus ex parte actus.*

Contingit hoc 2. Quando contractus per se & intrinsecè est turpis. Sic contractus simoniacus jure naturæ est invalidus, quia æquiparatio rei temporalis cum spirituali, seu emptio rei spiritualis per pretium temporale, est per se ac intrinsecè turpis, cedítque in despectum Dei ac irreverentiam. Item contractus usurarius propter eandem rationem jure naturæ est irritus: quia scilicet est contra rectam rationem ex alieno lucrari, & dominium usurarum acquirere velle absque justo titulo translativo dominii. Idem in hac providentia sentiendum est de polygamia, & matrimonio in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ: & de quocunque contractu involvente constitutivum aliquod intrinsecè malum.

Ratio est, quia recta constitutio naturæ rationalis, comparatæ ad suum finem, non tantùm exigit, ejusmodi contractus prohiberi, sed etiam annullari. Hinc quia contractus nunquam ab uno solo perficitur, cùm sit essentialiter duorum consensus, si vel unus tantùm aliquid turpe in pa-

ctum deducat, totus contractus est nullus. Quo ex principio omnes illas conventiones jure naturæ invalidas assero, in quibus conditio turpis in pactum deducitur, sive deinde impleatur conditio, sive non.

Hæc doctrina sequenti quæstione magis declarabitur, & confirmabitur. Priùs tamen solvendæ veniunt aliquæ

OBJECTIONES.

42. Objic. 1. contra primam regulam assignatam. Si contractus jure naturæ est invalidus, quando ex parte contrahentis datur defectus potestatis, tunc etiam contractus pupilli, minoris, prodigi declarati &c. jure naturæ esset invalidus: quia non habent potestatem disponendi. Atqui hoc est contra communem sententiam, quæ tenet, quòd istorum actus tantùm jure positivo sint irritati, non autem jure naturali.

Pupillus habet potestatem disponendi.

℞. n. M. Nam pupillus, minor, prodigus, sicut habent dominium suorum bonorum, sic etiam jure naturæ habent potestatem disponendi (cum dominium ex essentia sua sit potestas disponendi) ligatam tamen à lege civili, ita, ut eorum dispositio, in quantum est ipsis damnosa, hoc jure positivo sit irritata, si absque authoritate tutoris aut curatoris fiat. Consequenter pupilli &c. contractus, si habeat sufficientem usum rationis, omnia habet, quæ jus naturale ad ejus valorem requirit, non tamen omnia, quæ jus positivum ad illum requirit.

43. Objic. 2. contra secundam & tertiam regulam. Si omnes illi actus & contractus jure naturæ sunt invalidi, qui sunt turpes, vel ex se ipsis vel ex suo objecto, tunc invalida esset venditio secunda equi, e.g. facta secundo emptori, secuta traditione: invalidus esset contractus matrimonialis stante voto castitatis simplici, aut stantibus sponsalibus cum alia, aut alio impedimento tantùm impediente: aut initus in statu peccati mortalis: imò invalidus esset omnis contractus, initus ex aliqua inordinata passione, e.g. ex ira, avaritia, ambitione: item initus dolo, aut ex metu injustè incusso, quia omnes hi actus & contractus sunt turpes, cùm omnes involvant peccatum. Atqui hoc admitti non potest, cùm habeantur pro validis.

Quales actus turpes invalidi.

℞. Nego has sequelas. Non dixi, quòd contractus, quomodocunque turpes, aut peccaminosi, sint invalidi, sed, qui vel *ex suo objecto* sunt turpes, hoc est, in quibus de re turpi & illicita facienda convenitur, vel qui aliàs *de se* ac *intrinsece* sunt turpes, ita, ut perpetuam contineant turpitudinem. Allati autem actus neque ex objecto suo, neque de se sunt intrinsecè turpes, sed tantùm vel ratione modi, vel circumstantiæ alicujus extrinsecæ.

Sic venditio equi *de se* non est mala, neque perpetuò, si sit à domino equi: sed tantùm evadit mala ratione alicujus circumstantiæ extrinsecæ,

nempe

nempe ratione venditionis præcedentis, ac datæ fidei priori emptori: cui, habenti jus ad rem & actionem perſonalem, tenetur venditor damnum compenſare: in quantum ſcilicet emptoris intereſt, ut venditio teneat; quia autem traditio equi priori emptori necdum erat facta, dominium manſit penes venditorem (cum non conventionibus, ſed traditionibus & uſucapionibus transferantur rerum dominia) hinc, non obſtante priore venditione, ſecunda eſt valida, quia facta à domino (accedente ſimul traditione equi, translativa dominii in ſecundum emptorem) quamvis fuerit illicita, non quidem *de ſe*, aut *ex ſuo objecto*, ſed ratione circumſtantiæ extrinſecæ, nempe ratione præcedentis venditionis.

Idem reſpondendum eſt ad reliquos caſus allatos: nam matrimonium e.g. neque de ſe, neque ex ſuo objecto eſt turpe aut illicitum, ſed tantùm evadit tale ratione circumſtantiæ extrinſecæ, puta, ratione voti ſimplicis, aut ſponſalium cum alia perſona: quæ tamen non auferunt poteſtatem tradendi jus in proprium corpus alteri, ſed eam tantùm ligant, ita, ut illicitè fiat contractus matrimonialis, non tamen invalidè. 44. *Extrinſecè tantùm turpes ſunt validi.*

Sic etiam valet matrimonium, initum in ſtatu peccati mortalis, quia de ſe & ex objecto ſuo non eſt malum, ſed tantùm fit illicitum ratione circumſtantiæ, matrimonio extrinſecæ, nempe ratione peccati, quo infectus eſt contrahens; quatenus ſcilicet eſt illicitum in ſtatu peccati mortalis ſuſcipere Sacramentum.

Valent pariter contractus, initi ex avaritia, vanitate, ira, invidia, aut alia paſſione: quia contractus de ſe & ex objecto non ſunt turpes, ſed tantùm ineuntur *modo illicito:* qui tamen modus eſt contractui extrinſecus, cùm ad ejus ſubſtantiam non pertineat, neque objectum illius conſtituat.

Idem dicendum de contractu inito cum dolo accidentali; nam licèt committens talem dolum peccet, quia tamen non verſatur circa ſubſtantiam rei, habetur pro extrinſeco, ita, ut neque ipſum contractum, neque ejus objectum conſtituat: ac proin contractum non reddit irritum, licèt ex parte doloſi faciat illicitum. Aliud eſſet, ſi dolus eſſet ſubſtantialis, concernens ipſam rei ſubſtantiam: aut ſi alter contrahens alligaret ſuam voluntatem certæ conditioni aut qualitati, etiam accidentali: nam tunc contractus eſſet invalidus, ex defectu conſenſus, ſi ejusmodi conditio aut qualitas non ſubſiſteret. An autem contractus, extortus metu gravi injuſtè incuſſo, jure naturali valeat, aliàs eſt explicatum.

QUÆSTIO VII.

In quo conſiſtat lex naturæ irritans?

Ratio dubitandi eſt: quia ex una parte, lex naturæ præceptiva ac prohibitiva conſiſtit in lege æterna Dei, neceſſaria ad rectam ac ſapientem 45.

gubernationem naturæ rationalis: ergo idem dicendum de lege naturali irritante. Ex altera verò parte videtur actus aliquis aut contractus irritari ab ipsa natura rei: sic contractus, ubi deficit vel potestas contrahendi, vel deest aliquod constitutivum, per se ipsum est nullus: ille verò, qui versatur circa objectum turpe, aut est de se ac intrinsecè turpis, videtur à Deo tantùm prohiberi, non autem irritari: irritatio autem tantùm oritur ex natura contractûs. Consequenter lex irritans non consistit in lege Dei, sed in ipsa natura contractus. Verùm

Dicendum. *Etiam lex naturæ irritans consistit in lege æterna Dei.* Nam sicut ad sanctum authorem naturæ rationalis, ejúsque sapientem ac providum gubernatorem pertinet, prohibere ea, quæ sunt intrinsecè mala, ac contra rectam constitutionem humanæ reipublicæ in ordine ad suum finem: ita ad eundem pertinet, actus & conventiones, in quibus promittitur aliquid turpe, vel qui de se & intrinsecè sunt turpes ita irritare quoad effectus morales, ut nullius sint momenti, nullámque obligandi vim habeant: secus enim redundaret imperfectio in ipsum Deum, ejúsque sanctitatem ac sapientem gubernationem, si concederet obligationem ad illicitum, aut firmum, validum, ac ratum esse id, quod de se ac intrinsecè turpe est.

Etiam lex irritans stat in lege Dei. Major videtur esse difficultas circa eos actus & contractus, qui non sunt vel ex suo objecto, vel ex se ipsis mali, sed tantùm sunt irriti ob defectum alicujus constitutivi, vel potestatis, vel capacitatis in materia, præsertim si contrahens hunc defectum, vel suam inhabilitatem nesciat: e. g. si falsò putans se dominum, conetur dominium in alterum transferre.

Verùm etiam tales irritationes naturales ultimatò refundendæ sunt in legem æternam irritantem: tum, quòd lex alia naturalis irritans ostendi non possit, tum quòd ad sapientem ac providum humanæ reipublicæ gubernatorem pertineat, omnibus ejusdem necessitatibus consulere, atque ea, quæ cum recta ejusdem constitutione in ordine ad suum finem pugnant, invalida decernere, ita quidem, ut, licèt physicè sint positi, nullum tamen effectum moralem habeant. Atqui inordinatum omnino ac rectæ constitutioni rationalis reipublicæ esset contrarium, si contractus, sinè potestate, sinè libertate, sinè advertentia initi, essent validi, & obligationem inducerent. Æterna igitur ordinatione Deus etiam ista disposuit, ut ex contractu, laborante defectu substantiali, nulla oriatur obligatio, nullúsque effectus moralis, nec jus aliquod sic contrahenti quæratur. Alia siquidem lex naturæ irritans ostendi non potest.

46. *Contractus natu-* Neque dicas, ipsam contractus naturam esse legem & jus naturale, quo contractus est irritus, nempe per se ipsum, ac propter defectum substantialem vel in contrahente, vel in contractu, vel in objecto. Nam licèt ex

se

ſe ipſo ſit imperfectus, tamen non poteſt ipſe contractus eſſe lex, neque contrahens legislator: cùm lex omnis lata eſſe debeat à ſuperiore, habente jurisdictionem in ſubditum. Vel igitur ejusmodi actus non poſſunt propriè dici, jure aut lege naturali irritati, vel legem aliam à contractu diſtinctam oportet agnoſcere: quæ videlicet ſanciat, ex actibus ejusmodi, ex ſe ipſis imperfectis, nullam oriri obligationem, eósque vim nullam habere debere. Ferè ſicut, licèt mendacium, furtum, adulterium &c. per ſe ipſa ac intrinſecè ſint mala (radicaliter videlicet & fundamentaliter) nihilominus tamen legem naturalem prohibentem, ab iis diſtinctam, oportet agnoſcere, quia ſcilicet omnia, quæ ad rectam gubernationem & conſtitutionem rationalis reipublicæ pertinent, Divina ordinatione ab æterno ſunt diſpoſita, exigente id ſapientia ac providentia authoris ac gubernatoris, omnia ad finem ſuum prudentiſſimè ordinantis. Conſequenter irritatio eorum etiam actuum, qui ex ſe ipſis ſunt imperfecti ac defectuoſi, in ordinationem ac legem divinam eſt refundenda. Sicut irritatio e. g. teſtamenti, ob defectum certarum ſolennitatum imperfecti, in legem civilem irritantem eſt refundenda.

ra non poteſt eſſe lex.

QUÆSTIO VIII.

Quodnam ſit ſubjectum legis naturalis?

Poſt explicatam naturam & varietatem legis naturalis, facilè eſt ſtatuere, quodnam ſit illius ſubjectum, ſeu quinam illa obligentur; videlicet omnes & ſolæ creaturæ rationales, in quarum cordibus Deus legem ſuam neceſſariam per lumen rationis ſcripſit, qua dirigente ad felicitatem ſuam naturalem, atque ad commendandas Divinas perfectiones ordinantur. 47.

Difficultatem tamen aliquam movere videtur Ulpianus, qui *l.* 1. *ff. de J. & J.* ſic ait: *Jus naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit: nam jus iſtud non humani generis proprium, ſed omnium animalium commune eſt.* Quam doctrinam Juſtinianus dignam cenſuit, ut inſtitutionibus Juris insereretur, de J. N. G. & C. Verùm Jurisconſulti, ſic definientes jus naturale, latiore id ſenſu acceperunt. Quod ut intelligatur

Notandum, tripliciter jus naturale poſſe ſumi, ſecundùm triplicem inclinationem, quam habere creaturæ dignoſcuntur. Et 1. quidem latiſſimè ac valdè impropriè pro inclinatione ſeu appetitu innato ad conſervandum proprium individuum, & qualitates illi proprias: & ſic ſumptum jus naturale rebus omnibus, etiam inanimatis eſt commune. Unde jus illud phyſicum, & appetitus innatus, quo aqua fertur ad frigus, & ignis ad calorem, in hoc ſenſu jus naturale dici poſſunt: & proprietates phyſicæ jure naturali ſubſtantiis deberi dicuntur: quo ſenſu etiam in ſcriptura dicitur Deus, legem poſuiſſe elementis.

Triplex acceptio juris naturæ.

Pro appetitu innato.

 2. Su-

Pro instinctu. 2. Sumitur latè & impropriè pro instinctu, seu appetitu elicito, quo viventia cognoscitiva feruntur ad aliqua appetenda, secundùm naturam suam sensitivam. Et in hoc sensu jus naturæ sumpsit Ulpianus, nihilque aliud est, quàm instinctus naturæ sensitivæ, quem omnibus animalibus communem natura indidit, e. g. ad commixtionem maris & fœminæ, procreationem & educationem prolis &c.

Pro lege Dei necessaria. 3. Sumitur strictè ac propriè pro lege, creaturam rationalem dirigente secundùm rectam rationem. Quo sensu Cicero pro Milone legem naturalem appellat legem, *non scriptam, quam non didicimus, legimus, verùm ex ipsa natura hausimus, accepimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.*

Clariùs adhuc Seneca epist. 65. ad Lucilium ait: *Est ergo à Deo, tanquam authore naturæ, impressum inditúmque cordibus nostris, per quod secundùm dictamen rationis practicæ actus humanos liberos ad bonum justúmque dirigimus.*

Et hanc legem, etiam ab ethnicis sub conceptu saltem generico cognitam cultámque, in actu divinæ voluntatis æterno ac necessario, atque in tempore per lumen rationis nobis intimato consistere diximus. In quem sensum Cicero lib. II. de leg. *Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum esse aliquod populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendíque sapientia.*

48. *Sola creatura est subjectum juris naturæ.* Ex quibus aliísque, quæ tractata sunt hactenus, facilè conficitur, solam creaturam rationalem esse subjectum legis naturalis: ut enim creatura legis sit capax, oportet esse præditam usu rationis, ut legem intelligat; oportet esse liberam: ad quid enim aliàs præceptio vel prohibitio? oportet esse capacem obligationis & pœnæ, quam lex imponit.

Colliges 1. Bruta non esse subjectum juris naturalis, quia non sunt rationis ac directionis capacia; & multa agunt ex inclinatione & instinctu naturali, quæ in hominibus sunt contra jus naturæ, ùt commixtio promiscua &c.

Non tamen infans. Colliges 2. Neque infantes obligari lege naturali, ùt docet Sanchez in opere morali lib. 1. c. 12. n. 2. his verbis: *Pueri ante rationis usum nulla lege Divina, naturali, vel humana obligari possunt: quia nondum legalis vinculi capaces sunt.* Et Suarez *lib. 2. de legib. c. 15. n. 2.*

Idem videtur dicendum de amentibus propter eandem rationem: quia scilicet omnis directionis moralis & obligationis sunt incapaces; essétque idem ac bruto præcipere.

49. Putabam quidem antehac, infantes & amentes legibus naturalibus obligari in actu primo, ita, ut lex eos comprehendat, sícque illa obligentur, non

non tamen in actu secundo, quia propter defectum rationis à transgressione & peccato formali excusantur.

Verùm re meliùs perpensa existimo, eos ne quidem in actu primo obligari. Ratio est: quia lex naturalis promulgatur per lumen rationis, quo carent infantes & perpetuò amentes: cùm igitur promulgatio sit de essentia legis, respectu carentium ratione non datur lex. Unde neque materialiter peccare censendi sunt. Deinde planè inutilis atque imprudens esset lex, quæ carentes usu rationis obligaret. *Ne quidem in actu primo.*

Non tamen licitum est, eos ad blasphemiam aut lascivam incitare: tum ne assuescant, ac malos habitus contrahant; tum quia, ùt ait P. Busenbaum, *talis actio tribueretur principali agenti, qui alterius opera uteretur quasi instrumento*: tum quia nullus potest esse prudens finis eos incitandi ad ea, quæ aliis jure naturali sunt prohibita. In quo potest esse disparitas cum brutis.

Dices: Si infantes non comprehenduntur lege naturali, tunc neque adulti obligantur legibus positivis usu rationis aliàs præditi, si eas invincibiliter ignorent. Resp. De his dici posse, quòd in actu primo obligentur. Ratio est, quia leges positivæ non promulgantur per lumen rationis, sed per publicam vocem legislatoris: unde sufficienter sunt promulgatæ, etiamsi ab aliquibus ignorentur, quare isti etiam comprehenduntur sub lege, & sic in actu primo obligantur; quia tamen illam invincibiliter ignorant, in actu secundo non obligantur, & à peccato formali excusantur. Et in hoc sensu intelligendum est, quod authores cum Sanchez monent, benè notandum esse: aliud videlicet esse, *non obligari lege, & aliud à legis transgressione excusari.*

QUÆSTIO IX.

An non possunt hactenus dicta de Jure naturali per causas declarari & in synopsin redigi?

Respond. Possunt: in sensu tamen aliquo lato & improprio: & memoriæ gratiâ expedit. Cùm igitur lex naturalis sit ordinatio Divinæ voluntatis necessaria circa actus creaturæ rationalis, 50.

Primò. Causa illius *efficiens* est Deus O. M. qui sicut est rerum omnium conditor, totiúsque naturæ auctor, ita tanquam supremus legislator, & universalis, sapientissimus ac providentissimus, rebus humanis consulit, ac legibus æternis orbem terrarum temperat. Præcipuè verò ad creaturam rationalem, qua animare aspectabilem hanc molem voluit, providentiam suam inclinat, eámque ordinatione perenni ad honesti ac decori rationem dirigit. *Causa efficiens.*

15. *Formalis.* Secundò. *Causa formalis* est sanctissima ac sapientissima voluntas Divinissimi legislatoris, humanis mentibus promulgata. Promulgatur autem per lumen rationis, quo Deus legem suam & ordinationem scribit in cordibus nostris: ut adeò recta ratio ejúsque usus, ab auctore naturæ nobis inspiratus voluntatem Dei ac legem naturalem nobis exhibeat: & sic, ùt quidam loquuntur, lumen rationis, tanquam applicatio & promulgatio Divinæ voluntatis in nostro intellectu *subjectivè* & *ùt quo* se habeat, ordinatio verò ipsa Divina, *objectivè* & *ùt quod.* Poterit tamen hoc ipsum lumen rationis tanquam promulgatio, & velut complementum formale ipsam legem constituere, prout promulgatio legem positivam communiùs docetur constituere.

52. *Finalis.* Tertiò. *Causa finalis* immediata, minùs tamen principalis, est bonum creaturæ rationalis, seu humanæ reipublicæ, recta videlicet constitutio & felicitas ejusdem naturalis, quam Divinus legislator tanquam sanctissimus ac sapientissimus naturæ author intendit, & sic legem fert, ut hæc recta constitutio procuretur ac conservetur.

Finis verò ultimatus ac principalis est Deus ipse, infinitè perfectus, ad cujus bonitatem, sanctitatem, sapientiam ac providentiam commendandam, utì omnis creatura, ita comprimìs recta constitutio rationalis reipublicæ per leges naturales procuranda, à summa illa Mente intenditur ac dirigitur.

Ex quo sequitur, regulam immediatam juris naturæ, seu principium, ex quo inferimus existentiam legis naturalis, esse rectam constitutionem humanæ reipublicæ, ultimatum verò universale, & absolutè indefectibile, Divinas perfectiones.

Unde etiam lex necessaria, absoluta, immutabilis & indispensabilis dicitur: quia ipsa Divina perfectio exigit illam ferri in ordine ad præcipienda intrinsecè honesta, & prohibenda intrinsecè mala.

53. *Materialis.* Quartò. *Causa materialis*, vel potiùs *materia* & *objectum*, circa quod jus naturæ versatur, sunt actus humani, per se ipsos radicaliter honesti vel inhonesti: hoc est, ex sua natura ita comparati, ut ad rectam constitutionem naturæ rationalis ac humanæ reipublicæ sint necessarii, vel eidem sint contrarii. Nam si ad bonum naturæ rationalis, seu in ordine ad illius finem, commendandas videlicet divinas perfectiones sunt necessarii, hoc ipso exigunt à sapientissimo authore naturæ præcipi: si verò bono naturæ rationalis sint oppositi, & cum ejus fine pugnantes, exigunt ab eodem prohiberi. Et in hoc sensu per se ipsos sunt radicaliter & fundamentaliter mali. Porro inter istos actus aliqui sunt ita intrinsecè mali, e. g. mendacium, ut semper ac pro omnibus circumstantiis sint jure naturæ prohibiti:

alii verò recipiunt mutationem materiæ, ita, ut ſub una ratione ſint objectum legis naturalis, non verò ſub alia: quin tamen propterea ipſum jus naturæ ſit mutabile aut diſpenſabile.

Præter iſtos autem actus ſic intrinſecè honeſtos vel inhoneſtos, qui ſunt materia legis naturalis prohibitivæ vel præceptivæ, dantur inſuper actus, qui ſunt materia legis naturalis irritantis, ii videlicet, qui vel ſunt intrinſecè turpes, vel metu gravi injuſto, aut vi extorti; aut qui laborant defectu aliquo ſubſtantiali vel poteſtatis in contrahente, vel requiſiti alicujus ad contractum ex natura rei neceſſarii. Exigit ſiquidem ſapientia authoris naturæ, ejusmodi actibus omnem valorem, & vim obligandi adimi ab ipſo Deo ſummo gubernatore ac legislatore.

Quintò. *Subjectum* denique legis naturalis eſt ſola creatura ratio 54.
nalis: quia ſola illa eſt capax directionis moralis per leges & præcepta. *Subjectum.*
Unde ne quidem homo ante uſum rationis lege naturali obligatur.

CAPUT II.

De Jure Gentium.

SUMMARIUM.

1. *Datur Jus gentium,*
2. *Strictè dictum.*
3. *Quod eſt conventio libera Gentium,*
4. *Vi conſuetudinis mutuæ per pactum tacitum introducta.*
5. *Unde ſupremos etiam Principes obligat.*
6. *Tendítque ad mutuum commercium.*
7. *Quare non eſt jus aliquod poſitivum Divinum,*
8. *Neque lex populorum,*
9. *Sed pactum tacitum, per conſuetudinem mutuam cum animo ſe obligandi initum.*
10. *Complectitur jus legationum, commerciorum, belli & pacis:*
11. *Item jus ſervitutis, ſepulturæ, aliáque plura, ùt primam, rerum diviſionem, jus præſcriptionum.*
12. *Datur etiam jus gentium, minùs propriè dictum, ſinè obligatione mutua. Ad hoc referuntur certæ conſuetudines cultus ſacri, conſtruendi ædes, muniendi civitates, uſus monetæ, contractus, qui dicuntur juris gentium.*
13. *Differt à jure naturali, quoad cauſam efficientem, formalem, materialem, & finalem.*
14. *Item quoad modum promulgandi, quoad ſubjectum, & proprietates.*
15. *Uti etiam à jure civili.*

Deus O. M. non tantùm ſingulos mortales per leges rationales ad de- 1.
ſtinatos Mentis ſuæ æternæ fines dirigit, ſed integras etiam gentes *Datur jus*
mutuis officiorum nexibus vult obſtrictas, ac juris naturalis vinculo col- *Gentium.*
liga-

ligatas. Vigent tamen inter gentes & alii quidam nexus, quos Deus liberos reliquit, pro arbitrio à gentibus introducti, altera gente alterius ope indigente, ut quantum regionibus sejunctum, tantùm communi commercio, tanquam vitæ socialis ac communis felicitatis vinculo, colligatum sit humanum genus.

Inde enatum illud sacrosanctum populis, quos politior cultus ac disciplina commendat, *Jus Gentium*, ad quod appellare solent integræ nationes, si forte ab altera violatum esse contigerit. Quàm autem compertum habemus, ejusmodi Jus gentium existere, tam controversum esse videtur, in quo consistat, & quousque regnum illius sese exporrigat, an juri naturali, an positivo Divino, an humano sit accensendum, an verò novam ab istis speciem juris constituat.

QUÆSTIO I.

Quid sit Jus Gentium?

Resp. *Strictè sumptum est conventio libera gentium per pactum tacitum diuturnis moribus introducta, ad mutuum commercium ac felicitatem socialis vitæ obtinendam ac conservandam.*

2. *Strictè dictum.* Dicitur 1. *Strictè sumptum:* Nam si in sensu latiore & improprio sumatur, cum jure naturali confunditur, vocatúrque ab aliquibus jus gentium *primævum* vel *primarium*. Hoc sensu minùs proprio Imper. §. 1. *Instit. de J. N. G. & C.* dixit: *Quod verò naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræquè custoditur, vocatúrque Jus Gentium, quasi quo jure omnes gentes utantur.*

Illud verò, quod descripsimus, & strictè sumptum dicimus, aliqui vocant *secundarium.*

Hac distinctione in *primarium* & *secundarium* rejecta, unum duntaxat agnoscimus Jus gentium, ùt contra distinctum à naturali: de quo Imperator §. 2. *Instit. eod.* dicit, jus gentium esse, *quod usu exigente, & humanis necessitatibus, gentes humanæ sibi constituerunt.*

3. *Quod est conventio libera.* Dicitur 2. *Conventio:* unde sicut aliæ conventiones, pacta, contractus, inducit strictam obligationem: ac jus gentium violatum gens genti jure exprobrat, & satisfactionem postulat.

Dicitur 3. *Libera:* nam hoc jus non versatur circa ea, quæ intrinsecè bona vel mala sunt, sicut jus naturale. Unde libera initio fuit gentibus talis conventio: & hodiedum necdum omnes omnino gentes, præsertim barbaræ, illam inierunt, saltem quoad omnia. Facta autem semel conventione, sicut ex aliis conventionibus, pactis, & contractibus, initio liberè initis, oritur obligatio naturalis illam servandi, ex communi illo juris

juris naturalis principio: *Fides data est servanda.* Unde non potest gens aliqua hanc conventionem revocare, rescindere aut tollere, invitis reliquis gentibus: communi autem consensu possent illam rursus abolere; sicut contingit in aliis conventionibus & pactis.

Dicitur 4. *Gentium:* nam jus gentium non est conventio privata, vel unius tantùm aut alterius gentis cum altera, sed omnium aut ferè omnium, earum saltem, apud quas cultior politia ac morum disciplina floret, quales sunt nationes Europeæ; & in aliis terræ partibus plures. Unde per hoc differt jus gentium tum ab omnibus conventionibus & pactis privatis, ac particularibus licèt publicis, quæ unum regnum aut Princeps init cum altero; tum etiam ab omni consuetudine particulari, quæ apud unam gentem, sinè respectu ad reliquas gentes, vim legis obtinet, superiore illam assensu suo confirmante. *Gentium.*

Dicitur 5. *Vel per pactum tacitum, vel diuturnis moribus introducta* Hîc multùm aliqui disputant, an jus gentium sit introductum per pactionem aliquam inter gentes initam, an verò per diuturnos mores, usum, & consuetudinem, apud gentes receptam. 4. *Per pactum tacitum,*

Ego neutrum modum originis rejiciendum censeo; cùm utrolibet, vel etiam utroque simul potuerit introduci: imò utroque introductum esse videtur. Nam ex usu & consuetudine, mutuò observata, cum animo inducendi obligationem mutuam, ortum est pactum tacitum ac mutuum, inducens obligationem justitiæ, in foro etiam conscientiæ. Et sic tam ex diuturno usu, mutuo observato, quàm ex pactione tacita, inde resultante, ortum est jus gentium. *Vi consuetudinis mutuæ introducta,*

Unde jus hoc gentium non tantùm populos mutuo nexu adstringit, obligatque, sed supremos etiam orbis Principes: atque ex hoc jure; uti etiam ex naturali, eorum inter se lites sunt componendæ, imò etiam bella gerenda, temperanda, ac finienda: licèt enim inter arma leges silere dicantur, id tamen nullatenus intelligi potest de jure gentium ac naturali: ad quæ in bello etiam meritò pars læsa provocat. Sapienter hac de re Themistius apud Grotium: *Reges, quales exigit sapientiæ regula, non unius sibi creditæ gentis rationem habere, sed totius humani generis oportet.* Et Dio: *Inter hostes quidem scripta jura, id est, civilia non valent; at valent non scripta, id est ea, quæ natura dictat, aut gentium consensus constituit.* 5. *Obligans supremos etiam Principes,*

Dicitur 6. *Ad mutuum commercium ac felicitatem socialis vitæ obtinendam ac conservandam.* Indicatur hic finis Juris gentium, ad quem à gentibus est ordinatum. In quo etiam discrepat à Jure civili, quod particularem reipublicæ salutem spectat, jus gentium verò humanarum societa- 6. *Ad mutuum commercium tendens.*

tum inter ſeſe commercia ac concordiam, ad communem gentium utilitatem promovendam ac ſtabiliendam.

QUÆSTIO II.

An Jus Gentium ſit lex?

Verùm hic ſe prodit difficultas, quæ ſæpiùs exercuit ingenia, profunditori obtutu materiam iſtam rimantia: an videlicet jus gentium vim legalem accipiat? & à quo ſuperiore ac legislatore? an à Deo, ut authore ſocialis vitæ, ac communis felicitatis, approbatione ſua diuturnos hominum mores ac receptam mutuò diſciplinam corroborante in vim legis? an omnes gentes corpus quoddam morale ſeu magnam quandam rempublicam conſtituant, quæ collectim ſumpta, velut in Ariſtocratia aut Democratia, jurisdictionem in ſingula illius membra exerceat, legémque imponat? an verò gentes abſque interventu ſuperioris, poteſtatem jurisdictionis exercentis, ac vim legis tribuentis, per ſolam pactionem mutuam, ex diuturno uſu mutuo prognatam, conſenſerint, ſeque ſibi mutuò obligarint.

Ad quam ego controverſiam reſpondendum cenſeo; probabilem quidem admodum eam eſſe ſententiam, quæ docet, Jus gentium vim legis habere à Deo, non tanquam authore naturæ, ſed tanquam authore ſocietatis humanæ, & ſupremo politiarum humanarum Principe, ùt docent clariſſimi DD Schmier, Mezger, Franz, Schwarz, Vitriarius *in inſt. J. N. & G. c.* 1. *n.* 21.

7. *Non eſt jus poſitivum Divinum.* Sed quia hoc jus non eſt naturale, verſans circa ea, quæ intrinſecè bona vel mala ſunt: neque poſitivum Divinum, utpote non habens pro ſuo authore immediato Deum, cùm non conſtet, quando, & ubi, & per quos ab ipſo ſit traditum; neque neceſſe ſit hic ad Deum recurrere; & aliàs communis fermè perſuaſio obtinuerit, jus gentium ex integro eſſe poſitivum humanum; atque Imperator ipſe §. 2. *Inſtit. de J. N. G & C.* dicit, Jus gentium eſſe, *quod uſu exigente, & humanis neceſſitatibus, gentes humanæ ſibi conſtituunt*, ideò non cenſeo, novam hic juris Divini ſpeciem aſſerendam eſſe.

8. *Neque lex populorum.* Et quamvis etiam altera ſententia ſit probabilis, quæ vim legalem Juris gentium à communi quadam gentium republica derivat, in qua omnes collectim imperent, ſinguli verò obediant: ùt docuit Strykius.

Quia tamen neque ex ſacris litteris, neque ex hiſtoria conſtat, gentes in ejusmodi univerſalem conveniſſe rempublicam democraticam, quæ poteſtate legislativa in ſingulos orbis incolas tanquam cives polleat, ac ſingulæ gentes ſe liberas putant, neque hanc ſententiam amplector. Igitur

Dicen-

Dicendum cum Grotio, Gletle, Schmalzgruber, Stapfio, Böckn, Pichler &c. Probabilius Jus gentium non eſſe propriè legem aliquam, à ſuperiore quodam gentibus impoſitam, ſed ex diuturno uſu populorum, cum animo ſe mutuò obligandi continuato, atque ex reſultante inde tacita pactione mutua deſcendere: ſicque non eſſe legem, à ſuperiore aliquo latam, ſed obligationem pacto propriam inducere: ut manifeſtius pateat, ſupremos etiam orbis Principes, qui nullum in terris ſuperiorem agnoſcunt, eodem obligatos eſſe. Nam

Quamvis hoc pactum non ſit lex, tamen ſemel liberè à gentibus ini- 9. *Sed pactum tacitum.*
tum jure naturali obligat omnes, ſicut alia pacta, quæ licèt non ſint lex, tamen lege naturali ſuperveniente, & quaſi reflexa ſupra pactum pro arbitrio initum, jubentur ſervari, ex communi illo Juris naturalis principio: *Fides data eſt ſervanda.* Certè legis alterius hic nulla eſt ratio aut neceſſitas, cùm totus finis juris Gentium ſic convenientiſſimè obtineatur.

Neque aliquid probat, quod ſit *Jus* gentium: nam multa dantur Jura, quæ non ſunt lex. Unde etiam *Jus gentium*, non verò *Lex gentium* appellari conſuevit.

QUÆSTIO III.

Quodnam ſit objectum Juris Gentium?

Reſpond. Ad Jus gentium ſpectant ea omnia, quæ quidem jure naturæ non ſunt præcepta nec prohibita, propter communem tamen generis humani utilitatem gentium omnium fermè uſu ac moribus cum mutua obligatione ſunt introducta & recepta. Talia ſunt

1. *Jus legatorum.* Nam jure naturali non tenetur gens una alterius 10. *Ad jus gentium pertinet jus legatorum,*
legatos admittere; quia tamen communis gentium utilitas expoſcit, ut ſint, qui communia negotia tractent, hujusmodi legati non tantùm ſunt admittendi, & incolumes dimittendi, ſed etiam ſecuri præſtandi, à Principe vel republica, ad quam mittuntur: niſi limites ſuæ legationis excedant, e. g. inferendo vim injuſtam, vel concitando populum &c.

2. *Jus commercii*, apud exteras ac non hoſtiles nationes exercendi, *Commercii,*
ad ſublevandam mutuam indigentiam: quia non omnis fert omnia tellus. Quam in rem Grotius tractatum edidit de *mari libero:* quem tunc Batavi ambabus manibus amplexi ſunt: mutatis autem poſtea rebus, cùm Oſtendana florere inciperent commercia, deletum optabant.

3. *Jus belli*, præſertim quoad modum illud indicendi priùs per fœ- *Belli,*
ciales, ac ritè gerendi: ut videlicet fontes & arma non inficiantur veneno: ut hoſtis non occidatur per ſubmiſſos ſicarios (quo modo à Calviniſtis in Gallia Franciſcus Dux Guiſius, incomparabilis ille Heros ex ſere-

 niſſima

nissima Domo Lotharingica, ad Aureliam occisus esse fertur) licèt enim justum bellum sit juris naturalis permissivi, tamen quoad modum & plures circumstantias est Juris gentium. Hinc illæ toties auditæ provocationes ad jus gentium.

Pacis, 4. *Jus pacis & induciarum:* licèt enim conventiones pacis ad fœdera, postquam sunt inita, sicut alia pacta, jure naturali obligent: quoad petitionem tamen pacis, ac justè petitæ admissionem sunt juris gentium.

11. *Item jus servitutis,* 5. *Jus servitutis*, seu facultas liberis hominibus, justo bello captis, ac servatis adimendi libertatem, & in servitutem eos redigendi: nam visum est, utilius esse, eos servos facere, quàm occidere. Cæterùm non præcipit Jus gentium positivè servitutem, sed eam permittit. Unde Christiani nihil agunt contra jus gentium, dum Christianos captos non redigunt in servitutem.

Sepulturæ, 6. *Jus sepulturæ:* vi cujus cadavera terræ mandari debent. Unde in urbium obsidionibus petuntur & conceduntur aliquando breves induciæ ad humanda cadavera.

Et alia. Ad Jus gentium etiam refertur *prima rerum divisio:* imò ipsa etiam *divisio gentium ac regnorum.* Item *jus transitus*, quando non est justa causa peregrinos excludendi: *jus præscriptionis;* aliáque à quibusdam inter objecta juris gentium referuntur.

Ratio est, quia licèt hæc æquitati naturali sint admodum consentanea, à jure tamen naturali non sunt introducta, tanquam intrinsecè bona vel mala, aut tanquam naturæ rationali ac reipublicæ humanæ ad rectam sui constitutionem simpliciter & absolutè necessaria. Potuisset enim gens quælibet absque relatione & obligatione ad alteram secum sola vivere; quin cum altera pactum inire obligata fuerit, de admittendis & tutis præstandis legatis, tractandis commerciis, certo modo gerendi bellum, ac ineundi pacem, de captis in servitutem redigendis, mortuis hostibus sepeliendis &c. Quia tamen ad utilitatem ac felicitatem populorum ac vitæ socialis sunt admodum opportuna, libero ac prudenti gentium consensu sunt introducta.

Et quamvis aliqua ex prædictis jure etiam civili sint sancita, tamen quatenus integras inter se gentes & supremos etiam Principes adstringunt, ùt e. g. jus præscriptionis, juris sunt gentium.

12. *Datur etiam impropriè dictum.* Addunt aliqui *jus gentium minùs propriè* dictum, quod inter gentes receptum quidem est, sine obligatione tamen mutua, seu, quin detur obligatio, illud inter se observandi. Huc referunt consuetudinem certam cultus sacri, construendi ædes, muniendi civitates. Huc etiam refertur jus cudendi monetam, eique valorem tribuendi, ac ipse etiam usus monetæ: contractus item non pauci, ùt emptio, venditio, locatio, conductio,

ductio, qui propterea *contractus juris gentium* appellantur: modi denique acquirendi plerique. Quæ omnia in ſenſu latiore creaturæ juris gentium dicuntur, quia à gentibus plerisque ſunt introducta, ac obſervantur.

QUÆSTIO IV.

Quomodo Jus gentium differat à jure naturali?

Licèt Jus gentium magnam cum jure naturæ affinitatem ac convenientiam habeat, magnámque æquitatem ac congruentiam præſeferat, adeò quidem, ut complures authores cum jure naturali illud confundant, aut ſaltem in *primarium* (ſeu jus naturale) & *ſecundarium*, ùt ſupra memoratum dividant: in pluribus tamen ab illo diſcrepat. Nam 15. *Differt à jure naturali.*

1. Differunt in *cauſa efficiente*, cùm Juris naturalis cauſa ſit ipſe Deus, juris gentium verò gentes. *In cauſa efficiente,*

2. Differunt in *cauſa formali* & *eſſentia*: nam jus naturæ eſt lex Divina, ſuppoſita creatura rationali, omnino neceſſaria. Jus gentium propriè non eſt lex, ſed diuturna conſuetudine, & pactione tacita, absque ſuperioris conſenſu, liberè à gentibus inita, conſtat. *Formali,*

3. Differunt quoad *cauſam materialam* & *objectum*: nam objectum juris naturalis ſunt, quæ intrinſecam honeſtatem vel inhoneſtatem habent: atque hinc neceſſariò à Deo, ùt ſapientiſſimo authore naturæ præcipiuntur vel prohibentur. Objectum verò Juris gentium ſunt, quæ, licèt non ſint intrinſecè bona vel mala, ad communem tamen humanarum ſocietatum utilitatem ab ipſis populis ſunt liberè in uſum deducta. Sic jus naturæ non præcipit admiſſionem legatorum, indictionem belli præviam, commerciorum libertatem, nec prohibet hoſtem in bello juſto armis venenatis occidi, cùm ſimpliciter permittat illum occidi, quin modum determinet. *Materiali,*

Sic etiam diviſionem bonorum, regnorum diſcretionem, terminos agrorum, ſervitutem, præſcriptionem, certos modos contractuum, certos modos acquirendi &c. nec præcipit, nec prohibet: ſed hæc omnia gentibus pro arbitrio ad majorem commoditatem mutuam ordinanda, diſponenda, ac paciſcenda reliquit.

4. Differunt quoad *cauſam finalem*. Nam finis juris naturæ eſt felicitas & recta conſtitutio, neceſſaria naturæ rationali quà tali, in ordine ad commendandas Divinas perfectiones. Finis verò Juris gentium eſt felicitas humanarum ſocietatum, non ſimpliciter neceſſaria, ſed ad majorem utilitatem & commoditatem mutuam. Adeóque jus naturæ ſpectat bonum neceſſarium ſimpliciter naturæ rationali quà tali, jus gentium bonum, non ſimpliciter neceſſarium communitatibus humanis. Jus naturæ intendit præcipuè rectam conſtitutionem internam conſcientiæ, jus gentium verò bonum externum ac politicum. *Finali.*

14. 5. Differunt quoad *modum promulgandi:* nam jus naturæ promulga-
Item quoad modum promulgandi, tur per lumen rationis, quo Deus in cordibus hominum legem suam scribit. Jus verò gentium per usum & observantiam populorum innotescit.

Subjectum, 6. Differunt quoad *subjectum:* nam jus naturale obligat quemlibet hominem, ùt usu rationis præditum, etiam solitariè spectatum: imò licèt solus in mundo viveret. Jus gentium verò non obligat hominem, solitariè consideratum, sed quatenus constituit humanam societatem: imò eas gentes, quæ per usum non consenserunt in pactum tacitum, absolutè non obligat.

Et proprietates. 7. Differunt quoad *proprietates:* nam Jus naturæ est necessarium, absolutum, immutabile & indispensabile. Jus gentium verò, etiam supposita humani generis existentia, fuit gentibus liberum & arbitrarium; potest esse conditionatum; videlicet, si aliæ gentes id servent: imò mutuo consensu posset rursus tolli, sicut introductum est.

15. Differt etiam Jus gentium à jure civili: nam hoc est jus scriptum,
Quomodo differat à jure civili. habétque originem à legislatore: respicit necessitates privatas alicujus particularis reipublicæ; potéstque ab una gente tolli sinè consensu alterius. Jus gentium verò non est jus scriptum, neque est lex, descendens à superiore, in gentes jurisdictionem habente: sed moribus gentium & pactione constat. Respicit utilitates communes gentium; neque potest ab una gente tolli sinè consensu reliquarum.

CAPUT III.

De Jure Divino Positivo.

Præter Jus Naturæ & Gentium datur etiam *Jus Positivum* (aliqui vocant *Positum*) quod ultra Juris Naturalis sanctiones aliquid *ponit*, ex libera voluntate legislatoris.

Unde differt à jure naturali 1. *ratione causæ efficientis:* nam legis naturalis causa, & quidem necessaria, est solus Deus. Legis positivæ causa est libera, potéstque esse vel Deus, vel humanus legislator. 2. *Ratione formæ:* nam lex naturæ est scripta in corde per lumen rationis, sicque promulgata: lex positiva promulgatur per signa externa, nempe mediatè vel immediatè per vocem legislatoris. 3. *Ratione materiæ:* nam lex naturæ versatur circa ea, quæ intrinsecè bona vel mala sunt: lex positiva verò circa ea, quæ de se nec bona nec mala sunt. Unde ea, quæ prohibentur à jure naturali, dicuntur prohibita, quia sunt mala: ea verò, quæ prohibentur à jure positivo, dicuntur mala, quia sunt prohibita. E.g. esus carnis die sabbati non est prohibitus, quia de se est malus, sed est malus,

quia

quia prohibitus. Unde etiam lex poſitiva eſt mutabilis, diſpenſabilis, caſſabilis, ac varia in variis provinciis: lex naturæ immutabilis, & ubique eadem. 4. *Ratione finis:* nam jus naturæ intendit bonum naturæ rationalis quà talis: lex poſitiva bonum reipublicæ.

Differt etiam lex poſitiva à jure gentium: nam jus gentium non eſt lex, ſed uſu gentium & pactione coaleſcit, habétque pro fine felicitatem ſocialis vitæ diverſarum gentium ac nationum. Neque promulgatur per vocem alicujus legislatoris: ſed per traditionem uſus & obſervantiæ.

Eſt autem Jus poſitivum aliud *Divinum*, quòd nempe à Deo legislatore eſt conditum, & vel per ſe ipſum, vel per ſuos miniſtros, ùt Angelos, Moyſen, Prophetas, Evangeliſtas & Apoſtolos eſt promulgatum. Aliud verò *humanum* quod hominem legislatorem habet.

Utrumque vel eſt *affirmativum*, quo aliquid præcipitur: vel *negativum*, quo aliquid prohibetur. Jus Divinum alteriùs dividitur in *vetus* & *novum*.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſit lex vetus.*
2. *Continebat præcepta moralia,*
3. *Ceremonialia,*
4. *Et Judicialia.*
5. *Ceremonialia & Judicialia ſunt abrogata. Aliqua tamen rurſus ſuſcitata ab Eccleſia.*
6. *In veteri lege nullum fuit præceptum merè humanum, quia Moyſes & Prophetæ tantùm erant promulgatores legum.*
7. *An ante legem Moſaicam data fuerit lex poſitiva.*
8. *Quando lex vetus fuerit abrogata, ac mortua.*
9. *Quando facta mortifera.*
10. *Quid ſit lex novi teſtamenti.*
11. *In ea non dantur nova præcepta moralia, niſi quæ oriuntur ex revelatione, aut pertinent ad ſacramenta.*
12. *Lex nova poſitiva cæpit obligare poſt Pentecoſten: quia tunc facta eſt promulgatio.*
13. *Quinam ſint libri Canonici Divini Juris.*
14. *Quomodo dividantur.*
15. *Septem libri propugnantur contra ſectarios.*
16. *Variæ editiones Juris Divini ſeu S. Scripturæ.*
17. *Defenditur vulgata latina.*
18. *An contineat errores.*
19. *Quid Eccleſia ſtatuerit circa editiones vernaculas.*
20. *An ſingula verba novæ & antiquæ legis ſint dictata à Spiritu ſancto.*
21. *Explicantur varii ſenſus Divinæ legis.*
22. *De interpretatione Divinæ legis.*
23. *Neceſſarius Judex.*
24. *De ſacris Traditionibus.*

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De Jure Divino veteri.

1. *Quid jus vetus?* Jus Divinum vetus eſt, quod Deus ante Chriſti nativitatem condidit, & vel per Angelos, vel per Moyſen, vel per Prophetas promulgavit populo Iſraëlitico. Unde *lex vetus* ſeu *vetus teſtamentum*, in ſacris videlicet libris veteris teſtamenti comprehenſum dicitur.

Dixi autem *Populo Iſraëlitico:* nam ſolus ille tenebatur ſervare legem Moſaicam, non verò gentes aliæ, niſi quis ultrò ad religionem Judaicam tranſiiſſet. Reliquæ igitur gentes usque ad legem gratiæ jure naturali regebantur.

2. *Continet præcepta moralia,* Erant autem in lege veteri triplicis generis præcepta, nempe *moralia*, ad directionem morum ſecundùm rectam rationem, ùt ſunt præcepta Decalogi: licèt enim hæc præcepta moralia juris ſint naturalis, ac proin immutabilia & indiſpenſabilia, tamen placuit Deo per leges etiam poſitivas ea repetere, ut obfuſcato per peccatum & paſſiones inordinatas intellectui clariùs illa vivaciùs & efficaciùs proponantur & inculcentur.

3. *Ceremonialia,* In altera claſſe erant præcepta *ceremonialia* circa diverſos ritus ac modos cultus ſacri, Deo exhibendi, ùt de ſacerdotibus, Levitis, feſtivitatibus ſabbati, Paſchæ, azymorum &c. de variis ſacrificiis, hoſtiis, oblationibus, purificationibus. Atque hæ leges ceremoniales præcipuè habentur in libro Levitici.

4. *Judicialia.* In tertia claſſe ſunt *Judicialia* ſeu *Forenſia*, ad juſtitiam & politicam gubernationem populi Judaici ſpectantia, circa cauſas & negotia civilia & politica: prout in Exodo potiſſimùm præſcribuntur.

Porro præcepta moralia antiqui teſtamenti, e. g. præcepta decalogi, hodiedum vigent & obligant: non quidem quatenus ſunt præcepta veteris legis, ſed quatenus ſunt præcepta juris naturalis, quæ abrogari nunquam poſſunt.

5. *Ceremonialia & judicialia ſunt abrogata,* Ceremonialia verò & Judicialia poſt mortem Chriſti abrogata, exſpirârunt: (*nam translata ſacerdotio neceſſe eſt, ut etiam legis translatio fiat.* Hebr. 7.) Et quidem primò poſt mortem Chriſti ſunt *mortificata*, ita, ut non ampliùs obligarent. Quia tamen Judæi non poterant ſtatim à ſuis ritibus, quibus aſſueverant, avocari, aliquamdiu permiſſa ſunt, donec cœperunt eſſe *mortifera* ſeu illicita. Unde S. Paulus ad Galatas tantopere invehitur in ſuperſtitioſos legis Moſaicæ obſervatores.

Aliqua tamen rurſus ſuſcitata. Aliqua tamen, e.g. circa decimas, conſecrationem altarium, Dedicationem templi, circa jejunia, circa purificationem poſt partum, circa ducendas aut dotandas ſeductas virgines &c. à legislatore Eccleſiaſtico denuo ſunt ſuſcitata: & hinc etiam non ampliùs obligant ùt præcepta Divina, ſed tan-

tantùm ùt humana, (nisi simul lex naturalis concurrat) quia tantùm à Jure canonico, in quod sunt relata, vim legis habent.

Disputari hìc solet, an in veteri testamento contineatur præceptum aliquod merè humanum? Et respondetur communiter, nullum in eo contineri, quia Moyses & Prophetæ non fuerunt legislatores, sed tantùm promulgatores. 6. *In lege veteri nullum præceptum mere humanum. Bene tamen in nova.*

Aliud est de libris novi testamenti, in quibus continentur aliqua præcepta merè humana: ùt patet ex *cap.* 15. *act. Apost.* ubi Apostoli prohibent esum sanguinis & suffocati; & ex Epistolis S. Pauli, dum ait e. g. *cæteris ego dico, non Dominus:* utì etiam ex *Canonibus Apostolorum*, Juri canonico insertis (quamvis in istis opus sit matura crisi, ùt postea dicetur) constat etiam ex traditione Apostolica, quòd ipsi jam Apostoli, tanquam Prælati Ecclesiarum, legem tulerint de celebranda die Dominicâ loco sabbati, de jejunio quadragesimali, de bigamis non ordinandis &c.

Quæres 1. An ante legem Mosaicam data fuerit aliqua lex positiva? 7. *An ante legem Mosaicam data sit lex positiva.*
Resp. Data fuerunt aliqua præcepta seu leges particulares. Sic Deus primis parentibus in paradiso dedit specialem legem non comedendi de ligno scientiæ boni & mali. Post lapsum verò datum fuit præceptum adhibendi aliquod remedium, quo etiam infantes purgarentur à peccato originali. Rursus ante legem scriptam quædam animalia habita sunt pro immundis: quibus ad sacrificia uti non licuit, quæ diversitas non est à lege naturali. Sicut neque præceptum illud post diluvium datum Gen 9 *Carnem cum sanguine non comedetis.* Denique lex circumcisionis multo ante Moysen data est: nam Abrahæ jam fuit imposita Gen. 17. unde Joan. 7. dicitur, non esse ex Moyse, sed ex Patribus, atque sic plures leges particulares & singulares ante legem Mosaicam fuerunt.

Hæc tamen præcepta particularia non constituebant aliquam legem, ex pluribus divinis præceptis conflatam, per quam homines in peculiari statu religionis à Deo instituti, atque ad unum corpus mysticum ac sacram rempublicam, aut specialem Ecclesiam fuerint ordinati: sicut postea per legem Mosaicam, ac legem gratiæ fuerunt ordinati. Unde simpliciter dicitur, quòd ante legem Mosaicam non fuerit data lex positiva, intelligendo per legem collectionem præceptorum, ad statum aliquem certum religionis pertinentiam.

Quæres 2. Quando lex vetus fuerit abrogata, mortificata, & facta mortifera? 8. *Quando lex vetus sit abrogata.*

Resp. Varias hìc esse sententias, ùt videre est apud Suarez *lib.* 9. *de legibus.* ubi hanc quæstionem fusè pertractat. Atque imprimis aliqui docent, quando Christus prædicationem suam cœpit, abrogatam jam esse le-

gem veterem: alii hoc factum volunt in ultima cœna, aut in morte Christi, aut ejus resurrectione, aut ascensione.

Alii denique cum Suarez docent, quod id factum sit in festo Pentecostes: quæ sententia videtur reliquis probabilior. Ratio est: quia lex vetus non fuit antè abrogata, quàm lex nova obligare cœpit: atqui ante Pentecosten non videtur lex nova obligâsse: quia non constat, quòd ante sufficienter fuerit promulgata. Igitur tunc in Judæa lex vetus abrogata est

Ac mortua ac *mortua*, ut obligare cessaverit, ac postea successivè in reliquis etiam provinciis, in quibus Judæi degebant, prout citiùs vel seriùs lex Evangelica in illis fuit promulgata. Postquam autem in omnibus provinciis sufficienter fuit promulgata, lex vetus ubique exspiravit, & cœpit quoad præcepta ceremonialia, quorum pleraque erant typica ac figurativa Christi ac legis Evangelicæ, esse *mortifera*, ita, ut sine peccato observari amplius non potuerint.

9. *Quando mortifera.* Dixi autem: *In quibus Judæi degebant:* nam, ùt suprà memoratum, lex Mosaica solos Israëlitas, & Proselytos, seu eos, qui se ultrò Judæorum synagogæ aggregabant, obligaverat: consequenter tantùm respectu Judæorum exspirare poterat, non verò respectu aliarum gentium, utpote quæ nunquam illa lege tenebantur; quamvis quoad ceremonialia respectu omnium hominum post promulgationem legis Evangelicæ cœperit esse mortifera. Dico, quoad ceremonialia: nam quoad judicialia pariter quidem est mortua, non tamen mortifera. Et hinc ab Ecclesia in aliquibus, e. g. quoad aliqua impedimenta matrimonii, decimas, & quasdam pœnas, est resuscitata.

QUÆSTIO II.

De lege Divina nova.

10. *Quid lex nova?* Jus Divinum novum est illud, quod Christus novus legislator in testamento novo condidit, & per se ipsum & Apostolos promulgavit. Diversis autem compellatur nominibus: nam dicitur, *lex fidei lex, spiritus vitæ, lex Evangelica, lex gratiæ, lex amoris, lex nova, lex Christi.*

11. *In lege nova non dantur nova præcepta moralia.* Versatur circa fidem, spem, charitatem, aliásque virtutes præcipiendas: item circa ritus substantiales sacrificii & sacramentorum. Unde præcepta alia illius sunt moralia, alia ceremonialia: Judicialia verò in lege Christi sunt nulla: quia non instituit temporale regnum aut politicam rempublicam, sed Ecclesiam suam ad finem spiritualem per media spiritualia ordinatam. Moralia verò præcepta licèt innovârit, & ad finem supernaturalem ordinârit, nova tamen non imposuit, quæ non jam priùs jure naturali pro casu faciendæ revelationis fuerint lata. Sic semper data fuit obligatio naturalis credendi & amandi sanctissimam Trinitatem pro casu

factæ

factæ revelationis hujus mysterii. Quamvis ipsa revelatio sit ex voluntaria dispositione Dei, & sic dici possit pertinere ad jus Divinum positivum. Unde axiomatis instar habent Theologi in nova lege, exceptis iis, quæ ad revelationem & sacramenta pertinent, non contineri ullum præceptum Divinum, quod non sit naturale. Aliud est de Consiliis Evangelicis: nam talia à Christo noviter esse proposita, non est dubium. *Nisi quæ pertinent ad revelationem & sacramenta.*

12. Quæres, quando lex nova cœperit obligare? Resp. Ea, quæ Christus in prædicatione sua vel per aliam revelationem proposuit, aut præcepit, statim jure naturali tenebantur omnes audientes credere & facere, absque alia promulgatione. Lex autem Christi, quatenus est propriè lex positiva Divina ac universalis cœpit in Judæa festo Pentecostes obligare; quia illa die Jerosolymæ sufficienter promulgata est, & baptismus re ipsa collatus, ùt habetur act. 2. ac deinde juxta mandatum Domini successivè in remotioribus provinciis, in quibus ab illo tempore Apostolici prædicârunt Evangelium. *Lex nova positiva cœpit obligare post Pentecosten.*

QUÆSTIO III.

De libris Juris Divini.

13. Jus Divinum positivum in Sacræ Scripturæ libris contineri, nemo Christianorum est, qui ambigat. Illud tamen jam olim in Ecclesia, & nunc maximè cum Novatoribus est controversum, quot & quinam sint illi libri, in quibus verbum Divinum comprehenditur. Et quidem quoad libros Novi Testamenti, licèt Lutherus cum prima sua sobole plures è Sacra Scriptura extriverit, quos novis suis inventionibus minùs opportunos viderat, videtur hodie non ampliùs magna esse controversia; cùm etiam Protestantes passim 27. Novi Testamenti libros agnoscant, videlicet quatuor Evangelia, Actus Apostolorum à S. Luca conscriptos, quatuordecim S. Pauli Epistolas, duas S. Petri, tres S. Joannis, unam S. Jacobi (quæ Luthero erat straminea) unam S. Judæ, ac denique Apocalypsin (in qua pariter Lutherus, ùt ipse loquebatur, Spiritum S. olfacere non potuit) de libro Job idem Lutherus in *colloquiis mensalibus tit. de lib. vet & Novi Test.* ait, eum esse velut fabulæ argumentum. De libro Ecclesiastis (quem tamen nunc omnes Protestantes recipiunt) loc. cit. dixit, illum sibi videri ocreis & calcaribus destitutum, & equitare tantùm in soccis, sicut ipse sit solitus, dum adhuc esset in Monasterio.

14. Libros veteris Testamenti Catholica Ecclesia Canonicos agnoscit 45. ex quibus *legales* quinque libri Moysis, videlicet Genesis, Exodi, Levitici, Numerorum & Deuteronomii. *Historici* 17. nempe liber Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, duo Esdræ, Tobiæ, Judith, Esther, Job, & duo Machabæorum. *Sapientiales* quinque, scilicet *Libri S. Scripturæ.*

licet liber Proverbiorum, Ecclesiastis, Canticorum, Sapientiæ & Ecclesiastici. *Prophetici* 18 nimirum quatuor Majorum Prophetarum, Isaiæ, Jeremiæ, Ezechielis & Danielis, 12. Prophetarum Minorum, & liber Psalmorum Davidis.

Inter libros Novi Testamenti *legales* sunt 4. libri Evangeliorum. *Historicus*, liber Actuum Apostolorum. *Sapientiales*, Epistolæ Apostolorum. *Propheticus*, liber Apocalypsis.

15. *Defenduntur contra Novatores.* Calvinistæ & etiam aliqui Lutherani rejicere solent è numero librorum Canonicorum septem libros veteris Testamenti, nempe librum *Baruch*, *Tobiæ*, *Judith*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, & duos libros *Machabæorum*. Hos verbi Divini hostes fusè refutavi in *Reflexionibus meis super libros Præconum Tigurensium parte* 2. quæ tota tractat de verbo Dei; & præsertim in *Apologiæ meæ parte* 2. *observat.* 15. Ubi hanc quæstionem de septem dictis libris contra D. Joannem Heideggerum ex instituto tractavi.

Ita videlicet nos erudit Sancta Mater Ecclesia, *Magistra, columna & firmamentum veritatis*, ædificata *supra Petram*, contra quam *portæ inferi non prævalebunt:* Cui Spiritus S. ex promisso Christi *suggerit omnia* & *docent omnem veritatem:* Cui Christus cum Spiritu S. assistit *usque ad consummationem Sæculi.* Hæc Christi Ecclesia, fallere ac falli nescia, in Concilio Tridentino congregata hunc Canonem ac numerum librorum, quibus verbum Déi continetur, definivit. Tridentinum eum canonem accepit à Concilio Oecumenico Florentino, in Decreto Eugenii IV. pro Instructione Armenorum confecto. Eugenius eundem accepit à Concilio Romano sub Gelasio Papa celebrato. Gelasius à S. Augustino *lib.* 2. *de Doctr. Christ. cap* 8. S. Augustinus à Concilio Carthaginensi III. can. 47. Hoc Concilium à S. Innocentio I. scribente jam ante tot sæcula ad *Exuperium* Tolosanum Episcopum cap. ult. libros 72. prædictos, ùt Divinos in Ecclesia esse suscipiendos, secundùm traditionem ab Apostolicis temporibus in Ecclesia Romana conservatam. Quam regulam nisi adhibeant Protestantes, probare nunquam poterunt, alios libros e. g. Canticorum esse verè Divinos, & à Spiritu S. dictatos.

Quare non obstat, quòd dicti septem libri non sint in Canone Judæorum. Nam, ùt bene ait Cardinalis Hosius, non Canon Hebræorum, sed Canon Ecclesiæ Catholicæ Canonicas facit scripturas. Neque obstat, quòd fortassis etiam quidam ex Patribus ante Innocentium I. dubitârint. Nam post Ecclesiæ decisionem nullus ampliùs dubitavit. Deinde dubitârunt etiam quidam de Epistola ad Hebræos, Jacobi, Judæ, secunda Petri, secunda & tertia Joannis. Et tamen Protestantes plerique hodie illas ùt verè Divinas & Canonicas agnoscunt. Denique qui dicere visi sunt, libros illos non esse Canonicos, intelligi possunt, tantùm asserere, eos non exstare

in

in Canone Judæorum, & à Judæis non haberi pro Canonicis. Non autem, quòd ex proprio ſenſu eos rejecerint. Certè plures Patres, quos Proteſtantes contra eos libros ſolent afferre, præciſe narrant, eos non eſſe contentos in Canone Hebræorum: qui libros numerarunt ſecundùm 22. litteras alphabeti Hebraici. S. Hieronymus ſententiam ſuam, quam in prologo galeato propoſuerat, retractavit, ut videre eſt in præfatione ad Judith.

QUÆSTIO IV.

De Editionibus S. Scripturæ.

Quæres, quænam ſit authentica Sacræ Scripturæ editio? ℞. Libri veteris Teſtamenti omnes primitus ſunt ſcripti lingua Hebraica; exceptis Tobiæ, Judith, Esdræ, Danielis, qui Chaldaicè ſcripti ſunt: & ſecundo Machabæorum, cujus originale Græcum fuit. Novi Teſtamenti verò libri primitus Græcè ſunt ſcripti, excepto Evangelio S. Matthæi, quòd Hebraica, vel potiùs Syriaca lingua, apud Judæos tunc communi ſcripſit. Quod idem quidam putant de Epiſtola S. Pauli ad Hebræos. Evangelium Marci quidam exiſtimant Romæ Latinè ſcriptum. 16. *Variæ editiones.*

Autographa ſeu originalia hodie non ampliùs exſtat: ſed tantùm habentur apographa, ſeu exemplaria diverſarum editionum, in variis linguis; putantque aliqui, libros ante captivitatem Babylonicam ſcriptos, fuiſſe deperditos, & poſt captivitatem ab Esdra dictatos ex memoria. Quod tamen non ſatis videtur credibile.

Enata deinde eſt editio Chaldaica, Syriaca & plurimæ Græcæ, quarum prima ac præcipua fuit 70. *Interpretum*; nam 72. ſeniores Hebræi in Inſula Pharon in Ægypto, juſſu Ptolomæi Philadelphi Teſtamentum vetus ex lingua Hæbraica in Græcam verterunt, optima quidem vide, ut adeò illa editione ſemper uſa ſit Eccleſia Græca, & ad 600. ferme annos latina. Sed editio iſta non permanſit pura, teſte S. Hieronymo *in præfat ad Par.*

Alteram ſuſcepit *Aquila* Ponticus, homo impius, nec bona fide, (anno 130.) tertiam *Theodotion* Epheſinus, homo ejusdem furfuris, primùm Samaritanus, deinde Judæus, tum Chriſtianus, denique Ebionita, (an. 200.) quintam & ſextam aſſignant anonymam, ſinè nomine nempe auctoris.

Septima eſt *Origenis*, qui priores editiones collegit, & in totidem columnas diſtinxit, addita etiam ſua editione. Octava *Luciani* Martyris, nona Heſychii, quæ in Ægypto erat celebris. Verſiones Latinæ multò plures fuerunt, inter quas tamen duæ eminuerunt: una *antiqua* incerto auctore, quam aliqui *Italam*, alii *communem* dixere, alii *vulgatam*, magnæ authoritatis.

Altera celeberrima ſuſcepta eſt à S. Hieronymo, qui juſſu Papæ Damaſi vetus Teſtamentum ex Hebraico in Latinum vertit; novum verò Teſtamentum à mendis, per tot verſiones & librariorum incuriam, inſperſis, integrum & illime reddidit. Cúmque orirentur controverſiæ, quænam ex iſtis duabus, *antiqua* nempe & *Hieronymiana*, eſſet præferenda, utraque in unam coaluit, libris aliquibus ex antiqua, aliis ex nova S. Hieronymi deſumptis: dictáque eſt hæc Editio *vulgata*, ab Eccleſia recepta, & ſequentium ſæculorum uſu perpetuò converſata; quamque Concilium Tridentinum seſſ. 4. definivit eſſe authenticam, ut eam nemo, quovis prætextu rejicere præſumat.

17. *Editio vulgata Latina.*

Bellarminus *lib.* 2. *de verbo Dei cap.* 9. cenſet, nos in editione noſtra vulgata libros Novi Teſtamenti habere ex antiqua verſione, quam tamem S. Hieronymus emendavit ab erroribus, qui irrepſerant ſucceſſu temporis. Pſalterium deſumptum eſſe ex verſione S. Luciani, Presbyteri Antiocheni & Martyris, à S. Hieronymo pariter emendatum. Libros ſapientiæ, Eccleſiaſtici & Machabæorum probabiliter non eſſe ex verſione S. Hieronymi, ſed ex editione antiqua. Reliqua omnia nos habere ex verſione S. Hieronymi.

Defenditur.

Cùm igitur hanc editionem noſtram *vulgatam latinam* tanquam authenticam agnoſcant SS. PP. ut S. Auguſtinus *lib.* 2. *de doctr. Chriſt.* S. Iſidorus *lib* 6. *Ethymol c.* 5. S. Gregorius l. 20. moral. c. 24. Sophronius *l.* 1. *de Divin. Offic.* S. Bernardus, S. Anſelmus, Venerab. Beda, S. Petrus Damiani &c. Sicut etiam alii Eccleſiæ Doctores, Richardus à S. Vict. Rupertus, Haymo, Hugo, Alexander de Ales, Albertus M. S. Thomas, Scotus, S. Bonaventura, eamque tot commentariis illuſtrarint, populo prædicarint: & præcipuè cùm Eccleſia catholica eam tanquam authenticam ſeu originali conformem definiverit, ac fidelibus, propoſuerit, dubitare prudens nemo poteſt, quænam editio ſit præferenda. Certè S. Auguſtinus in epiſt. fundament c. 5. aſſerere non dubitavit: *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoveret auctoritas*, quid ſectarios permoveat, ipſi viderint. Hoc certum, quòd ex ſuis principiis neque probare poſſint, in quibus libris contineatur verbum Dei, neque quænam inter innumeras atque inter ſe omnino diſſimiles & pugnantes editiones, ſit vera, authentica, & incorrupta, ùt ſatis ex eorum inter ſe dimicationibus, exemplo Bezæ & Caſtalionis, ſuſceptis, totque diverſiſſimis verſionibus, quolibet alterius inventiones repudiante, conſtat. Atque ſic deviciente ipſo fundamento, quàm deſperato & inſanabili ſcepticiſmo eorum ædificium ſuperſtructum eſſe oporteat, nemo oculatus eſt, qui non videat. Et licèt de fide integra interpretis conſtaret, unde conſtare ipſis poteſt, quòd interpres authenticum exemplar verterit, in tanta exemplarium multitudine ac varietate?

Obji-

Objiciunt equidem nobis, etiam in vulgata nostra reperiri errores, 18.
eósque irrito labore corrigere conatos esse Sixtum V. & Clementem VIII. *An contineat errores.*
verùm in iis, quæ pertinent ad fidei, aut morum doctrinam, in illa contineri errorem probari nunquam potest; quo sensu tanquam authenticam Concilium Tridentinum nobis illam proposuit. Errores, quos Sixtus & Clemens emendarunt, fidei ac morum doctrinam non infecerant; sed per descriptiones & typos varios tantis temporum spatiis errores quidam in rebus ad fidem & mores non pertinentibus irrepserant, quos dicti Pontifices per viros doctissimos emendari curarunt, ita quidem, ut correctionem istam Sixtus cœperit, Clemens verò absolverit, unde non nisi per calumniam dici potest, laborem eum fuisse irritum. Certum nobis omnino est, certos nos reddente publica voce Ecclesiæ, in vulgata nostra nihil fidei, moribus, aut veritati historiæ repugnans, neque quidquam aliud falsum, aut contradictorium contineri, quò minus vera, & certa atque indubitata fidei ac morum regula nobis esse possit. Quid sectarios certos reddat, jam dudum solida exspectatur responsio. Unde norunt editiones Hebraicas & Græcas esse incorruptas?

Jam verò, quod ad editiones *vernaculas* seu *vulgares* e. g. Germanicam, 19.
Gallicam &c. spectat, duo ab Ecclesia sunt prohibita; 1. Ne in publico Ecclesiæ usu, præsertim in Missa, legatur S. Scriptura in lingua vulgari. 2. Ne vulgares versiones S. Scripturæ omnibus indiscriminatim legi permittantur: eò quòd ex hominum temeritate plus detrimenti, quàm utilitatis inde oriri soleat. *De editionibus vulgaribus.*

Quæri hic solet, an singula scripturæ sacræ verba à Spiritu S. sint dictata? Censent enim aliqui, non solùm res & sententias, sed etiam singula verba usque ad minimos apices à Spiritu S. esse dictata. 1. Quia Prophetæ passim dicunt: *Factus est sermo Domini ad me dicens:* vel: *hæc dicit Dominus &c.* 2. Quia *omnis scriptura divinitus est inspirata.* 3. Quia SS. PP. asserunt, singulas syllabas & apices summopere esse æstimandos. 4. Quia tota scriptura est verbum Dei.

Alii tamen putant, non singula verba à Spiritu S. esse dictata, sed ab 20.
ipsis scriptoribus sacris ad libitum expressa: verbis scilicet, quibus placuerit, assistente tamen Spiritu S. & providente, ne quid falsum, vitiosúmve irreperet. Si enim, ut inquiunt, singula verba essent à Spiritu S. dictata, imprudenter imò impiè egisset scriptor libri secundi Machabæorum, quòd in fine hujus libri veniam petierit, si quid minùs dignè scripserit. Neque S. Paulus 2. Cor. 11. de se ipso dixisset: *imperitus sermone, sed non scientia.* Neque S. Lucas initio sui Evangelii dixisset, se scripturum, sicut audivit ex ore Apostolorum; *sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.* Sed dixisset, se scripturum omnia verba, sicut Spiritus S. dictavit. *An singula verba sint dictata à Spiritu S.*

dictavit. Et cur diceret S. Paulus 1. Cor. 7. *Cæteris dico ego, non Dominus?* cur diverso adeò stylo scripturæ libri essent scripti, si singula verba & syllabæ, ùt ajunt, à Spiritu S. essent dictata?

Posset fortassis utrique sententiæ aliquid dari ac dici, quòd sæpè ipsa verba Spiritus S scriptoribus sacris suggesserit & dictârit: aliquando tamen tantùm sensum & sententiam, permisso prophetæ arbitrio, quibus verbis vellet sententiam efferre, cum assistentia tamen, ne quid falsi aut incongrui irrepat. Sic enim videntur faciliùs solvi difficultates, in utramque partem propositæ. Cùm sic propriissimè sumantur verba illa: *Hæc dicit Dominus: factus est sermo Domini ad me &c.* Deinde explicatur etiam, aut scriptores potuerint petere veniam propter stylum & verba, minùs digna majestate sententiarum rerúmque, quas Spiritus S. suggessit.

Neque tamen sequitur, quòd, si aliqua tantùm ex assistentia Spiritus S. sint scripta, non sit discrimen inter sacram scripturam & Ecclesiæ definitiones, utpote quæ pariter fiunt assistente Spiritu sancto. Nam discrimen est, tum quòd in S. Scriptura multa sint ipsissima verba à Deo dictata: tum quòd verba scripturæ omnia, in re etiam minima, sint prorsus infallibilia, cùm omnia firmentur assistentia Spiritus S. contra verò Ecclesia tantùm infallibilis est in doctrina fidei, & morum, atque in iis, quæ pertinent ad salutem, non autem in quibuslibet rebus aliis. Cæterùm multi sunt Theologi, qui docent, locutionem Ecclesiæ esse locutionem & verbum Dei. Deinde etiam traditiones Divinæ appellantur *verbum Dei.* Et tamen non ipsa verba Spiritus sancti, sed res ipsa & sententiarum sensus tantùm per sæculorum propagationem fuit ad nos transmissus. Dici proin tota scriptura poterit verbum Dei, suntque singula verba summè æstimanda, quia cum speciali assistentia Divina sunt scripta.

QUÆSTIO V.
De interpretatione S. Scripturæ.

21. *Varii sensus S. scripturæ.* Quæres denique, quo sensu & interpretatione Jus Divinum sit intelligendum? ℞. Sensus scripturæ alius est *litteralis* seu *historicus*, quem voces juxta suam institutionem propriè sonant. Alius verò sensus est *spiritualis* seu *mysticus:* quam res ipsæ per voces significatæ habent. Deus enim non tantum immediate per verba, sed etiam per res ipsas nobis loquitur.

Si sensus mysticus per verba significatus versetur circa fidem, & Ecclesiam militantem, dicitur *allegoricus.* Si pertineat ad morum instructionem, & officia charitatis, *tropologicus,* aut *moralis.* Si verò respiciat Ecclesiam triumphantem, & vitam æternam, quam speramus, *anogogicus* appellari consuevit: Juxta versiculos illos:

Littera

Littera gesta docet: quid credas, allegoria:
Moralis, quid agas: quid speres: anagogia.

Sic dicunt per vocem *Jerusalem litteraliter* significari urbem Palæstinæ: *allegoricè* Ecclesiam: *tropologicè* animam justi: *anagogicè* cœlestem patriam. Item per verba illa *fiat lux* litteraliter lumen naturale, initio mundi productum: allegoricè Christum, qui est lux illuminans omnem hominem: tropologicè gratiam & Spiritum S. qui est lumen cordium: anagogicè lumen gloriæ: quod precamur defunctis: *Lux perpetua luceat eis.*

Dices, sensus litteralis sæpè est falsus, e. g. Dum Christus dicitur vitis vera, agnus, petra, ostium, lapis angularis &c. Deinde S. Paulus 2. Cor. 3. dicit, quòd *littera occidat.* ℞. Sensum litteralem grammaticalem quandoque falsum esse, & occidere, non autem litteralem Theologicum, nempe primariò & per se à Spiritu S. intentum, & hinc, dum Christus dicitur vitis &c. sensus litteralis Theologicus est metaphoricus & improprius, primariò hic intentus. Ex quo patet, sensum litteralem alium esse proprium, alium improprium seu metaphoricum & figuratum.

Præter litteralem & mysticum sensum, concionatoribus præsertim familiaris est sensus *accomodatitius* qui scilicet non est à Spiritu S. intentus, sed ab oratore applicatur & accommodatur rei alicui. e. g. Quando ea, quæ in scriptura dicuntur de Abrahamo aliisque Patriarchis, applicantur Fundatoribus Ordinum.

Acatholici nostri temporis, cùm Judicem controversiarum fidei & interpretem S. Scripturæ infallibilem nullum habeant, asserunt, S. Scripturam per se ipsam esse clarissimam: ut adeò supervacaneum sit, ejus sensum interpretando, lumen in meridie accendere, & solis radios velle illustrare. 22 *Scriptura in multis locis obscura.*

Verùm si hoc ita est, cur tot ortæ sunt & hodiedum oriuntur controversiæ, quomodo diversi scripturæ textus sint intelligendi? Cur Ariani, Nestoriani, Eutychiani, Montanistæ, Donatistæ, aliique hæretici conati sunt ex S. Scriptura suas hæreses adstruere, sicut hodie Calvinistæ, Lutherani? Cur tot contentiones inter Novatores, inter Lutherum & Zwinglium, Arminianos & Gomaristas? Cur tanta sectarum colluvies, ad quid innumeræ scripturæ Translationes, explicationes, postillæ? Cur ultrà 80. diversæ interpretationes hujus textus *Hoc est Corpus meum?* An Lutherus, an verò Zwinglius ad tantam lucem cæcutivit? Cur Apostoli sæpiùs Jerosolymæ congregati? Ad quid primitivæ jam Ecclesiæ tot Concilia? Ad quid tot libri SS. PP. in S. Scripturam? Cur act. 8. Evnuchus Reginæ Candacis ait, se non intelligere Isaiam Prophetam? Cur Lucæ ult.

duo Diſcipuli in via ad caſtellum non intellexerunt ſenſum ſcripturarum, donec Chriſtus illas explicavit? Cur S. Petrus *Epiſt.* 2. *c.* 3. ait, in Epiſtolis Pauli eſſe quædam difficilia intellectu? Cur in eandem ſententiam paſſim conceſſere SS. Patres? Cur in conciliandis Scripturæ locis tantopere laborarunt? Cur in multis hodiedum non poteſt conveniri, parte una huc, parte altera illuc trahente ſerram?

23. *Ac proin neceſſarius judex controverſiarum.* Voluit nimirum Deus frangere humanam ſuperbiam, eóque impellere, ut illius ſe inſtitutioni ſubdat, quem gregem ſuum Doctrinæ pabulo juſſit paſcere, ut alieno ductu egeat mortalis infirmitas, ejusque ſe diſciplinæ tradat, cui cœleſti munere Sancta Sanctorum eſt datum ingredi.

Hæc æternæ Mentis conſilia qui præterit, in ſcepticiſmum inſanabilem ruat, neceſſe eſt. Hinc deſperata apud Acatholicos in controverſis ſcripturæ textibus certitudo, atque dubitatio ſinè remedio. Totam videlicet ſupellectilem ſuam ſi excuſſerint, nihil inde certi atque indubitati in dogmatibus nobiscum controverſis prolicient. Sed aut uni ſpiritui ſuo privato cum innumeris aliis ſpiritibus pugnanti, amore profecto ſui nimio, oportet confidere, aut à cœco ductore, cui nulla doctrinæ infallibilis promiſſio, exſpectare ductum. Quæ res quàm ſit deploranda in ſalutis æternæ negotio, quis non videt? Fidenter aſſero, niſi Eccleſia ejusque ſummus Præſul tanquam infallibilis controverſiarum Judex audiatur, quando de ipſius S. Scripturæ intellectu eſt diſceptatio, nullum eſſe controverſiis finiendis, aut dubitationi perſanandæ remedium; ſed triſti incertitudini in rebus fidei relinquenda ſalus. Neque inde te extricabis, ſi ſcripturam cum ſcriptura, textum cum textu contuleris; cùm innumeris ſemper ingeniis aliud quàm tibi videatur, nullúsque de veritate ac ſenſu certo ſibi blandiri poſſit: Eo quòd deſerta columna & firmamento veritatis nitaris contra eum ſenſum, *quem tenuit & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum.*

QUÆSTIO VI.

De Jure Divino non-ſcripto.

24. *Sacræ Traditiones ſpretæ à Novatoribus.* Sicut præter leges poſitivas humanas dantur conſuetudines & antiquæ obſervantiæ, quæ vim leges habent, dicuntúrque lex non ſcripta, ita etiam præter legem poſitivam Divinam, in tabulis utriusque teſtamenti ſcriptam, datur lex Divina non-ſcripta; cum eo tamen diſcrimine, quòd lex humana non ſcripta ex moribus hominum ducat originem, & accedente conſenſu legislatoris humani in vim legis convaleſcat, Jus Divinum verò non-ſcriptum natales debeat ipſi legislatori Divino, qui legem tulit, aut Sacramentum inſtituit, aut veritatem quandam definivit verbo ſuo Sanctiſſimo, non quidem libris Canonicis S. Scripturæ inſerto, ſed

tamen

tamen ab Apoſtolis ex Chriſti ore excepto, aut Apoſtolis à Spiritu S. dictato, ac deinde per Apoſtolos eorúmque Succeſſores tradito, & continua propagatione de manu velut ad manum ad nos uſque transmiſſo.

Hoc jus Divinum non ſcriptum, ſed traditum inficiantur quidem hodierni Novatores, exemplo Arianorum, teſte S. Auguſtino *lib* 1 *contra Maxim.* Pelagianorum, teſte eodem Auguſtino *Tom.* 7 *contra Pelag. cap.* 31. Neſtorianorum, teſte Concilio Epheſino. Eunomianorum teſte S. Baſilio *lib. de Spiritu S. cap* 27. Euthychianorum, Donatiſtarum aliorúmque hæreticorum, quos primitiva damnavit Eccleſia, prætexentes pariter, ſe ſpretis humanis inventis, ùt loquebantur, uni verbo Divino per Sacram Scripturam nobis manifeſtato inſiſtere. Falsò omnino atque malignè.

Nam per legem ſuam non ſcriptam ab origine mundi gubernavit Deus humanum genus, qua enim alia ratione Conditor ille noſter Divinus ſummúsque legislator orbem terrarum rexit ante diluvium? Qua alia poſt illud ad legem uſque Moſaicam? An non credebant temporum illorum fideles Deum Authorem vitæ æternæ bonorúmque ſupernaturalium, venturum Redemptorem, mortuorum ad vitam tranſitum, remedium aliquod peccati originalis proviſum parvulis, & etiam poſt promulgatam legem Moſaicam remedium peccati pro fœmellis, ac maſculis quoque, ante octavum vitæ diem demortuis? 25. *At ſemper in Eccleſia viguerunt.*

Hæc profectò omnia multáque alia credebant, non Jure Naturæ dictante, ſed Divina traditione facem præferente. Unde illa Moyſis exhortatio Deuter. 32. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas: Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi: Majores tuos, & dicent tibi.* Certúmque omnino eſt, populum illum electum poſt latam etiam legem poſitivam Moſaicam, lege tamen etiam tradita fuiſſe adjutos.

Conſonant antiquis legis novæ Divina placita. Quàm enim ſollicitè Gentium ille magnus Apoſtolus Theſſalonicenſibus ſuis traditionum obſervationem commendat: *Tenete traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* 2. Theſſ. 2. Ecce! Quàm dilucidè S Doctor inter ea, quæ per ſcripturam, & quæ per ſermonem ſeu verbum non ſcriptum acceperunt, diſtinguat, & utriſque morem gerere præcipiat. 26. *Ab ipſa Sacra Scriptura commendata.*

Et quid aliud ſignificant pathetica illa verba, quibus S. Joannes ſuum clauſit Evangelium: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit JESUS: Quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Multa igitur non eſſe ſcripta fateri neceſſe eſt, quæ tamen Apoſtoli aut oculis uſurpata, aut ex Chriſti ore auribus percepta, viva voce gentibus prædicarunt, ſecundùm Magiſtri ſui Diviniſſimi monitum: *Do-*

cete, prædicate. Et nunquid ita prædicârunt Apoſtoli, antequam Evangelia, aut epiſtolæ S. Pauli aliorúmque Apoſtolorum fuerunt ſcriptæ? Evangelium Joannis primùm ſcriptum fuit anno Chriſti 99. & quidem ex occaſione illa duntaxat, quòd Aſiæ Epiſcopi eum rogârint ſcribere ad adſtruendam Chriſti Divinitatem adverſus Ebionis & Cerinthi hæreſin. Quo ergo ex fonte ante Evangelium illud ſcriptum hauſerunt fideles doctrinas in illo contentas, niſi ex prædicatione & traditione Apoſtolica?

Chriſtus poſt glorioſam ſuam anaſtaſin per 40. dies apparuit Apoſtolis, *loquens de regno Dei*, ùt actuum Apoſtolicorum perhibet hiſtoria: ubinam verò omnia illa ſunt ſcripta, quæ tanto tempore locutus eſt JEſus? an nullam illis reverentiam debent Chriſtianæ mentes? Profectò, ſi etiam Andreas, Bartholomæus, Philippus, Thomas, Mathias ſcripſiſſent Evangelium aut Epiſtolas, haberemus multa, quæ nunc viva voce ab ipſis prædicata per traditionem Apoſtolicam ad nos deſcenderunt.

27. *Et à SS. PP.* Piget in hanc rem, manifeſtam adeò certámque, conglomerare evidentiſſima Patrum teſtimonia, quæ ubique confertim in oculos incurrunt. Qui tanta in luce non videt, conſulat S Baſilium *lib. de Spiritu S. ad Amphil. c.* 27. S. Auguſtinum *lib.* 2. *Bapt. contra Donat. c.* 7. & *Epiſt.* 118 *ad Januarium c.* 1. S. Ignatium apud *Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l.* 3. *c.* 35. Juxta editionem Baſileenſem. Dionyſium Areopagitam *Hierarch. Eccleſ. c.* 1. Cyrillum Hieroſol. *in Catech. myſtag.* Irenæum *adverſus hæreſes l.* 3. *c.* 2. 3. *&* 4. Clementem Alexandrium *lib. de paſch.* Origenem in *Epiſt. ad Rom.* Greg. Naz. *Orat.* 1. *in Jul.* Athanaſium *l.* 1. *de Decretis Concil. Nic.* Cyprianum *l.* 1. *Epiſt.* 12. Ambroſium *l.* 1. *de iis, qui initiantur.* Hieronymum in *Epiſt. ad Marullam.* Epiphanium hæreſi 55. *&* 61. *Damaſcenum lib.* 4. *c.* 17.

Hi omnes, aliíque innumeri, claris adeò ſententiis veritati huic, apud ipſos indubitatæ, ſuffragium ferunt, ut ſolaribus radiis ſcriptæ videantur. Verbum illis ſcriptum & traditum ejusdem eſt authoritatis: Quia utrumque eſt verbum Dei. Multa non eſſe ſcripta, quæ tamen jugi traditione ad poſteros tranſmiſſa apud Eccleſiam cuſtodiantur depoſita, unanimis illorum vox eſt.

Eadem eſt Conciliorum pariter, ùt Concilii Nic. act 7. Concilii Generalis 8. act. 8. Trid. ſeſs. 4. imò primæva jam Concilia non tantùm ex verbo ſcripto, ſed etiam, atque potiſſimùm ex verbo tradito, confutârunt, ac damnârunt hæreſes, teſte Theodoreto l. 1. Hiſt. c 8. &c.

28. *Ab Acatholicis immeritò ſpretæ.* Certúmque mihi eſt, hodiernos Novatores præcipua etiam Religionis Chriſtianæ myſteria contra veteres hæreticos probare non ſatis poſſe, niſi Divinas & Apoſtolicas traditiones in ſubſidium vocent: præſertim ſi hæretici ipſorum more ſcripturas in perverſum ſuum ſenſum, quantumvis invi-

invitas, detorqueat. Multis hoc exemplis demonſtratum dedi in libello de verbo Dei cap. 9. Quid? ne ipſos quidem libros S. Scripturæ probare poſſunt, niſi ope traditionis. Si enim quæras ex ipſis, unde ſciant, tot libros, nec plures nec pauciores, eſſe veteris teſtamenti, librum e. g. Canticorum, librum Ruth &c. eſſe verè Biblicos, reſpondebunt, id conſtare ex eo, quòd in Canone Hebræorum ſint numerati. Ecce traditionem, & quidem merè Judaicam! ſi tanti hæc valet, quid valere debet traditio Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ eſt columna & firmamentum veritatis? 1. *Timoth.* 3.

Quæſo! ubi clarè ſcriptum, quòd baptismus ab hæreticis collatus, ſit validus? Profectò S. Stephanus Papa, & S. Auguſtinus *l.* 2. *contra Donat. c.* 7. hoc dogma ex traditione adſtruxêre: ubi clarè expreſſum in S. Scriptura, baptiſmum iterari non poſſe, Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, Beatiſſimam Dei Genetricem fuiſſe virginem?

Si traditioni non eſt ſtandum, cur Acatholici locô ſabbati, in lege præcepti, colunt Dominicam? cur non celebrant Paſchi decima quarta luna cum Judæis, ùt pariter ſcriptura præcipit? cur veſcuntur ſanguine, cùm tamen etiam in lege nova act. 19. ſit vetitum? Certè, adeò ipſis etiam in multis neceſſarius eſt recurſus ad traditiones, ut nulli incidiſſet eas impugnare, niſi viderent, novellas ſuas ideas & conficta religionis ſyſtemata per illas penitus convelli. Sed planè nituntur contra S. Scripturam, contra Divina oracula, contra reverentiam Deo loquenti debitam, contra Conciliorum decreta, contra Patrum teſtimonia, contra ſe ipſos, contra perpetuam doctrinam ac definitionem Eccleſiæ, quam, tanquam magiſtram veritatis, qui non audierit, ſit ſicut Ethincus & Publicanus.

Neque tamen, quòd verbo etiam tradito deferamus obſequium, verbo ſcripto quidquam detractum imus. Stat utrumque ſacroſanctum, ſtabítque in æternum; diſponente ita Domino, ut utriusque ductu ad portum vitæ illius interminabilis provehamur.

Sed neque eſt, cur nobis objiciant, aniles nos fabulas ſectari. Nam non culibet traditioni aſſurgimus: ſed Divinis duntaxat Apoſtolicis atque Eccleſiaſticis, quas videlicet S. Mater Eccleſia ſevera criſi, acri conſilio, maturo judicio nobis proponit. Quare nihil contra nos pugnant, quæ in ſacris litteris contra traditiones dici videntur: illa enim non dicuntur contra traditiones Divinas, Apoſtolicas, aut Eccleſiaſticas, ſed contra frivolas, vanas, ſuperſtitioſas, quas toto corde deteſtamur.

CAPUT IV.

De Jure Apostolico.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Jus Canonicum.*
2. *Ejus causæ, ac dignitas.*

QUÆSTIO I.

De constitutionibus Apostolorum.

3. *Afferuntur authores rejicientes constitutiones Apostolorum tanquam supposititias.*
4. *Auctores pro illis certantes.*
5. *Non sunt ab Apostolis traditæ, ùt in illis octo libris continentnr, neque à S. Clemente conscripti, quia altum apud veteres earum silentium, etiam in controversiis maximis, quæ per eas illico potuissent dirimi.*
6. *Imò vocantur apocryphæ à S. Athanasio, Gelasio, Humberto, Bessarione.*
7. *Continent plura falsa.*
8. *Observatio in Criticam Alexandri Natalis.*
9. *Sunt tamen valde autiquæ,*
10. *A. S. Epiphanio laudatæ.*
11. *Continéntque multa utilia.*
12. *Recensetur summatim, quid contineant. Quorum plura probabiliter per traditionem ab Apostolis descendunt.*
13. *Et quamquam olim fuerint puræ:*
14. *Postea tamen fuerunt corruptæ ab Arianis, Macedonianis &c.*
15. *Continéntque errores de baptismo, festis &c.*
16. *Plures tamen errores falsò illis imputat Alexander Natalis.*
17. *Quid veriùs ipsis possit.*

QUÆSTIO II.

De Canonibus Apostolorum.

18. *Afferunter argumenta contra istos Canones.*
19. *Canonistæ tamen illos agnoscunt authenticos.*
20. *Critici verò inter se sunt divisi.*
21. *Affertur opinio Natalis, maximè illis inimica.*
22. *Ante medium tertii sæculi fuerunt incogniti.*
23. *Aliàs non fuisset orta controversia de Paschate, baptismo &c.*
24. *Tertulliano incogniti.*
25. *Et Origeni.*
16. *Sunt tamen antiquissimi. Et jam sub finem sæculi tertii, aut initium quarti in Ecclesia cogniti.*
27. *Quod contra Natalem, Dumesnilium, & Annatum probatur authoritate, Petri de Marca, Baluzii, Albaspinei, Pagii &c.*
28. *Sententia Natalis à censoribus reformata.*
29. *Hos Canones jam allegavit Constantinus M. & Concilium Nicænum primum.*
30. *Ecclesia Graca omnes 84. recepit: Romana autem tantùm primos 50.*
31. *Ex quibus aliqui commodè debent explicari.*
32. *Quinum apertiùs rejiciendi.*

33. *Pro-*

33. *Probabiliùs neque ab Apostolis sunt editi, neque à S. Clemente conscripti: ùt patet ex Gelasia Papa.*
34. *Refutatur responsio Turriani, Bellarmini, & Baronii.*
35. *Roboratur assertio pluribus argumentis.*
36. *A diversis Conciliis editi, successivè ab Ecclesia recepti, invaluerunt.*

QUÆSTIO III.

Quænam certa habeantur ex Jure Apostolico?

37. *Petrus Primatus officio functus in electione S. Mathiæ.*
38. *An hæc sortibus propriè dictis sit peracta.*
39. *Electio septem Diaconorum qualis.*
40. *Illorum officium etiam ministrandi sacræ mensæ, & quidem præcipuum.*
41. *Quid* Agapæ.
42. *Confirmationis Sacramentum à Petro & Joanne collatum Samaritanis baptizatis.*
43. *Et quidem cum usu chrysmatis.*
44. *Confirmatio certò est Sacramentum.*
45. *Editio symboli Apostolici.*
46. *Controversia Antiochena de Legalibus.*
47. *Definita in Concilio Jerosolymitano Præside Petro.*
48. *Quinam in eo fuerint præsentes.*
49. *Quid olim nomine Episcoporum sit intellectum.*
50. *Potestas Episcoporum major, quàm Presbyterorum.*
51. *Concilium Apostolorum Antiochenum suppostitium.*

Ecclesia Dei duplici Jure regitur in terris: *Divino*, quod superiori capite exposuimus, & *Canonico*, de quo in præsenti tractandum. Hinc in Conciliis duplex codex prolatus, sacræ videlicet scripturæ, & Canonum. Primus potissimùm erat usui ad decidendas fidei controversias, adhibitis etiam in auxilium sacris traditionibus; Canonum verò codex ad sanciendam confirmandámque Ecclesiæ disciplinam.

Igitur post explicatum Jus Naturæ, Gentium ac Positivum Divinum, 1.
ad Humanum descendimus, atque imprimis ad *Jus Canonicum*, quod nihil *Quid Jus*
aliud est, quàm *Collectio sacrorum Canonum, seu regularum* (nam Canon Regu- *Canonicum.*
lam significat) *quas Ecclesia proponit ad dirigendas actiones orthodoxi populi ad cultum Divinum vitámque christianam, in ordine ad obtinendum ultimum finem seu felicitatem supernaturalem.*

Unde etiam *Jus sacrum*, *Jus Apostolicum*, *Jus Ecclesiasticum*, aut *Jus Pontificium*, & aliquando etiam Jus *Divinum*, ùt *c. cum de diversis 2. de privil. in 6.* appellari consuevit.

Ex

2. *Ejus causa* Ex qua descriptione patere videntur causæ Juris Canonici: nam causa illius *efficiens* sunt Concilia œcumenica ac summi Pontifices, qui in Ecclesia Dei supremi Principis locum obtinent, quorúmque authoritate latum vel approbatum, & per epistolas decretales, constitutiones & rescripta legitimè promulgatum fuit. Unde etiam illi Canones, qui ex decretis Conciliorum particularium, aut sententiis SS. Patrum, aut ex legibus civilibus desumpti, in corpus Juris Canonici relati sunt, ab approbatione summi Pontificis vim legis Ecclesiasticæ accipiunt. Pontifex verò potestatem legislativam accepit immediatè ab ipso Christo, dum visibile caput Ecclesiæ gubernandæ proposuit, suásque oves jussit pascere, datísque clavibus regni cœlorum, ligandi atque solvendi potestatem amplissimis verbis concessit Petro, ejúsque in Cathedra Successoribus.

Causa *finalis proxima* & immediata est vita Christiana rectè instituenda, ultimata verò æterna beatitudo supernaturalis obtinenda, atque resultans ex eo gloria Dei extrinseca.

Causa *materialis*, seu potiùs *materia*, circa quam versatur Jus Canonicum, sunt actiones humanæ, ad vitam Christianam, cultúmque Dei, atque supernaturalem ejusdem possessionem dirigentes; quas proin præcepit, contrarias verò prohibet. *Causa formalis* est intentio seu voluntas obligandi, ùt legitimè promulgata. *Subjectum* verò sunt omnes undique Christi fideles.

Ex quibus dignitatem ac præstantiam Juris Canonici facilè est colligere: cùm ejusdem origo referatur ad ipsum Dominum Nostrum JEsum Christum, à quo immediatè potestas hæc legislativa, merè spiritualis, atque ad animarum immortalium salutem tendens, in Petrum, ejúsque in Apostolica Sede successores promaneat.

Contra verò Jus civile originem suam debet potestati sæculari, à populo proximè in Principem translatæ: finémque habet merè naturalem ac temporalem, justitiam videlicet legalem, quietem ac tranquillitatem reipublicæ in ordine ad felicitatem ejusdem naturalem. Unde etiam materia illius & objectum personas, res, & actiones temporales duntaxat complectitur. Neque omnes per orbem Christianos obligat, sed certam tantum nationem, aut populum, pro quo fertur, e. g. in S. R. I. constitutum.

Jam verò, quod antiquitatem Juris Canonici concernit, refert illud ætatem suam ad ipsa usque Apostolorum tempora; qui in cœtus aliquoties congregati, ùt ex actibus Apostolorum liquet, complures Canones constituisse traduntur, quos S. Clemens Romanus, Divi Petri Discipulus ac Pontifex, collegisse dicitur, & in libro, qui *Canones Apostolorum*, inscribitur, atque

atque in octo libris *Constitutionum Apostolicarum* ad posteros transtulisse. Verùm de his magna inter eruditos est disceptatio, an revera ab Apostolis sint tradita, & à S. Clemente conscripta, an verò posterioribus primum temporibus iisdem supposita & afficta. Unde sit

QUÆSTIO I.
Historico-Critica.

An constitutiones, quæ dicuntur Apostolicæ, sint ab Apostolis traditæ, & à S. Clemente conscriptæ?

Alexander Natalis in *Hist. Ecclesiastica sæc.* 1. *Dissert.* 19. apertè pronunciant, *constitutiones Apostolorum esse apocryphas, ab Apostolorum & Ecclesiæ doctrina alienas, ipsis adeò Apostolis, & Clementi Romano suppositas.* 3. *Authores contra constitutiones Apostolicas. Natalis, Pagius, De Marca, Bellarminus,*

Antonius Pagi in *Critica in annales Baronii ad annum* 100. *n.* 9. pariter negat, auctorem illarum esse S. Clementem.

Petrus de Marca *Concord. lib. c.* 2. putat, constitutiones istas scriptori tertii sæculi esse tribuendas.

Cardinalis Bellarminus *lib. de script. Eccles. in Clemente Romano*, ait, licèt multa in iis sint utilia, & à Græcis antiquis magni æstimata, in Ecclesia tamen latina nullum ferè nomen eas habere: imò ab ipsis etiam posterioribus Græçis in Concilio Trullano, tanquam ab hæreticis depravatas, rejectas esse.

Idem fermè de iis judicium est Cardinalis Baronii, Perronii, Gabrielis Albaspinæi, Petavii, Sirmondi, Labbei, Petri Annati, qui in apparatu ad Theologiam positivam Methodico lib. 4. art. 6 ait: *Constitutionum Apostolicarum libri octo, qui Clementi vulgò tribuuntur, non minùs suppostitii sunt quam decem recognitionum libri.* *Baronius, Annatus,*

Denique Christianus Lupus, vir doctissimus *part.* 2. *ad Con. Trullanum* ait, has constitutiones tanquam apocryphas rejectas esse à Gelasio Papa, ejúsque judicio omnem semper latinam Ecclesiam adhæsisse, cùm doctissimis recentiorum temporum scriptoribus. *Lupus.*

Contra verò has constitutiones, in insula Creta repertas, primus, quòd scitur in occidente produxit anno 1551. Petrus Crabbe Ord. Minorum S. Francisci in sua Conciliorum editione secunda, in epitomen tamen contractas, inventore & interprete Carolo Capello Veneto. Postea anno 1567. Laurentius Surius easdem integras collectioni Conciliorum inseruit, è Græco in latinum versas à Carolo Bovio, Ostunensi Episcopo. 4. *Authores pro illis, Crabbeus, Surius,*

Anno dein 1585. Dominicus Nicolinus in veneta editione eas collocavit ex luculentiore versione & eruditissimis observationibus apologeticis Francisci Turriani, Theologi Hispani è S. J. easdem cum Turriani *Nicolinus, Turrianus*

interpretatione & observatione primæ suæ Conciliorum editioni Coloniensi anno 1606. intulit Severinus Binius, postmodum in altera editione omissas.

Ducæus. Anno 1618. vir eruditissimus Fronto Ducæus S. J. easdem Græcè & Latinè edidit, una cum commentariis Joannis Zonaræ, quas deinde suæ Conciliorum editioni adjecit Philippus Labbe S. J. anno 1662. suadente Petro de Marca, Archi-Episcopo Tolosano, ac deinde Parisiensi.

Eædem constitutiones visuntur pariter græcè & latinè in novissima Conciliorum editione Veneta, à Nicolao Coleto anno 1728. producta.

Atqui tot viri doctissimi non impendissent tantam operam in vertendis & illustrandis his constitutionibus, neque Conciliorum codicibus eas inseruissent, si credidissent, eas esse apocryphas & Apostolis ac S. Clementi affictas. Accedit, quòd Gabriel Albaspinæus, Epscopus Aurelianensis, lib. 1. observationum dicat, non dubitare se, quin istæ constitutiones olim Græcæ Ecclesiæ fuerint pro legibus, Manuali, Pontificali seu Rituali Codice.

Epiphanius. Deinde S. Epiphanius constitutionum Apostolicarum sæpè meminit, & plura ex ipsis refert decreta, e. g. hæresi 45. 75. & 80. præsertim verò hæresi 70. quæ est Audianorum: ubi ait, constitutionum Apostolicarum librum, tametsi dubiæ apud multos fidei sit, non esse tamen improbandum, nam in eo omnia, quæ ad Ecclesiæ disciplinam pertinent, comprehendi, neque quidquam aut in fide ac catholica professione depravatum, aut Ecclesiæ administrationi ac decretis contrarium contineri.

Photius. Photius verò in eruditissima sua Bibliotheca codice 112. Clementis Romani opera recensens, eidem tribuit apertè constitutiones Apostolicas, ac facilè dilui posse, quæ contra eas opponuntur, affirmat. Afferuntur etiam pro illis testimonia ex Cyrillo Hierosolymitano *catechesi* 18. historiam de phœnice narrante ex Clemente: item ex S. Athanasio *in synopsi*, ubi meminit *doctrinæ Apostolorum Clementinæ*. Ex Concilio item Trullano, anno 691. habito, quod constitutiones istas tanquam opus Apostolorum videtur agnoscere, sed ab hæreticis depravatum.

Ludovicus du Mesnil S. J. in recenti suo præclaro opere de *doctrina & disciplina Ecclesiæ lib.* 3. *n.* 11. ait, dubium esse, an S. Clemens sit auctor constitutionum Apostolicarum, Trullanam Synodum, Photium, Græcósque posteriores, eas laudare sub nomine Clementis: earum meminisse Patres antiquiores, præsertim Epiphanium, verùm eas postea ab hæreticis esse corruptas.

In tanta sententiarum, opinionum & dubiorum diversitate ut, quid verisimilius mihi videatur, aperiam, sit

PRO-

PROPOSITIO I.

Octo libri Constitutionum Apostolicarum, ùt vocant, non sunt ab Apostolis traditi, neque à S. Clemente conscripti.

Ita docent Petrus de Marca, Alexander Natalis, Christianus Lupus, Antonius Pagi, Petrus Annatus, locis supra citatis: non dissentientibus Baronio, Bellarmino, Perronio, Albaspinæo, Petavio, Sirmondo, Labbeo &c.

Ratio est 1. Quia non invenitur ullus ex SS. Patribus, Conciliis, aut Scriptoribus Ecclesiasticis, primis tribus sæculis eas citasse, aut earum etiam tantùm meminisse: ne quidem tum, cùm occasio ferebat, & materia exigebat. 5. *Veteres silent de illis:*

Sic planè videtur incredibile, quòd *Victor Papa in causa paschatis* celebrandi orientalibus nunquam objecisset constitutionem Apostolorum *lib.* 5. *c.* 16. ubi prohibetur cum Judæis celebrari pascha: qua sola producta tota illa controversia fuisset composita. Nec credibile est, quòd *Polycarpus*, *Papirius*, *Melito*, *Polycrates*, aliique Episcopi orientales, piissimi & doctissimi, adeò pertinaciter defendissent suum morem, 14. lunæ, cum Judæis nempe celebrandi pascha, si eis nota fuisset dicta constitutio Apostolorum, aut pro Apostolica esset habita. Sed neque Irenæus hac de re prolixè scribens ad Victorem Papam, licèt sæpiùs citarit S. Clementis epistolam ad Corinthios, nec verbo tamen meminit constitutionis illius Apostolorum. *In causa Paschatis Victor.*

Si Tertulliano nota fuisset constitutio Apostolorum, aut censuisset, ab Apostolis per S. Clementem descendere, quæ habetur *lib.* 2. *c.* 12. ubi omnes indistinctè peccatores admittuntur ad pœnitentiam, non adeo invectus esset in Zephyrinum Papam, fornicatoribus aditum ad pœnitentiam, concedentem: neque rigida illa nimiùm severitate in Montani errores prolapsus esset, neque corpoream animam hominis asseruisset, utpote quæ *lib.* 6. *c.* 11. dictarum constitutionum dicitur incorporea. *In causa pœnitentiæ Zephirinus*

Sed neque S. Cyprianus, ac Firmilianus cum suis Episcopis, sibi adhærentibus in causa de nullitate baptismi adversus Stephanum Papam unquam citarunt constitutionem *lib.* 6. *c.* 15. in qua omnium hæreticorum baptismus reprobatur; qua tamen citatione vel maximè sententiam suam, quam pertinaciter adeò defendebant, firmare potuissent, imò totam controversiam dirimere. *Baptismi Cyprianus*

Sic neque Origenes, neque antiquissimi alii Patres unquam adversus hæreticos usi sunt testimonio illarum constitutionum, quod planè signum esse videtur haud obscurum, illas fuisse eisdem aut omnino incognitas, vel pro Apostolicis non fuisse habitas, adeóque indignas, quæ citarentur. *Origenes,*

 Unde

Eusebius & Hieronymus. Unde etiam neque Eusebius neque S. Hironymus, de scriptoribus ecclesiasticis diligenter tractantes, eorúmque scripta genuina recensentes, de istis constitutionibus Apostolorum, à Clemente conscriptis, quidquam memorant, sed unam tantùm epistolam ad Corinthios eidem tribuunt.

6. *Imò declaratæ apocryphæ ab Athanasio.* Ratio secunda est, quia, licèt tertio jam sæculo, vel saltem quarto jam fuerint scriptæ, tamen positivè fuerunt declaratæ apocryphæ. Nam S. Athanasius, qui quarto sæculo floruit in synopsi *Doctrinam Apostolorum Clementinam* inter eos libros collocat, quibus contradicitur, additque, perverse ac falso scriptos esse, & cum circuitu Petri, Thomæ &c. comparat. Gelasius Papa in synodo Romana, anno 404. habita, ita ait: *Item* *Gelasio.* *intinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur S. Clementis libri octo, apocryphum.*

Humberto. Idem judicium, imò adhuc apertius de illis tulit Humbertus Cardinalis, Episcopus Sylvæ candidæ, Leonis IX. Constantinopolim Legatus, Nicetæ Pectorato, Presbytero ac Monacho, constitutionum Apostolicarum quædam loca contra sabbati jejunium objicienti, sic respondit: *Hoc asserere conaris ex apocryphis libris & canonibus, pari sententia SS. Patrum repudiatis. --- Unde nos quoque omne apocryphum abjicientes, dedignamur audire eorum fabulosas traditiones: quia non sunt ùt lex Domini.*

Bessarion. Tale responsum etiam detit Bessarion, Metropolita Nicænus, ac postea propter insignia sua merita S. R. E. Cardinalis, Marco Ephesino, schismati Græcorum omnium pertinacissimè in Concilio Florentino adhærenti: ùt testatur Sixtus Senensis.

Horum judicium secuta semper est Romana Ecclesia: unde Bellarminus loc. cit. ait, constitutiones illas nullum ferè nomen in Ecclesia Latina habere. Et meritò:

7. *Continent falsa.* Nam plura continent, quæ prorsus incredibile est, esse ab Apostolis tradita, & à S. Clemente eorum Discipulo conscripta. Sic Jacobum fratrem Joannis inducunt narrantem Historiam Concilii Hierosolymitani, ibíque cum reliquis Apostolis condentem has constitutiones *lib. 6. c.* 14. & 22. volúntque, præsentem tunc etiam fuisse S. Paulum *l.* 4. *c.* 8. cùm tamen ex actibus Apostolorum cap. 12. constet, Jacobum jam antè ab Herode occisum fuisse.

Statuitur etiam in istis constitutionibus *lib.* 2. *c.* 57. inter alios libros legendum esse Evangelium S. Joannis; cùm tamen Petrus & Paulus, cæterique Apostoli jam fuerint mortui, antequam S. Joannes Evangelium scriberet: utpote quod non scripsit ante annum Christi 97 quo à Nerva Domitiani successore ex Insula Pathmo revocatus est. L. 5. c. 7. ait author con-

constitutionum, Simonem Magum à Philippo Coapostolo esse baptizatum, cùm tamen à Philippo Diacono sit baptizatus.

Natalis in *Hist. Eccles. sac.* 1. *Dissert.* 19. insuper objicit, quòd in constitutionibus illis *lib.* 6. *c.* 14. Jacobus frater Domini ponatur extra numerum Apostolorum. Sed hoc non est verum: nam ponitur inter Apostolos penultimò loco; ultimum enim ponit auctor S. Paulum. Melius objecisset *lib.* 5. *c.* 7. *Constit.* auctorem de Jacobo fratre Domini tanquam de Martyre cum S. Stephano colendo loqui: aliàs verò sæpiùs ac nominatim etiam *l.* 6. *c.* 14. de eo tanquam adhuc vivente. 8. *Observatio in Natalis Criticam.*

Idem Natalis dicit, quòd *const. l.* 8. *c.* 4. Stephanus (jam defunctus) inter septem Diaconos collocetur adhuc viventes: sed de Stephano loc. cit. nulla fit mentio; intellexit enim auctor constitutionum septem Diaconos, qui tunc vivebant, atque inter eos illum etiam, qui S. Stephano jam mortuo est subrogatus. Meliori autem jure alios errores historicos & chronologicos potuisset objicere: e. g. quòd *l.* 6. *c.* 8. S. Petrus Clementem vocet *Romanum Episcopum:* cùm tamen primùm pluribus annis post mortem S. Petri sit factus Romanus Episcopus. Item quòd ibidem S. Petrus inducatur loquens de variis hæreticis, ùt Marco, Menandro, Basilide, Saturnino &c. qui tamen necdum omnes surrexerant vivente Petro. Sic etiam *l.* 7. *c.* 47. plures numerantur successiones Episcoporum in diversis Ecclesiis, quæ tamen primùm evenerunt post mortem Apostolorum, imò etiam S. Clementis. *l.* 6. *c.* 26. ea narrantur de Judæis, quæ primùm post eversionem Jerosolymæ contingerunt. Quæ planè indicant, auctorem constitutionum illarum esse Apostolis & S. Clemente recentiorem: qui tamen per imprudentiam tribuerit Apostolis sermones de rebus, quæ primùm post eorum mortem contigerunt. Taceo, constitutionibus illis, prout hodie saltem exstant, plura contineri, ab Apostolorum & Ecclesiæ doctrina aliena.

PROPOSITIO II.

Sunt tamen dictæ constitutiones valdè antiquæ, multaque continent utilia.

Quod constitutiones illæ sint admodum antiquæ, patet ex eo, quòd S. Athanasius, qui sub initium quarti sæculi florere cœpit, in sua synopsi jam meminerit *doctrina Apostolorum Clementinæ:* per hanc autem nihil aliud videtur intellexisse, quàm constitutiones Apostolorum, sub nomine Clementis scriptas. 9. *Sunt antiquæ,*

Deinde, ùt vidimus, Gelasius Papa sub finem quinti sæculi earundem meminit in Concilio Rom. S. Epiphanius verò jam centum annis priùs non tantùm earum meminit, sed easdem etiam dilaudat. 10. *S. Epiphanio teste.*

Neque dici poteſt cum Alexandro Natale, S. Epiphanium loqui de aliis conſtitutionibus Apoſtolorum, non verò de iſtis octo libris conſtitutionum, qui hodie exſtant. Nam hoc gratìs omnino eſt excogitatum, ad earum antiquitatem elidendam; quænam enim fuerunt illæ aliæ conſtitutiones Apoſtolorum, de quibus Epiphanium loqui vult Natalis? quis ſcriptor unquam aliarum meminit?

Sed neque ratio, quam affert Natalis, aliquid probat, quòd ſcilicet Epiphanius dicas, eas conſtitutiones ab erroribus immunes eſſe, hæ autem, quæ hodie exſtant, erroribus ſcateant. Nam tempore S Epiphanii adhuc puræ erant, poſtmodum verò ab hæreticis fuerunt corruptæ, ùt Trullani Patres ſub finem ſeptimi ſæculi ſunt conqueſti.

Et aliis. Antiquitatem earum etiam probat, quòd, teſte Albaſpinæo, veteribus Græcis, Concilio Trullano antiquioribus, conſtitutiones iſtæ, adhuc puræ, inſtar codicis legalis fuerint, ad quarum normam eccleſiaſticam diſciplinam ordinârunt. Ex quo elucet etiam veritas alterius partis:

11. *Continent multa utilia.* Quòd ſcilicet conſtitutiones multa utilia contineant. Neque enim alias S. Epiphanius eas tantopere dilaudâſſet, neque dixiſſet, comprehendi in iis omnia, quæ ad Eccleſiæ diſciplinam pertinent, neque quidquam in fide ac catholica profeſſione depravatum, aut Eccleſiæ adminiſtrationi ac decretis contrarium in iis contineri. Sed neque alii veteres Græci, Latinæ Eccleſiæ adhuc uniti, tanti æſtimâſſent, ut inſtar Juris Canonici eas haberent.

12. *Summa materiarum.* Et certè res ad diſciplinam Eccleſiaſticam utiliſſimæ ac perquàm aptæ in conſtitutionibus iſtis, quiscunque demum fuerit earum auctor, tractantur: & in primo quidem libro de vitanda avaritia, inimicitia, curioſitate, lectione librorum gentilium, luxuria, muliere prava &c.

In 2. De dotibus Epiſcopi, quomodo ſe gerere debeat quoad ſeipſum, populum, pœnitentes; de dignitate ſacerdotum, de Judicibus, judiciis, Eccleſia & Clero &c.

In 3. De viduis, laicis, adminiſtratione Baptiſmi &c.

In 4. De pupillis, eleemoſynis, oblationibus, parentibus, filiis, dominis, famulis, virginibus, & in quibus oporteat ſubjectos eſſe poteſtatibus ſæcularibus.

In 5. De oppreſſis propter fidem, de patientia, martyribus, paſſione Domini, celebrandis feſtis, præſertim paſchatis, vitandis peccatis &c.

In 6. De ſchiſmate, ſectis, hæreſibus, Judæis, Ethnicis.

In 7. De fuga vitiorum, & exercitio virtutum, oratione, gratiarum actione, catecheſi &c.

In 8. De miraculis, ordinationibus, Miſſæ celebratione, præcationi-

bus,

bus, benedictione aquæ, olei, fidelium defunctorum memoria, de ſingulorum Apoſtolorum ſpecialibus inſtitutionibus &c.

Hæc ſummatim ſunt, quæ in octo libris harum inſtitutionum prolixè tractantur, in quibus, ùt dixi, multa piiſſimè atque utiliſſimè ad diſciplinam morum dicuntur: ſimulque aptiſſima ad convincendos hæreticos. Nam licèt hæ doctrinæ non ſint ita expreſsè ab Apoſtolis traditæ, & à S. Clemente conſcriptæ, auctor tamen earum eſt antiquiſſimus; & probabile admodum eſt, plura ex iis ab ipſis Apoſtolis, præſertim in Conciliis Hieroſolymitanis ita eſſe ſtatuta, ac deinde per traditionem ab iisdem ad primos eorum diſcipulos propagata, donec circa tertium ſæculum pius quidam ſcriptor ea collegit, creſcentibus exinde per varias additiones pluribus articulis, & non raro etiam ab hæreticis interpolatis ac depravatis; ùt nunc demonſtratum imus. *Plura ex iis probabiliter ab Apoſtolis deſcendunt.*

PROPOSITIO III.

Quamvis conſtitutiones, quæ dicuntur Apoſtolicæ, fuerint olim puræ, nihilque continuerint contrarium doctrinæ catholicæ, poſtea tamen pluribus in locis ab hæreticis fuerunt corruptæ.

Pars 1. quòd ſcilicet olim fuerint ab erroribus immunes, dicere nos cogit graviſſimum S. Epiphanii teſtimonium *Hæreſi.* 70. *quæ eſt Audianorum.* Ubi, ùt ſupra eſt demonſtratum, clariſſimis verbis hoc de illis prædicat. Trullana etiam Synodus can. 2. Divinorum decretorum elegantem ac decoram ſpeciem obſcuratam dicit. Ergo cenſuit, eas priùs puras fuiſſe. 13. *Quamvis olim fuerint puræ.*

Neque obſtat, quòd S. Athanaſius & Gelaſius Papa, utì etiam poſtea Humbertus eas conſtitutiones tanquam apocryphas rejecerint. Nam apocryphæ ab ipſis dicuntur, quia Apoſtolis ac S. Clementi fuerunt ſuppoſitæ & affictæ; ſic enim in communiſſimo ſenſu libri ſuppoſititii dicuntur apocryphi, licèt errores nullos contineant.

Pars altera, quòd ab hæreticis fuerint corruptæ, non tantùm poſteriores graviſſimi Scriptores teſtantur, ùt Baronius, Bellarminus, Perronius, Albaſpinæus, Petavius, Ducæus, Labbeus, Pagius, Annatus, Du Meſnil locis ſuprà citatis, ſed etiam antiquiores. Sic enim cit. ſynodus Trullana can. 2. ait, quia ad labem Eccleſiæ aſpergendam, adulterina quædam, & à pietate aliena ſint introducta, tanquam hæreticæ falſitatis fœtus nequaquam admittendas. Atque ideò etiam Humbertus Cardinalis loc. cit. fabuloſas traditiones, pari ſententia SS. PP. repudiatas appellavit. 14. *Poſtea tamen corruptæ*

Juvat aliquos ex iis errores adnotare. Atque imprimis non ùno loco Arianiſmum & Macedonianiſmum videntur ſapere, e.g. dum *lib.* 6. *c.* 25. *Ab Arianis.*

hære-

hæreticis eos accenſent, quia ſuſpicantur Jeſum eſſe Deum univerſi: aut dum *l.* 5. *c.* 20. ajunt, Patrem genuiſſe filium ante ſæcula, voluntate, potentia, ac bonitate. Aut dum *lib.* 8. *c.* 37. (non verò *lib.* 2. *c.* 26. ùt Natalis ſcribit) aſſerunt, Patrem eſſe Deum Chriſti, & Dominum Spiritûs.

Et Macedonianis. Ex citato *lib.* 2. *c.* 26. meliùs objicitur aliud abſurdum, nempe quòd ibi inſtituatur ridicula & anilis comparatio inter Diaconiſſam & Spiritum ſanctum, quam pluribus exagitat Petavius noſter *tom.* 2. *Theologicorum Dogmatum lib.* 1. *c.* 3. §. 7. ubi ſic ſcribit: *In conſtitutionibus Apoſtolicis ridiculum neſcio quid, & hæreticum de Trinitate poſuit: nam Epiſcopum in Eccleſia inſtar eſſe Dei Patris ait, Diaconum item ùt Chriſtum, qui Patri aſſiſtit, & in omnibus miniſtrat. Quæ, ſi Chriſtus, ùt homo eſt, conſiderentur, non improbé dicta videri poſſunt; ſed peſtilens eſt, quod addit, Diaconiſſam figuram habere Spiritus ſancti, quæ nihil ſine Diacono facere debeat, aut loqui: quemadmodum neque Paracletus à ſe ipſo aliquid loquitur, aut facit, ſed Chriſtum glorificans voluntatem ejus exſpectat. Quod quidem Macedonianum pus & venenum ſapit.* Ita Petavius, addens Photium, de Clementis operibus agentem in conſtitutionibus notâſſe quædam Arianæ impietatis veſtigia, quæ non niſi violenter excuſari poſſint.

15. *Errores de baptiſmo, feſtis.* De baptiſmo *l.* 6. *c.* 15. apertus error in conſtitutionibus illis continetur, dum ab hæreticis collatum iterari jubent. Item *l.* 8. *c.* 33. de feſtivitate ſabbati, dum ita loquuntur: *Ego Petrus & ego Paulus conſtituimus, ut ſervi quinque diebus opus faciant, ſabbato autem & Dominico die vacent in Eccleſia propter doctrinam religionis: diximus enim, habere quidem ſabbatum rationem creationis mundi, Dominicum verò reſurrectionis. Tota magna hebdomada & proxima ſequenti vacent ſervi.* Pluréſque alii dies feſti ibi ſtatuuntur, quos non eſt credibile omnes jam tempore Apoſtolorum præceptos fuiſſe. Certè non eſt credibile, quòd Apoſtoli ad honorem ſuum dies feſtos inſtituerint: & tamen in hoc capite Apoſtoli inducuntur ſic loquentes: *In diebus Apoſtolorum vacent. L.* 3. *c.* 2. *conſtit.* dicitur, ſecundò nubere ſceleratum eſſe, tertium connubium eſſe intemperantiæ judicium, quartum verò connubium & deinceps planè libidinem eſſe, & manifeſtam impudicitiam.

16. *Plures tamen falsò illis imputat Natalis, &c.* Alexander Natalis loc. ſuprà cit. plures errores dictis conſtitutionibus tribuit. Nam ait *lib.* 8. *c.* 32. *conſtitutionum*, concedi ancillis, ut heris infidelibus ad libidines morem gerant, modo ſolis. Item *lib.* 2. *c.* 57. contineri, Epiſcopum debere eſſe 50. annorum L. 2. c. 26. ſupponi, Apoſtolos non baptizatis Evchariſtiam præbuiſſe.

Verùm hæc non ita ſe habent. Nec in Latino, nec in Græco conſtitutionum exemplari hæc inveniuntur: nam in *lib.* 8. *c.* 32. ancillis non conceditur, ut cum heris infidelibus commercium carnale exerceant, ſed tantùm

tùm dicitur, quòd concubina (quæ tunc temporis minori laborabat infamia) ad baptismum possit admitti, non autem meretrix propter infamiam & scandalum.

Quòd Episcopus debeat esse 50. annorum loco à Natale citato omnino non habetur. Sed neque l. 2. c. 26. supponitur, Apostolos non baptizatis præbuisse Eucharistiam. Imò apertè ibi dicitur contrarium; deinde autem subjicitur, quòd si quis ante baptismum ex ignorantia accepisset Eucharistiam, eum confestim in fide instruendum & baptizandum esse, ne Evcharistiam contemnat.

Meliori autem jure Natalis alios errores in illis constitutionibus reprehendere potuisset, e. g. quòd *lib.* 8. *c.* 2. dicatur, Episcopum, ignorantia aut malo animo oppletum, non esse Episcopum, sed falsum Episcopum, non à Deo &c. *lib.* 6. *c.* 15. ab hæreticis baptizatos, non esse baptizatos, sed inquinatos, non veniam peccatorum, sed vinculum iniquitatis accipere. *Lib.* 7. *c.* 45. certas precationes ad essentiam & valorem baptismi requiri: aliàs enim non animam, sed tantùm corpus à sordibus ablui. *Lib.* 6. *c.* 14. eum, qui uxorem adulteram retinet, esse violatorem legis &c. 17. *Errores veriùs objiciendi.*

Hæc aliáque ejusmodi aut dubiè ab hæreticis, aut schismaticis, aut rerum ignaris fuerunt inspersa. Unde concludendum, has constitutiones non esse quidem ab Apostolis factas, neque à S. Clemente conscriptas, esse tamen valdè antiquas, & probabilius ad pium aliquem ac simplicem authorem tertii sæculi referendas: multa tamen in iis contineri admodum pia & ulilia, & ad morum disciplinam perquam accommoda, quorum aliqua ex traditione Apostolica descendere potuerunt; post tempora tamen S. Epiphanii variè esse ab hæreticis interpolata & corrupta, ut adeò in Ecclesia Romana exiguæ omnino sint authoritatis, nec unquam vim Canonum, multò minùs Juris Divini aut Apostolici obtinuerint.

QUÆSTIO II.
Historico-Critica.
An Canones Apostolorum in corpore Juris contenti sint genuini & authentici?

Aliqui DD. maximè Acatholici cum Joanne Dallæo omnem vim legis eisdem denegant, & tanquam merces suppositas rejiciunt. 18. *Argumenta contra illos.*

1. Quia *c.* 3. *dist.* 15. Apostolici Canones inter *apocrypha* à Gelasio Papa numerantur.

2. Quia incertum est, quot sint ejusmodi Canones Apostolorum. Nam *c.* 2. *dist.* 16. numerantur sexaginta, c. 3. ead. quinquaginta. c. 4. ead. octoginta quinque. In corpore Juris Canonici, & juris civilis octoginta

quatuor. Alii cum Baronio tantùm quinquaginta duos agnoscunt authenticos.

3. Quia doctrinam continent, ab Apostolis alienam. Sic can. 5. Episcopi, Presbyteri, & Diaconi prohibentur uxores abjicere. Can. 45. & 46. videtur supponi, baptismum ab hæreticis collatum esse invalidum. Can. 65. prohibetur jejunium die Dominica & sabbato. Can. ult. ubi recensentur libri canonici S. Scripturæ veteris ac novi testamenti, omittitur liber Ecclesiastici, Tobiæ, Judith, & Apocalypsis S. Joannis. Contra verò inter libros S. Scripturæ recensentur Clementis epistolæ duæ, seu constitutiones Apostolorum, octo libris comprehensæ.

19. *Canonistæ agnoscunt authenticos.* Contra verò plerique Canonistæ existimant, Canones Apostolorum 84 prout in corpore juris hodie continentur, esse authenticos & verè canonizatos. Ita enim sentiunt Turrianus, qui integro libro eorum authoritatem vindicat, Covar. Barbosa, Gonzal. Schambogen, Plettenberg, Wiestner, Schmier, Schmalzgruber, Pichler, Reiffenstuel. Ratio eorum est, *quia*, ut ait P. Schmier, *præfati Canones nihil aliud sunt, quàm constitutiones, ab Apostolis post excessum Christi Domini rogatæ, atque à Clemente Papa Græco idiomate conscriptæ.* Deinde *cap. placuit* 4. *& cap. quoniam* 7. *dist.* 16. pro canonicis scripturis agnoscuntur. Citant etiam pro se Tertullianum libro adversus Praxeam, & S. Athanasium in synopsi, ùt videre est apud P. Schmalzgruber in *Dissertat. proëm.* §. 7. *num.* 257. & apud Bellarminum *de Scriptor. Ecclesiastic in Clemente*, & ante hos in Sixto Senensi in Biblioth l. 2. S. Damascenus verò *lib* 4. *de fide orthod. c.* 18. eos ponere videtur inter sacras scripturas. Ita quidem Canonistæ passim; quibus accessit Severinus Binius, *tom.* 1. *concil. notis in Canones Apostolorum*, ubi omnes, exceptis duobus, nempe 65. & 84 pro authenticis habendos contendit.

20. *Criticorum discordia.* Quàm autem concordes esse videntur Canonistæ, in omnibus 84. vel (ùt alii numerant) 85. tanquam genuinis agnoscendis, tam discordes inter se sunt eruditissimi Critici.

Baronius ad annum Christi centesimum admittit ùt authenticos 52. Bellarminus de *Scriptoribus Ecclesiasticis in Clemente* dicit, *Canones legitimos, esse solùm* 50. *priores, reliquos non esse legitimos, quamvis à Græcis recipiantur.* Petrus de Marca Archiepiscopus Paris. *in concordia lib* 3. *c.* 2. ait, eos videri posteriores anno Christi 258. antiquiores tamen Concilio Nicæno primo. Idem sentit Antonius Pagi in *Critica in annales Baronii ad annum* 100. *num* 9. *&* 10. Ludovicus du Mesnil verò in *doctrina & disciplina Ecclesiæ lib.* 3. *num.* 9. contendit, hæc decreta nec Apostolorum, nec Clementis esse, primúmque eorum meminisse Nectarium in synodo Constantinopolitana anno 394. Albaspinæus, eruditissimus Episcopus Aurelianensis, *Observat. lib.* 1. *c.* 13. putat, Collectionem horum Canonum nihil aliud

esse

esse, quàm epitomen privatorum Conciliorum, & rerum à privatis Episcopis sancitarum, qui Græcas Ecclesias ante Concilium Nicænum administrârunt.

Nemo verò ex Catholicis Scriptoribus his Canonibus magis inimicum se ostendisse videtur, quàm Alexander Natalis in *Historia Ecclesiastica sæculi* 1. *Dissertat.* 18. fortasse nimiùm tribuens Joanni Dallæo, homini hæretico, quo in ista controversia usus est, docet enim Natalis, hos Canones non esse antiquiores sæculo sexto, omnésque omnino esse Apostolis suppositos & pseudepigraphos. Ego ut mentem meam aperiam, sit 21. *Natalis opinio.*

PROPOSITIO I.

Canones, qui dicuntur Apostolici, ante medium tertii sæculi fuerunt incogniti.

Canones istos ante sæculum tertium, ejúsque annum quinquagesimum octavum probabiliùs fuisse Ecclesiæ incognitos, ratio est, quia ante hoc tempus nullus unquam ex PP. aut scriptoribus horum Canonum invenitur meminisse, aut eos citâsse, ne tum quidem, quando res & occasio, imò etiam necessitas exigebat eos citari. Sic 22.

Circa finem secundi Sæculi magna exurgebat inter Orientales & Occidentales controversia de celebrando paschate. Orientales, allegantes suam consuetudinem à Joanne & Philippo Apostolis haustam, & traditione propagatam, contendebant, pascha celebrandum esse decima quarta luna mensis primi cum Judæis. Occidentales verò cum Victore summo Pontifice, allegantes contrariam consuetudinem, volebant, illud celebrandum non esse cum Judæis, sed semper post æquinoctium vernum. Jam verò, si canones Apostolorum fuissent tunc temporis cogniti, facile fuisset Victori Pontifici & Occidentalibus Orientales refutare, allegando canonem septimum, qui ita habet: *Si quis Episcopus, aut Presbyter aut Diaconus sanctum diem paschæ ante vernum æquinoctium cum Judæis celebraverit, deponitor.* Et Orientales Episcopi, utpote viri probi, ac plerique postmodum Martyres, non tanto conatu, consuetudini suæ innixi, obstitissent, si hos Canones Apostolicos habuissent cognitos. Cùm ergo dicta gravissima controversia per citatum canonem apertè pro Occidentalibus sit decisa, nemo tamen ullam illius mentionem fecerit, signum est, illum tam Orientali quàm Occidentali Ecclesiæ tunc fuisse incognitum. *Si fuissent cogniti, non esset orta controversia de Paschate.*

Adhuc apertiùs hæc ignorantia eruitur ex altera gravissima controversia, quæ Sæculo tertio circa annum 258. orta est circa Baptismum, ab Hæreticis collatum. Nam Firmilianus, Episcopus Cæsariensis, cum Asiaticis, & S. Cyprianus cum Africanis, magno ardore contendebant, baptismum 23. *Neque Controversia de Baptismo.*

mum ab Hæreticis collatum esse nullum atque irritum, ac consequenter ab Hæreticis Baptizatos esse iterum baptizandos. Contra verò S. Stephanus summus Pontifex, allegans traditionem, constanter iis restitit, ac docuit, Baptismum Hæreticorum, si materiam & formam à Christo institutam observent, esse validum, adeóque ab iis baptizatos non esse rebaptizandos. Quâm multæ hac in causa ultro citróque scriptæ sint epistolæ, quæ Concilia instituta, eruditis notum est.

Certe cùm Asiatici & Africani omnia conquirerent, quæ S. Stephano Papæ opponerent, non omisissent pro se citare Canones Apostolorum, si illos habuissent cognitos. Nam canon 45. ita habet: *Episcopum aut Presbyterum, qui Hæreticorum Baptisma aut sacrificium susceperit, deponi præcipimus; quæ enim conventio inter Christum & Belial, aut quæ particula fideli cum infideli?* Canone sequenti jubetur deponi, qui pollutum ab impiis non rebaptizaverit: Ubi planè supponitur, Baptismum ab impiis baptizantibus pollui. Et Can. 67. dicitur: *Qui ab Hæreticis baptizati aut ordinati sunt, neque fideles, neque clerici esse possunt.*

Jam verò, si hi Canones S. Cypriano ejúsque Concilio Carthaginensi, aut Firmiliano, aliisque Asiæ Episcopis fuissent cogniti, re ipsa exigente, mentionem aliquam de iis fecissent, eósque Stephano objecissent. Quod cùm factum non fuerint, valida inde resultat præsumptio, quòd fuerint adhuc medio tertio Sæculo incogniti. Certè silentium omnium veterum apud omnes eruditos Criticos præjudicium ac præsumptionem parit, rem aliquam magni momenti (qualis est hæc de Baptismo) ipsis fuisse incognitam; præsertim si res & occasio poscebat loqui.

24. *Tertullianus falso citatur pro Canonibus*

Sed objicies cum Turriano, primos Pontifices in epistolis suis Decretalibus Canonum Apostolorum fecisse mentionem. ℞. Has epistolas esse supposititias ac Pontificibus illis falso affictas, ùt aliàs probabitur. Opponunt ulterius, Tertullianum Canonum Apostolorum mentionem facere in libro, adversus Praxeam scripto; atqui Tertullianus floruit circa finem secundi Sæculi, & initium tertii, sub Imperatore Severo. Ergo habetur testimonium scriptoris ante medium tertii Sæculi. Resp. Legi librum Tertulliani adversus Praxeam; sed nullum testimonium aut mentionem de Canonibus Apostolorum invenire potuit. Unde nescio, quomodo hæc falsitas in Bibliothecam Sixti Senensis lib. 2. in *Clemente*, ac postmodum in plurium aliorum calamum irrepserit. Idem dicendum de Synopsi S. Athanasii, quam post eundem Sixtum Senensem aliqui viri, aliàs eruditi, pro Canonibus Apostolicis citant. Nam imprimis S. Athanasius in Synopsi de Canonibus Apostolorum nihil habet. Imò *Doctrinam Clementinam*, sicut Petri, Joannis & Thomæ circuitus, inter Apocrypha nume-

rat

rat. Taceo, quòd S. Athanasius Sæculo quarto floruerit, quo libenter concedo canones illos fuisse notos.

Melius ego fortassis in rem meam argumentum afferam ex facto Origenis, qui Tertulliano supervixit, ac medium tertii Sæculi attigit. De hoc testatur Eusebius *Hist. Eccles. libr. 6. c. 7.* quòd se ipsum absciderit. Hoc facturum fuisse Juvenem, tunc piissimum, & jam eruditissimum (utpote qui, teste Eusebio *loc. cit.* Scholæ Alexandrinæ Ecclesiæ jam præerat) non est credibile, si notitiam Canonum Apostolorum habuisset. Nam *can.* 21. 22. & 23. ejusmodi abscissio sub gravissima pœna prohibetur. Deinde primùm post hoc factum Origenes ordinatus est presbyter, quod tamen can. 22. prohibetur. Ergo probabilis est conjectura, hos canones tunc fuisse incognitos. 25. *Origeni fuerunt incogniti.*

PROPOSITIO II.

Sunt tamen Canones, qui dicuntur Apostolici, antiquissimi, & jam sub finem Sæculi tertii vel initium quarti in Ecclesia cogniti.

Hæc Conclusio est contra Alexandrum Natalem, qui loc. cit. acriter contendit, hos Canones non esse antiquiores Sæculo sexto. Item contra Ludovicum Du Mesnil, qui asserit, primam horum Canonum mentionem factam esse à Nectario in Concilio Constantinopolitano anno 394. est etiam contra Petrum Annatum, qui in *Apparatu ad positivam Theologiam Methodico tom. 2. lib. 6. art. 7.* non tantùm asserit, eos esse suppositios, sed insuper contendit, quoties Concilia, vel SS. PP. vel Auctores Sacri laudant vel memorant Ecclesiæ Regulas, leges, decreta, definitiones, vel Canones, illorum omnium nomine non intelligi Canones, ab Apostolis verè delapsos, sed solùm leges vel regulas, in Ecclesia tunc receptas usu, sive à synodo aliqua particulari, sive à particularibus Episcopis, virísque, aliis quibuscunque Apostolicis editas, vel ad summum leges sive regulas ab Apostolis ipsis non scripto, sed sola traditione profectas. 26 *Contra Natalem. Du Mesnil Et Annatum.*

Contra hos probatur nostra propositio primò ab authoritate: Nam eandem non tantùm propugnant Canonistæ omnes qui cum Binio & Turriano contendunt, quòd per S. Clementem Romanum verè ab Apostolis sint traditi, sed etiam Historiæ Ecclesiasticæ scriptores, & critici severissimi, ùt Petrus de Marca, Archi Episcopus Parisiensis in *Concordia Sacerdotii & Imperii lib. 3. cap. 2.* Ubi ait, eos esse anteriores Concilio Nicæno, posteriores tamen videri anno Christi 258. Baluzius prolixiorem Marcæ discursum contrahens scribit: *Conjicitur, post synodum, Iconii ea de re habitam initum fuisse Consilium edendæ hujus collectionis sub nomine Clementis & Apostolorum, ut Stephano Pontifici opponeretur Petri Apostoli authoritas.* Gabriel 27. *Probatur authoritate.* *Marca.* *Baluzii.*

Albaspinæi. Albaspinæus *obs. lib.* 1. *c.* 13. putat, eos canones esse collectos ex variis Conciliis, ante Synodum Nicænam in variis locis habitis: Unde varius eorum numerus, & cùm vocarentur *Apostolici*, sensim nascebatur persuasio, eos ab Apostolis esse traditos.

Pagii. Eandem sententiam nostram tenet Antonius Pagius ad annum Christi 100. n. 10. ubi ait, jam ante Concilium Nicænum I. horum canonum notitiam esse habitam. Imò etiam Censores Alexandri Natalis reformarunt

28. *Natalis sententia reformata* ejus sententiam. Nam in editione Lucensi anni 1734. *ad dissertationem* 18 *Historiæ Eccles. Sæculi* 1 appositam invenio *notam*, in qua contra ea, quæ priùs docuerat, expresse dicitur, licèt canones illi falso sint adscripti Apostolis, credendum tamen non esse, eos Concilio Nicæno, aliisque illorum Sæculorum Conciliis & Patribus fuisse incognitos: Verisimile Canones Apostolicos collectionem esse quàm plurium canonum ante primam Oecumenicam synodum Nicænam in pluribus particularibus synodis editorum; quæ collectio cum successu temporum novis canonibus fuerint adaucta, factum esse, ut aliqui ejusdem Canones non facile inter se concilientur: Nec omnes tamen ab Ecclesia Romana esse receptos. Unde licèt non sint Apostolorum, esse tamen antiquissimos.

29. *Meminit horum Canonum Constantinus M.* Probatur 2. Constantinus M. in epist. 2. ad Eusebium Cæsariensem, & Antiochenos Episcopus laudat hunc Eusebium, quòd ab Episcopatu Cæsariensi ad Antiochenum, totius Asiæ Metropolitanum, ad quem fuerat electus, transire noluerit, & sic Domini mandatum, & *Apostolicum Ecclesiæque Canonem* servarit; ùt testatur ipse Eusebius in vita Constantini *lib.* 3. *c.* 59. & initio epistolæ ad Eusebium datæ scribit Imperator, *canonem* esse conformem traditioni Apostolicæ. Hic autem Canon Apostolicus, à Constantino laudatur, nullus alius esse potest, quàm XIII. Canon Apostolorum, in quo transitus ab uno Episcopatu ad alterum prohibetur.

Et Nicænum. Concilium etiam Nicænum primum vetat Clericis transmigrationem ab una parochia ad alteram absque Episcopi facultate, additque hanc migrationem esse contra Canonem. Ergo anterior erat Canon eam prohibens: Hic autem est Canon XIV. Apostolorum.

Neque dici potest cum Alexandro Natali & Annato, Constantinum & Concilium Nicænum per Canonem tantùm intellexisse *morem & consuetudinem* per solam traditionem ab Apostolis propagatam, & in Ecclesia receptam. Nam ut in *Nota* ad Natalis sententiam benè advertitur: *Difficile est, sibi suadere, illam vocem Canon à Synodis usurpatam ad morem tantùm designandum, qui tunc vigeret in Ecclesia, quique esset regula rerum faciendarum, seu judiciorum instituendorum, cùm eam vocem semper legem scriptam significare omnes crediderint: Atque ipsum etiam Concilium Nicænum morem in Ecclesia vigentem velut*

lut rem, à Canonibus diſtinctam indigitarit. Quòd autem hi Canones à Patribus & Scriptoribus Eccleſiaſticis rariùs citarentur, cauſa eſſe potuit, quòd non omnes eſſent Authentici, ſed plures adjuncti, quos Eccleſia Romana nunquam recepit: ùt mox dicetur.

PROPOSITIO III.

In Eccleſia Græca omnes 84. Canones, prout in Corpore Juris Canonici & civilis hodie extant, ſunt recepti, non tamen in Romana.

Orientales omnes eos Canones recepiſſe, videtur ex eo conſtare, quòd 30.
Juſtinianus Imperator in Conſtitutione ad Epiphanium Patriarcham Conſtantinopolitanum eos prolixè commendet, & in Nomo-Canonem ab ipſo confirmatum omnes ſint relati.

Unde etiam Trullana Synodus can. 2. omnes 84. tanquam ab Apoſtolis traditos laudat ac recipit. Item Photius in proëmio ſui Nomocanonis, Zonaras, Belſamon, aliique Græci Canones 85. indiſtinctè referunt, ac recipiunt.

Pars altera Propoſitionis eſt quidem contra Canoniſtas recentiores: eſt tamen conformis ſententiæ Baronii, Bellarmini, Perronii, doctiſſimorum S. R. E. Cardinalium, item Petri de Marca, Alexandri Natalis, Pagii, Annati, Du Meſnilii, aliorúmque eruditiſſimorum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptorum ac in critica verſatorum, qui docent, poſteriores 35. Canones non habere authoritatem in Eccleſia Latina.

Romana Eccleſia tantùm 50. recepit.

Nam Dionyſius Exiguus tantum 50. primos, latinè verſos, collectioni ſuæ intulit, addens: *Eis plurimos non præbuiſſe facilem conſenſum.* Creſconius Africanus Epiſcopus in Collectione ſua pariter tantum 50. refert.

Unde Synodus Lateranenſis ſub Stephano IV. anno 769. act. 7. ùt teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius, ſtatuit: *Non ampliùs ſuſcipiantur Apoſtolorum Canonum prolata per Clementem, niſi 50. Capita, quæ ſuſcipit Sancta DEI Catholica Romana Eccleſia.*

Hanc deciſionem confirmat Cardinalis Humbertus, Leonis IX. in Orientem legatus, in reſponſione ad libellum Nicetæ Pectorati contra Latinos editum. In qua reſponſione Humbertus ſcribit: *Clementis librum, id eſt, Petri Apoſtoli itinerarium, & Apoſtolorum Canones numerant Patres inter Apocrypha, exceptis 50. Capitulis, quæ decreverunt Orthodoxa fidei adjungenda.* Carpit hic Natalis Gratianum, quòd *diſt.* 16. *can.* 3. hæc verba Humberti adſcripſerit Leoni IX. ſed quia Humbertus ea ſcripſit tanquam Legatus

authoritate, juſſu, & nomine Leonis IX. meritò hic à Gratiano citari potuit.

Idem Gratianus *diſt.* 32. *can.* 6. hæc addit: *Sciendum verò, quòd Canonum Apoſtolorum authoritate Orientalis, & ex parte Romana utitur Eccleſia.*

Imò ne quidem Iſidorus Mercator auſus eſt plures quàm 50. Collectione ſuæ inſerere.

Sed neque hi ſtatim omnes auctoritatem legalem obtinuerunt: Unde Dionyſius, ùt ſupra memoratum, dixit, plurimos eisdem non facilem aſſenſum præbere. Unde eos neque Ferandus, neque Martinus Bracarenſis compilationibus Canonum inſeruêre. Et teſte Hincmaro Remenſi lib. 55. c. 45. anno 870. necdum exſtabant in Canone Eccleſiæ Gallicanæ. Idem Hincmarus, opuſc. 55. cap. 24. ſcribit: *Canones, qui vocantur Apoſtolorum, à devotis quibusque collecti, in quibus quædam receptibilia, quædam verò non ſunt ſervanda, non ab Apoſtolis ſcripti eſſe creduntur.*

Paulatim autem ab Apoſtolica ſede 50. approbati, per occidentem authoritatem legalem obtinuerunt, ut anno 840. eos in Eccleſia Romana jam uſurpatos eſſe in judiciis conſtet ex Leone IV. qui in epiſtola ad Britanniæ Epiſcopos ſcribit: *Canones quibus in omnibus judiciis Eccleſiaſticis utimur, ſunt Canones, qui dicuntur Apoſtolorum.*

31. *Explicantur aliqui Canones.*

Neque obſtat Canon quintus, in quo prohibetur, ne Epiſcopus aut presbyter uxorem ſuam abjiciat. Nam hîc non conceditur Epiſcopo aut presbytero uxorem ducere, aut cum jam ante SS. Ordines ducta uti matrimonio, ſed tantùm prohibetur, ne illam, quam ante ordinationem duxerat, poſtea ſpernat, omnémque illius curam deponendo, eam omnino abjiciat, in qua prohibitione neque Romanæ Eccleſiæ Canonibus aut conſuetudini dicitur aliquid oppoſitum, cum laudabile omnino ſit, uxori ante ordinationem ductæ de neceſſaria ſuſtentatione providere, illam defendere, atque illius curam gerere.

Si tamen Canon ille præciperet Epiſcopo, aut presbytero, ut poſt ordinationem actum conjugalem exerceat, dicendum eſſet, Canonem in hoc ſenſu nec eſſe Apoſtolicum, neque ab Eccleſia Latina unquam receptum, ſed à Græcis inſertum.

Idem dicendum de Canone 45. & 46. nam ſi in iis baptiſmus, ab hæreticis collatus, tanquam invalidus ſimpliciter & abſolutè rejiciatur, ùt Natalis contendit, nec Apoſtolici ſunt, nec recepti in Eccleſia, ſed poſt Concilium Iconii celebratum, pro errore Firmiliani & Cypriani confirmando Apoſtolis affictі. Si verò dicti Canones aliud non velint, quàm baptiſmum hæreticorum tunc tantùm eſſe invalidum, quando debitam mate-

materiam & formam non adhibent, ùt Canonistæ explicant, veri sunt, & doctrina in iis contenta, recepta in Ecclesia.

Manifestiùs adhuc rejiciendus est Canon 65. in quo jubetur Clericus deponi, & Laicus excommunicari, qui die dominica vel sabbati jejunat. Et tamen constat, quarto jam sæculo Romæ sabbato jejunatum fuisse, ùt testatur S. Augustinus epist. 86. ad Casulanum & Socrates *Hist. Eccles. l. 5. c. 2.* Unde S. Augustinus loc. cit. ait, non constare ex Apostolis, qua die sit jejunandum, vel non. Et Innocentius I. epist. 1. ad Decentium scribit: *Sabbato jejunandum evidentissima ratio demonstrat.* Deinde cùm Nicetas ex can 65. contra Latinos sabbato jejunantes pugnaret, Humbertus ei objecit, quòd ex apocryphis & reprobatis Canonibus id asserat. 32. *Alii rejiciuntur.*

Canon etiam ultimus seu 85. plura continet, cum Ecclesiæ doctrina non consentanea. Nam in eo inter libros sacræ Scripturæ numerantur tres libri Machabæorum, item duæ Epistolæ Clementis cum octo libris constitutionum, eidem Clementi ibidem attributis. Contra verò ex numero librorum Biblicorum expunguntur, vel saltem inter Biblicos non recensentur liber Ecclesiastici, Tobiæ, Judith, Esdræ, Apocalypsis, contra Ecclesiæ etiam veteris definitiones, ùt patet ex epist. Innocentii I. ad Exuperium, ex Gelasio in Synodo Romana &c. Ergo Canon iste neque est ab Apostolis traditus, neque à S. Clemente conscriptus, neque unquam in Ecclesia receptus: sed potiùs ab hæreticis assutus.

Et hinc quando Gratianus dist. 16. can. 1. ex Isidoro scribit, Canones, qui dicuntur Apostolorum, sub nomine Apostolorum ab hæreticis esse compositos, & ab auctoritate canonica alienos, id intelligendum venit de memoratis Canonibus, in quibus aliquid contra Romanæ Ecclesiæ doctrinam statutum invenitur. Quamvis judicem, Canonem 1. citatum parùm habere auctoritatis, quia Gratianus eum desumpsit ex Isidoro Mercatore, cujus aliàs fides non est firma; ùt patet in Decretalibus primorum Pontificum, ab hoc Isidoro aut malè compilatis, aut omnino confictis. Accedit, quòd non in omnibus editionibus collectionis Isidori hoc capitulum habeatur, sed potiùs contrarium.

PROPOSITIO IV.

Probabiliùs Canones, qui dicuntur Apostolorum, non sunt ab ipsis Apostolis, neque à S. Clemente scripti.

Ita docent Petrus de Marca, Antonius, Augustinus, Baluzius, Albaspinæus, Alexander Natalis, Pagius, Annatus, Du Mesnil, aliique scriptores eruditissimi, qui hanc rem ex professo examinârunt. 33.

Ratio est 1. Quia usque ad medium tertii sæculi nulla omnino horum Canonum habentur vestigia, aut indicia. Sed probabiliùs à variis Conciliis particularibus sunt successivè constituti atque aucti. Unde neque ab Eusebio, neque à S. Hieronymo, neque ab aliis Patribus fuerunt scriptis Apostolorum, aut S. Clementis annumerati: & inter fideles dubia erat eorum auctoritas, ùt patet ex confessione Dionysii Exigui, suprâ allata: quia scilicet successivè plures ab Ecclesia fuerant recepti, & authoritate legali muniti.

Gelasius dicit apocryphos. 2. Quia Gelasius Papa in Decreto Synodi Romanæ anno 494. expressè dicit: *Liber Canonum Apostolorum est apocryphus.* Neque dici potest cum Turriano & Canonistis, à Gelasio inter apocryphos non fuisse ablegatum librum Canonum Apostolorum, quos hodie in corpore Juris habemus

34. *Refutatur responsio Turriani.* insertos, sed alium quemdam librum, à Priscillianistis conscriptum & Apostolis affictum. Nam Gelasius toto illo decreto diligenter enumerat libros Biblicos veteris ac novi testamenti, item Canones Conciliorum, ac scripta Patrum, nihil autem de Canonibus Apostolorum aliud meminit, nisi quòd sint apocryphi.

Certè si duo fuissent libri ejusdem tituli, nempe *Canonum Apostolorum*, alter verus ac genuinus, alter falsus & ab hæreticis affictus Apostolis, debuisset Gelasius, ubi ex professo pretiosum à vili secrevit, facere discrimen & dicere: *Liber Canonum Apostolorum alter, à Priscillianistis conscriptus, est apocryphus, alter verò à Clemente Romano conscriptus est authenticus.* Quod cùm non fecerit, sed sine omni distinctione aut limitatione dixerit, librum Canonum Apostolorum esse apocryphum, profectò, aut nullum alium agnovit, quàm à Priscillianistis conscriptum, quod est incredibile, aut nullum alium, quàm continentem eos Canones, quos hodie habemus. Aliàs planè debuisset inter utrumque distinguere, ne fideles in errorem inducat. Sicut eos in errorem induceret, qui diceret: *Evangelium Lucæ est apocryphum*, intelligendo illud, quod à Marcione est confictum ac suppositum.

Bellarmin. Unde neque omnino difficultatem tollere videtur, quod respondet Bellarminus *de Scriptor. Ecclesiast. in Clemente*, decretum Gelasii non loqui de 50. prioribus Canonibus, sed tantùm de 35. ultimis, à Græcis superadditis. Nam si Gelasius aliquos habuisset pro verè Apostolicis, alios verò pro suppotitiis, non dixisset simpliciter & absque distinctione, librum Canonum Apostolorum esse apocryphum, sed pretiosum à vili seperâsset, ubi ex professo librorum authoritatem examinavit, suúmque de quolibet judicium tulit, ne homines in errorem inducat, & occasionem præbeat judicandi, omnes Canones, aut majorem saltem partem illius libri,

libri, eſſe apocrypham. Nullatenus tamen concedo, quod Natalis contendit, Gelaſium librum eorum Canonum omnino rejeciſſe ab Eccleſiaſticis ſcriptis, ſed, dicendo eſſe *apocryphum*, illud duntaxat indicare voluit, Canones eos non eſſe à S. Clemente conſcriptos, ſed eidem & Apoſtolis ſuppoſitos.

Quare neque reſponſio Baronii videtur omnino ſatisfacere, dum ait: librum illum à Gelaſio vocari apocryphum, quia non eſt in numero librorum ſacræ Scripturæ, nam repugnare videtur huic opinioni, quòd Gelaſius *loc. cit.* tres ordines librorum aſſignet. In primo collocat libros Biblicos ſacræ Scripturæ veteris ac novi teſtamenti; in ſecundo libros Conciliorum ac ſanctorum Patrum, & epiſtolas decretales Pontificum; in tertio libros ſuppoſititios, ſeu apocryphos: in hoc enim ſenſu hanc vocem hîc acceptat, ut *apocryphi* libri idem hîc ipſi ſint, ac certis perſonis ſuppoſiti, ac falsò adſcripti. Atque ad tertiam hanc claſſem refert Itinerarium Petri, octo Clementis libros, actus Andreæ, Thomæ Petri, Philippi, Evangelia Thaddæi, Thomæ, Andreæ, Bartholomæi, Barnabæ &c. librum Paſtoris, actus Teclæ & Pauli, librum de pœnitentia Origenis & Cypriani: atque inter multos hujusmodi apocryphos ponit etiam nominatim librum *Canonum Apoſtolorum*. *Baronii.*

Igitur Gelaſius non tantùm ideo libros in hac tertia claſſe à ſe enumeratos vocat apocryphos, quia non ſunt in numero librorum Biblicorum (nam etiam libri Conciliorum & SS Patrum, quos in ſecunda claſſe ponit, non ſunt in catalogo librorum S. Scripturæ, nec tamen eos vocat apocryphos) ſed ideo vocat apocryphos, quia non ſunt eorum Doctorum libri, quibus attribuuntur. Unde

Per hoc, quòd librum Canonum Apoſtolorum Pontifex appellet apocryphum, non negavit, plura valde utilia, doctrinæ ab Eccleſia approbatæ omnino conſentanea, in iis reperiri.

Præter allata hactenus argumenta, plures ſupereſſent conjecturæ, quæ Canones illos non eſſe ab ipſis Aboſtolis, neque à S. Clemente conſcriptos, ſuadent, ac deinceps per continuam traditionem propagatos. Cur enim nemo illos unquam uſque ad Sæculum ferme quartum citâſſet, præſertim in cauſa Firmiliani & Cypriani contra Stephanum Papam, circa valorem baptiſmi, ab Hæreticis collati, aut in cauſa de paſchate celebrando, inter Victorem Pontificem & Epiſcopos Orientales tantopere agitata? Ubi tamdiu latuerunt? Quis primus in lucem produxit? Videntur planè res tam memorabiles non potuiſſe latere antiquitatem. 35. *Alia argumenta.*

Deinde videntur non præseferre ſtylum Apoſtolis uſitatum. Complura etiam vocabula ſunt iis inſerta, quæ in Apoſtolorum ſcriptis non inveniuntur, e. g. vox *Clericus*, *Lector*, *Cantor*, *Sacerdotalis adminiſtratio &c.* Neque ſatis credibile, quòd de quibusdam extraordinariis & exoticis materiis & actibus, quorum tempore Apoſtolorum nullum extat exemplum, plures Canones ſtatuerent, e. g. de iis, qui ſe ipſos excidunt &c.

36. *à diverſis Conciliis editi.* Unde concludendum tandem videtur: Canones illos non eſſe quidem à S. Clemente ex Apoſtolorum ore ſcriptos, imo uſque ad quartum ferme Sæculum Eccleſiæ fuiſſe incognitos, ac ne tum quidem certam obtinuiſſe authoritatem, multos tamen, à diverſis Conciliis ſtatutos, ab Eccleſia Romana eſſe receptos, authoritatem legalem obtinere, atque Apoſtolicos, idcirco dici poſſe; ſicut Canones Pontificum appellantur Conſtitutiones Apoſtolicæ.

QUÆSTIO III.

Quænam certa habeantur ex Jure Apoſtolico.

37. Præter ſcripturas Biblicas, quatuor videlicet Evangelia, Epiſtolas Petri, Pauli, Joannis, Jacobi, Judæ, Apocalypſin Joannis, eáque, quæ in Actis Apoſtolorum de Apoſtolis memorantur, conſtat tum ex his ipſis libris & Scripturæ Canonicis, tum etiam ex traditione, Apoſtolos, ſæpiùs congregatos, plura ſaluberrimè pro gubernanda Eccleſia ſtatuiſſe.

Petri primatus. Atque imprimis, ùt in actibus Apoſtolorum cap. 1. v. 15. habetur Petrus incipiens Primatus ſui officio fungi, & Eccleſiæ ſibi à Chriſto commiſſæ curam gerere, Apoſtolis in Cœnaculo Jeroſolymæ congregatis, poſt Chriſti in Cœlum aſcenſum, & ante Spiritus S. deſcenſum, propoſuit, unum aliquem eligendum eſſe, qui Judæ proditori ſuccederet in Apoſtolatu.

Quo audito, oratione præmiſſa, cœptus electionis proceſſus, ac duobus in medium ſtatutis, *Barſaba* & *Mathia*, ſors cecidit ſuper Mathiam.

38. *An ſortibus electus ſit S. Mathias,* Quærere hîc ſolent S. Scripturæ Interpretes, an *ſortibus*, propriè dictis, hæc electio fuerint peracta? Ratio dubitandi eſt, quia S. Antoinus cenſet, ſignum aliquod de cœlo lapſum, e. g. radium aliquem lucis, ſuper caput Mathiæ apparuiſſe: Quo modo fert fama S. Gregorium in Pontificem eſſe deſignatum. Alii cum Dionyſio Carthuſiano divi-

divinant, ſignum illud fuiſſe columbam, alii aliud ſignum ſibi imaginantur.

At recedendum non eſt à notione propria ſortis. Quin ipſe textus ſacer hoc ſatis indicat, dum ait: *Et dederunt ſortes eis: & ſors cecidit ſuper Mathiam.* Neque res nova olim fuit, per ſortem eligere. Sic enim in lege veteri ſorte conſtituebatur Sacerdos, qui adoleret incenſum ante altare Domini. Saul ſorte electus eſt Rex. Sorte diviſa terra promiſſa. Sorte deprehenſus Achan. Hoc proin uſu retento, inſtinctu etiam Divino accedente, ſors data eſt duobus, virtute & merito æqualibus, quamvis deinde hic modus electionum in deſuetudinem abierit; imò etiam ſit prohibitus *cap. Eccleſia de ſortileg.* ipſi etiam Apoſtoli reliquas poſtmodum electiones, ùt ſeptem Diaconorum non commiſerunt ſorti, ſed ſuffragiis: ut digniores eligantur.

Haud multò poſt electionem S. Mathiæ congregati ſunt rurſus Jeroſolymis Apoſtoli, ex occaſione murmuris Græcorum, *quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano eorum viduæ.* act. *6.* quia ſcilicet tunc viduæ, tanquam ſeniores, & matresfamilias, miniſtrabant Apoſtolis & fidelibus ad victum & veſtitum neceſſaria ex iis, quæ fideles in commune contulerant. Hebrææ autem honoratiora circa hoc officia ſibi arrogabant, Græcis autem viliora tantùm relinquebant; inde murmur Græcorum. Hoc ut ſedarent Apoſtoli collecti, fideles hortabantur, ut eligerent ſeptem Diaconos, in quos à viduis munus illud menſis miniſtrandi transferretur, quíque digniores eſſent. 39. *Electio Diaconorum qualis*

Sed non hoc unum profanum officium Diaconis illis fuit impoſitum; ſed etiam ut eſſent ſacræ pariter menſæ Miniſtri, verè ordinati ſunt, ſicut noſtri hodie Diaconi. Quorum proin inſtitutio & officium ad prima Eccleſiæ tempora referendum eſt. Negant hoc quidem plures Acatholici: Sed 40. *Quale illorum officium.*

Probatur ex iis, quæ de conſtituendis iſtis Diaconis ſacra narrat hiſtoria. Nam ſeligebant viros, Spiritu ſancto & ſapientia plenos. Oraverunt ſuper eos, & impoſuerunt eis manus, act. *6.* Tantis autem & tam ſacris ceremoniis non fuiſſet opus, ſi unicè fuiſſent electi ad profanum miniſterium. Quare S. Ignatius Martyr in epiſt. ad Heronem Diaconum ſcripſit, S. Stephanum miniſtràſſe Jacobo Apoſtolo ſacrificanti. S. Hieronymus epiſt. 1. Nicolaum, unum ex ſeptem Diaconis miniſtràſſe ùt ſacrum menſæ ſacræ miniſtrum; ac propterea Nicolai hujus apoſtaſia tantopera fuit deplorata à. SS. Patribus. Accedit, quòd Concilium Aquisgranenſe can. 7. teſtatur, Diaconos in Eccleſia ordinari inſtar

ftar feptem primorum Diaconorum. Ergo illi etiam ordinati funt, ut facrificanti facerdoti affifterent, & facræ menfæ effent miniftri.

41. *Quid agapæ.* Obfervatus nimirum in prima Ecclefia fuit ille ritus, ut convenientes fideles quotidie S. Synaxin fumerent, atque poft illam fimul cœnarent: quæ cœna feu convivium, poft fumptionem Evchariftiæ, in fignum charitatis & unionis, inftitutum, appellatum eft ἀγάπη feu dilectio, & convivia Chriftianorum *agapæ.* Utrique verò huic menfæ, tam facræ, quam vulgari miniftrabant Diaconi.

Imò etiam prædicandi verbum Dei, hominésque baptizandi officium Diaconis illis erat impofitum, ùt conftat ex *cap.* 8. *act.* ubi narratur, quòd occifo S. Stephano primo Diacono, qui Judæis prædicaverat, *Philippus,* qui fecundus erat Diaconus, difperfis Jerofolymæ fæviente perfecutione fidelibus, in Samariam defcenderit, ibíque magno cum fructu publicè prædicaverit, atque inter alios etiam Simonem Magnum baptizârit: ac poftea etiam Evnuchum Candacis Reginæ Æthyopiæ.

42. *Confirmationis Sacramentum.* Auditis Jerofolymæ tot tantísque converfionibus, Apoftoli mittendos in Samariam cenfebant Apoftolos, qui baptizatis manus imponerent, & Sacramentum Confirmationis impertirent: quia Philippus, tanquam Diaconus, hoc facere non poterat. Delecti igitur ad hoc Petrus & Joannes, Epifcopi, profecti in Samariam, *imponebant manus fuper illos, & accipiebant Spiritum fanctum* act. 8. ubi Simon Magus, cùm oblata pecunia poteftatem imponendi manus vellet emere, à S. Petro eft excommunicatus. Ex quo manifeftè patet, poteftatem illam per manuum impofitionem conferendi Sacramentum confirmationis, atque per iftud gratiam Spiritus fancti neque baptizatis, qualis erat Simon Magus, neque Diaconis, qualis erat Philippus, fuerit commune. Falfum proin eft, quòd illa manus impofitio mera fuerit orandi ceremonia. Cur enim talem Simon Magus voluiffet emere? cur opus fuiffet, ut Apoftoli in Samariam defcenderent?

43. *Et quidem cum ufu Chryfmatis.* Et quidem probabiliùs Apoftoli conferendo Sacramentum Confirmationis una cum manuum impofitione ufi funt facro chryfmate, aut faltem oleo, ùt cenfet cum aliis Cornelius à Lapide *comment. in cap.* 8. *act. Apoft. v.* 17. contra S. Thomam, Bonaventuram, Scotum, Durandum, Gabriel, Palaum, Sotum, Suarez, aliósque, qui cenfent, verè quidem Sacramentum Confirmationis effe collatum ab Apoftolis, non tamen adhibitum chryfma, difpenfante in hoc Deo, eò quòd tunc locò chryfmatis fuerit ipfum fignum vifibile, per quod illapfus eft Spiritus S. in confirmandos. Quod confirmant ex *cap. cùm veniffet §. per frontis, de*

ſacra unctione, ubi Innocentius III. ait: *Per Frontis Chryſmationem manus impoſitio deſignatur.* Quaſi diceret, chryſmationem ſucceſſiſſe manuum impoſitioni.

Quibus tamen non obſtantibus laudatus Cornelius longè probabilius, imò quaſi certum exiſtimat, Apoſtolos nunquam Sacramentum Confirmationis contuliſſe ſine chryſmate, aut ſine inunctione, idque probat

1. Quia in cæteris Sacramentis non habuerunt iſtam libertatem, neque alia Sacramenta adminiſtrarunt ſinè ſua ordinaria materia.

2. Quia nullus veterum dicit, illos hoc Sacramentum vario modo adminiſtraſſe: nempe nunc per ſolam manus impoſitionem, nunc per chryſmatis unctionem: cùm tamen multi dicant, eos uſos eſſe chryſmate, ùt S. Dionyſius *Hierarch. Eccleſ. c.* 4. cui Cornelius adjungit S. Clementem *conſtit. Apoſt. c.* 44. quæ conſtitutiones, licèt non ſint Clementis, ſunt tamen antiquiſſimæ. Allegat etiam Fabianum Papam *epiſt.* 2. item Hugonem de S. Vict. *l.* 2 *de Sacram. p.* 7. *§.* 2. Thomam Waldenſem *tom.* 2. *c.* 113.

3. Quia ſub nomine impoſitionis manuum commodiſſime etiam intelligitur inunctio; nam qui inungit, manus imponit: idque probat ex textu Hebraico: item ex Patribus, qui manus impoſitionem & inunctionem pro eodem ſumunt, ùt S. Cypriano epiſt. 70. & 73. Tertulliano l. 1. contra Marcionem. Et hoc ipſum etiam indicat citatus Canon Innocentii III. de ſacra unctione.

4. Quia familiare eſt ſcripturæ res plures conjungere una tantùm expreſſa. Sic act. 8. & 19. ait Lucas, Apoſtolos baptizâſſe in nomine *Chriſti*, relinquens nobis alias perſonas intelligendas. Et act. 8. dicit, Evnuchum eſſe baptizatum, cùm dixiſſet: *Credo, Filium Dei eſſe JEſum*, tamen non eſt dubitandum, quin de aliis multis fuerit interrogatus Evnuchus.

Accedit, quòd Apoſtoli facilè habere potuerint oleum & balſamum, utpote quòd in Judæa naſcitur: ex his autem conficitur chryſma. Cur ergo hanc materiam Sacramenti à Chriſto ſancitam omiſiſſent Apoſtoli. Aliud eſt de libro Evangeliorum, qui tunc necdum ſcriptus erat: adeóque in ordinatione primorum Diaconorum adhiberi non poterat.

Hoc

44. Hoc certum, quòd confirmatio verè ſit Sacramentum, à Chriſto Domino inſtitutum, prout omni tempore tenuit, tenétque S. Eccleſia, non minùs, quàm baptiſmus, aut Sacramentum Euchariſtiæ: quæ etiam ab Acatholicis agnoſcuntur ùt Sacramenta. Sic S. Auguſtinus l. 2. contra litt. Petiliani c. 104. *Sacramentum Chryſmatis - - in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe baptiſmus.* Et Tertull. de Reſurrectione carnis confirmationem expreſſè inter Sacramenta ponit. Plurimos alios Patres recenſet Bellarminus *tom.* 2. *lib.* 2. *de Sacramento Confirmationis c.* 5. *&* 6.

45. *Editio ſymboli Apoſtolici.* Porro Apoſtoli, antequam Jeroſolymis deſcenderent ad prædicandum gentibus Chriſtum, congregati, ſumma quædam fidei capita ediderant, in 12. articulos *ſymboli Apoſtolici* diviſa, ut ſic unius labii omnes & ubique forent, & dignoſcerentur, qui verè Chriſtum prædicarent.

Quamvis enim de ſymbolo iſto nihil nobis manifeſtè ex ſcriptura conſtet, perpetua tamen traditio ſatis nos de illo docet: inſtruente nos ſolenni illa S. Auguſtini regula, *lib.* 5. *de Bapt. contra Donatiſtas* præſcripta: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum, rectiſſimè creditur.* Atqui tale eſt hoc ſymbolum.

Teſtem locupletem habemus S. Ambroſium, qui epiſt. 7. ad Siricium ait: *Credatur ſymbolo Apoſtolorum, quòd Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit & ſervat.* Uti etiam S. Leonem M. *epiſt* 13. ad Pulcheriam ſic ſcribentem: *Siquidem ipſius Catholici ſymboli brevis & perfecta confeſſio, quæ duodecim Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententiis, tam inſtructa ſit in omni munitione cœleſti &c.*

Epheſinum pariter Oecumenicum Concilium in relatione ad Theodoſium Imperatorem de Neſtorii depoſitione teſtatur, *fidem initio quidem à ſanctis Apoſtolis traditam, poſtea verò à* 318. *in Metropoli Nicæna fuiſſe expoſitam.*

Ex quibus, aliiſque adeò certò in Eccleſia conſtat, hoc ſymbolum verè eſſe ab Apoſtolis editum, ut temerarium omnino foret, contrarium aſſerere.

Neque

Neque obſtat, quod S. Lucas in deſcribendis actibus Apoſtolorum nullam illius mentionem fecerit. Nam multa alia ſunt acta ab Apoſtolis, quorum Lucas non meminit. Neque enim meminit, quot & quales Apoſtoli ſcripſerint epiſtolas, in quas Provincias ſinguli ſint dimiſſi, quas regiones peragrârint ſinguli, quas gentes ſinguli converterint, quales conciones ad populum habuerint, nequidem iter Petri Romanum refert. Sed id ipſi potiſſimùm videtur habuiſſe propoſitum, ut itinera & geſta S. Pauli deſcribat.

Licèt autem hoc ſymbolum verè ſit Apoſtolicum, tamen non eſt pars S. Scripturæ: quia ab Apoſtolis non eſt ſcripto editum, ſed viva voce traditum fidelium memoriæ, teſte S. Hieronymo epiſt. 6. ad Pammachium ſcribente: *Symbolum fidei & ſpei noſtræ, quod ab Apoſtolis traditum, non ſcribitur in charta aut atramento, ſed in tabulis cordis.*

Celeberrima pariter eſt Apoſtolica conſtitutio, quæ refertur in actis Apoſtolorum c. 15. cùm enim Antiochiæ creſceret fidelium numerus, primique ibidem vocarentur *Chriſtiani*, venit pariter eò inimicus homo & ſuperſeminavit zizania, excitata inter eos diſſenſione ex quæſtione, an gentiles converſi tenerentur circumcidi, aliáque legalia obſervare? 46. *Controverſia Antiochena.*

Hoc aſſerebant converſi ex Judæis, præſertim Ebion & Cerinthus, qui ex Judæa Antiochiam delati, conturbarunt Eccleſiam, contendentes, gentiles primùm fieri debere per circumciſionem Judæos, quibus ſolis gratia Meſſiæ ſit promiſſa, & deinde primùm Chriſtianos: Paulo & Barnaba opponentibus, Chriſtianos non teneri ſervare leges ceremoniales Moſaicas.

Controverſia hæc Eccleſiaſtica poſcebat viſibilem Judicem, qui eandem poſſet dirimere. Quare ex utraque parte miſſi Jeroſolymam ad Apoſtolos, qui convenerunt cum ſenioribus *videre de verbo hoc*, anno poſt Chriſti mortem 16.

In hoc Concilio manifeſtè primatum tenuit Petrus, ejusdem Præſes, qui cauſa examinata primus ſententiam definitivam dixit, Chriſtianos non obligari legibus ceremonialibus Moſaicis, cui ſententiæ Jacobus ac totum Concilium acceſſit; reſcriptúmque fuit Antiochenæ Eccleſiæ: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris, quàm* 47. *Concilium Jeroſolymitanum,*

hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine & suffocato &c.

Interfuerunt autem huic Concilio (quod esset norma futurorum) Apostoli seu Episcopi, ut judicarent & definirent (*propter quòd ego judico*) seniores seu presbyteri, ut inquirerent & consultarent (*cùm autem magna conquisitio fieret*) Laici verò ut tacerent & acquiescerent (*tacuit autem omnis multitudo*) quòd deinceps in reliquis Conciliis in praxim ivit.

Circa numerum Apostolorum, qui huic Concilio interfuerunt, inter eruditos est disceptatio. Alii enim volunt, omnes 12. interfuisse. Sed hoc videtur apertè falsum, cùm constet, Jacobum Majorem, fratrem nempe Joannis, jam anno à Christo nato 44. ab Herode fuisse occisum. Concilium autem hoc celebratum est anno 51.

48. *Quinam præsentes.* Alii putant, præter Jacobum omnes Apostolos, jam antè per varias orbis provincias dispersos, Divino instinctu Jerosolymæ convenisse. Sed hoc vix est credibile: cùm fieri vix potuisset, ut ex remotissimis orbis partibus omnes convenirent: nec sacra historia ullam de hoc mentionem facit.

Tertia igitur sententia est, Petrum, Joannem, & Jacobum Minorem Jerosolymæ Episcopum, convenisse: videtur hoc patere ex epistola Pauli ad Galatas, in qua c. 2. narrans, iter suum Jerosolymam ad hoc Concilium, tantùm Petri, Jacobi, & Joannis meminit. Imò c. 1. ait, reliquorum Apostolorum se vidisse neminem.

Quæri hîc posset, cur ea, quæ in hoc Concilio circa abstinentiam, à sanguine & suffocato prohibentur, jam à multis Sæculis non observentur, cùm S. Augustinus lib. 32. contra Faustum dicat, jam suo tempore hoc non fuisse observatum? Quàm faciles nobis est responsio, qui sacra traditione accepimus, præceptum illud tantùm ad prima Ecclesiæ initia pertinuisse, ut faciliùs Judæi, qui magnopere à sanguine edendo abhorrebant, cum gentibus conversis convenirent, tam difficilis videtur esse sectariis, qui traditione contempta, probare non possunt, hoc præceptum Apostolicum, primùm anno Christi 51. editum, fuisse abrogatum: cum abrogatio ista nusquam in Sacra Scriptura reperiatur. Cur ergo farcimina, sanguine infarta, contra hoc tam expressum præceptum, in Sacra Scriptura contentum, comedunt?

S. Lu-

S. Lucas in actis Apoſtolorum præcipuè enarrans geſta Pauli c. 20. refert, quòd, cùm Miletum veniſſet, vocaverit Epheſo Seniores Ecceleſiæ, ipſósque ad vigilem curam Paſtoralem ſit adhortatus: *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam DEI.* Ex quo patet, cujus ſit regere Eccleſiam.

Verùm hic quæſtio ſe offert, quid Paulus intelligat per *Epiſcopos:* Unus enim tantùm erat civitatis Epheſinæ Epiſcopus, nempe *Timotheus?* Reſpondent aliqui, etiam Presbyteros olim ſæpiùs appellatos eſſe *Epiſcopos* ſeu *Inſpectores*, quia una cum Epiſcopis (gradu, dignitate, ordine ac poteſtate ſemper majoribus) invigilabant gregi. Unde idem Paulus ſcribens ad Philippenſes c. 1. ait: *Omnibus Sanctis in Chriſto JESU, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconibus:* ubi per Epiſcopos videtur intelligere Presbyteros, quia non erant plures Philippis Epiſcopi. Verùm S. Irenæus lib. 3. c. 14. expreſſe dicit: *Paulus in Mileto convocatis Epiſcopis & Presbyteris, qui erant ab Epheſo, & à reliquis proximis civitatibus &c.* Quòd etiam Paulus videtur indicare act. 20. v. 30. *Ampliùs non videbitis faciem meam, per quos tranſivi, prædicans regnum DEI:* videlicet, non ſolos Mileti adfuiſſe Epheſios, ſed alios etiam, inter quos plures eſſe potuerunt verè Epiſcopi. 49. *Quid Epiſcopus.*

Et licèt olim nomine Epiſcoporum etiam quandoque fuiſſent comprehenſi Presbyteri, nullatenus tamen ſequitur, quòd poteſtate ordinis aut Juriſdictionis fuerint æquales, ùt hæreſiarchæ Aërius, & Wicleffus aſſerebant. Certum ſiquidem eſt, quòd poteſtas ordinandi Sacerdotes, & conferendi Sacramentum confirmationis tanquam Miniſtris ordinariis, nunquam competierit ſimplicibus Sacerdotibus. Contrarium aſſerentibus Tridentinum S. 23. c. 7. dicit anathema. *Si quis dixerit, Epiſcopus non eſſe presbyteris Superiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent, illis eſſe cum presbyteris communem, anathema ſit.* 50.

51. *Concilium Apoſtolorum Antiochenum ſuppoſititium.*

Quidam cum Baronio, Binio & Turriano cenſent anno Chriſti 57. ab Apoſtolis Antiochiæ celebratum fuiſſe Concilium, in quo novem editi ſint Canones: nempe 1. Ut fideles dicerentur Chriſtiani.

2. Ut baptizati non circumciderentur.
3. Ut nullus excludatur à religione Chriſtiana.
4. Ut Eccleſiaſtici vitent avaritiam.
5. Ut vitent Chriſtiani gulam, ludorum theatra.
6. Ut vitent gentilium mores.
7. Ut ratum ſit præceptum de abſtinentia à ſanguine & ſuffocato.
8. Ut pingatur Chriſti effigies.
9. Ut non admittatur ciborum alius delectus more Judaico.

Verùm hoc Concilium eſſe ſuppoſititium, ex eruditis multi exiſtimant, quia nulla illius in Actis Apoſtolorum mentio, nullumque veſtigium apud veteres ſcriptores Eccleſiaſticos.



APPARATUS ERUDITIONIS AD JURISPRUDENTIAM PRÆSERTIM ECCLESIASTICAM,

in quo reviso, auctoque
Præter Juris Universalis Principia,
JUS NATURÆ, GENTIUM, DIVINUM,
APOSTOLICUM, & PONTIFICIUM, JUS SYNODALE
OECUMENICUM, NATIONALE AC PROVINCIALE,
Unacum
Provinciarum ac Regnorum Ecclesiastico & Politico Statu, Disciplina Ecclesiæ, Hæresibus exortis &c. continua Sæculorum serie ad præsens usque tempus deductum, insertísque in hac præsertim nova editione pro re nata multis observationibus criticis, ac controversiis Juridicis, Publicis, ac Polemicis

METHODO HISTORICO-DOGMATICA

colliguntur, & brevi ac clara Idea delineantur.

In Utilitatem eruditionis amantium, quibus vasta Conciliorum, Decretorum Historiarum &c. volumina perlegendi aut occasio aut tempus deficit.

AUTHORE
P. JOSEPHO BINER, S.J.
SS. Theol. & SS. Canonum Doctore, horúmque in alma Cæsareo Leopoldina Universitate Oenipontana, nunc in celeberrima Episcopali Academia Dilingana, Professore Ordinario ac Publico.

PARS III.

De Jure Synodali Universali.

CUM FACULTATE SUPERIORUM AC PRIVILEGIO CÆSAREO.



Augustæ Vindelicorum & Friburgi Brisgojæ,
Sumptibus Fratrum IGNATII & ANT. WAGNER Bibliop. MDCCLIV.



PARS III.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Eruditum Jurisprudentiæ cultorem non tantùm oportet ſcire Canones & Leges, ſed earum etiam fontes, originem, authoritatem, antiquitatem, totámque Juris Hiſtoriam, cum obſervationibus Dogmaticis ac criticis, hodierno præſertim ſæculo tantopere æſtimatis.

Huc pertinet etiam quàm maximè Jus Synodale, *Decreta nempe & Canones Conciliorum. Ex quibus multi quidem ſunt ſelecti, & corpori Juris ſparſim inſerti, plurimi tamen extra illud in Tomis Conciliorum continentur. Tractaturi itaque de hac materia eruditiſſima, & Jurisconſulto, præſertim Eccleſiaſtico, perquam utili ac neceſſaria, de Jure primùm Synodali in genere diſſeremus, tum verò ad illud explanandum in ſpecie deſcendemus.*

CAPUT I.

De Jure Synodali in Genere.

SUMMARIUM.

QUÆSTIO I.

De neceſſitate & utilitate Conciliorum.

1. *Definitio & diviſio Conciliorum.*
2. *Quamvis non ſint abſolutè neceſſaria,*
3. *Sunt tamen valde utilia, ad tollendas hæreſes, ſchiſmata, & reſtaurandam diſciplinam.*

4. *Atque*

QUÆSTIO I.

De Necessitate & utilitate Conciliorum.

1. Concilium Ecclesiæ definitur, quòd sit Prælatorum Ecclesiæ Congregatio, ad Fidei controversias decidendas, vel schismata tollenda, vel fidelium mores reformandos, à legitimo capite convocata, aut saltem confirmata.

Alia

Alia autem ſunt *Generalia*, ſeu *Oecumenica* vel *Univerſalia:* quæ authoritate ſummi Pontificis per majores ſaltem orbis orthodoxi Provincias indicuntur, ac confirmantur: quibúsque intereſſe poſſunt (ac, niſi legitimè impediantur, etiam debent) omnes Epiſcopi cum jure ſuffragii deciſivi, quod in ultimis Conciliis etiam Abbatibus & Generalibus Ordinum conceſſum eſt, & ſic ex conſuetudine jam introducta iisdem competit.

Talia, hactenus celebrata, numerari ſolent 18. ex quibus Græci Schiſmatici tantùm recipiunt prima ſeptem. Lutherani & Calviniſtæ vel quatuor, vel quinque, vel ſex prima: quia non ſatìs ſciunt, quot habent. Eutychiani tantùm tria prima. Neſtoriani tantùm duo prima. Macedoniani tantùm unum. Ariani & Trinitarii nullum. Prout nimirum cuilibet ſpiritus ſuus privatus & effrænis ſentiendi licentia dictat.

Alia verò Concilia ſunt *Particularia*, eáque vel *Nationalia*, ſeu integræ alicujus Nationis, quibus Patriarcha aliquis aut Primas Regni præſidet, qualia ſunt Concilia plura Romana, ex Italis congregata: Toletana ex Hiſpanis: Carthaginenſia ex Afris.

Vel ſunt *Provincialia*, ex Epiſcopis alicujus Metropolitani aut Archi-Epiſcopi Provincia collecta: qualia olim pro ſingulis annis fuerunt præſcripta; his præeſt Metropolitanus, aut Archi-Epiſcopus.

Vel denique ſunt *Diœceſana*, ab Epiſcopo cum Clero ſibi ſubjecto inſtituta, in quibus tamen ſolus Epiſcopus habet ſuffragium deciſivum: Clerus verò tantùm conſultivum.

Quamvis autem Pontifex; etiam extra Concilium, in decidendis quæſtionibus fidei ſit infallibilis, tanquam conſtitutus à Chriſto Judex omnium controverſiarum, quæ circa fidei & morum doctrinam moventur, eíque tanquam Eccleſiæ capiti ac Chriſti Vicario obtemperare debeat fraternitas univerſa, ùt loquitur S. Cyprianus *lib.* 1. *epiſt.* 3. atque ſic non abſolutè & ſimpliciter ſint neceſſaria Concilia, præſertim generalia, utpote ſinè quibus primis trecentis annis benè eſt gubernata Eccleſia, licèt multæ hæreſes, ſchiſmata, vitia & abuſus contra illam inſurgerent. 2. *Quamvis Concilia non ſint abſolutè neceſſaria.*

Nihilominus tamen Concilia Eccleſiæ valde eſſe utilia, nemo erit, qui eat inficias. Quid enim ad hæreſes opprimendas atque extirpandas opportunius unquam exiſtimatum, quàm univerſale Concilium? Unde contra hæreſin Arianam, latè ſe diffundentem, inſtituta Nicææ in Bithinia prima ſynodus Oecumenica: contra Macedonianam ſecunda Conſtantinopoli: contra Neſtorianam tertia Epheſi: contra Eutychianam quarta Chalcedone: contra hæreſin Origenis quinta Conſtantinopoli: ibidémque ſexta contra Monothelitarum errorem, per magna, etiam Patriarcharum, capita graſſantem: contra Iconoclaſtas tumultuantes ſeptima Epheſi: ſíc- 3. *Sunt tamen valde utilia* *Ad tollendas hæreſes.*

que aliis etiam hæresibus Concilia, tanquam utilissimum medium, sunt opposita.

Schismata, Neque utilius quidquam ad tollenda schismata. Sic synodus octava, decima, decima tertia, decima quarta, decima sexta, decima septima, Constantiensis aliæque temporibus Damasi, Symmachi, Cornelii, Sixti III. Leonis III. &c. contra diversa schismata sunt celebratæ.

Restaurandam disciplinam. Sed neque aliud efficacius remedium ad extirpandos abusus & vitia, atque ad labescentem Ecclesiasticam disciplinam restituendam. Hinc enim tot saluberrima decreta descendunt ex synodis illis generalibus Lateranensibus, præcipuè sub Alexandro III. & Innocentio III. Romæ institutis, uti etiam ex utroque Lugdunensi, & Viennensi, quorum plura in corpus juris Canonici sunt illata.

4. *Et quidem suavius & efficaciùs.* Licèt enim hæc omnia remedia Ecclesiæ afferre posset summus Pontifex, cui cum clavibus regni cœlorum amplissimam potestatem ligandi ac solvendi, atque adeò supremam jurisdictionem, à solo Christo dependentem, concessam novimus; suaviori tamen non raro atque efficaciore ratione proceditur, si omnes undique Christiani populi videant, etiam Episcopos suos, in partem sollicitudinis vocatos, omnémque universim per eos Ecclesiam cum capite suo, Romano Pontifice, consentire. Quo sanè pacto fit, ut Ecclesiæ leges atque decreta, sive ad fidei doctrinam illa pertineant, sive ad morum disciplinam, certiùs ac promptiùs per provincias innotescant, & apud fideles in usum & praxin eant, obstructo iis etiam ore, qui per hæresin Pontificem non agnoscunt, aut per schisma obedientiam eidem detrectant, aut per nescio quam sentiendi libertatem infra Concilii generalis authoritatem eum deprimunt.

5. *Etiam particularia ad hoc sunt utilia.* Quia autem difficile omnino est, generales orbis terrarum cœtus colligere, tum propter locorum distantiam, itinerum molestias, sumptuum magnitudinem, aut Principum sæcularium bella ac dissensiones, tum propter alias difficultates, hisce præsertim temporibus, quibus orbis in tot potestates est divisus, quásque nimium quantùm expertum est Concilium Generale ultimum; ideò plurima particularia, in Europa, Asia, & Africa sunt instituta Concilia, tum ad sanciendam conservandámque disciplinam ecclesiasticam, tum etiam ad condemnandas hæreses notorias & apertas: prout hæresin Pauli Samosateni à Synodo Antiochena condemnatam annales referunt. Convenerant enim Patres ad depellendum lupum apertum ab ovili Christi.

Atque hac ratione Romanus etiam Pontifex majores Ecclesiæ causas adhibito Concilio, magno vel parvo, solet expedire. Quid enim aliud sunt tot Romanæ Cardinalium atque Episcoporum Congregationes, ac perpetua assistentia, quàm Concilia quædam, unita Christi Vicario, quæ diligenti

genti examine, maturóque judicio causis discussis, placita sua ultimatæ Pontificis sententiæ submittunt.

6. *Patet in damnatione hæresis Jansenianæ.*

Sic enim non tantùm priscis temporibus plures circa fidem controversias compositas, sed novissimè etiam hæresin Jansenianam à Sede Apostolica condemnatam vidimus: quam sententiam tanquam Ecclesiæ definitionem infallibilem veri fideles agnoscunt venerantúrque.

Atque ex his licet colligere, quid respondendum, & quomodo conciliandæ variæ Patrum sententiæ, dum aliqui Conciliorum necessitatem adstruere, alii verò eandem videntur negare. Nam negant necessitatem absolutam, adstruunt verò necessitatem *secundùm quid*, ùt loquimur in scholis, vel ad summum necessitatem aliquam moralem, ut suaviùs ad quorumdam hominum genium, & efficaciùs afferatur remedium. Qua de causa ipsi etiam Apostoli, licèt seorsim controversias exortas Antiochiæ de legalibus potuissent dirimere, in cœtum tamen aliquoties se collegerunt, ne viderentur præterire medium ordinarium, ab ipso Christo insinuatum, dum dixit, ubi duo vel tres in suo nomine sint congregati, ibi se esse in medio eorum. Quo deinde medio ordinario semper in Ecclesia usi sunt Romani Pontifices, qui nullam unquam hæresin damnârunt absque omni Concilio, magno vel parvo, optimè gnari, adhibito plurium Concilio & consilio rectissimè gubernari Ecclesiam, ne Pontifex temerè & absque sufficienti deliberatione infirmioribus videatur procedere.

QUÆSTIO II.

Ad quem pertineat Jus convocandi Concilia generalia?

Certum est Concilia Diœcesana convocanda esse ab Episcopo, Provincialia ab Archiepiscopo, Nationalia à Patriarcha vel Primate; de Conciliis autem generalibus controversia est inter Catholicos & Sectarios hujus temporis. Nam isti sicut Ecclesiasticum Regimen, ita etiam jus convocandi Concilia, tribuunt Principi sæculari, ac præsertim Imperatori. Hinc inter alios prætextus, cur ad Concilium Tridentinum, licèt sæpiùs invitati, non venerint, fuit etiam hic, quòd non fuerit indictum ab Imperatore: ideòque non recipiendum clamat Carolus Molinæus. 7.

Papa convocat Concilia.

Catholici verò tenent, jus indicendi Concilia generalia spectare ad summum Pontificem: sufficere tamen, si alius indicat cum ejus consensu, vel approbatione, vel subsequente confirmatione: alioquin non esse legitimum Concilium, sed conciliabulum. *Can.* 1. 2. & 5. *dist.* 17. S. Thomas 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. Nam Christus Petrum jussit oves suas pascere. Pastoris autem est oves congregare, non autem ovium congregare pastores. Deinde solus Pontifex in rebus Ecclesiasticis est superior omnium Christianorum totiúsque Ecclesiæ, non verò ullus Imperator aut Rex, quorum

Poteſtas etiam temporalis unius vel alterius nationis finibus circumſcribitur. Unde extera regna non agnoſcerent Imperatoris mandata. Cúmque Proteſtantes fateantur, Epiſcopi eſſe convocare ad Concilium Diœceſanum, & Archi Epiſcopi ad Provinciale: concedere etiam oportet, ſummi Pontificis eſſe indicere Concilia generalia.

ùt conſtat ex ipſis Conciliis. Neque alia unquam fuit in Eccleſia perſuaſio. Canon ſiquidem habetur antiquiſſimus, quo ſtatuitur absque conſenſu Romani Pontificis non poſſe Concilia celebrari: quem renovavit Concilium Nicænum I. ùt teſtatur ſynodus Alexandrina in epiſtola ad Felicem, & Julius I. in epiſtola ad Epiſcopos Antiochenos, cujus meminit Socrates *l.* 2. *c.* 13. ubi teſtatur, Julium ſcripſiſſe Antiochenis, Canonem Eccleſiaſticum vetare, ne decreta absque ſententia Romani Epiſcopi Eccleſiis ſanciantur. Idem teſtatur Sozomenus *l.* 3. *c.* 9. ſcripſiſſe nempe Julium I. ad Epiſcopos Orientales, qui Antiochiæ ad Concilium convenerant, eos contra Concilium Nicænum res novas moliri: *Nam legem eſſe, quæ pronuntiat, acta illa irrita eſſe, quæ præter ſententiam Romani Epiſcopi conſtituuntur.* Unde etiam *Can.* 2. *diſt.* 17. dicitur ex eodem Julio Pontifice ad orientales Epiſcopos, Antiochiæ contra S. Athanaſium congregatos, ſcribente, juxta Canones ſinè authoritate Romanæ Eccleſiæ Concilia fieri non debere: nec ullum ratum eſſe Concilium, quod ejus auctoritate non fulcitur.

Rurſus: in Concilio Chalcedonenſi act. 1. Dioſcoro Patriarchæ Alexandrino prohibitum fuit ſedere inter Epiſcopos, eò quòd ſynodum (nempe Epheſinam ſecundam) facere auſus eſſet ſinè auctoritate Apoſtolicæ Sedis. *Quod* (inquit) *nunquam licuit, nunquam factum eſt.* In ſynodo verò ſeptima generali act. 6. irritum declaratum fuit Concilium, quod ſinè conſenſu Romani Pontificis Imperator indixit Conſtantinopoli.

Idem ſenſus erat Patrum in Concilio Romano IV. ſub Symmacho; in quo cùm Theodoricus Rex dixiſſet, ſe convocâſſe ſynodum ad judicandum in cauſa Symmachi Papæ, reſponderunt omnes Epiſcopi, à Papa non à Rege convocari ſynodum, etiamſi Papa accuſaretur: nec priùs acquieverunt, quàm Rex litteras Papæ oſtenderet, ſe ex voluntate ejusdem Papæ ſynodum convocâſſe, ipséque Pontifex præſens hoc teſtaretur *c.* 6. *diſt.* 16. *cum gloſſa.* Adeò nempe perſuaſum toti antiquitati fuit, nullum legitimum celebrari Concilium, niſi Pontificis auctoritas interveniat.

Hoc ipſum teſtantur antiqui Pontifices, ùt Leo I. in epiſt. ad Turibium: Pelagius II. in epiſt. ad Orientales cap. 1. in qua ſcribit: *Generalium ſynodorum convocandi authoritas Apoſtolicæ Sedi B. Petri ſingulari Privilegio tradita eſt.* Canone verò 5. diſt. 17. ex eadem epiſtola Pelagii ſi[c] habe[tur]

habetur: *Multis denuo Apostolicis & Canonicis atque Ecclesiasticis regulis instruimur, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.*

Imò neque Imperatores hanc adultionem probarunt: Sic, cùm Valentinianus rogaretur ab Episcopis quibusdam, ùt permitteret eis Concilium celebrare, teste Sozomeno l. 6 c. 7. respondit: *Mihi, qui sum in sorte plebis, fas non est, talia curiosius perscrutari: Sacerdotes, quibus ista curæ sunt, quocunque voluerint, loco conveniant.* *Et ipsis Imperatoribus faventibus.*

Denique de hoc argumento est tota distinctio 17. in decreto Gratiani, in qua præter allegatas jam auctoritates, citatur etiam can. 1. epistola Marcelli Papæ ad Maxentium, item testimonium Symmachi Papæ, Gregorii &c.

Cæterum apud Catholicos hæc res certa est, utpote definita in Concilio Laternaensi generali sub Leone X. sess. 11. ubi asseritur, Romani Pontificis esse, Concilia generalia indicere. Duos tantummodo casus excipiemus, in quibus Cardinales & Episcopi, etiam invito Romano Pontifice, se possent in Concilio congregare: nempe in casu, quo Papa laberetur in hæresin, & quo dubium esset, quis sit legitimus Pontifex. In his igitur casibus possent Episcopi Ecclesiæ de capite providere, non tamen articulos fidei definire, aut de aliis gravioribus causis statuere, cùm ejusmodi Concilium imperfectum esset. Bellarm. *lib.* 1. *de Concil. c.* 14. *ad* 2. nisi postea illa definitio confirmaretur à Papa, ùt factum in Concilio Constantiensi à Martino V.

Verum equidem est, Imperatores non rarò in convocandis Conciliis generalibus suam junxisse operam: semper tamen simul intervenit auctoritas Romani Pontificis, aut consentientis, aut approbantis, aut confirmantis. Sic Nicænum I. convocasse Sylvestrum & Constantinum, habetur in 6. synodo act. 18. & Damasus testatur in Pontificali, Concilium in Nicæa esse habitum cum consensu Sylvestri: qui etiam legatos suos ad illud misit. Constantinopolitanum primum indictum fuit per litteras Damasi Papæ, quas Imperator Theodosius ad Episcopos misit, ùt constat ex Theodoreto *lib.* 5. *Hist. Eccles. cap.* 9. Ephesina synodus indicta fuit authoritate Cœlestini Papæ ope S. Cyrilli ejus Legati: ùt colligitur ex chronico Prosperi, & historia Evagri *l.* 1. *c.* 4. Chalcedonensis convocata est authoritate Pontificis Leonis per Martianum Imperatorem, qui Leonem per epistolam rogaverat, ut Concilium statuat, eique præsit. Extat hæc epistola Imperatoris ante Concilium Chalcedonense. 8. *Qui operam & auxilium præstant,*

Quamvis ergo dicatur, quatuor ista Concilia ab Imperatoribus esse convocata, tamen id semper authoritate & consensu Pontificis factum est.

De

De reliquis verò Conciliis generalibus ipsi protestantes fatentur, indicta & convocata illa esse authoritate Pontificum Romanorum.

Plures autem causæ erant, cur intervenerit Imperatorum consensus: nam vigebat adhuc lex prohibens collegia, & frequentes hominum cœtus absque Imperatoris authoritate. Deinde, quia illis temporibus Episcopi conveniebant potissimùm sumptibus publicis, & quidem in civitatibus Imperatoris, decebat utique, ut ejus consensus requireretur, ejusque auxilium & protectio contra violentiam Gentilium, Hæreticorum & Schismaticorum imploraretur, ut Concilium sit liberum & securum.

QUÆSTIO III.

Ad quem pertineat Jus præsidendi Conciliis Generalibus?

9. *Sententia Protestantium.* Protestantes sicut jus convocandi Concilia tribuunt Imperatori, ita etiam jus eisdem præsidendi, vel per se ipsum vel per suos legatos, illaque gubernandi; vel certè hoc jus deferunt seniori ex Patriarchis, aut Episcopo loci. Atque imprimis afferunt varia Concilia particularia, ùt Aquileiense, Constantinopolitanum sub Menna, Carthaginensia &c. quibus Episcopus Romanus nec per se, nec per legatos præfuerit. Verùm hoc argumentum saltat extra rhombum: non enim hic quæstio est de Conciliis particularibus: fatemurque ultro, his præsidendi jus vel Episcopo, vel Archiepiscopo, vel Primati aut Patriarchæ competere. Deinde afferunt nomine Conciliorum quædam Conciliabula, ab Ecclesia semper rejecta, ùt Ephesinum secundum, cui Dioscorus præsedit. Sed etiam de his fatemur, eis non præsidere Pontificem, sed alium quemdam.

10. *Præsidet Papa.* Quoad Concilia verò generalia negamus, alium eis præsidere, quàm summum Pontificem oportere; quia ipsi commissa est cura ovium Christi *Joan.* 21. ac claves regni cœlorum traditæ. *Matth.* 16. & hac potestate, à Christo data, jam usus est S. Petrus in Concilio Apostolico *act.* 15. nam ipse in eo proposuit quæstionem, illamque primus definivit, quem deinde secuti sunt Jacobus ac reliqui: quare meritò S. Hieronymus in Epistola ad Augustinum affirmat, Petrum illi Concilio præsedisse. Unde etiam Concilia, Episcopi, & Principes sæculares Pontificem, tanquam Pastorem universæ Ecclesiæ, vocant Patrem, ùt constat ex epistola Concilii Chalcedonensis ad Leonem Papam, in qua Episcopi congregati se filios appellant, & Pontificem rogant, ut decretis suis eorum judicia confirmet. Quis autem dubitet, an Pater filiis, Pastor ovibus præesse debeat? Atque hinc Patres, ùt Athanasius in 2. *apolog.* & in *Epist. ad solitariam vitam agentes*, reprehendunt Constantium, Imperatorem Arianum, quòd in Concilio præesse voluerit.

Neque

Neque aliud unquam in Conciliis generalibus usu ipso est observatum. Nam, quòd Romanus Pontifex ultimis decem Conciliis, quæ in occidente sunt habita, præfuerit, neque Protestantes diffitentur. Quòd autem etiam in octo orientalibus id factum sit, patet ex eo, quòd in primo Nicæno non præsederit Imperator, ùt voluit Brentius: nam Constantinus non tantùm sedit loco humiliore, sed etiam ultimus omnium subscripsit, ùt testatur Basilius Imperator in fine octavæ synodi: fassusque est, se debere ab Episcopis judicari. *Ruffinus lib.* 10. *c.* 2. Ambrosius *epist.* 32. *Id semper observatum.*

Præfuerunt igitur illi Concilio Hosius Cordubensis Episcopus, Vitus & Vincentius, Sylvestri Papæ Legati; nam hi tres primi omnium subscripserunt, etiam ante Patriarchas, testatúrque S. Athanasius in *epist. ad solitar. vitam agentes*, Hosium principem fuisse ejus Concilii, ac symbolum Nicænum composuisse.

Ex quo patet, quàm falsò scripserint Centuriatores Magdeburgici, in Nicæno præsedisse Eustathium, Patriarcham Antiochenum, qui tamen ne quidem inter primos subscripsit. Adhuc evidentius falsa est opinio Calvini, quòd Athanasius præsederit: qui tunc necdum erat presbyter; & tantùm Diaconus comitatus est Alexandrum Patriarcham Alexandrinum: unde ne quidem subscripsit.

In secunda generali Synodo, quam ex duabus coaluisse diximus, Romæ præsedit Damasus Papa, Constantinopoli verò Nectarius, Patriarcha. Imperator verò Theodosius tantùm misit ad Episcopos litteras Damasi, quibus ad Concilium convocabantur. Theodoretus *lib.* 5 *c.* 9 *&* 10.

In tertia, Ephesi habita, præsedit Cœlestinus Papa per Cyrillum, Legatum suum, ùt testantur Niceph. *l.* 14. *c.* 38. Evagrius *l.* 1. *c.* 4. Photius in *lib. de septem synodis* &c. Prosper in chron. ubi scribit, Nestorio præcipuè restitisse Cyrilli industriam, & Cœlestini auctoritatem. Imperator verò Theodosius Junior misit ad Concilium Candidianum Comitem, non ut se misceret quæstionibus Ecclesiasticis, sed ad synodi defensionem, ùt ipse Theodosius scribit in epistola ad Concilium; quæ habetur in actis Concilii Ephesini.

In Chalcedonensi in sexta actione præsens quidem fuit Imperator Martianus, seditque primo loco, sed non ut Judex controversiarum, verùm ut fidem à Patribus explicatam ope & authoritate defendat, ut firma sit: prout ipse testatur in oratione ad synodum habita, quæ extat actione 6 ad reliquas actiones reliquit Legatos ad defensionem Concilii; ne sicut in prædatorio conciliabulo Ephesino, ubi Dioscorus per milites Episcopos coëgit subscribere, vi, metu ac tumultu res ageretur. Nunquam tamen aut Imperator, aut ejus Vicarii definitivam sententiam dixerunt, II. *ùt constat inductione.*

neque ſubſcripſerunt Vicarii (Imperator verò ultimo loco, ùt conſentiens) ſed in omnibus Patrum ſententiis acquieverunt.

Præfuerunt autem huic Concilio Paſchaſinus & Lucentius, Legati Papæ Leonis I. qui quoad ſeſſionem, ſententiam dicendam, & ſubſcriptionem ubique primum locum tenuerunt, & *act.* 3. nomine Leonis univerſalis Eccleſiæ capitis Dioſcorum depoſuerunt, conſentiente Concilio, ac inhærente Leonis epiſtolæ.

In quinta generali præſedit quidem Eutychius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui tamen apertè confeſſus eſt primatum Vigilii Papæ, ùt patet ex ejus epiſtola ad Vigilium data, in qua ait: *Petimus, præſidente nobis Veſtra Beatitudine, de tribus capitulis quæri & conferri.* Zonaras etiam in vita Juſtiniani Vigilium Papam vocat *Principem* hujus Concilii. Neque Eutychius quidquam in Concilio definiri paſſus eſt, niſi lectis priùs litteris, & ſententia Papæ. Annatus *in appar. l.* 5. *ſect.* 1. *art.* 3.

In ſexta Præſides fuerunt Legati Agathonis Papæ, in omnibus actionibus habentes primatum; ùt conſtat ex actis Concilii, & ex Zonara in vita Conſtantini IV. Imperatoris; qui quidem interfuit Concilio, primóque loco ſedit, ſed non ùt Judex: nam nullam ſententiam tulit, & ultimus ſubſcripſit, non definiens, ſed conſentiens.

In ſeptima & octava abſque omni controverſia Præſides fuerunt Legati Apoſtolicæ Sedis: in illa quidem Adriani I. in hac verò Adriani II. nam ubique primi nominantur, primi dicunt ſententiam, primi ſubſcribunt. In ſeptima nullus legitur adfuiſſe Imperator: in octava ſub finem adfuit quidem Imperator Baſilius, ſed apertè teſtatus eſt, non eſſe ſuum ſe immiſcere Eccleſiaſticis judiciis; ùt conſtat ex ejus oratione, quam in Concilio habuit. Subſcripſit poſt Patriarchas ante Epiſcopos, profeſſus tamen debuiſſe ſe Conſtantini, Theodoſii & Martiani exemplo poſt omnes Epiſcopos ſubſcribere, niſi iſti hunc honorem ei detuliſſent.

12. *Argumenta Acatholicorum.* Opponunt quidem Proteſtantes cum Brentio exempla aliqua ex teſtamento veteri, ùt Moyſis, Joſue, Davidis, Salomonis, Ezechiæ, Joſiæ &c. qui non raró leguntur eccleſiaſtica negotia Religionis tractaſſe; cúmque Principi ſæculari commiſſa ſit cuſtodia legum, Eccleſiæ curam ad eos præcipue ſpectare. Sed reſpondetur, Moyſen non tantùm ducem populi, ſed etiam Sacerdotem ſummum fuiſſe. Reliqui autem aliqua quandoque, quæ ad ſacerdotes aliàs ex officio ſpectabant, agebant authoritate extraordinaria, à Deo conceſſa, non tam ùt Regibus, quàm ùt Prophetis, ùt oſtendit Bellarminus *lib.* 1. *de Romano Pontifice cap.* 7. cuſtodes autem legum ſunt Principes, etiam Divinarum: quia ipſorum eſt edictis & pœnis coërcere blaſphemias, ſacrilegia, hæreſes &c. Quænam autem

ſin

sint hæreses, aut quæ fides orthodoxa, ad sedem Apostolicam & Episcopos pertinet docere.

Sed instant, contingere posse, ut ipse Papa in Concilio sit accusandus: tunc autem non convenire, ùt ipse indicat Concilium, eique præsit: cùm nemo debeat simul esse pars & Judex, sed respondetur, Pontificem non posse privari Jure suo jam per 1700. annos possesso. Nec Princeps supremus desinit esse Judex, licèt cum ipso litigetur. Unde etiam à Principe malè informato ad eundem meliùs informandum appellari nonnunquam solet.

Fuítque hoc in more positum ab antiquissimis temporibus in Ecclesia, ut Pontifex, cùm accusaretur de crimine, partes rei & Judicis simul ageret. Sic in causa Marcellini (si tamen historia de ejus lapsu, & synodo Sinuessana subsistat: de quo Critici multùm disputant) Concilium unanimi voce dixit, eum non posse ab ullo damnari, sed ipsum debere suum esse Judicem; ùt refertur in epistola Nicolai I. ad Michaëlem Imperatorem. Idem contigit in causa Sixti III. de adulterio accusati: item in causa Symmachi: ubi Episcopi Theodorico Regi apertè dixerunt, Concilium non potuisse ab alio indici, quàm à Pontifice, licèt ipse accusetur. Rursus Alexander Patriarcha Alexandrinus litigabat cum Ario, Cyrillus cum Nestorio, Leo I. cum Dioscoro, & tamen fuerunt Judices in Conciliis, Nicæno, Ephesino, & Chalcedonensi. Cæterum aliàs diximus, si Episcopi in Concilio Papam convincere possent de hæresi, posse eum ab illis deponi, aut depositum declarari: uti etiam possunt providere Ecclesiæ de certo capite, quando plures se gerunt pro Pontificibus, & dubium est in Ecclesia, quis eorum sit verus Papa, ùt contigit in Concilio Constantiensi.

13. *Quid si Papa accusetur?*

QUÆSTIO IV.

Quinam vocandi sint ad Concilium generale?

Respond. Regulariter vocandi sunt omnes totius orbis Episcopi, qui actualem habent jurisdictionem in Diœcesin sibi subjectam, ita, ut nullus positivè excludi possit (nisi sit excommunicatus) quia ad eos pertinet regere Ecclesiam Dei. *act.* 20. adeóque omnes gaudent jure suffragii decisivi. 14. *Omnes Episcopi.*

Sufficit tamen, ut ex diversis Provinciis compareant, & absolutè multi intersint. Nam in orientalibus Conciliis pauci ex occidentalibus comparuerunt, & in occidentalibus pauci ex orientalibus.

Episcopos tamen suffraganeos aut titulares non est necesse vocari: quia carent actuali jurisdictione. Possunt tamen vocari cum jure suffragii.

Cardinales, etiam non Episcopi, vocantur ex privilegio, vel consuetudine: uti etiam Generales Ordinum, & Abbates, habentes jurisdictionem, ab Episcopo exemptam.

Præter istos vocari etiam, aut ab Episcopis mitti solent docti Theologi, Jurisconsulti, quandoque etiam Laici; qui tamen omnes tantùm habent votum consultivum, dum tantùm discutiendis rebus, & examinandis adhibentur. Adesse solent etiam quidam tanquam ministri, qui videlicet neque decisivum neque consultivum votum habent in Concilio, sed ministerium tantùm aliquod in eodem exercent, ùt Notarii, Scribæ &c.

Alii denique intersunt, ùt Concilii defensores, caventes, ut omnia in eo pacatè fiant, nec quisquam violentiam ullam exerceat, ùt Principes, aut eorum Legati.

15. *Acatholicorum opinio* Huic doctrinæ se rursus opponunt Protestantes. Nam Lutherus vult, ex omni hominum genere viros doctos, etiam laicos habere in Concilio jus suffragii decisivi: Brentius verò & Calvinistæ hoc jus solis electis tribuunt: eò quòd soli ad Ecclesiam pertineant. Alii denique contendunt, omnes Parochos de jure esse vocandos.

Confutatur. Verùm contra errorem Lutheranorum est, quòd Episcopis commissum sit à Deo regimen Ecclesiæ: sic enim *act.* 20. dicitur: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Et hinc in primis Ecclesiæ Conciliis, quæ etiam ab illis ùt legitima agnoscuntur, soli Episcopi tanquam Judices, & definientes subscripserunt, & quidem hac formula: *Ego N. N. Episcopus definiens subscripsi.* Quia nempe, ùt S. Cyprianus scribit ad Jubaianum, *Ecclesia* (& Consequenter etiam Concilium, Ecclesiam repræsentans) *est in Episcopo.* Unde celebre illud Concilii Chalcedonensis effatum: *Mitte foras superfluos, Concilium Episcoporum est.* Ergo de jure ordinario soli Episcopi ad Concilium sunt vocandi.

Confirmatur authoritate SS. Patrum, qui docent, non ad quosvis, sed ad Episcopos pertinere in Conciliis judicare, ùt S. Cyprianus in *epist. ad Julianum:* Hilarius *lib. de synodis:* Hieronymus *lib.* 2. *apol. contra Ruffinum:* Ambrosius *epist.* 32. Augustinus *epist.* 119. Leo *epist.* 16. Ruffinus *lib.* 10. *Hist. c.* 1. Unde etiam Eusebius *lib.* 5. *Hist. cap.* 23. de primis post tempora Apostolorum celebratis Conciliis tempore Victoris Papæ super quæstione de paschate celebrando scribit, conventus Episcoporum per quasvis provincias esse convocatos. Et Theodosius Junior in epist. ad Ephesinam synodum, quæ habetur in actis ejusdem Concilii, ait, illicitum esse, eum, qui non est in ordine Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus.

Et

Et ratio ulterior eſt: quia, ut quis in Concilio jure ordinario tanquam Judex damnet hæreſes ac hæreticos, aut condat Canones pro reformanda morum diſciplina, aut de Epiſcoporum aliorúmque Eccleſiaſticorum cauſis judicet, eósque condemnet vel abſolvat, requiritur jurisdictio ſpiritualis pro foro externo. Atqui ſoli Epiſcopi habent talem jurisdictionem, non verò alii docti, Parochi, aut Laici, cujuscunque ſint dignitatis. Ergo ſoli Epiſcopi jure ordinario poſſunt eſſe Judices.

Accedit, quòd Concilium repræſentet Eccleſiam. Ergo ſoli vocandi, qui Eccleſiam repræſentant. Hi autem ſunt Epiſcopi: nam ùt ex S. Cypriano notavimus, *Eccleſia eſt in Epiſcopo.* Ergo hi ſoli jure ordinario ſunt vocandi. Confir. Sicut in comitiis Imperii Imperator tanquam caput unà cum Statibus repræſentat totum Imperium, quin omnes cives aut omnia membra Imperii ad comitia vocari debeant, aut votum ab iis peti; ſic in Conciliis tanquam comitiis eccleſiaſticis ſummus Pontifex tanquam caput Eccleſiæ, unà cum Epiſcopis (quorum quilibet gerit perſonam ſuæ Eccleſiæ) repræſentat Eccleſiam. Unde S. Auguſtinus *lib.* 1. *de baptiſmo* conſenſum 318. Epiſcoporum, in primo Concilio Nicæno congregatorum, vocat *conſenſum totius Eccleſiæ.* Et Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini Concilium eorundem Epiſcoporum appellat *Conventum orbis terrarum.* Conſequenter hi jure ordinario, hoc eſt, ex officio proprio, tanquam repræſentantes Eccleſiam interſunt Concilio generali tanquam Judices ordinarii.

Cardinales verò, qui non ſunt Epiſcopi, vocantur ex conſuetudine & privilegio, uti etiam Abbates exempti, & Generales Ordinum. Ratio eſt, quia Cardinales habent jurisdictionem Epiſcopalem in Eccleſiis ſui tituli, & ſunt collaterales ſummi Pontificis, ejúsque conſiliarii & adjutores in regimine Eccleſiæ, majoréſque dignitate ipſis Epiſcopis. Abbates verò exempti & Generales ordinum in ſuos ſubditos Religioſos habent jurisdictionem quaſi Epiſcopalem. Adeóque cùm ab Epiſcopo non omnimodè repræſententur, eò quòd ab eo ſint exempti, vocandi ſunt etiam ad Concilium generale, utpote quod eſt repræſentatio totius Eccleſiæ; adeóque etiam ſubditi horum Prælatorum debent repræſentari.

16. *An & quo jure vocandi Cardinales.*

Putat quidem Suarez *D.* 9. *de Concil. ſect.* 1. *n.* 7. Cardinales ſaltem, etiam jure ordinario eſſe vocandos: quia habent jurisdictionem Epiſcopalem. Verùm quia iſtam habent tantùm ex privilegio & conſuetudine (ſicut etiam Prælati Regulares) non videtur dici poſſe, eos *jure ordinario* eſſe vocandos. Hinc ad antiqua Concilia neque Cardinales, neque Prælati Regulares debebant vocari: quia ſcilicet nec illi jurisdictionem, nec iſti exemptionem per privilegium adhuc obtinuerant.

Respondetur argumentis Protestantium.

17. *Argumenta Protestantium.* Objicitur à Protestantibus in libro, cui titulus: *Causa, cur Electores, & cæteri Confessioni Augustanæ addicti ad Concilium Tridentinum non accedant.* 1. Causam communem omnibus communibus omnium votis esse tractandam: cum ergo causa fidei ac morum disciplinæ sit omnibus communis, omnium, etiam laicorum, suffragiis esse judicandam. Hinc *dist.* 96. *ex epistola Nicolai I. ad Michaëlem Imper. Can. ubinam* 4. dicitur: Ubinam legistis Imperatores synodalibus conventibus interfuisse, nisi fortè in quibusdam, ubi de fide tractatum est, quæ ad omnes pertinet Christianos? Resp. Sicut causa belli à toto exercitu est tractanda, non tamen ab omnibus eodem modo, sed aliter à Ducibus, aliter à speculatoribus, aliter à militibus gregariis, aliter ab aliis, ita etiam fidei causa tractatur ab omnibus; ab Episcopis quidem ùt Judicibus definientibus, à Doctis, qui non sunt Episcopi, ùt inquirentibus, disputantibus & consulentibus, ab aliis verò ùt audientibus, acquiescentibu & exequentibus Unde Theodosius Imperator ad synodum Ephesinam sic scripsit: *Candidianum Comitem ad sacram vestram synodum abire jussimus, sed ea lege & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat (nefas est enim, qui catalogo sanctissimorum Episcoporum adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus se immiscere) verùm ut Monachos & sæculares submoveat* &c. tom 3. Concil. edit. Venetæ pag. 990.

18. *Non debent convocari omnes Laici,* Objiciunt 2. Conciliorum omnium norma debet esse Concilium Apostolorum super quæstione de legalium cessatione Jerosolymis habitum. Atqui huic Concilio non tantùm interfuerunt Apostoli, sed etiam Presbyteri: nam *convenerunt Apostoli & seniores videre de verbo hoc. act.* 15. Imò etiam Laici dederunt suffragium: nam *tunc placuit Apostolis & senioribus cum omni Ecclesia.* ibid.

Neque omnes Clerici. Resp. Licèt illi Concilio interfuissent etiam Laici, nullatenus tamen probatur, eos dedisse votum decisivum tanquam Judices: nam ex eo, quòd omnibus placuerit, non sequitur, quòd omnibus eodem modo placuerit, sed Apostolis, ùt definientibus, Presbyteris, ùt disquirentibus, juxta illud: *cùm magna disquisitio fieret,* Laicis verò, ùt acquiescentibus & obedientibus definitioni Apostolorum. Hoc ita contigisse, confirmatur ex consuetudine & usu antiquissimo in Conciliis, etiam primis, observato, qui est optimus scripturarum interpres. Deinde postquam Petrus in Concilio illo Apostolico dixit sententiam, subditur: *tacuit autem omnis multitudo:* & cùm Jacobus accessisset sententiæ Petri, omnes acquieverunt.

Cæte-

Cæterùm licèt in illa ſynodo omnes etiam Presbyteri & Laici eſſent congregati (quod tamen eſt incredibile, quis enim credat, omnes Laicos adfuiiſſe) non tamen hoc fieri potuiſſet in poſterioribus Conciliis, aucto jam iin immenſum fidelium numero. Quid enim, ſi omnes Parochos totius orbis oporteret convocare? quomodo hoc eſſet poſſibile? quis tam innumerabilem turbam poſſet regere? certè ſic Concilia generalia fierent omniino impoſſibilia: vix enim nunc poſſibile eſt, omnes Epiſcopos congregare.

Deinde ſic Princeps, in cujus provincia celebratur Concilium, facilè definire poſſet, quidquid vellet: poſſet enim ingentem turbam ſuæ provinciæ introducere in Concilium, quod alii Principes, longiùs diſſiti, non poſſent.

Objiciunt 3. Sæpiùs coram populo tanquam Judice controverſiæ fidei fuerunt diſcuſſæ. Sic Ambroſius in epiſt. 32. ait: *Populus judicat.* Et in Concilio Nicæno multi erant Laici docti, teſte Niceph. l. 8. c. 14. Confirmatur ex Carolo Molinæo in *Conſilio de Tridentino Concilio non recipiendo* §. 28. & Brentio in confeſſione Wirtenberg. ſæpè unius hominis, etiam laici ſententia præpoſita eſt ſententiæ totius Concilii: quia ſcripturæ authoritate magìs munita erat.

Reſp. Aliquando controverſiæ fidei fuerunt diſceptatæ coram populo tanquam Judice privato, quando aliter fieri non poterat; quod tamen judicium populi neminem obligabat. Sicut Theologi & Philoſophi diſputantes, judicium, quid quisque velit ſentire de diſputatis, auditoribus debent relinquere. Sicut etiam Elias, cùm non poſſet aliter populum avocare à cultu idolorum, inſtituit certamen cum Prophetis Baal, præſente populo, dicens: *Qui exaudierit per ignem, ille ſit Deus: ſi Dominus eſt Deus, ſequimini illum: ſi Baal eſt, ſequimini eum.*

Judicium autem publicum circa fidem nunquam eſt delatum populo, tanquam Judici publicè & cum authoritate jurisdictionis pronuntianti ſententiam, ita ut cæteri illi deberent acquieſcere. Ad Concilium Nicænum laici non ſunt vocati, nec interfuerunt Concilio, ſed extra illud diſputabant, ùt colligitur ex Ruff. *lib.* 10. *cap.* 3.

Ad confirmationem dicò, falſum eſſe, quòd unquam privati hominis ſententia fuerit prælata *definitivæ ſententiæ* Concilii *generalis* & *legitimi.* Hoc enim nunquam probabunt Adverſarii. Si igitur quis poſt ſententiam definitivam Oecumenici Concilii attentet ſententiam ſuam ex S. Scriptura probare, certum eſt, eum aut ſcripturam non intelligere, aut malitiosè contra Concilii definitionem detorquere. Sed hoc ad ſummum verum eſt, ſententiam hominis privati poſſe anteponi ante definitionem, dum cauſa adhuc diſcutitur, & diſceptatur: in diſcuſſione enim non dignitas ſed eruditio perſonæ attenditur. Obji-

Objicitur 4. In ultimis tribus Conciliis generalibus, Florentino videlicet, Lateranensi V. & Tridentino, subscripserunt etiam, cum jure voti decisivi, aliqui Abbates & Generales ordinum, licèt in prioribus Conciliis id factum non sit. Ergo posset id etiam fieri ab aliis. Confirmat. Etiam Imperatores, Constantinus, Theodosius, Martianus, Basilius subscripserunt. Ergo saltem ex consuetudine, aut privilegio etiam Imperatori debetur votum in Concilio.

Resp. Si Sedes Apostolica per speciale privilegium, exigente aliqua rationabili causa, etiam alios habilitaret, non negamus, eos tunc posse admitti cum jure suffragii etiam decisivi. Admittendi autem Cardinales, & quosdam Prælatos regulares exemptos specialis fuit ratio, postquam ipsi à jurisdictione Episcoporum fuerunt exempti, & illi Episcopalem, hi verò quasi Episcopalem jurisdictionis potestatem sunt adepti, ut sic perfectiùs à Concilio tota repræsentetur Ecclesia.

19. *Quo sensu subscripserint Imperatores.* Quod spectat ad Imperatores, jam dictum est, eos non subscripsisse ùt Judices definientes controversias fidei, sed ùt accedentes ea intentione, quòd velint esse defensores, & inobedientes coërcere: prout Martianus Imperator dist. 96. can. 3. ait: *Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam exemplo religiosissimi Principis Constantini synodo interesse volumus, ut inventa veritate, non ultrà multitudo pravis doctrinis attracta discordet.*

Objicitur à Sectariis ultimò. Solus Christus, & verbum ejus scriptum, in Concilio debet habere suffragium decisivum, ideóque plus valet unus, afferens scripturam, quàm totum Concilium. Ergo Episcopi in Concilio non sunt Judices, neque Concilium est judicium, sed mera *Inquisitio*, tantúmque valet, quantùm ejus ratio. Unde cuilibet licet examinare decreta Concilii, recipere, vel non recipere. Ita Lutherus in *assert. art.* 29. ejúsque discipuli in libello, in quo proponunt causas, cur ad Concilium Tridentinum non venerint. Kemnitius in *examin. sess.* 4. Calvinus *lib.* 4. *Instit. cap.* 9.

20. *Quomodo S. Scriptura in Concilio sit judex.* Resp. Hoc ipsum adduci non rarò in controversiam, in quo sensu S. Scriptura sit intelligenda, in quo sensu sit verbum Dei, quot & quinam sint libri verè canonici, quodnam sit genuinum & authenticum S. Scripturæ exemplar incorruptum: nam hæc omnia inter Ecclesiam Catholicam & Protestanticas Ecclesias sunt controversa. Unde necesse est, in Concilio de his infallibilem ac judicialem sententiam ferri, cui stare omnes fideles debeant, audiendo Ecclesiam, quam audire Christus ipse jubet, dicens: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Item: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Matth. 18. quòd propriissimè de Ecclesia in Concilio collecta intelligitur. Et Deute-

ron.

ron. 17. jubetur in dubiis recurri ad ſacerdotum concilia: *Qui non obedierit eorum ſententiæ, morte condemnetur.*

Imò ipſe etiam Paulus Apoſtolus *act.* 15. & 16. pertranſiens civitates præcepit obſervare, quæ in Concilio Jeroſolymitano erant ſtatuta. Neque ex Scriptura, ſed ex Apoſtolorum ſuffragio definita ibi fuerat quæſtio, an circumciſio & cæteræ legales ceremoniæ Chriſtianis ſint neceſſariæ. Nuſquam enim antea continebatur in ſcriptura, quòd gentes non debeant ſervare legalia. Deinde illud libenter ex Sectariis diſcerem, ubinam in Scriptura legatur, quòd ipſis liceat veſci ſanguine & ſuffocato, cùm tamen tam in veteri, quàm novo teſtamento hoc expreſsè ſit prohibitum: Si dicant cum recentiore quodam Tigurino, *quod intrat per os, non coinquinat hominem:* quæro, cur ergo Apoſtoli in memorato Concilio præceperunt abſtinentiam à ſanguine? & nunquid, pomum per os Adami intravit?

Illud adhuc notandum, definitionem Concilii Apoſtolici, quod nor- 21.
mam cæterorum ipſi etiam Proteſtantes eſſe volunt, veram legem fuiſſe, obligantem in conſcientia, ùt ſatis patet ex actis Apoſtolorum, in quibus S. Lucas eam modò vocat *præcepta*, modò *decreta*, modò *dogmata*. Neque fuit ea definitio permiſſa examini diſcipulorum, ſed ſimpliciter fuit illis præceptum, ut obedirent, ùt rurſus patet ex actis Apoſtolorum *cap.* 15. & 16. Unde adverſarii decreta conciliorum ſubjicientes examini hominis privati, aut populi, non tantùm cum norma Conciliorum, ſed etiam cum S. Scriptura pugnant.

Concilium Apoſtolicum exemplum reliquorum.

Sententia Brentii, contendentis, ſolos Electos & Sanctos vocandos 22.
eſſe ad Concilium, non indiget refutatione. Sic enim nullum poſſet haberi Concilium, neque conſtaret, unquam habitam eſſe legitimam ſynodum; cùm non conſtet, quinam ſint electi: quis enim electos à reprobis novit diſcernere? Ejusdem inſipientiæ eſt eorum error, qui dicunt, Concilium debere conſtare ex ſolis illis, qui habent fidem internam. Quis enim videt alterius fidem internam? Concilium eſt cœtus hominum, non Angelorum, aut Deorum, quorum Synedria finxit ſuperſtitio.

An ſoli electi vocandi.

Quæres, quot requirantur Epiſcopi, ut ſynodus generalis dici poſſit? 23.
Reſp. Convocatio debet eſſe generalis ita, ut innoteſcat majoribus ſaltem orbis Chriſtiani Provinciis, atque ut nullus Epiſcopus excludatur, ſi non ſit excommunicatus. Numerus autem eorum, qui conſtituere poſſunt Concilium generale, non eſt determinatus, ſed ſufficit, ut ex diverſis provinciis & nationibus tot conveniant, ut abſolutè ſint multi. Hinc, ùt ſuprà notatum, ſufficit, ut ad Concilium occidentale ex diverſis occidentalibus nationibus tot conveniant, ut abſolutè ſint multi, licèt ex orientalibus pauci adſint, præſertim his temporibus, quibus ſchiſma aut hæreſis ab Eccleſia Catholica plurimos abſtraxit. Propter quam rationem non am-

Quot requirantur Epiſcopi.

pliùs eſt neceſſe, ut Patriarchæ orientales compareant. Imò hoc neque ad prima Concilia orientalia abſolutè erat neceſſarium: cùm in Concilio Epheſino absque Patriarcha Antiocheno damnatus ſit Neſtorius, & in Chalcedonenſi ſine Alexandrino Eutyches. Sicut etiam ad illa ſuffecit, quòd pauci quidam ex occidente venerint, à Pontifice miſſi, qui aliorum locum ſupplebant.

Unde non ex numero tantùm colligitur, Concilium eſſe generale: nam concilia Nationalia poſſunt eſſe multò numeroſiora, inferiora tamen quoad auctoritatem. Sic in Concilio Nationali Carthaginenſi, tempore S. Auguſtini, fuerunt præſentes 217. Epiſcopi: in Concilio verò generali ſecundo, ſeu Conſtantinopolitano primo, contra Macedonium habito, tantùm 150. comparuerunt.

QUÆSTIO V.

An Concilia Generalia poſſint errare?

24. *Errare non poſſunt.* Acatholici hujus temporis in ea ſolent eſſe opinione, nullum eſſe Concilium, quod errare non poſſit. Docuit hoc Lutherus aſſert. artic. 28. & Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 9. §. 8.

Catholici verò omnes tenent, Concilia generalia, à ſummo Pontifice confirmata, errare non poſſe, neque in fide explicanda, neque in tradendis morum præceptis, toti Eccleſiæ communibus.

Idque probant primò ex eo, quòd non poſſit nominari ullum Concilium generale, legitimè celebratum, quod aliquando erraverit. Deinde ex S. Scriptura: nam ſi poſſent errare Concilia generalia cum capite ſuo, ſummo Pontificè, unita, errare poſſet tota Eccleſia. Nam Concilia totam repræſentant Eccleſiam (ſicut Status Imperii cum Imperatore in comitiis congregati repræſentant totum Imperium, & Status Provinciales totam Provinciam, ut adeò, quod Status in comitiis ſtatuunt, totum Imperium ſtatuiſſe dicatur) cùm etenim omnia Eccleſiæ membra convenire non poſſint, aut conſuli, utpote innumera, neceſſe omnino eſt, ut præcipua illius membra, Præſides nempe ac Paſtores majores Chriſtiani gregis, congregati totam Eccleſiam repræſentent, ſicut Apoſtoli cum illis, qui in concilio Jeroſolymitano præſentes erant, totam repræſentabant Eccleſiam: & 3. *Reg.* 8. cœtus Principium, qui cum Salomone in templo convenerat, vocatur *Eccleſia;* ac propterea PP. ùt Auguſtinus l. 1. contra Donat. c. 18. Athanaſius, Epiphanius, Gelaſius, Euſebius &c. generale concilium vocant *Conventum orbis terræ*, aut *conſenſum totius Eccleſiæ.* Et Martinus V. in Concilio Conſtantienſi ſuſpectos de hæreſi juſſit interrogari, an credant, Concilium generale repræſentare totam Eccleſiam.

His

His igitur majoribus ovilis Christi Pastoribus & Ecclesiæ Prælatis atque Rectoribus obedire tenentur oves, ac subjecti Ecclesiæ filii, dicente ipso Domino: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*: Luc. 10. Et adhortante Apostolo act. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, & ad Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris & subjacete eis.* Ac rursus, præcipiente Domino: *Omnia, quæcumque dixerint vobis, servate & facite.* 15. *Probatur ex S Scriptura.*

Si igitur hi Ecclesiarum Præsides, Episcopi nempe in unum collecti errarent in fide, aut in tradenda morum doctrina, tota in errorem induceretur Ecclesia; cùm oves planè sequi pastorem debeant, ac pabulo ab eo suppeditato nutriri.

Atqui errare Ecclesia non potest in fidei ac morum doctrina: cùm sit fundata supra firmam petram Matth. 16. columna & firmamentum veritatis, 1. Tim. 3. contra quam portæ inferi non prævalebunt: Matth. 16. habeátque promissam à Christo assistentiam Spiritus S. qui cum ea maneat in æternum. Joan. 14. illámque sit docturus omnem veritatem, Joan. 16. & Christus ipse cum ea sit futurus usque ad consummationem sæculi Matth. ult.

Ex hoc autem manifesta consecutione concluditur, synodos Oecumenicas, utpote totam Ecclesiam repræsentantes, in fide morúmque doctrina errare non posse: quia eo ipso in errorem induceretur Ecclesia. Quare non minùs, ac primum illud Concilium dicere possunt: *visum est Spiritui sancto & nobis act.* 15 cùm posterioribus temporibus non minùs Conciliis fuerit necessaria assistentia Spiritus S. ortis præcipuè novis hæresibus; & providentia Christi erga suam Ecclesiam non tantùm ad ætatem Apostolorum se extenderit, sed usque ad consummationem sæculi.

Neque dubitandum est, non tantùm suggerente Spiritu S. Canones & decreta Conciliorum formari, sed ipsum etiam usum Concilia congregandi ex institutione Divina descendere: dum Dominus nobis testatus est, ubi duo aut tres sint congregati in ejus nomine, ibi se esse in medio eorum: per quæ verba Concilia à Christo esse monstrata nos edocet synodus Chalcedonensis in epist. ad S. Leonem, & sexta synodus act. 17. uti etiam Cœlestinus Papa in epist. ad Concilium Ephesinum. Si enim Deus est in medio eorum, quando duo vel tres sunt congregati in ejus nomine ad aliquid petendum, quantò magis, quando Ecclesiarum Antistites sunt congregati ad petendam sapientiam & lumen Spiritus S. ad rectè judicanda ea, quæ ad totius Ecclesiæ gubernationem rectámque institutionem pertinent?

Certè non minùs Ecclesiæ suæ providisse Christum censeri debet, quàm Deus olim synagogæ: dum *Num.* 11. Synedrium instituit seniorum, ad quod posset esse recursus in exortis controversiis.

Et hinc jam Apostoli, ùt actorum perhibet historia, in synodos aliquoties collecti, quæ Ecclesiæ gubernandæ visa fuerunt utilia, statuerunt. Sic etenim congregati sunt ad eligendum Apostolorum in locum Judæ prævaricatoris: ad eligendos septem Diaconos pro ministerio mensarum & altaris: ad definiendam controversiam Antiochenam de legalibus &c.

26. *Ex SS. Patribus.* Cùm igitur & verbi Divini oracula, & Apostolorum usus manifestum adeo lumen præferant, meritò in Ecclesia Christi ea semper fuit fidelium persuasio, Concilia generalia sub capite suo legitimè congregata errare non posse, éstque hæc consona Patrum vox: Concilii generalis sententiam in causa fidei esse *ultimum Ecclesiæ judicium*, à quo appellari non possit. Sic enim loquitur S. Augustinus epist. 162. S. Leo epist. 50. ad Martianum.

Et hinc ipse etiam Imperator *Martianus I. nemo 4. Cod. de summa Trinitate* ait: *injuriam facit judicio reverendissimæ synodi, si quis semel judicata ac rectè disposita revolvere & publicè disputare contenderit.* Et S. Athanasius in epist. ad Epictetum miratur, quòd aliqui audeant adhuc quæstionem movere de iis, quæ in Concilio Nicæno sunt definita.

Atque hinc vetustissima est Conciliorum consuetudo dicendi anathema, & tanquam hæreticos pronuntiandi eos, qui Conciliis generalibus non acquiescunt; quod manifesto est argumento, illos in ea fuisse persuasione, talia concilia errare non posse. Unde S. Leo epist. 78. docet, non posse inter Catholicos computari eos, qui Nicæno aut Chalcedonensi Concilio resistunt. Et S. Augustinus lib. 1. de baptis. cap. 18. ex hac tantùm ratione ab hæresi excusandum putat S. Cyprianum, quòd eo tempore à nullo adhuc generali Concilio quæstio illa de hæreticorum baptismo fuerit definita. S. Gregorius verò l. 1. epist. 24. dicit anathema illis, qui non recipiunt Concilia generalia, ante eum habita.

Accedit, quòd Patres passim doceant, canones à legitimis Conciliis generalibus editos esse dictante Spiritu S. vocant eos cœlestia ac Divina mandata, Spiritus sancti oracula, divinitùs inspiratas sententias, Concilia in Spiritu sancto congregata, ùt Athanasius *in epist. ad Episcopos Africanos*, Greg. Naz. *orat. in S. Athan.* Cyrillus *lib.* 1. *de Trinit.* S. Leo *epist.* 53. *&* 54. S. Nicolai I. in *epist. ad Michaëlem Imper.*

Addúntque, potiùs esse moriendum, quàm recedendum à Conciliorum decretis. Sic S. Ambrosius *epist.* 32. ait: *Sequor tractatum Nicæni Concilii, à quo me nec mors nec gladius poterit separare.* Et. S. Hierony-

mus lib. contra Luciferianos ſcribit, Athanaſium, Hilarium, Euſebium alióſque Sanctos exilia ſuſtinuiſſe, quòd Nicænæ ſynodo noluerint contradicere. Et quot propter eandem cauſam in perſecutione Wandalica martyrium ſubierunt?

Sed & *ratio* certæ huic ſententiæ manifeſtè ſuffragatur. Si enim 27.
Concilia generalia poſſent errare, nullum eſſet firmum Eccleſiæ judicium *Ex ratione.*
in decidendis fidei controverſiis, ac ſervanda Eccleſiæ unitate: poſſéntque in dubium revocari omnes à conciliis damnatæ hæreſes: cùm enim omnes hæretici ſibi blandiantur, ſe aſſecutos verum S. Scripturæ ſenſum, poſſet Arius dicere, erraſſe ſynodum primam, Macedonius hoc prætextu poſſet rejicere ſecundam, Neſtorius tertiam, Eutyches quartam, Origenes ac defenſores trium capitulorum quintam, Monothelitæ ſextam, Iconoclaſtæ ſeptimam, & ſic de aliis. Nulla amplius eſſet certitudo de libris S. Scripturæ, multò minùs de ſenſu ejusdem, cùm diverſi hæretici diverſo omnino ſenſu ſcripturam accipiant, ſicque eſſet in Eccleſia merum chaos, diſſenſio, incertitudo, absque omni remedio componendi controverſias, tollendi ſchiſmata, tradendique morum doctrinam indubitatam. Deficerétque Chriſti providentia in gubernanda ſua Eccleſia, ſed eam deſeruiſſet, ac deſperato ſcepticiſmo reliquiſſet, contra ſanctiſſimam ſuam promiſſionem perpetuæ ſuæ aſſiſtentiæ; quod vel cogitare horrori eſſe debet Chriſtianæ menti.

Denique, ſi Concilia Oecumenica errori eſſent obnoxia, actu jam omnia, etiam prima, turpiſſimè erraſſent, dum novos ediderunt fidei Canones, nova ſymbola, vel certè novas ſententias, aut explicationes, quas haberi voluerunt pro articulis fidei, ac contrarium ſentientibus tanquam hæreticis ſolenne dixerunt anathema: ùt fecerunt etiam prima jam generalia concilia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, aliáque. Quid enim erroneum magis, quàm tanquam articulum fidei credendum proponere, de quo meritò dubites, an verum ſit, an falſum?

Diluuntur exceptiones Acatholicorum.

Sed neque vim ullam habent, quæ ab Acatholicis contra Conciliorum 28.
infallibilitatem ſolent opponi. Licèt enim Iſaias cap. 56. aliique Prophetæ conquerantur, ipſos Paſtores & Speculatores eſſe cæcos, canes mutos, nihil ſcire &c. per hoc tamen noluerunt omnes comprehendere: cùm, ùt S. Auguſtinus de unit. Eccleſ. c. 12. obſervat, frequens ſit in S. Scriptura propter aliquos malos reprehendi omnes. Deinde illi veteris legis ſacerdotes, de quibus conqueruntur Prophetæ, privatim loquentes errabant, non autem in Concilio univerſali publica authoritate legitimè congregati: cùm ipſæ ſacræ litteræ Deuter. 17. dubitantes de re ali-

qua ad Concilium sacerdotum mittant, & præsertim ad Judicem, qui fuerit illo tempore: qui veritatem sint indicaturi.

Accedit, quòd non omnia, quæ reprehenduntur in Pastoribus antiquæ legis, possint etiam objici sacerdotibus novæ legis, præsertim in synodo generali congregatis; cùm multò certiores & majores infallibilitatis promissiones habeat Christi Ecclesia, quàm Judæorum synagoga.

Quòd autem etiam tempore novi testamenti dentur pseudoprophetæ, & lupi rapaces sub vestimentis ovium, probat potiùs necessariam esse infallibilitatem Conciliorum, ut detegi possint lupi, confutari, & ab ovili Christi arceri.

Gregorius Nazian. in *epist. ad Procopium* dicit equidem, se omnia Episcoporum Concilia fugere, eò quòd nullius finem viderit faustum. At hoc loquitur de Conciliis sui temporis, ùt de Seleuciensi, Tirensi, Ariminensi, Mediolanensi, Sirmiensi &c. quæ inter Synodum Nicænam & Constantinopolitanam primam (quo tempore scripsit) sunt instituta, & propter multitudinem Arianorum Episcoporum, atque violentiam Constantii Imperatoris hæretici, infaustum exitum habuerunt. Quæ sanè causa fuit, cur Gregorius sua ætate (quando scilicet hæc scripsit) nullius Concilii optatum viderit exitum, atque à Conciliis abhorruerit, quia videlicet illo persecutionis tempore, Arianis omnia jus deque vertentibus, nullum sperari poterat, legitimè congregari & continuari posse. Sicut propter persecutiones primis 300. annis nulla synodus generalis congregari poterat. Cùm autem melior aura per Catholicos Principes adspirarat, interfuit ipse Concilio generali II. æstimator eximius synodorum congregatarum legitimè.

S. Augustinus disputans cum *Maximino* Ariano ait quidem: *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus proferre Concilium &c.* Verùm hoc eo tantùm sensu dixit, quòd in præsenti disputatione ab illis Conciliis velint abstrahere, & aliunde sua argumenta depromere. Quòd autem S. Doctor Nicæno summam æstimationem tribuerit, patet ex lib. 3. contra eundem Maximinum, ubi ait, illud à Catholicis Patribus contra hæreticos Arianos *veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum esse.*

Neque plus probat illud, quod ex S. Augustino hæretici objiciunt ex *lib. 2. de bap. cap. 3.* ubi ait: *Plenaria Concilia priora à posterioribus emendari.* Nam Concilia priora *illegitima* dixit emendari à posterioribus legitimis, sicut Ariana Concilia emendata sunt à Constantinopolitano I. vel si de legitimis locutus est, id intellexit de *quæstionibus facti particularis:* in quibus Concilia errare possunt; quia tunc quæstio facti contra Donatistas agitabatur, an nempe Cæcilianus tradiderit libros sacros hostibus fidei.

Vel

Vel etiam intelligi poteſt loqui de decretis morum juris humani, ſeu de emendatione diſciplinæ, quæ pro variis temporum circumſtantiis mutari poteſt: immutatis ſemper decretis dogmaticis.

S. Leo Concilium Chalcedonenſe arguit quidem ambitionis & temeritatis epiſt. 53. ad Anatholium Patriarcham. 54. ad Martianum Imper. 55. ad Pulcheriam: at tantùm in eo, quod Concilium illud illegitimè egit: nempe quoad decretum ultimæ ſeſſionis, quo Patriarchatus Conſtantinopolitanus præponitur Alexandrino: quod factum eſt abſentibus Legatis Sedis Apoſtolicæ, adeóque non à plenario Concilio: nec ſine fraude, atque improbatum à Leone Papa, quia contrarium erat decreto Concilii Nicæni. Deinde hoc decretum Concilii neque circa fidem neque mores verſabatur.

Quando autem c. Domino 28. diſt. 50. dicitur, cùm Concilia inter ſe diſſentiunt, *illius teneatur ſententia, cujus aut antiquior aut potior eſt authoritas*, intelligendum id eſt de Conciliis, quorum non eſt certa authoritas, quæ nempe non ſunt à Papa confirmata; vel de particularibus Conciliis. Gratianus verò collectionem ſuam vocat *Concordantiam diſcordantium Canonum*, quia conatus eſt concordare Conciliorum particularium Canones, qui apparenter ſunt contrarii. Si enim verè eſſent contrarii, concordari non poſſent; oſtendi autem non poſſunt Canones Conciliorum generalium de fide tractantes inter ſe verè contrarii. Etiam SS. Patres laborârunt in concordandis textibus S. Scripturæ: an propterea ſunt verè contrarii? Et Can. 1. diſt. 18. cùm dicit, Concilia Epiſcopalia eſſe invalida ad definiendum, non ad corrigendum, loquitur de Conciliis provincialibus.

Concilium Neocæſarienſe, confirmatum à Leone IV. *c. de libellis diſt.* 20. non prohibuit ſecundas nuptias ſimpliciter, ſed vel prohibuit eas vivente adhuc prima uxore, vel tantùm ſolennem *benedictionem* ſacerdotis, ùt habetur *cap.* 1. *&* 3. *de ſecundis nuptiis.*

Lutherus invehitur in Concilium primum Nicænum, quòd in uno Canone Clericis prohibeat caſtrationem, in altero uxores. Verùm hîc nihil aliud probat Lutherus, quàm mulieroſum & Concilii tantopere à SS. Patribus dilaudati contemptorem animum. An tale, ac tantum Concilium, an Lutherum potiùs errare dicendum? Militiam autem hoc Concilium non prohibet ſimpliciter, ſed illis pœnitentiam injungit, qui priùs ob fidei confeſſionem militare cingulum depoſuerunt, poſtea verò fidem negant, ut militiæ cingulum recuperent, ùt factum fuerat tempore Diocletiani.

S. Auguſtinus dixit, errâſſe Concilium Sardicenſe ab Arianis ſeorſim celebratum, non autem Catholicum.

Con-

Concilium Gangrense, *c. de libellis* 20. approbatum à Pontifice, reprehendit eos, qui nolunt interesse sacrificio sacerdotis, qui uxorem *habuit:* jam verò non ampliùs habet uxorem; quia scilicet Manichæi & Eustathius Sebastenus, contra quem Concilium fuit celebratum, dicebant, nuptias absolutè esse malas & à Dæmone. Quod verò Socratres refert de Paphnutio pro conjugio Sacerdotum perorante in Concilio Nicæno, probabiliùs falsum est: cùm Concilium Arelatense, paulò post celebratum, omnino oppositum statuerit.

Quando Concilium Toletanum I. dixit, eum, qui habet concubinam, admitti posse ad communionem, modò non sit uxoratus, per concubinam intellexit eam, quæ sine instrumentis dotalibus & solennitatibus est ducta in veram uxorem, qui modus loquendi olim frequens fuit, ùt patet ex *novell.* 18. & *c. omnibus dist.* 34.

Canones Trullani non sunt synodi VI. adeóque ex iis nihil probatur contra infallibilitatem Conciliorum generalium à Pontifice approbatorum. In synodo VII. autem tantùm à privatis quibusdam fuerunt citati, & ferè sicut S. Paulus citavit aliquando Poëtas, quasi ad hominem, nòn verò approbati, saltem omnes.

Concilium Francofordiense reprobavit septimam synodum, quia deceptum à libris pseudo Carolinis putavit, in ea statutum, ut imagines adorentur cultu latriæ; eámque non esse celebratam authoritati summi Pontificis. Et sic erravit Francofordiense in quæstione facti.

Stephanus VII. in Concilio Romano, quod tantùm particulare fuit, reprobavit acta Formosi Papæ, ex odio & spiritu vindictæ: nihil tamen decidit tanquam loquens ex cathedra.

Concilium Romanum sub Nicolao II. ùt habetur *c. ego Berangarius dist.* 2. *de consecr.* dixit, corpus Christi frangi & dentibus atteri, nempe in signo seu speciebus panis; quia scilicet Berengarius dixerat, merum ac nudum signum adesse, voluit Concilium, ut profiteatur, non nudum signum frangi ac teri, sed ùt habens re vera conjunctum corpus Christi.

Sed unde scimus, quòd Concilia sint legitima, quòd Episcopi sint re ipsa Catholici, quòd non vincat pars major meliorem? ℞. Ex eo, quòd aliàs tota Ecclesia induceretur in errorem, quod est contra promissiones Christi. Ut autem Concilia sint legitima, sufficit Episcopos externè esse Catholicos, ita, ut non constet esse hæreticos, ùt docet Bellarminus *l.* 2. *de Concil. auct. c.* 9. Tenendum tamen indubitatò, suavem Dei providentiam non permittere, ut in Concilio, quod ab Ecclesia legitimum creditur, conveniant Episcopi, aut omnes aut majore ex parte hæretici, aut non legitimi.

Deinde Concilium esse legitimum ex eo etiam est certum, quòd sit convo-

convocatum & celebratum authoritate illius, cui Christus in persona S. Petri dixit: *Pasce oves meas. Tibi dabo claves regni cœlorum: quæcunque solveris &c. Ego autem pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua.* Item ex eo, quòd ex diversis orbis Catholici provinciis conveniant, qui ab omnibus habentur pro Catholicis & legitimis Episcopis, ac animarum Pastoribus.

Objiciunt denique: Episcopi sæpè sunt indocti: Theologi autem & Jurisconsulti non habent jus suffragii. 2. Multi sunt obnoxii Pontifici, aut sæcularibus Principibus: adeóque non satis liberi. 3 Aliqui sunt mali, turbulenti ac factionibus omnia miscentes. 4. Si Concilia essent infallibilia, essent paris cum S. Scriptura authoritatis. 5. Concilia etiam generalia errârunt, ùt Ariminense, Ephesinum II. Basileense, &c.

℞. Ad primas tres objectiones: cùm assistentia Spiritûs S. sit promissa generali Episcoporum Concilio, non requiritur, ut omnes sint docti, probi &c. Deinde nimis malignè, & falsò omnino dicitur, multos Episcopos esse indoctos, malos, aut mundanis duci rationibus, præsertim quando de fide tractatur. Taceo, quòd suos habeant Theologos, & Consiliarios, viros probos & doctos.

Ad 4. N. a. Nam quæ continentur in S. Scriptura, prorsus omnia sunt de fide, non tantùm quoad sententias, sed etiam verba. Contra verò non omnia contenta in Concilio: non enim sunt de fide disputationes, quæ præmittuntur, aut rationes, quæ adduntur; sed tantum ipsa nuda decreta seu Canones, iique non omnes, sed ii solummodo, qui proponuntur tanquam de fide: ùt quando explicant fidem Catholicam, vel contrarium tenentes condemnantur vel declarantur tanquam hæretici, vel solenne illis dicatur anathema.

Deinde S. Scriptura quoad omnia prorsus est summè infallibilis; non autem Concilia in quæstionibus facti alicujus particularis, non connexis cum quæstione juris: neque in quæstionibus juris merè positivi, non pro tota Ecclesia, sed pro loco aliquo particulari latis, vel pro personis particularibus.

Accedit, quòd Scriptura sacra indubitatò contineat verbum Dei immediatè revelatum. Concilia verò secundùm probabilem sententiam, non loquuntur aut scribunt novas revelationes, aut ipsum formale verbum Dei, sed declarant, quodnam sit verbum DEI scriptum vel traditum, & quomodo intelligi debeat; ac insuper ex eo per rationem deducunt conclusiones. Et hinc Concilium Tridentinum ait, ad Ecclesiam spectare interpretari sacras Scripturas, verbum nempe Dei, ejúsque sensum nobis proponendo, explicando, & applicando cum assistentia Spiritûs S. Quamvis etiam altera sententia, quòd definitio Concilii in re dogmatica sit ipsum

verbum Dei, jam olim ſcriptum aut traditum, nunc verò per Concilium repetitum, ſit verè probabilis, & à pluribus præclaris DD. tradita; cùm nullatenus repugnet verbum Dei ſæpiùs repeti, ùt patet in Evangeliſtis ſucceſſivè ſcribentibus Evangelium.

Denique Concilia non ſunt rata, niſi à Pontifice ſint confirmata. Scriptura autem non accipit authoritatem à Pontifice, ſed is tantùm eandem proponit & declarat, ut nobis innoteſcat.

Cæterùm nihil eſt abſurdum dicere, Concilia generalia, legitimè celebrata & confirmata, in definitionibus fidei eſſe infallibilia ſicut ſacram Scripturam, cùm utraque ſint ſummæ infallibilitatis, & nitantur infallibilitate Spiritûs S. vel dictantis, vel aſſiſtentis. Unde S. Gregorius l. 1. epiſt. 24. ſcribit, ſe venerari quatuor prima Concilia, ùt quatuor libros Evangeliorum. Et S. Auguſtinus, ſe Evangelio non crediturum, niſi eum Eccleſiæ commoveret authoritas.

Objicere hîc nobis ſolent Acatholici, quòd in decreto Gratiani *c. in Canonicis diſt.* 19. afferatur, epiſtolas decretales Pontificum numerari debere inter epiſtolas Canonicas: ex quo reluceat, nos Pontificum decreta æquiparare S. Scripturæ. Quam antiquam cramben recoxerunt nuper Præcones Tigurini in opere ſuo, quod *Urim & Thummim* inſcripſerunt.

Verùm præterquam, quòd Gratianus deceptus fuerit corrupto codice S. Auguſtini: non enim ille aliud dixit *lib. 2. doctr. Chriſt. cap.* 8. quem locum citat Gratianus, quàm judicium de Scripturis ſanctis pertinere ad Eccleſiam: dicere aliud non intendit Gratianus, quàm decretales eſſe Scripta ſacra, Canonica, ſeu Eccleſiaſtica, prout diſtinguuntur à ſcriptis profanis, & ſcriptis etiam SS. Patrum, quæ non habent authoritatem Canonicam, ſeu legalem, ut ſint inſtar Canonis ſeu regulæ obligantis.

Ad quintum argumentum reſpondetur, erràſſe Concilia, illegitimè congregata, neque à Papa confirmata, non autem generalia legitimè celebrata, & confirmata. Atque ex hoc ipſo patet, quàm neceſſaria ſit ſummi Pontificis approbatio, aut conformatio. An autem Concilia allata, ùt Ariminenſe &c. dicenda ſint generalia, eſt quæſtio de nomine; Bellarminus ea vocat *generalia*, ſed reprobata. Certè ſunt acephala, & hoc ipſo non poſſunt propriè & ſtrictè dici generalia, ſaltem quoad ea decreta, quæ ſinè legatis Pontificiis ſunt concepta, neque à Pontifice approbata. Nam quo jure dici poſſit corpus integrum, cui caput deeſt?

QUÆSTIO VI.

An Concilium ſit ſupra Pontificem?

29. *Diverſæ opiniones.* Hæc quæſtio emerſit ſæculo primùm 15. occaſione diuturni ſchiſmatis dum plures pro Pontificibus ſe gererent. Tum enim Cardinales colle-

collecti in Concilio Pisano deposito Gregorio XII. & Benedicto XIII de Papatu contendentibus, elegerunt Alexandrum V. cùm autem schisma per hoc non tolleretur, sed potiùs augeretur, tribus dubiis Pontificibus simul existentibus, in Concilio Constantiensi, omnibus tribus depositis, electus est Martinus V. simúlque in sess. 4. & 5. cùm Joannes XXIII. clam aufugisset, ne Concilium dissolveretur, Patres (quorum tunc adhuc pauci praesentes erant) statuerunt, Concilium majorem habere authoritatem, quàm Papam; quod planè de Pontifice dubio intellexerant Patres illi, quales tres tunc erant, rati, Christum dedisse potestatem pro tali casu Concilio providendi necessitatibus Ecclesiæ.

Ulteriùs progressi sunt haud multò post Patres Concilii Basileensis, qui decretum Constantiense ad verum etiam certúmque Pontificem extenderunt; ac demum aliqui pauculi Eugenium IV. legitimum Pontificem deponere attentarunt, intruso in ejus locum Felice V. Antipapa, non alio operæ pretio, nisi ut novum in Ecclesia schisma excitarent. Cúmque sanctio illa Galliæ Pragmatica Basileensium decreta ad tempus amplecteretur, radices apud Gallos potissimùm agere cœpit illa opinio, Concilium esse supra Pontificem, etiam legitimum ac certum. Quam sententiam, ortis inter Innocentium XI. & Ludovicum XIV. discordiis, innovavit anno 1682. conventus quidam Parisiensis, parùm tamen numerosus, Clerici Gallicani.

Verùm communis ferme est sententia DD. Catholicorum, *Pontificem esse supra Concilium*, eamque Bellarminus adeò certam esse putat, ut dicat, ferè esse de fide. Neque enim desunt valida argumenta ex ipsa S. Scriptura deprompta. Nam *Matth.* 16. dicitur Ecclesiam supra Petrum esse ædificatam. Ergo Petrus est fundamentum Ecclesiæ; cui videlicet totius Ecclesiæ ædificium innititur; ac propterea tradidit ipsi claves regni cœlorum cum amplissima potestate ligandi & solvendi: *ibid* curæ ac solicitudini Petri specialiter commendavit, ac tradidit pascendas suas oves. *Joan. ult.* pro Petro Christus specialiter rogavit, ut non deficiat fides ejus: voluitque, ut per eum fratres confirmentur. 30. *Est supra Concilium.*

Jam verò hæc aliáque tam illustria, tamque specialia Christi oracula non essent vera, si Papa esset subjectus Concilio; nam tunc non esset Ecclesia ædificata supra Petrum, sed Petrus super Ecclesiam: non ligaret, sed ligaretur: non pasceret oves, sed pasceretur: non confirmaret fratres, sed confirmaretur: deberétque fidem suam, pro qua Dominus rogavit, fidei fratrum suorum accommodare. *Probatur ex S. Scriptura,*

Quod autem Christus Petro dixit, deditque, id etiam legitimis ejus in Sede Apostolica successoribus dixisse atque dedisse censendus est: cùm

Ecclesiam suam usque ad finem mundi voluerit firmam, eadémque ratione gubernatam persistere.

Ex Conciliis. Prælucente sacra pagina, ipsa etiam Concilia generalia veritatem eandem apertè sunt confessa. Sic Chalcedonense Concilium in epistola ad S. Leonem disertè asserit, ipsum S. Leonem fuisse *caput* totius Concilii. In eodem Concilio act. 3. recitantur complures Epistolæ, ad Concilium scriptæ, hac insignitæ inscriptione: *Sanctissimo ac Beatissimo universali Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & sancto universali Concilio*, nemine reclamante, Pontificem præponi toti Concilio. Concilium Lugdunense II. Pontificem vocat *Rectorem universalis Ecclesiæ*: ùt habetur *c. ubi periculum* 3. *de elect. in 6.*

Concilium Florentinum sess. 25. ita definit: *Definimus, sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse Beati Petri Apostolorum Principis, & verum Christi Vicarium, totiúsque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro JEsu Christo plenam potestatem esse traditam; quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.*

Adhuc apertiùs veritatem eandem declarat Concilium Lateranense V. sub Leone X. quod sess. 11. ex professo docuit, Pontificem esse supra omnia Concilia, simúlque contrarium Basileense decretum reprobavit. Nam ita loquitur: *Solum Romanum Pontificem tanquam super omnia Concilia authoritatem habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere: nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione, manifestè constat.* Quid clariùs dici posset, & quidem à generali Concilio? quid enim illi defuit? Indictum fuit per orbem Catholicum à legitimo Pontifice, qui etiam illi præsedit: accessus patebat omnibus. Licèt ergo ne quidem centum convenerint Episcopi, generale tamen fuit, quia omnes erant vocati legitimè. Neque obstat, quòd quidam hoc Concilium non recipiant: nam sicut authoritas & vis obligativa legis non dependet ab acceptatione populi, sic neque authoritas Concilii.

Imò approbante ipso etiam Concilio Constantiensi edita est Bulla Martini V. in qua jubentur de hæresi suspecti interrogari, an non credant, Romanum Pontificem habere in Ecclesia Dei *supremam potestatem.* Idem Concilium damnavit propositionem Hussi, qua asseruit, Romanum Pontificem non esse caput Ecclesiæ. Si autem caput est, utique superior est.

Neque

Neque ſufficit dicere, Pontificem tantùm eſſe caput ſingularum Eccleſiarum ac membrorum Eccleſiæ, non autem totius Eccleſiæ in Concilio generali collectæ. Nam cùm S. Scriptura & Concilia prorſus illimitatè loquantur, dicántque abſolute, Pontificem eſſe verum JEſu Chriſti Vicarium, totiúsque Eccleſiæ caput, cum plena poteſtate eandem gubernandi, prorſus gratis & contra apertam Conciliorum intentionem dicitur, eum tantùm eſſe caput ſingulorum membrorum, non autem totius corporis. Certè ſinguli non ſunt Eccleſia: cùm Eccleſia ex ipſa ſua notione ſignificet congregationem fidelium. Si ergo caput eſt Eccleſiæ, eſt caput congregationis fidelium.

Atque hinc deſcendit ſolennis illa Conciliorum proteſtatio, primam ſedem à nemine in terris judicari. Sic in Concilio Chalcedonenſi act. 3. damnatus eſt Dioſcorus, tum ob alias cauſas, tum præcipuè quia in Concilio generali Epheſino ſecundo judicare & damnare auſus fuerat Leonem Romanum Pontificem. Nam ùt Nicolaus I. ad Michaëlem Imperatorem ſcripſit, Dioſcorus non tam propter hæreſin, quàm propter temerariam illam præſumptionem à Concilio eſt damnatus.

Idem ſenſus erat Concilio Romano ſub Symmacho, in quo approbatus eſt liber Enodii, in quo ſcripſerat, aliorum hominum cauſas Deum voluiſſe per homines terminare, Romanæ verò Eccleſiæ Præſulem ſuo reſervaſſe judicio.

Unde in Concilio generali octavo act. 7. legimus, Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe, de ipſo verò neminem. Et cùm Leo III. de variis ſceleribus fuiſſet accuſatus, omnes Epiſcopi in numeroſo Concilio, præſente etiam Carolo M. conclamarunt, non eſſe licitum hominibus judicare ſummum Pontificem. Quare cùm Pontifex conſcenſa cathedra juramento ſe ultro purgaſſet, omnes acquieverunt. Conſentit *c. licèt de elect.* in quo dicitur: *In Romana Eccleſia aliquid ſpecialiter conſtituitur, quia ad ſuperiorem non poteſt haberi recurſus.*

Taceo Concilium Sinueſſanum ſub Marcellino, quod pronuntiaſſe fertur, primam ſedem à nemine judicari. Verùm ſit, narrationem illam de Marcellini lapſu & Concilio Sinueſſano, aut dubiam eſſe aut etiam falſam; ùt plures eruditi Critici recentiores exiſtimant; hoc certum, in pluribus veris Conciliis id eſſe pronuntiatum: nominatim etiam in Concilio Romano ſub Sylveſtro: in cujus Can. ult. dicitur: *nemo judicabit primam Sedem.*

Et quot in jure noſtro Canonico habemus veritatis hujus antiqua monumenta! Sic e. g. *c. ſi Papa. diſt.* 40. S. Bonifacius Moguntinus Epiſcopus ait: *Cunctos judicaturus à nemine judicatur, niſi deprehendatur à fide devius.* Item *c. Significaſti de elect.* ait Paſchalis, omnia Concilia per Ro- *Ex Jure Canonico.*

 manæ

manæ Ecclesiæ authoritatem esse facta & robur accepisse, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipi auctoritatem. Et in *extrav. viam sanctam de majorit. & obed.* Bonifacius VIII. *Si deviat terrena potestas, judicabitur à potestate spirituali: si deviat spiritualis, minor à majori: si verò suprema, à Deo solo, non ab homine poterit judicari:* quia scilicet in terris majorem aut superiorem non habet.

Propterea à Pontifice ad Concilium appellari non potest. Neque sancti homines id unquam leguntur fecisse: cùm vice versa complures ex SS. Patribus à Conciliis ad summum Pontificem appellasse manifeste constet. Exemplum habemus in S. Athanasio, Patriarcha Alexandrino & Paulo Patriarcha Constantinopolitano, qui à Concilio depositi appellarunt ad Julium I. Papam, à quo sedibus suis sunt restituti *Sozom. lib.* 3. *c.* 7. in S. Flaviano, pariter Patriarcha Constantinopolitano, & Theodoreto Episcopo Cyri, qui à generali Concilio Ephesino secundo appellarunt ad Leonem I. Pontificem *S. Leo epist.* 25. Liberatus *in Breviario c.* 12. in S. Joanne Chrysostomo, itidem Patriarcha Constantinopolitano, appellante à Concilio, à quo fuerat depositus, ad Innocentium I. *Gelasius in epist. ad Episcop. Dardan.*

Ex Praxi Ecclesiæ. Confirmatur denique sententia ex usu antiquissimo & praxi totius Ecclesiæ, ipsorúmque adeo Conciliorum generalium, quæ acta sua atque decreta semper petierunt approbari ac confirmari à summo Pontifice. Testem hujus rei habemus ipsam generalem synodum Lateranensem quintam, sub Leone X. celebratam. Hæc enim, abrogata Gallica Pragmatica, sess. XI. in Bulla *Pastor æternus gregem* sic loquitur: *Consueverúntque antiquorum Conciliorum Patres pro eorum, quæ in suis Conciliis gesta fuerunt, corroboratione, à Romano Pontifice subscriptionem approbationémque humiliter petere & obtinere, prout ex Nicena & Ephesina, ac Chalcedonensi &c. constat.*

Neque dicere fas est, ex humanitate tantùm ac reverentia id factum esse; fatentur enim ipsa Concilia, se eam approbationem petere, ut decreta ac Canones accipiant firmitatem. Sic Concilium Nicænum I. in epistola, quæ habetur ad finem Concilii, scribit ad Sylvestrum Papam: *Quidquid autem constituimus in Concilio Nicæno, precamur vestri oris consortio confirmari.* Idem habetur in Concilio Chalcedonensi aliisque.

Et quodnam unquam Concilium, licèt de se generale ac frequentissimum, firmitatem in Ecclesia habuit, quod à summo Pontifice non fuit approbatum? Ariminense, 600. Episcoporum, Mediolanense, Seleuciense, Syrmiense, aliáque, utut numerosa, quam unquam in Ecclesia authoritatem sunt nacta? evanuerunt: quia à Romanis Pontificibus sunt reprobata. Ephesinum secundum indictum fuerat à S. Leone Papa, qui suos

ſuos ad illud legatos miſerat, eratque generale; ſed quia abſentibus & contradicentibus legatis Apoſtolicis, Dioſcorus, ejúsque ſectatores ſtatuere attentarunt, factum eſt Concilium ſpurium, invalidum, caſſum, enerve. Idem pluribus poſt ſæculis contigit Concilio generali Baſileenſi, Epheſino ſecundo haud multùm abſimili. *Vide Francolinum Tyrocin. Theolog. p. 2. P. Antonium Mayr. tract. 7. de virtut. Theolog.*

Quodnam autem ſignum atque argumentum evidentius ſuperioritatis Pontificiæ, quàm Conciliorum, etiam generalium (ſi tamen generalia eſſe poſſunt ſinè capite) reprobatio? & quot reprobationis iſtius in hiſtoria eccleſiaſtica habemus exempla? ſufficiat hic unum addere. Concilium Ariminenſe, ùt dictum erat numeroſiſſimum, & planè generale, ſi ullum absque ſummo Pontifice generale eſſe poſſit.

Hoc autem reprobatum fuit primum à Papa Damaſo, ùt conſtat ex ejus *epiſt. ad Epiſcopos Illyrii*, deinde etiam à S. Leone Pontifice, ùt habetur *epiſt. 55. ad Pulcheriam*, & *lib. 4. epiſt. 34.* S. Gregorii, & jam S. Baſilius *epiſt. 52. ad Athanaſium* rogandum cenſuit Romanum Pontificem, ut legatos in orientem mittat, qui ejus nomine irritent Ariminenſe Concilium.

Prætereo argumentum negativum, quòd ſcilicet ab adverſariis oſtendi non poſſit promiſſio aſſiſtentiæ Spiritus S. facta Concilio, quod absque authoritate ſummi Pontificis celebratur. Neque enim infallibilitas ejusmodi Concilii Eccleſiæ probatur neceſſaria: cùm aliunde habeatur infallibilitas definitionum, nempe à Concilio per Pontificem confirmato.

Duo tamen caſus, ut alias innuimus, à doctrina hactenus tradita excipiendi veniunt, in quibus Concilio, deficiente Pontificis conſenſu, ſtatuendi atque Eccleſiæ providendi adſtruitur auctoritas. Primus eſt caſus ſchiſmatis, in quo plures dubii eſſent Pontifices, ita, ut de nullo legitimo Papa conſtaret in Eccleſia. Tunc enim poſſent Cardinales & Epiſcopi ſe ipſos congregare, atque de indubitato capite Eccleſiæ providere: ut in Concilio Conſtantienſi contigiſſe novimus: tota ſiquidem Eccleſia Martinum V. ibidem electum tanquam legitimum Pontificem agnovit. *Exceptis duobus caſibus,*

Alter eſt caſus apertæ ac manifeſtæ hæreſis, in quam Pontificem lapſum eſſe in Eccleſia conſtaret (quem tamen caſum nunquam contigiſſe, imò propter Chriſti promiſſionem nec contingere poſſe multi docent) in hoc enim caſu, ſi Pontifex in hæreſi contumaciter perſiſteret, poſſet Concilium eum etiam invitum deponere, vel potius, ut alii volunt, excideret hoc ipſo ſuo officio, poſſétque Concilium generale declarare, Pontifice à Chriſto poteſtate Papali privato, ſedem vacari: & conſequenter Eccleſiæ de capite providere. In his etenim duobus caſibus hæc poteſtas Concilio, Eccleſiam repræſentanti, eſſet neceſſaria: ut ſchiſmati afferatur

tur remedium, & ne pro Ecclesiæ capite sit habendus, qui propter hæresin manifestam ne quidem est membrum Ecclesiæ.

Posset tamen Papa arbitros in causa sua constituere.

Cæterùm licet Papa superiorem non habeat in terris, imò neque cuiquam judicium coactivum in se possit committere: posset tamen velut arbitros in causa sua constituere, qui eandem discutiant: prout fecerunt Sixtus III. Leo III. Leo IV. Symmachus. Addidit tamen Sixtus, se per hoc suum factum nolle suis successoribus formam aut exemplum dare, si non ultro hoc remedium eligant. *c. mandastis* 10. *caus.* 2. *quæst.* 5. Leo autem se purgans addidit: *Hoc autem faciens non legem præscribo cæteris, qua id facere teneantur*, *c. auditum* 18. *ead.*

Respondetur argumentis Adversariorum.

Primo nobis objiciunt SS. Canones. Nam *c. contra caus.* 25. *q.* 1. ait Zosimus Papa: *contra statuta Patrum condere aliquid vel mutare, nec hujus quidem sedis potest auctoritas.* 2. *c. ecce dist.* 99. S. Gregorius non vult dici *Papa universalis.* 3. *c. primæ ead.* dicit Concilium Africanum: *primæ sedis Episcopus non vocetur summus sacerdos.* 4. *c. legimus dist.* 93. ait Hieronymus: *Si authoritas quæritur, orbis major est urbe: ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii &c. ejusdem meriti, ejusdem est & sacerdotii.* Ergo Papa ne quidem habet potestatem in Episcopos singulos, multò minùs in Concilium Episcoporum.

Resp. ad 1. Zosimus tantum voluit, Pontificem non posse mutare ea, quæ circa fidem à Concilio Patrum cum approbatione Papæ sunt statuta: neque ea, quæ statuta sunt circa doctrinam morum, si versentur circa jus naturale aut Divinum. Non verò negavit, quòd possit aliquando ex rationabili causa pro diversis circumstantiis & temporum exigentia mutare ea, quæ solummodo versantur circa jus humanum.

Ad 2. S. Gregorius noluit appellari Papa universalis, hoc est, singularum Ecclesiarum proprius Episcopus, quasi alii non essent Episcopi. Et hinc *Can. cit.* scribens ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum addit: *Si enim Papam universalem vestra Sanctitas dicit, negat, se hoc esse, quod me fatetur universum.* Ipsum Concilium Chalcedonense Romanum Pontificem appellavit *Patriarcham universalem*, hoc est, habentem supremam potestatem in omnes Ecclesias.

Ad 3. Per primam sedem ibi non intelligitur Romana; sed sermo est de Primate & Metropolitanis Africanis: de quibus Concilium Africanum Nationale dicit, eos non debere uti nomine *summi Sacerdotis.* Quid enim Episcopis aliarum Nationum Concilium illud Africanum potuisset præscribere?

Ad 4.

Ad 4. S. Hieronymus l. c. loquitur imprimis de *Diaconis*, quibusdam Romanis, qui se Presbyteris æquiparabant, vel etiam præferebant, consuetudinem Romanam (à Pontificibus nunquam approbatam) prætexentes. Unde Hieronymus ait, orbem majorem esse urbe, seu consuetudinem istam (aut potiùs abusum) non debere prævalere orbis consuetudini. Quando autem deinde addit, Episcopos æquales esse, id intelligit de charactere, & potestate ordinis Episcopalis, in quibus omnes Episcopi inter se, & etiam Papæ sunt æquales: non autem de potestate Jurisdictionis & authoritatis.

Objiciunt secundò magnam authoritatem, Concilii nempe Pisani, quod duos Pontifices deposuit, & tertium elegit: Concilii Constantiensis, quod tres deposuit, & quartum elegit. Concilii Basileensis, quod etiam certum ac legitimum Pontificem deposuit, & novum elegit; simúlque definivit, insistens actis Concilii Constantiensis, Concilium Generale majori pollere potestate & authoritate, quàm quemvis Episcopum Papali etiam authoritate fulgentem.

Deinde, ùt asserunt, hanc de superioritate Concilii supra Pontificem sententiam propugnârunt gravissimi DD. ùt Petrus Alliacensis Cardinalis Atrebatensis, Nicolaus Cusanus Cardinalis, Zabarella Cardinalis Florentinus, Ludovicus Alemannus Cardinalis Arelatensis; item Abulensis, Adrianus, Major, Almainus, Gerson, S. Antoninus, & ipse etiam Æneas Sylvius, factus postea summus Pontifex sub nomine Pii II.

Quibus accessêre Academia Bononiensis, Florentina, & præcipuè Parisiensis, approbans Sanctionem Pragmaticam Gallicanam: in qua sententia etiam ista Concilii Basileensis erat comprehensa. Recentiori verò tempore viam eandem iniit Conventus Parisiensis Cleri Gallicani anno 1682.

Resp. plerique ex istis, ùt Concilium Pisanum & Constantiense Doctorésque in istis præsentes ùt Alliacensis, Cusanus, Zabarella, Antoninus &c. plùs non voluerunt, quàm penes Concilium esse potestatem providendi Ecclesiæ in casu gemino, paulò antè memorato, Schismatis nempe & hæresis. Basileense Concilium propter hunc ìpsum lapsum potissimùm est reprobatum. Æneas Sylvius, sententiam suam retractavit. Academia Bononiensis & Florentina post turbulenta illa Schismatum tempora longè aliud docuerunt, docéntque hodiedum: imò etiam plures ex Parisina.

Reliquis, si tamen non ipsi etiam de casibus supra dictis locuti sunt, opponimus vocem ferme unanimem totius propemodum orbis Catholici, cum Conciliis Generalibus antiquissimis, SS. Patribus Doctissimísque viris innumeris ex omni gente & lingua: adeò quidem, ut multi sententiam nostram certam dicant & ferè de fide: cùm planè in Concilio Floren-

tino & Lateranensi V. videatur definita; cúmque in Concilio Tridentino hæc Quæstio fuisset agitata, ex decem partibus Patrum novem partes judicârunt, Pontificem esse supra Concilium, teste Cardinale Pallavicino in Hist. Concil. Trid. sacra tamen Synodus tanquam Articulum Fidei hoc definire noluit: quia ad finem à Concilio intentum hæc definitio minimè erat necessaria.

Objiciunt 3. ipsam adeò Sacram Scripturam: quippe act. 8. dicitur, quòd Petrus & Joannes missi sint in Samariam ab Apostolis. Quod planè signum est, etiam Petrum subjectum fuisse Concilio Apostolico: non enim superior mittitur ab inferiore. Deinde in Concilio Apostolico act. 15. non fit specialis mentio Petri, sed Concilii: *Visum est Spiritui S. & nobis.* Imò Jacobus finalem dixit sententiam, quam Petrus, totúsque cœtus secutus est.

Resp. Missio non debet necessariò fieri à superiore & per præceptum: aliàs Spiritus S. non posset mitti à Patre & Filio. Dantur igitur diversæ missiones, vel per emanationem aut processionem, vel per præceptum superioris vel per consilium aut preces: velut si regnum aliquod in senatu congregatum concluderet, optimum fore, si Rex ipse proficisceretur ad exercitum, ut ducum componantur dissidia, & majore auctoritate atque efficacia bellum geratur, atque, ut hoc facere velit, rogaret. Quo casu Rex dici posset mitti à Regno vel senatu. Et hoc modo, per consilium nempe & preces missus est ab Apostolis Petrus.

Quòd autem in Concilio Apostolico Petri non fuerit facta specialis mentio, falsum est. Nam primus locutus est, aperuítque Concilium oratione ad illud habita, in qua explicavit finem Concilii congregati, primúsque sententiam dixit; orationem autem suam cum authoritatis prærogativa sic orsus est: *Viri Fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus DEUS in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere.* Jacobus autem totúsque cœtus assensus est Petro. Quòd autem Jacobus addiderit aliquid de abstinentia à sanguine & suffocato, non probat, Petrum non fuisse superiorem toti Concilio: potest enim etiam Rex in Senatu libertatem loquendi subditis suis permittere, & deinde approbare, quod ipsi visum fuerit.

At Episcopi non sunt in Concilio meri Consiliarii, inquiunt, sed veri sunt Judices. Ergo si per unanimia, vel etiam per majora quid statuant, etiam absque Pontificis approbatione id ratum firmúmque erit, tenetúrque Papa Concilii sententiæ se submittere. Ergo hoc ipso debent esse infallibiles; cùm eorum sententia sit ultimatum Ecclesiæ Judicium.

Resp. ad hoc, ut Episcopi in Concilio sint Judices, non requiritur, ut sint infallibiles, neque sequitur, quòd Papa illorum sententiæ debeat se sub-

ſubmittere, neque quòd ſit ultimatum Eccleſiæ Judicium, niſi accedat conſenſus capitis Eccleſiæ. Ne quidem in profanis ac politicis ejusmodi ſequelæ locus eſt. Nam licèt Status Imperii Romano Germanici in Comitiis congregati verè ſint Judices, & non tantùm Conſiliarii, non tamen ſequitur, quòd ſint infallibiles, aut quòd Imperator debeat ſe ſubjicere ſtatuum ſententiæ, aut quòd hæc ſit ultimatum Imperii Judicium, niſi Imperatoris tanquam capitis conſenſus accedat. Hoc verò accedente fit *Receſſus Imperii*, ac conſtitutio Imperialis, habens vim legis univerſalis: cenſetúrque ultimatum totius Imperii Judicium. Quantò magis hoc verum eſſe exiſtimandum eſt in Sacris: ubi tam ſpeciales prærogativæ pro ſummo Pontifice exſtant in Sancto JESU Chriſti Evangelio: ubi Eccleſia eſt ædificata ſupra Petrum: ubi Petro claves, cum ſumma poteſtate ligandi & ſolvendi ſunt traditæ: ubi Petrus illimitatè oves Chriſti jubetur paſcere? An oves Chriſti eſſe deſinunt Epiſcopi in Concilio congregati? Si oves Chriſti ſunt, etiam Petri ſunt oves tanquam paſtoris. An oves paſtorem regant? An ſummus Pontifex in Concilio deſinit eſſe Caput Eccleſiæ? Vicarius Chriſti? An tunc perdit claves Regni Cœlorum? Quis ipſi tunc aufert ſupremam poteſtatem ligandi & ſolvendi? An tunc deſinit Eccleſia ſupra Petrum eſſe ædificata? Aliud profectò Sacra Evangelii clamant oracula, aliud SS. Patrum effata, aliud melioris orbis perſuaſio, aliud denique ipſorum Conciliorum Generalium, de quibus manifeſtè in Eccleſia conſtat, quòd fuerint legitima, confeſſio atque deciſio.

Neque dicas, Concilium repræſentare Eccleſiam: Eccleſiæ autem promiſſam eſſe Spiritûs S. aſſiſtentiam: adeóque Pontificem vel nullam habere infallibilitatem, vel illam habere ab Eccleſia, aut à Concilio, Eccleſiam repræſentante: præſertim cùm Chriſtus Matth. 18. dixerit, ubi fuerint duo vel tres congregati in ejus nomine, ibi ſe eſſe in medio eorum: ibi enim quid aliud deſignatur, quàm Concilia Eccleſiæ Præſulum?

Hæc, inquam, non opponas; nam Concilium capite Eccleſiæ deſtitutum non ſatis totam repræſentat Eccleſiam. Tale Concilium eſt acephalum, adeóque repræſentat Eccleſiam ſinè capite; cui nusquam promiſſam Spiritûs S. aſſiſtentiam legimus. Promiſſa igitur eſt aſſiſtentia Divina Eccleſiæ, ſed non monſtroſæ, non meliori ac principali ſui parte truncatæ.

Neque verum eſt, quòd Pontifex infallibilitatem ſuam habeat ab Eccleſia: nam habet illam immediatè à Chriſto & Spiritu S. neque eſt Vicarius Eccleſiæ ſed Chriſti. Sicut claves non accepit ab Eccleſia, ſed à Chriſto. Cardinales autem, quando eligunt Pontificem, tantùm deſignant perſonam, cui deinde Chriſtus, ſecundùm ſanctiſſima ſua promiſſa, poteſtatem, authoritatem, & infallibilitatem tribuit.

Quando verò Christus dixit, se esse in medio eorum, ubi duo vel tres sint congregati in ejus nomine, denotat efficaciam precum & orationum, quæ fiunt à collecto populo ad aliquid à Deo impetrandum. Certè si verba illa in sensu adversariorum sumantur, sequeretur, etiam particularia Concilia esse infallibila, imò etiam duos Parochos, aut duos cives in nomine Christi congregatos.

Opponunt 4. Christus censendus est optimo modo suæ providisse Ecclesiæ: At optimus est, si Ecclesia etiam absque Pontifice sit infallibilis, & Pontificis tanquam inferioris sententia à Concilio sit reformabilis. Nam sic regimen Ecclesiæ non potest fieri despoticum. Et planè, nisi Pontifex debeat obedire Concilio, ejúsque judicium sit ab Ecclesia reformabile, tunc Ecclesia nullum haberet remedium adversus nefarium Pontificem, qui Ecclesiam niteretur destruere. Accedit, quòd etiam ipse Pontifex sit frater, quem delinquentem Christus jubet deferri ad Ecclesiam.

Resp. Ex opposita sententia adhuc majora timenda essent incommoda. Nam sic Pontifex non ampliùs posset urgere efficaciter morum disciplinam, & executionem suorum decretorum; imò neque emergentes novas hæreses posset efficaciter condemnare & compescere, cùm condemnati mox appellarent ad generale Concilium: ùt hodiedum videmus contingere in iis provinciis, in quibus sententiam de superioritate Concilii aliqui tenent. Cùm autem Concilia generalia difficillimè, hoc præsertim tempore, congregari possint, facerent interea ejusmodi appellantes, quidquid ipsis effrænis licentia dictat, ageréntque abusus, morum corruptio, atque etiam hæreses interim radices, non ampliùs postea evellendas. Et quid aliud ad frequentiora Ecclesiæ schismata viam sterneret, quàm ejusmodi sententiæ persuasio? cùm pronum admodum foret, ut ii, qui aversum à Pontifice gerunt animum, collectis Episcopis eundem exauctorarent, aliis eidem adhærentibus, ùt in conciliabulo Basileensi factum novimus: ut adeò, dum schismati præcavere intenderent, illud quàm maximè promoverent. Licèt ergo ex opposita sententia aliqua fortassis viderentur sequi commoda, plura tamen & majora haud dubiè sequerentur incommoda: cum nec Ecclesiæ unitas, nec disciplina, nec morum severitas, nec hæresum coërcitio satìs efficax ampliùs haberi posset.

Falsum etiam, quòd Ecclesia adversus nefarium Pontificem se ipsam tueri non ampliùs posset. Nam si tantùm ùt privata persona esset sceleratus, non posset multùm adeò in publicum nocere, multò minùs Ecclesiam destruere. Si autem hæresin conaretur inducere, aut morum disciplinam evertere, imò etiam si tantùm ùt privata persona in hæresin incideret, atque in ea pertinaciter perseveraret (quod tamen vel omnino non, vel vix fieri

fieri poteſt) poſſet Concilium generale Eccleſiæ de orthodoxo capite providere, ùt aliàs diximus: imò poſſet etiam vi & armis Eccleſia ſe ipſam defendere adverſus quemcunque, eam deſtruere nitentem: cum ad hoc non requiratur jurisdictio.

Cæterùm licèt Pontifex etiam ipſe ſit frater fidelium, ſimul tamen eſt caput Eccleſiæ & Vicarius Chriſti: unde licèt moneri poſſet ab Eccleſia, & etiam modeſtè corripi, ùt à Paulo Petrum monitum eſſe legimus, coërceri tamen pœna propter mores non poſſet, ex defectu jurisdictionis in ipſum. Si hæc doctrina difficilis aliquibus videatur, conſiderent, quales ipſi ſententias circa ſupremos Monarchas politicos foveant.

Si urges, Pontificem eſſe tantùm membrum & partem Eccleſiæ: partem autem eſſe minorem toto: partem abſcindi debere, ſi inficiat reliquum corpus: mori Pontificem, Eccleſiam non mori, adeóque penes Eccleſiam, etiam ſeparatam à Pontifice, debere eſſe infallibilitatem.

Reſp. Si Eccleſia ſumatur ſinè Pontifice, non eſt totum, ſed pars, quæ unà cum capite conſtituit totum. Si autem Eccleſia accipiatur cum Papa, eſt major ſolo Papa extenſivè, non autem intenſivè. Sicut complexum ex Chriſto & puris hominibus eſt totum, majus extenſivè, non autem intenſivè, quàm ſolus Chriſtus.

Quod dicitur de parte abſcindenda, ſi inficiat corpus, verum eſt relatè ad Pontificem, ſi ſit dubius tempore ſchiſmatis, aut labatur in apertam hæreſin.

Licèt autem Papa moriatur, ſatis tamen proviſum eſt infallibilitati Eccleſiæ per hoc, quòd poſſit ſtatim eligere novùm Pontificem, cui unita Eccleſia ſit infallibilis; & ſic radicaliter ſaltem ſemper manet infallibilis: Sede autem vacante nihil de fide poteſt definiri, de quo non jam aliàs in Eccleſia conſtet: ùt adeò nullum ſit erroris in fide periculum.

CAPUT II.

De Jure Synodali Antiquo.

Cum Jus Synodale magnam Juris Canonici partem conſtituat, & uberrimam pulcherrimæ eruditionis copiam ſuppeditet, quæ Jurium Candidatum comprimìs decet, ornátque, operæ prætium fuerit, nec ab inſtituto noſtro alienum, poſt tractatum de Jure Synodali in Genere, ad illud in ſpecie explicandum deſcendere. Quia autem tantùm decreta Conciliorum generalium legitimorum vim Juris communis ſortiuntur, de iis præcipuè nobis tractandum venit. Partiemur autem ampliſſimam hanc mate-

riam in Jus Synodale Antiquum, *quo octo generalia Concilia, in Oriente celebrata comprehendimus, & in* Jus Synodale Novum, *quod recentiora Concilia, in Occidente congregata complectitur.*

ARTICULUS I.

De Concilio Generali I. Nicæno I.

Contra Arium, Quarto-decimanos, & schisma Meletii, sub Sylvestro I. & Constantino M. anno 325.

SUMMARIUM.

§. I.
Synopsis Historica Concilii Nicæni.

1. *Causa Concilii.* Institutum est hoc Concilium generale I. cui tota antiquitas singularem semper venerationem habuit, anno 325. sub Sylvestro I. Romano Pontifice

tifice, pro defendenda Filii Dei Divinitate contra Arium, determinando tempore celebrandi Paſchatis contra Quarto decimanos, & tollendo ſchiſmate contra Meletium; quæ hac ratione contigêre.

Anno 321. in Alexandrinum Patriarcham electus eſt *Alexander*, vir doctus & probus; cui invidens *Arius* Alexandrinus Presbyter, homo impius, Alexandri doctrinam eſt inſectatus, aſſerens, Filium Dei *non eſſe ab æterno, nec Deum verum de Deo vero, ſed ex nihilo creatum, minorem Patre, voluntate, naturâque mutabilem:* nactúſque brevi multos & magnos aſſeclas, atque inter eos duos *Euſebios*, Nicomedienſem & Cæſareenſem. *Arius in Christum impius.*

Alexander ut peſtem maturo remedio ſuffocaret, convocato ex Ægypto & Lybia centum Epiſcoporum Concilio Arium, pertinaciter graſſantem, à communione fidelium excluſit; qui ad Euſebium Nicomedienſem fugiens, coactóque illius authoritate in Bithynia conciliabulo, juſſus eſt Eccleſiæ communioni reſtitui. Ex quo hæreſis Ariana in dies latiùs ſerpere cœpit, fortius aliquod & univerſalius remedium exigens.

Altera Concilii congregandi cauſa fuit antiquior controverſia, nempe jam dudum agitata, de tempore celebrandi feſti Paſchalis. Quidam enim, Aſiatici præſertim, contenderant jam tempore S. Victoris Papæ, decima quarta luna menſis primi cum Judæis celebrandum eſſe Paſcha. Unde *Quarto decimani* dicti, jam pridem ab eodem Victore, aliiſque Epiſcopis ritum Romanæ Eccleſiæ, Dominicam proximam juxta traditionem Apoſtolorum ſtatuentis, ſequi juſſi. *Controverſia de Paſchate*

Tertia cauſa fuit tumultus *Meletii*, Lycopoleos in Ægypto Epiſcopi, qui funeſto ſchiſmate ſcidit Eccleſiam. Hic etenim propter plura crimina, ac præſertim idolorum cultum, à S. Petro Alexandrino Epiſcopo in frequenti ſynodo depoſitus, in eundem & ſucceſſores ejus furens, munere Epiſcopali contumaciter fungi perrexit, multis, qui propterea *Meletiani* dicti ſunt, in partes ſuas pertractis. *Et ſchiſma Meletianum.*

His igitur Eccleſiæ malis ut Sylveſter Pontifex, & Conſtantinus Imperator occurrerent, Concilium generale Nicææ in Bithynia celebrandum indixêre, anno 327. ùt Bellarminus ſentit, vel anno 325. ùt alii cum Baronio exiſtimant. Convenerunt igitur, impenſas & vehicula ſuppeditante pientiſſimo Imperatore, ex toto Oriente 118 Epiſcopi: inter quos eminebant, non tantùm vitæ ſanctimonia, ſed etiam eruditione viri clariſſimi, 2.
Alexander, Patriarcha Alexandrinus, cum Diacono ſuo, Athanaſio. *Euſtathius* Patriarcha Antiochenus, poſtmodum plurium criminum ab Arianis falsò inſimulatus, pro fide Chriſti in exilio mortuus. *Macarius* Jeroſolymæ Epiſcopus, Arianorum malleus. *S. Nicolaus*, Myræ in Lycia Epiſcopus, vitæ ſanctitate ac miraculis toto orbe celeberrimus. *Jacobus Niſibenus Paphnutius* Thebaidos, Spiridion Cypri Epiſcopus, aliíque multi *Patres venerabiles.*

Con-

Confessores, quorum decoras cicatrices, ab Ethnica Diocletiani Licinii que tyrannide relictas, Constantinus ille Magnus venerabundo non raro osculo est veneratus. Neque eodem cum Episcopis ordine sedere voluit, sed inferiori loco, nec nisi illis annuentibus, non Judicem, sed Defensorem Concilii professus.

Cum Episcopis multi Presbyteri & Diaconi aderant, qui tamen non subscripserunt, sed disputando, ac rebus discutiendis inserviebant.

Ex Occidente tantùm adfuerunt tres Apostolicæ sedis legati, nempe *Osius* Cordulensis in Hispania Episcopus, *Vitus & Vincentius* presbyteri Romani cum *Nicasio* Diniensi in Galliis Episcopo.

3. *Damnatus Arius.* Postquam Patres Collecti oratione per *Eustathium* habita, salutaverunt Imperatorem, atque ab eodem ad pacem Ecclesiæ reducendam animati fuerant, lectæ sunt Arii in Filium DEI blasphemiæ, ad quas cohorruit pius cœtus; invitati nihilominus Ariani, ne conqueri possent, se non-auditos damnatos esse. Disputatum proin cum illis, ac præsertim ab Athanasio, tunc adhucdum Diacono cum ipso Ario: qui rebus probè expensis cum asseclis & hæresi sua ab universo Episcoporum Concilio est damnatus, ac vindicata Filii Divinitas, conscriptúmque per Osium *Nicænum Symbolum*, quo Dei Filius asseritur Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero ὁμοούσιος, seu consubstantialis Patri. Hoc Symbolum ita habet:

Symbolum Nicænum.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, Factorem cœli & terræ, omnium visibilium & invisibilium: Et in unum Dominum Nostrum Jesum Christum, Filium Dei Unigenitum, genitum à Patre ante omnia sæcula, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non creatum, Consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlo: & Incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, & Homo factus, crucifixus pro nobis sub Pontio Pilato, mortuus, sepultus: Et Resurrexit tertia die secundum scripturas. Ascendit ad cœlos: sedet ad dexteram Dei Patris in excelsis. Iterum venturus est cum gloria, judicare vivos & mortuos, cujus Regni non erit finis.

Reliqua, quæ habemus in Symbolo, addita sunt à secunda Generali Synodo, seu Constantinopolitana I. ad confutandam præcipuè Macedonii hæresin, Spiritui sancto Divinitatem abnegantis.

Decisio Quæstionis de Paschate.

4. *Definitio controver-* Altera dein Quæstio expensa, ac definitum, Pascha non esse cum Judæis celebrandum decima quarta lunæ mensis primi (erat autem mensis primus, *Nisan* dictus, apud Hebræos, cujus decima quarta lunæ, seu dies pleni-

plenilunii, incidebat vel in ipſum diem æquinoctii verni, vel proximè poſt *ſiæ paſchalis.*
æquinoctium) ſtatutum igitur, ut paſcha ſemper celebretur die Dominica proximè ſequente plenilunium, quod primum occurrit poſt æquinoctium vernum. Hoc autem æquinoctium à Concilio Nicæno fixum eſt (moraliter ac civiliter) in diem 21. Martii. Unde, ſi plenilunium incideret in 20. Martii, adeóque uno die ante æquinoctium, deberemus adhuc per integrum menſem lunarem exſpectare, nempe per 29. dies, uſque ad primum plenilunium poſt æquinoctium, nempe uſque ad 8. Aprilis: & ſi illa dies eſſet Dominica, adhuc exſpectandum eſſet per ſeptem dies uſque ad Dominicam ſequentem, nempe uſque ad 25. Aprilis, in quam incidit Feſtum S. Marci, quo die in hoc caſu juxta Concilium Nicænum celebrandum eſſet paſcha: contra verò, ſi plenilunium incideret in ipſam diem æquinoctii, nempe in 21. Martii, & ſequens dies, nempe 22. Martii eſſet Dominica, hac die jam deberet celebrari. Adeóque paſcha celebrari nunquam poteſt ante 22. Martii, neque poſt 25. Aprilis. Si quis ulteriorem hac de re notitiam deſiderat, conſulat Clavium, Petavium, Guldinum, Deſchalles, ac præcipuè aureum opuſculum P. Joſephi Falck S. J. *Chriſtianum Paſcha* inſcriptum, ac nuper primùm editum, præſertim *cap.* 3. *§.* 4. ubi docet, quid ratione paſchatis actum ſit in Concilio Nicæno, & poſtea obſervatum.

Deciſa denique tertia Quæſtio in cauſa Meletii, ſtatutúmque, ut retento nudo Epiſcopi nomine, maneret Lycopoli, abſtinens omni Epiſcopali munere & functione. 5. *Cauſa Meletii Judicata.*

Additi inſuper ſaluberrimi Canones pro Diſciplina Eccleſiaſtica, vel firmanda, vel reſtauranda. De quorum tamen numero magna eſt diſſenſio. Nam *can.* 12. *diſt.* 16. dicitur, conſtare ex Epiſtola S. Athanaſii 70. fuiſſe Canones. Arabicè ſcripti habentur omnino 80. nunc etiam latinè verſi & impreſſi. Soléntque plures citari, qui in 20. illis, quos omnes agnoſcunt, non continentur. Communiter tamen 20. in omnibus Conciliorum Collectionibus relati, tanquam verè & extra omnem controverſiam authentici numerantur. 6. *Numerus Canonum incertus.*

§. II.
Summa Canonum.

Horum Canonum, prout apud Dionyſium Exiguum, & Ruffinum in *Hiſt. Eccleſ. lib.* 11. *cap.* 6. habentur, hæc eſt ſumma. Præmiſſo Symbolo Nicæno tanquam formula Fidei ſtatuitur, 7.

1. Ne admittatur ad clerum, qui ſe ipſum abſcidit. *Huic ſtatuto occaſionem dedit Leontius presbyter, qui ſe ipſum abſcidit, ut libere uti poſſit commercio cum muliercula, depoſitus propterea; & Arianus deinde factus Epiſcopus.*

Potest etiam factum Origenis ansam dedisse Canoni. Ratio autem datur can. 22. Apost. quia sui ipsius homicida est. Unde, qui à Tyranno, aut Chirurgo est castratus, aut evnuchus natus, non est irregularis.

2. Neque ordinetur in Presbyterum vel Episcopum Neophitus, seu recens à gentilitate conversus. *Hic Canon objectus est à Synodo VIII. Photio, qui miles antea, dejecto Ignatio se intrusit in sedem Constantinopolitanam; verùm ille objecit exemplum Nectarii. Ambrosii & Tharasii. Sed quoad istos speciales circumstantiæ exigebant, aut excusabant: ùt Nicolaus I. Photio respondit.*

3. Ne Clericus mulierem in domo habeat, præter Matrem, sororem, amitam, materteram. *Notent hunc Canonem Protestantes: non excipit uxorem. Unde fabula esse videtur, quod de Paphnutio pro retinenda uxore loquente toties oggerunt.*

4. Episcopus ordinetur à totius Provinciæ Episcopis, aut saltem de eorum consensu à tribus, confirmatione reservata Metropolitano. *Huic occasionem dedit Meletius, qui ab Episcopatu depositus, nihilominus adhuc plures ordinavit Episcopos, non sine magna perturbatione Ecclesiæ.*

5. Excommunicatus ab uno Episcopo non recipiatur ab altero. *Huic occasionem dedit Eusebius Nicomediensis, qui Arium, ab Episcopo suo excommunicatum recepit.*

6. Alexandrinus Episcopus per Ægyptum, Libyam & Pentapolim potestatem habeat: quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est, & Antiochiæ. Unde si quis præter sententiam Metropolitani sit factus Episcopus, non oportet eum esse Episcopum. *Hoc Canone, occasione Meletiani Schismatis condito, multùm abutuntur Protestantes, etiam hodierni, volentes ex eo probare, Romanum Pontificem nihil juris habuisse in reliquos Patriarchas, eorúmque Ecclesias, sed quemlibet habuisse sub se certas tantùm Provincias determinatas. Verum hic Canon non loquitur de Romano Episcopo, ùt est summus Pontifex, Papa Universalis, & Caput totius Ecclesiæ; sub qua consideratione habet potestatem in totam Ecclesiam, & in reliquos etiam Patriarchas: sed loquitur de eo, ùt est Patriarcha Occidentis: sub qua ratione habet potestatem in Episcopos & Ecclesias sui Patriarchatus, sicut Alexandrinus & Antiochenus in Episcopos & Ecclesias sui Patriarchatûs.*

7. Æliæ (hoc est Jerosolymæ) Episcopo deferatur antiqua honoris prærogativa: salvo tamen jure Cæsariensis Metropolitæ. *Hunc Canonem Ruffinus ponit octavum (septimum verò de consensu, præsertim Metropolitani requisito, quando est dissensio circa ordinationem Episcopi) Dionysius Exiguus verò Isidorus Mercator, & Gentianus Hervetus, collocant eum septimo loco, in suis interpretationibus & collectionibus. Annatus verò videtur lib. 5. sect. 3. art. 2. perperam*

peram ſcribere, quod Concilium Nicænum Patriarchalem honorem vetuſta conſuetudine partum confirmârit Epiſcopo Hieroſolymitano: nam illo tempore necdum erat ſedes Patriarchalis Jeroſolymæ.

8. Novatiani, ſeu Cathari ad Eccleſiam revertentes, ſi Clerici ſint ordinati in ſua ſecta, maneant in clerò, ſi promittant ſervare leges Catholicæ Eccleſiæ, & bigamis ac lapſis communicare. Si verò fuerit Epiſcopus, maneat in ordine Presbyterorum. Ne in una Civitate duo ſint Epiſcopi. *Hanc clauſulam Ruffinus ponit in Canone decimo.*

9. Criminoſi, aut ſinè examine promoti ad presbyteratum rejiciantur.

Canon decimus, undecimus, duodecimus, & decimus quartus præſcribunt pœnitentiam lapſis in perſecutione.

13. Infirmis in vitæ exitu maximè neceſſarium viaticum miniſtretur. *Ubi per viaticum maximè neceſſarium videtur intelligi abſolutio Sacramentalis à peccatis, ùt explicat Concilium Arauſicanum I. can.* 3.

15. Epiſcopi, presbyteri & Diaconi ab una Eccleſia in aliam non transferantur: & translatio ſit irrita, & translati ad priſtinam Eccleſiam redeant; quod ſi non fecerint, excommunicentur. *Hoc ſtatutum eſt occaſione data ab Euſebio Nicomedienſi, ab Eccleſia Berocenſi ad Nicomedienſem transeunte. Et cùm poſtea etiam ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum ſe transferri curâſſet, pluréſque Epiſcopi majoribus ſedibus inchiâſſent, à Concilio Sardicenſi diſtrictiùs id eſt probibitum can.* 1.

16. Idem fere prohibetur circa tranſitum ab una parochia ad alteram, Epiſcopo non conſentiente: & ne Epiſcopi alienos clericos ordinent.

17. Clerici uſurarii deponantur.

18. Diaconi tanquam inferiores presbyteris ſe exhibeant; nec presbytero Euchariſtiam porrigant. *In neceſſitate tamen poſſunt illam populo porrigere: ùt explicat Concil Carthag. IV. can.* 38.

19. Pauliniſtæ, hoc eſt ſectarii Pauli Samoſateni, ad Eccleſiam revertentes baptizentur. Et Diaconiſſæ inter laicas perſonas reputentur. *Baptiſmus Pauliniſtarum laborabat defectu ſubſtantiali circa formam.*

20. Ut ſervetur conformitas, die Dominica ſtando fiat oratio. *Ecce antiquitatem hujus moris, in honorem Chriſti reſurgentis introducti!*

Iſti ſunt celeberrimi illi 20. Canones Nicæni, quos ex interpretatione & Collectione Dionyſii Exigui, Iſidori, & Herveti, atque ex Ruffini libro ſummatim adducere viſum eſt. Quia non omnibus hi libri, aut tomi Conciliorum ſunt ad manum.

Certum tamen eſſe videtur, Canones multò plures à Concilio Nicæno 8.
eſſe editos, vel temporum injuria deperditos, vel ex Arabica editione, *Plures*
magnam ſaltem partem adhuc aliquatenus conſervatos. Patere id vel *ſunt quàm*
ex eo arbitror, quòd inter 20. memoratos Canones nullus extet, qui de *20.*

Paſchate, non decima quarta luna primi menſis, ſed Dominica prima ſequente celebrando ſtatuat; cùm tamen certum ſit, hoc in Nicæno ſtatutum fuiſſe: ùt conſtat ex Epiſtola S. Athanaſii de ſynodo Ariminenſi, & Euſebio lib. 3. de vita Conſtantini.

Deinde in 20. illis Canonibus nihil memoratur de Bigamis non ordinandis: cùm tamen hoc in Concilio illo ſancitum eſſe apertè conſtet ex S. Ambroſio in epiſt. ad Vercellenſem Epiſcopum: in qua ſcribit, non ſolum Apoſtolum ſtatuiſſe, ut non ſit Epiſcopus aut Presbyter, qui ſecunda conjugia ſortitus ſit, ſed etiam Patres in Concilio Nicæno addidiſſe, neque Clericum talem eſſe oportere.

Denique S Hieronymus epiſt. 3. de libro Judith ſic loquitur: *Sed quia hunc librum ſynodus Nicæna in numero ſacrarum ſcripturarum legitur computâſſe, acquievi petitioni veſtræ.* Inter 20. autem dictos Canones nulla omnino fit mentio de ſacris ſcripturæ libris, nedum de libro Judith. Taceo, quòd paſſim alii adhuc Concilii Nicæni citentur Canones.

De tempore, quo finita ſit hæc ſynodus, non conveniunt ſcriptores. Nam Bellarm. *lib.* 1. *de Concil. cap* 5. cenſet, illam durâſſe tribus annis, ab anno nempe 327. ad 330. alii verò communiter ſcribunt, eſſe inchoatam anno 325. & eodem anno finitam.

Miſſa autem ſunt acta Concilii, Patribus Nicænis adhuc congregatis, à Conſtantino Imperatore ad Sylveſtrum ſummum Pontificem, qui coacto 275. Patrum ex Italia, viciníſque provinciis Concilio illa approbavit ùt habetur apud Labbeum & Coletum tom. 2. Concil. ex præfat. Dionyſii Exigui ad Concil. Nicænum.

§. III.
An Nicænum Concilium conceſſerit Sacerdotibus uſum matrimonii?

9. Quæres, quid ſentiendum de hiſtoria, quam narrant Socrates *Hiſt. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 8. & ex eo Sozomenus *lib.* 1. *c.* 22. quàmque nobis Proteſtantes, Cœlibatum Sacerdotum impugnantes, frequenter objiciunt; quòd videlicet Concilium Nicænum Clericis prohibere voluerit uſum
10. uxorum, quas adhuc Laici duxerant; interceſſiſſe autem *Paphnutium* huic Patrum Conſilio: rem nimiùm eſſe difficilem, & incontinentiæ occaſionem daturam: ſatis eſſe, ſi more majorum ordinati non ampliùs admittantur ad nuptias: tunc verò Concilium Paphnutio conſenſiſſe.

Narratio de Paphnutio examinatur.

Reſp. Hanc narrationem probabiliùs eſſe à mulieroſis Græculis confictam, cùm Patres & ſcriptores, antiquiores Socrate & Sozomeno, ùt Athanaſius, Euſebius, Epiphanius, Ruffinus &c. nullam omnino de hac re mentionem faciant. Quamvis plures poſteriores, inter quos eſt Gelaſius

Falſa eſt.

lasius Cyzicenus in sua de Concilio Nicæno historia, illam ex Socrate & Sozomeno exscripserint.

Deinde, licèt Paphnutius tale quid proposuisset, falsum tamen omnino est, quòd Concilium consenserit, cùm Can. 3. prorsus contrarium statuerit, nempe nulli Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono licere fœminam aliquam domi retinere, præter matrem, sororem, vel amitam: ubi satìs apertè excluditur uxor, quæ primo loco nominanda fuerat, si vera esset illa narratio. 11. *Statutum contrarium.*

S. Epiphanius etiam paulò post Concilium Nicænum hæresi 59. quæ est Catharorum, disertis verbis scripsit, adversari sacris Canonibus, quòd Episcopus, Presbyter, vel Diaconus ex uxore liberos gignat. Item S. Ambrosius lib. 1. de offic. cap. ult. & Hieronymus lib. contra Vigilantium, scribunt, neque in occidente, neque in oriente licitum esse ad sacrum ministerium assumi nisi virgines, aut continentes, aut qui, si uxores habeant, ab usu matrimonii abstineant.

Idem brevì post Concilium Nicænum in Arelatensi Can. 2. & in secundo Carthag. Can. 2. statutum est. Quomodo autem est credibile sanctos illos Patres, & ista Concilia paulò post generalem synodum Nicænam hæc scripturos aut statuturos fuisse, si narratio illa de Paphnutio subsisteret?

Unde Lutherus, more suo eodem ructu nigrum albúmque exhalans, cum referens hanc de Paphnutio historiam dixisset, Concilium à conclusione destitisse, deinde apertè dicit, Concilium Nicænum prohibuisse Sacerdotibus usum uxorum, ac se non intelligere Spiritum sanctum in eo Concilio, cùm & castrationem prohibeat, & contubernium fœminarum. 12. *Probrosa sectariis.*

Deinde licèt omnia vera essent, quæ Protestantes de illa historia narrant, tamen ad nihil eis serviret, nisi ad majus probrum & dedecus, majorémque suam confusionem. Nam narratio illa apertè dicit, Paphnutium omnino institisse mori antiquo, ne illi, qui jam sunt Clerici ordinati, ampliùs admittantur ad nuptias. Cui mori antiquissimo & decreto primi Concilii Generalis Lutherus, aliíque novi Evangelii Prophetæ prorsus contrarium egerunt, dum jam Sacerdotes sacrilegis nuptiis adhinnierunt: in venerationem videlicet Concilii Nicæni, quod arctissimè se amplecti dicunt.

§. IV.

De Concilio Sardicensi tanquam Complemento Nicæni.

Appendix & complementum Concilii Nicæni fuit Concilium *Sardicense*, utpote in quo nihil novi ad fidem pertinens est statutum, sed ea tantùm novis suffragiis stabilita & confirmata sunt, quæ Patres in Nicæna 13.

ſynodo tradiderant. Et hinc, quia Patrum in Concilio Nicæno & Sardicenſi fuit una mens, unus Spiritus, una ſententia; ideò ſæpiùs Concilium Sardicenſe citabatur nomine Concilii Nicæni: Sic Innocentius & Zoſimus Pontifices in epiſtolis ad Concilium Carthag. VI. Sardicenſes Canones appellârunt Nicænos, quin tamen propterea crimen falſi commiſerint, ùt ſancti iſti Pontifices à Præconibus Tigurinis malignè accuſantur.

14. *Furor Arianorum.* Fuit autem Concilium hoc Sardicenſe omnino *Generale*. Nam poſt Concilium Nicænum Ariana hæreſis perrexit furere, primùm quidem clam, ſuperſtite Conſtantino, pientiſſimo Nicæni defenſore; eo verò defuncto, in Conſtantio Auguſto fautorem nacta in apertum prorupit, authore potiſſimùm Euſebio Nicomedienſi; qui ab Epiſcopatu quidem depoſitus, ſed Nicænam confeſſionem ſimulans, iterum intruſus, ac ſubin etiam Conſtantinopolitana ſede occupata, quidquid furoris virulenti in corde collegerat, incredibili rabie, immanitate ac violentia in Epiſcopos orthodoxos

15. *Præſertim in S. Athanaſium.* effudit, ac præſertim in S. Athanaſium, Patriarcham Alexandrinum, Catholicæ veritatis propugnatorem invictiſſimum; cui proin implacabili odio concepto bellum perpetuum indixêre Ariani. Hinc tot illæ falſæ accuſationes, fraudes, condemnationes iniquiſſimæ in tot ſynedriis Arianis, illæ proſcriptiones & exilia viri inflexibilis atque integerrimi.

Appellavit ille ab iniquis Epiſcoporum Arianorum ſententiis ad Sedem Apoſtolicam, Eccleſiarum omnium matrem, ac moderatricem, cui tunc Julius præfuit. Hic ſuſcepto Athanaſii Patrocinio, generalem ſynodum Sardicæ, Illyrici urbe, habendam indicit, anno 347. implorato Conſtantii atque Conſtantis Imperatorum auxilio.

Convenerunt Epiſcopi ex occidente ad 280. ex oriente 76. nomine Julii Papæ præfuit rurſus Oſius. Aderat etiam Athanaſius cum ſociis, ad crimina objecta diluenda. Quos cum occidentales Patres ejicere nollent, orientales, præſertim Aſiatici, Arii ſectatores aut fautores, *Semi-Ariani* dicti, *Philippopolim* abierunt, ibíque ſoli conciliabulum conflabant, cui *Sardicenſis Concilii* nomen affinxêre. In hoc damnato Nicæni dogmate, Julio, Oſio & Athanaſio anathema dixerunt. Sardicenſes verò Patres ex diverſiſſimis nationibus congregati, Nicænum confirmârunt, damnatis rurſus Arianis: additíſque 20. Canonibus, Græca & Latina lingua, de diſciplina Eccleſiaſtica. Nempe,

16. *Canones Sardicenſes.* Ut nullus Epiſcopus ad aliam Eccleſiam tranſeat: ut in litibus Epiſcoporum judicent Epiſcopi ejusdem Provinciæ; & ſi quis ab eis deponatur, relinquitur ei jus appellandi Romam ad ſummum Pontificem, qui Legatum poteſt mittere, judicium unà cum Epiſcopis reſumpturum. *Hic eſt Canon ille, qui à Zoſimo Papa in epiſtola ad Africanos Epiſcopos, in ſexta Carthag. ſynodo congregatos, ſub nomine Canonis Nicæni citatus controverſiis occaſio-*

nem

nem dedit inter Papam & Afros in causa appellationis: hæreticis etiam nostri temporis ansam inde captantibus accusandi Pontificem, tanquam falsarium. Sed paulò antè ad hoc responsum est.

Reliqui Canones tractant de modestia Episcoporum, ne temerè ad comitatum, & aulam Imperatorum vagentur; de residentia Episcoporum; de dignis eligendis; de non ordinandis alienis sinè consensu proprii Episcopi; de excommunicatis non recipiendis ab alio Episcopo; de Clerico, à suo Episcopo expulso, à finitimis Episcopis judicando; de recipiendis persecutionem patientibus &c.

Nota. Orientales, qui Sardica secesserant, & Philippis in Thracia 17.
separatum conventiculum instituerant, in aliquibus Arium damnârunt. *Semi-*
Nam Filium Dei nominabant quidem, ante omnia sæcula ex Patre geni- *Ariani.*
tum, Deum ex Deo: negabant tamen esse æqualem & consubstantialem Patri; ac propterea *Semi Ariani* sunt appellati. Cùm autem suam formulam fidei ubique disseminarent sub nomine Concilii Sardicensis, adjutore Constantio Imperatore Ariano, verum Concilium Sardicense fermè in oblivionem venit: unde aliqui, inter quos referunt ipsum S. Augustinum, tantùm Semi-Ariani illius conciliabuli Sardicensis mentionem
fecerunt. In ultima Conciliorum editione Veneta Coleti taxatur etiam 18.
Bellarminus, quòd non satìs distinxerit inter duo ista Concilia Sardicen- *Duplex*
sia, alterum Catholicum, alterum Arianum & suppostitium. At satìs ille *Concilium*
distinxit lib. 1. de Concil. cap. 7. dum scripsit, Concilium Sardicense par- *Sardicense.*
tim esse confirmatum, partim reprobatum, eò quòd 300. Episcopi occidentales fidem Catholicam confirmârint, Episcopi orientales verò fidem Arianam scripserint.

ARTICULUS II.

De Concilio Generali II. Constantinopolitano I.

Pro Spiritûs S. Divinitate contra Macedonium sub Damaso I. & Theodosio Seniore anno 381.

SUMMARIUM.

§. I.

Synopsis Historica.

1. *Ex Ariana hæresi nata est Macedoniana contra Spiritûs S. Diviniatem.*
2. *Propterea celebratum hoc Concilium. Quot, & quinam interfuerint?*
3. *Idem Concilium in Oriente & Occidente celebratum.*

§. II.

De Symbolo, & Canonibus Concilii.

4. *Exponitur Symbolum fidei Constantinopolitanum.*
5. *In quo variæ hæreses damnatæ.*

6. *Addi-*

6. *Additi 3. Canones.*
7. *Decernitur sedes Constantinopolitana prima post Romanam: contradicente Papa.*
8. *S. Gregorii Naz. abdicatio.*
9. *Ejus oratio in hunc finem habita in Concilio.*

§. I.

Synopsis Historica.

1. *Ex Ariana hæres.* Constantio & Valente Imperatoribus Arianis, Catholicam Ecclesiam persequentibus, mirum est, quantas in vires excreverit Ariana hæresis. Innumera, præsertim sub Constantio, instituta diversis in locis conciliabula, nullo alio operæ pretio, nisi ut plures perverterent, & non tantùm à Catholicis, sed etiam inter se, in plures sectas divisi, dissentirent. Hinc tot támque varia apud eos symbola Fidei, Arianorum, Semi-Arianorum, hísque ipsis in diversos rursus errores dissectis, quolibet ingenio luxuriante, ùt fit apud omnes novatores, novam sibi sentiendi credendíque formam procudente.

Nata est Macedoniana. Prodiit ex infecta vitiatáque hac stirpe multifaria lues: atque comprimìs *Macedoniana* hæresis. Sic dicta à *Macedonio*, quem Constantius, Arianorum malis artibus depulso Paulo, in Constantinopolitanam sedem intrusit. Hic igitur non contentus cum Arianis Filium Divinum Patre minorem facere, ùt novi quid parturiret, atque ulterius porrigeret blasphemiam, Spiritum Sanctum creaturam esse docebat, nulla in eo agnita Divinitate. Unde ipsius sectatores *Pnevmatomachi* appellabantur, hoc est, Spiritûs Sancti oppugnatores.

2. *Hæc causa Concilii,* Ut impium hoc dogma, in plures, ùt fieri consuevit, propagines diffusum, eradicaretur, anno 381. ad Damasi Papæ litteras à Theodosio seniore, piissimo Principe, generale hoc Concilium est convocatum, teste Theodoreto *lib. 5. Hist. Eccles. cap. 9.*

Convenerunt autem ex diversis Provinciis Orientalibus 150. Episcopi: quos inter quatuor Patriarchæ, videlicet Nectarius Constantinop. Timotheus, Alexandrinus, Meletius Antiochenus, & Cyrillus Hierosolymitanus, item S. Gregorius Nyssenus, & S. Gregorius Nazianzenus. Qui pulcherrima Oratione ad Patres congregatos habita, se lubens abdicavit Episcopatu Constantinopolitano, suffecto in ejus locum Nectario, senatorii ordinis viro, jam grandævo, sed adhuc Catechumeno.

3. *Duobus locis celebrati.* Ex Occidentalibus nemo aderat, sed Damasus Papa eodem tempore Romæ congregavit Concilium ex Occidentalibus Episcopis, & quidem in eadem omnino causa, nimirum propter hæresin Macedonii. Atque sic duo illa Concilia, locis quidem disjuncta, animis tamen & sententiis unita, in unum Concilium Generale coaluerunt.

§. II.

§. II.

De Symbolo, Canonibus, & Abdicatione S. Greg. Naz.

Condemnata Macedonii hæreſis, editúmque Fidei ſymbolum, quod hodiedum in Miſſa legitur. Quamvis autem hoc potiùs ſit *Symbolum Conſtantinopolitanum*, dicitur tamen communiter *Symbolum Nicænum*, quia ab hoc non differt, niſi quòd aliqua verba ſint addita, aut magis explicata, ut per illud manifeſtiùs variæ hæreſes rejiciantur. Addita autem ſunt Symbolo Nicæno ad condemnandas præſertim Macedonii, & Eunomii hæreſes, hæc verba: 4. *Exponitur Symbolum.*

Et in Spiritum ſanctum, Dominum & vivificantem, qui à Patre procedit: & qui cum Patre & Filio adoratur & glorificatur; qui locutus eſt per prophetas. Et unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur unum Baptiſma, in remiſſionem peccatorum. Exſpectamus Reſurrectionem mortuorum: Et vitam futuri ſæculi. Amen.

Dicitur igitur 1. *Et in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum &c.* Hoc, inquam, dicitur contra *Macedonium, Aëtium* & *Eunomium*, Spiritui S. Divinitatem detrahentes. Quando autem addita ſit vox illa *filióque* procedit, quod Græci Eccleſiæ Latinæ maximè objiciebant, ùt patet ex Concilio Florentino, non ſatìs conſtat. Hoc certum, quòd hæc additio, vel potiùs major declaratio, ſit in Eccleſia antiquiſſima. Neque rem ipſam, hac voce ſignificatam multùm negabant Græci (præſertim ubi audierunt, ſecundùm noſtram doctrinam Spiritum Sanctum ex Patre filióque tanquam uno principio, atque per unam ſpirationem procedere) ſed carpebant, ab Eccleſia Latina additionem aliquam eſſe factam contra prohibitionem primorum Conciliorum, dicentium anathema illis, qui ſymbolo addere aliquid præſumpſerint.

Dicitur 2. *Factorem cœli & terræ, viſibilium & inviſibilium*, contra *Marcionitas* & *Manichæos*, qui aſſerebant duo rerum principia, unum bonum, alterum malum. 5. *Contra diverſas hæreſes compoſitum.*

Dicitur 3. *Natum ante omnia Sæcula*, contra *Photinum*, qui verbum Divinum, non æternum, ſed in utero virginis primò cœpiſſe docuit.

Dicitur 4. *Natus ex MARIA Virgine:* contra *Apollinarem*, delirantem, Chriſtum carnem ſuam de Cœlo tuliſſe.

Dicitur 5. *Cujus regni non erit finis:* contra *Millenarios*, temporale ac terreſtre Chriſti Regnum comminiſcentes.

Dicitur 6. *Conſubſtantialem Patri:* contra *Arianos, Semi-Arianos, Homoeouſios*, qui Filium *ſimilis* cum Patre Subſtantiæ eſſe dicebant, &

Hetereuſios, qui neque ejusdem neque ſimilis cum Patre Subſtantiæ, ſed diverſæ eſſe volebant. Item contra Conſtantium Imperatorem, qui edicto vetuit, Chriſtum dici *Homouſion*, ſeu conſubſtantialem, ùt Catholici docebant: (quos propterea *Homouſianos* appellabant,) aut *Homœouſion*, ſeu ſimilem ſubſtantia, aut *Heterouſion*, ſive diverſæ ſubſtantiæ, ùt Ariani volebant: ſed his vocabulis abſtineri voluit, eò quòd natura & ſubſtantia Dei ſit inſcrutabilis, nihilque hac de re expreſſum habeatur in S. Scriptura.

6. Denique in hoc ſymbolo fit diſtinctio Divinarum Perſonarum; contra *Sabellium;* qui unam, tantùm in Trinitate Perſonam eſſe volebat.

Additi 3. Canones.

Inſuper in hoc Concilio, ùt habetur *can.* 10. *diſt.* 16. additi ſunt tres Canones potiſſimùm per Nectarium.

In 1. ſtatuitur, ut Nicænum Concilium per omnia firmum maneat: atque anathema dicitur Macedonianis, Arianis, Eunomianis, Sabellianis, Photinianis, Apollinariis, &c. In 2. Patriarchis confirmatur poteſtas in ſuas Provincias, à Nicæno deſignatas. Vetatùrque, ne Epiſcopi alienas Eccleſias accedant, ad faciendas ibi ordinationes, niſi ſint vocati.

7. Inſuper Epiſcopo Conſtantinopolitano decernitur primus locus ac dignitatis gradus poſt Romanum Epiſcopum, eò quòd ſit Epiſcopus novæ Romæ.

Decernitur ſecunda ſedes Conſtantinopolitano.

Hanc clauſulam non acceptavit Romana Eccleſia usque ad tempora Innocentii III. imò in Concilio Chalcedonenſi Legati Pontificii ſeſſ. 16. *ſunt proteſtati, hunc Canonem in Canonicis ſanctionibus non reperiri.*

In tertio ſtatuitur, *Maximum*, perperam ordinatum Conſtantinopoli, non eſſe habendum pro Epiſcopo.

8. Nam hic homo, Philoſophus Cynicus, tumultuariis ſuffragiis quorundam Epiſcoporum, maximè Ægyptiorum, ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum fuerat intruſus: quem tunc S. Gregorius Nazianzenus, poſt Macedonium, Eudoxium, & Demophilum, Arianos Epiſcopos, ſanctiſſimè regebat. Verùm, ut pax reduceretur, Gregorius, prout antè memoratum, jure ſuo ultro ceſſit, Maximo verò à Concilio depoſito, Nectarius ſuffectus eſt

Greg. Nazianz. abdicatio.

9. Exſtat in tomis Conciliorum elegantiſſima Gregorii Nazianzeni Oratio in Concilio ad Patres habita: in qua memorat, quas perſecutiones à Conſtantio, Juliano, & Valente, tum ipſe, tum omnis Eccleſia Catholica ſit paſſa: quomodo ipſe Conſtantinopolitanam Eccleſiam, Arianis procellis tot annos agitatam, expurgârit, atque ad veræ doctrinæ ac diſciplinæ normam per manſuetudinem ſuaviter flexerit. Pergit deinde ad doctrinam ſuam de Sanctiſſimo Trinitatis myſterio explicandam: petitque à Con-

Ejus oratio in Concilio.

à Concilio ætatis senio & laboribus confectæ præmium: sed non aliud, quàm ut onere levetur, & alius pro Ecclesia Constantinopolitana subrogetur, qui dignus sit. Describit Episcoporum quorundam ambitionem & in fide etiam inconstantiam, ad quamvis auram versatilem. Diluit ea, quæ in ipso carpebantur, videlicet, quòd versis rerum vicibus, cùm polleret ipse favore Imperatorum, nulla tamen de hæreticis, tam atrocibus antea persecutoribus, ultio sumatur; Quòd abjectam nimis prò tanta dignitate humilémque vitæ rationem ineat. Tandem iterato dimissionem flagitans, in fine orationis datis salubribus monitis, urbi valedicit.

ARTICULUS III.

De Concilio Generali III. Ephesino.

Pro una in Christo Persona, contra Nestorium, sub Cœlestino I. & Theodosio Juniore, Anno 431.

SUMMARIUM.

§. I.

Synopsis Historica.

1. *Cùm Nestorius Christum in duas Personas distraheret, & in DEI Matrem fureret.*
2. *In Concilio primùm Romano à Cœlestino I. damnatus:*
3. *Dein etiam à S. Cyrillo per* 12. *Anathematismos.*
4. *Cúmque contumax in Concilio Ephesino nollet comparare, est depositus.*
5. *At ille cum Joanne Antiocheno Conciliabulum Ephesi conflat, Cyrillum deponit, & legitimam Synodum Anathemate fulminat.*
6. *Quare Cyrillus à Theodosio, mendaciis circumvento, datus in custodiam.*
7. *At brevi liberatus, pulso in Exilium Nestorio.*
8. *Antiochena Ecclesia conciliata cum Alexandrina.*
9. *Nestorius in Exilio miserè perit.*

§. II.

Acta Concilii.

10. *Damnatur Nestoriana hæresis.*
11. *Vetita mutatio Symboli Nicæni.*
12. *Canones Concilii contra Nestorianos & Pelagianos.*
13. *Summa* 12. *Anathematismorum Cyrilli in Nestorium.*
14. *Crisis de doctrina Cyrilli & Nestorii.*

§. I.

Synopsis Historica.

Sicut à Concilio Nicæno ad Constantinopolitanum I. intercesserunt 50. anni, ita ab hoc ad Ephesinum: nam hoc celebratum est anno 431. contra Nestorium. Quod hac ratione contigit.

Nestorio furenti. Post Arianos sede Constantinopolitana pulsos, Ecclesiam illam Episcopi 6. Catholici gubernabant, Gregorius Nazianz Nectarius, Joannes Chrysostomus, Arsacius, Atticus, & Sisinnius. Post hujus obitum Theodosius Junior, Arcadii Filius, *Nestorium*, Monachum Antiochenum, Theodori Mopsvesteni Discipulum, eloquentem equidem Hominem, sed incessus & supercilii gravitate, oris pallore ac macie non mediocrem nequitiam tegentem, ad Ecclesiæ illius regimen accersivit, veluti virum, qui veteris disciplinæ imaginem referret.

Venerat cum eo Antiochia *Anastasius* presbyter; qui aliquando in concione dixit, Beatam MARIAM non esse ΘΕΟ-Τόκον, seu Deiparam, eò quòd DEus ab homine nasci non posset. Collaudavit impiam vocem publica oratione Nestorius, Christum in duas distrahens hypostases ac personas, in Filios duos & Christos duos, unum quidem purum DEum ex patre DEo, alterum verò purum hominem ex homine. Unde vetuit B. V. MARIAM appellari *Theotocon* seu *DEI Genitricem, substituitque* vocem *Christotocon.*

Cúmque Dorotheus quidam, Sacris operante Nestorio, ex Cathedra Anathema diceret illis, qui Deiparæ vocem usurparent, facinus insolens probavit Nestorius, horrescente ad impium dogma fulménque inauspicatum urbe Catholica, Deiparæ cultrice, & justo fremitu indignante.

2. *In Romano Concilio damnato.* At Nestorius, lupum induens, minis, furore, laniena, in gregem grassatus, immanitate rabida Clericos invasit, qui blasphemiæ se opponere proposuerant. Cúmque contagium latiùs serperet, Cœlestinus Papa coacto Romæ Concilio Nestorium damnat, atque, ut idem facerent Orientales Episcopi, per Epistolas hortatur, præsertim *Cyrillum* Alexandrinum Patriarcham, cui in Concilio Orientali vices suas demandavit.

3. *S. Cyrillus opponit 12. anathematismos.* Cyrillus, vir doctrinæ & Sanctitatis fama clarissimus, quem Divina Providentia Nestorio Antagonistam, & veritati Orthodoxæ vindicem dedit, scriptis jam antè tribus libris ad Theodosium, Pulcheriam & Eudoxiam contra hæresin Nestorianam, Concilium ex Ægypti Episcopis Alexandriæ indixit, in quo condita 12. capita, 12. *Anathematismi Cyrilli* dicta: quia scilicet in eis anathema ferebatur in propositiones Nestorii; Nestorius in dies efferatior 12. alios opposuit Anathematismos.

Datis itaque ad Joannem Antiochenum, & Juvenalem Jerosolymitanum, aliósque Orientales Episcopos litteris, Cyrillus Concilii Generalis necessitatem ob oculos posuit, exposita etiam Cœlestini voluntate. Imploratóque Theodosii Imperatoris auxilio, Ephesus Concilio locus designatur.

4. *Cùm autem in* Convenerunt eò 200. Episcopi cum Cyrillo, Præside Concilii, nomine & authoritate Cœlestini, solo Joanne Antiocheno Patriarcha moram nectente. Nestorius, qui jam antè, comitantium magna stipatus catervâ, Ephe-

Ephesum advolârat, accersitus tertiò à Patribus, ut in Concilio causam dicat, comparere pertinaciter detrectavit, repulsis etiam per milites ignominiosè Legatis Concilii; quare unanimi Patrum sententia damnatus, & ab Episcopatu ac Sacerdotio dejectus est, applaudente Ephesino populo. Subscripserunt etiam postea (quia primùm post sententiam advenerant) reliqui Cœlestini Papæ Legati. *Concilio nollet comparere Depositus.*

5. At *Joannes Antiochenus*, qui prolata in Nestorium sententia, cum Episcopis suis seriùs advenerat, accedente etiam *Candidiani* comitis, quem Imperator Concilii defensorem legaverat, instigatione, mendaciis, ac dolo contra condemnationem Nestorii, se absente factam, & approbationem anathematismorum Cyrilli, de quibus perperam sentiebat, apertè est protestatus, factáque secessione, Nestorio junctus, conciliabulum ex 30. perditis Episcopis coëgit, cui Oecumenicæ Ephesinæ Synodi nomen arrogârunt. *Cum Patriarcha Antiocheno, Conciliabulum Ephesi conflat,*

In hoc impio conventiculo primùm Theodoreti Cyrensis operâ confutati sunt 12. Cyrilli anathematismi; Cyrillo ac Memnoni, Episcopo Ephesino, tanquam essent infecti Apollinaris hæresi, ademptus Episcopatus, reliquis Patribus veri Concilii communione privatis. *Ac fulmen in Cyrillum retorquet.*

Hos impios conciliabuli ausus indignissimè, ùt par erat, ferens sacra Synodus, Joannem tertiò ad se citat, rationem redditurum de injustis molitionibus, cúmque militum armis confisus venire detrectaret, ac Legatos per Clericos suos ignominiosè exciperet, cum sociis suis, Nestorii, Pelagii & Cœlestii lue infectis, communione fidelium per anathema à tota Synodo motus est.

6. Verùm Theodosius Imperator, pius equidem, sed decipi facilis, Joannis, ejúsque sequacium litteris præventus, Nestorium, Cyrillum & Memnonem, legitimè depositos credens, per Joannem comitem dat in custodiam. At missis à Concilio ad Imperatorem octo legatis Episcopis, meliùs informatus, Cyrillum ac Memnonem liberos dimitti jubet, Nestorium verò pelli in exilium, ejúsque in locum alium eligi Ecclesiæ Constantinopolitanæ Antistitem: electúsque est *Maximinianus*, vir probæ ac integræ vitæ. *Quare Cyrillus in custodiam datus;* 7. *At liberatus in exilium pulso Nestorio.*

8. Soluta jam Synodo, per triennium adhuc tenuit Alexandrinæ Ecclesiæ cum Antiochena discordia, ex utriusque Præsulis contrariis studiis orta. Quæ dissidia, cùm non nisi ad hæresum ac schismatum incrementum facerent, magno Catholicæ rei præjudicio, tandem mandato Imperatoris Joannes cum Cyrillo rediit in gratiam, & actis Ephesinæ Synodi subscripsit, damnata Nestoriana hæresi. Imperator etiam lege civili damnato Nestorii nomine, sectatorum ejus bona publicavit, ejúsque scripta legi severissimè prohibuit. *Antiochenus Conciliatus Alexandrino.*

9. *Mors Nestorii.* Neſtorius verò in Libyæ deſertis exulare juſſus, calamitate non melior factus, quocunque venerat, blaſphemias in Chriſtum, & ſanctiſſimam DEI Matrem non deſtitit evomere, donec, vermibus linguam impiam depaſcentibus, miſerè interiit, documento cum Ario futurus poſteris, non impunè os impium in cœlum poni.

§. II.
Acta Concilii.

10. *Damnatio Neſtorianæ hæreſis.* Cæterùm hæc Synodus abſoluta fuit ſeptem *actionibus*. In 1. cùm Neſtorius citatus Legatos protervè abigeret, & Joannes Antiochenus moras ex moris traheret, itum eſt ad judicium, atque prælecto Nicæno ſymbolo diſcuſsíſque Cyrilli ad Neſtorium, & hujus ad illum litteris, ſcriptíſque, damnata eſt cum auctore ſuo Neſtoriana hæreſis, ac definitum, in Chriſto unicam duntaxat eſſe perſonam, ac B. V. Mariam eſſe Deiparam. Quare in hoc Concilio, vel ab illius tempore addita creditur ſalutationi Angelicæ illa clauſula: *Sancta Maria Mater Dei &c.*

In 2. actione, cum gaudio à Synodo excepti Legati Cœleſtini Papæ: cui publicè acclamatum & actæ gratiæ. (*miſſi autem à Papa alii Legati, quia Cyrillus apud Imperatorem mala ſuſpicione laborabat, adeò, ut eum cuſtodire juſſerit tanquam depoſitum.*)

In 3. lecta ſunt Synodi geſta in cauſa Neſtorii coram Legatis Papæ, qui eadem approbârunt, & ſubſcriptione firmârunt.

In 4. & 5. actum de Joanne Antiocheno: contra quem queſtus Cyrillus de lata injuſtè in ſe & Memnonem depoſitionis ſententia, & affictione hæreſis Appollinariſtarum.

11. *Vetita mutatio ſymboli Nicæni.* In 6. damnato novo ac impio Theodori Mopſveſteni Symbolo, prohibita eſt novi Symboli confectio, & Nicæni mutatio.

In 7. præter 12. Cyrilli anathematiſmos, jam in prima actione lectos & probatos, additi ſunt octo Canones de modo procedendi contra Pelagianos & Neſtorianos. Videlicet 1. qui cum *Cœleſtio* ſentiunt, deponantur & communione priventur, (*tales plures fuêre ex illis* 30. *Epiſcopis, qui cum Joanne Antiocheno in conventiculum privatum ſeceſſerant*) 2. Adhærentes deficientibus à Concilio deponuntur à Sacerdotio. 3. à Neſtorio depoſiti reſtituantur. 4. Sectatores Neſtorii & Cœleſtii deponuntur. 5. Prohibentur reſtitui à Synodo condemnati. 6. Deponuntur perturbatores Synodi. 7. Nullum aliud ſymbolum, quàm Nicænum proferatur. 8. Nullus Epiſcopus in aliena Diœceſi ordinationes faciat.

12. *Canones Concilii, contra Neſtorianos & Pelagianos.*

13. *Summa 12. ana-* Duodecim autem capitum, ſeu anathematiſmorum Cyrilli hæc eſt ſumma. In 1. dicitur anathema illi, qui negaverit B. Virginem eſſe Dei Genitricem, cùm Verbum caro factum ſit. 2. Qui negaverit, unum eſſe

Chri-

Christum, Deum simul & hominum. 3. Qui asserit inter Verbum & humanitatem unionem tantùm moralem, secundùm dignitatem, authoritatem & potestatem. 4. Qui prædicata Christi duabus personis tribuunt, Divinæ & humanæ. 5. Qui Christum dixerit *Theophoron* seu *Deum ferentem*, non autem Deum veraciter. 6. Qui dixerit, Verbum esse Dominum Christi. 7. Si quis gloriam Unigeniti tribuit duobus. 8. Si quis dixerit Christum hominem tantùm coadorandum cum Verbo, tanquam alterum cum altero, & non una veneratione adorandum. 9. Si quis negaverit, Christum ex propria virtute Divina signa fecisse. 10. Si quis dixerit, quòd Christus pro se ipso se obtulerit oblationem. 11. Si quis dixerit, carnem assumptam non esse Verbi Divini, sed alterius conjuncti eidem Verbo per dignitatem. 12. Si quis negaverit, Dei Verbum passum carne, & crucifixum carne &c.

thematismorum Cyrilli.

Ex quibus patet, Cyrillum perpetuò doctrinæ suæ institisse, quòd scilicet in Christo duplex natura, Divina nempe & humana, per unam subsistentiam, eámque Divinam, in unitate personæ subsistat, ut adeò prædicata naturis propria, non duabus, sed uni Theandro seu Deo-homini sint tribuenda, ac proin dicendum; *Verbum caro factum est, natum, passum, mortuum & sepultum: item hic homo (Christus) est Deus immortalis, æternus, omnipotens:* quia scilicet prædicata duabus naturis propria, uni personæ sunt communia, atque de ea propter communicationem idiomatum prædicabilia; nequaquam verò prædicata unius naturæ de altera in abstracto: sic, ut dici possit: *Deus est passus ac mortuus; hic homo* (Christus) *est Filius DEI unigenitus ac naturalis, æternus, immensus:* non verò: *Deitas seu natura Divina est passa, aut mortua: humanitas est æterna, immensa &c.* sicut non dici potest, *B. V. Maria est mater Deitatis:* benè verò, *est mater Dei.* Ratio est, quam dixi, nempe unitas personæ, & duplicitas naturæ in Christo.

14. *Crisis.*

Contra verò Nestorius, melior Philosophus, quàm Theologus, naturali, humanæque rationi, atque ingenio suo nimiùm confisus, naturam inter & personam nesciens distinguere, ac propterea duas in Christo personas adstruens, Divinam unam, humanam alteram, in gravissimum errorem est prolapsus, ex quo variæ propositiones ipsius hæreticæ pullulârunt.

ARTI-

ARTICULUS IV.

De Concilio Generali IV. Chalcedonensi,

Pro

Duabus in Christo naturis, contra Eutychem & Dioscorum, sub Leone I. & Martiano Anno 451.

SUMMARIUM.

§. I.

Synopsis Historica.

1. *Hæresis Eutychis de una in Christo natura:*
2. *A Flaviano in Concilio Constantinopolitano damnata.*
3. *Eutyches appellat ad S. Leonem Papam, deinde ad Theodosium Imperatorem;*
4. *Denique Dioscorum malæ causæ patronum implorat,*
5. *Qui decepto Imperatore conciliabulum Ephesi congregat.*
6. *S. Flavianum Patriarcham occidit.*
7. *S. Leonem Papam excommunicat, omniáque inaudito furore miscet.*
8. *Theodosio etiam favente; at non impunè.*
9. *Post ejus mortem indictum Chalcedone Concilium à S. Leone.*
10. *Auxilio Martiani Imperatoris.*

§. II.

Acta Concilii.

11. *Accusatus Dioscorus à Dorylæi Episcopo, damnatus ac depositus.*
12. *Dogmatica definitio fidei de duabus in Christo naturis.*
13. *Imperator Concilium ingressus tria capita circa Disciplinam Clericorum proponit.*
14. *Theodoretus & Ibas restituti ejurato Nestorio.*

§. III.

Summa Canonum.

15. *Cœlibatus Sacerdotum.*
16. *Anatolius obreptitiè inserit Canonem de prima Sede Constantinopolitana post Romanam.*
17. *Protestantibus Legatis Romanis, & S. Leone.*
18. *Turbæ Alexandrinæ propter damnatum Dioscorum excitatæ per Timotheum Ælurum.*
19. *An Dioscorus verè fuerit hæreticus?*
20. *Ratio dubitandi est, quia non videtur esse damnatus ob hæresin.*

§. I.

Synopsis Historica.

1. *Eutyches.* *Eutyches*, Archimandrita Monasterii cujusdam Constantinopoli, ut ab errore Nestorii de duabus in Christo personis deflecteret, in extremè oppositum scopulum impegit, unámque tantùm in Christo naturam post unionem adstruebat. Sic enim ille arguit: in Christo una tantùm datur per-

perſona: atqui natura & perſona ſunt idem: ergo etiam una tantùm datur natura: quia videlicet natura Divina & humana ita ſunt inter ſe confuſæ, ut Divina natura humanam abſorberet, ſícque poſt unitionem ſola Divina natura in Chriſto exiſteret.

Hujus novæ hæreſis accuſatus eſt Eutyches in Concilio Conſtantino- 2.
politano, quod Flavianus, poſt Maximinianum & Proclum, Patriarcha, indixerat ad judicandam cauſam Florentii Epiſcopi. Ab hac igitur Synodo citatus ad dicendam cauſam Eutyches, obedire renuit, obtendens excuſationem valetudinis, ſenii, & clauſtralis ſolitudinis. Citatus tertiò, ſtipatus Monachorum & militum turba comparuit, atque interrogatus de fide ſua in Chriſtum, quæſito primùm effugio, denique reſpondit, ante unionem duas fuiſſe naturas, poſt unionem verò unam tantùm eſſe in Chriſto. Cúmque pertinaciter errori ſuo inhæreret, damnatus eſt à Concilio anathemate, 30. Epiſcopis, & 23. Abbatibus damnationi ſubſcribentibus.

A Flaviano damnatus.

At ille furens, affixis per urbem libellis, injuriam queſtus, ſcriptáque 3.
ad Leonem I. Romanum Pontificem mendaci epiſtola, appellationem ſuam ad ſedem Apoſtolicam rejectam, ſéque injuſtiſſimè oppreſſum dictitans, commovit primò Leonis animum, donec Flaviani litteris & actis Concilii miſſis Romam, veritas patuit. Hoc igitur aſylo erepto à Pontifice ad Imperatorem Theodoſium provocat. Hujus juſſu (adnitente *Chryſaphio*, apud Auguſtum gratioſo, & Eutychem jam tum redolente) releguntur acta Concilii; ex quibus integerrima Flaviani fides, Eutychis verò fallacia eluxit.

Appellat ad S. Leonem & Imperatorem.

Tertiam igitur ſcenam aperit, ac *Dioſcori* Patriarchæ Alexandrini 4.
opem implorat. Hic, vir improbus, & alioquin Flaviano infenſus (utpote cui Eccleſiam Conſtantinopolitanam invidebat) ſuſcepto cauſæ profligatæ patrocinio, ſuadet Imperatori, rem iſtam in Concilio Oecumenico definiendam eſſe. Decernitur invito Leone & Flaviano ſynodus, celebranda rurſus Epheſi, ubi ante 19. annos contra Neſtorium erat habita; convolat eò Dioſcorus cum Eutyche & 130. Epiſcopis.

A quibus rejectus Dioſcorum imploravit.

Nihil in eo Conventu actum ex lege, nihil moderatum; turbida om- 5.
nia, violenta, & à more Majorum abhorrentia. *Elpidius* comes, quem Imperator Concilii defenſorem legaverat, poteſtatem ſupergreſſus, pro gubernatore ſe gerebat: de actis memorati Conſtantinopolitani Concilii, quæſtionem jubet inſtitui; Legatis, quos, petente Imperatore Leo miſerat, negatus in ſedendo primatus, quem invaſit Dioſcorus: imò ne lecta quidem Pontificis epiſtola, in qua doctrinam orthodoxam contra Eutychis errorem expoſuerat; in ſuſpicionem ab Eutyche tracti Legati, quòd

Qui conciliabulum Epheſinum II. cogit.

apud Flavianum pranſi, plùs juſto Flavianum olerent. Exceſſêre proin ex hoc conciliabulo.

6. *In quo occidit S. Flavianum.* Tum verò ſurſum deorſum ibant omnia. Dioſcorus cum Barſuma Archimandrita, globo militum coacto, in Synodum armatus irrumpit, Epiſcoporum ſuffragia per vim extorquet, Theodoretum Cyri, Ibam Edeſſæ, & Domnum Antiochæ Epiſcopos, indicta cauſa abſentes condemnat, & Epiſcopatu dejicit, expungit è ſymbolo verba illa: *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine:* Flaviani comites conjicit in vincula; laudatur Eutychis error; Flavianus tanquam hæreticus, compedibus ligatur: & cùm ad Sedem Apoſtolicam appellaret, à Dioſcoro adeò pugnis calcibúſque contuſus eſt, ut poſt triduum veritatis Martyr obierit: ſanguineum vexillum, tanquam victor eſſet, rotante impio, & poſtquam *Anatolium* Clientem ſuum Flaviano ſuffecerat, inaudito exem-

7. *S. Leonem Papam excommunicavit,* plo anathema in ipſum S. Leonem, Eccleſiæ caput, evomente. En! dignam impietate ſtropham, verſáſque rerum vices! paucis ante annis, ſub eodem Imperatore, eadem in urbe Epheſina, Alexandrinus Patriarcha ſanctiſſimus, proborum Præſes, blaſphemum Patriarcham Conſtantinopolitanum damnaverat: jam verò impiiſſimus Patriarcha Alexandrinus, ſceleratorum ductor, ſanctiſſimum Conſtantinopolis Præſulem, tyranno quovis immanior, cruentis manibus interficit. Non aberravit profectò antiquitas, dum hoc conventiculum, *erraticam & prædatoriam Synodum* nuncupavit.

omniáque miſcuit; Depoſitus etiam in hac pſeudo-Synodo *Eugenius* Dorylæi Epiſcopus, eò quòd primus in Concilio Conſtantinopolitano Eutychem de hæreſi accuſaverit. Reſtitutus contra hæreſiarcha Eutyches, ejúſque inſania de una poſt incarnationem natura approbata: minis & terroribus omnia extorquente Dioſcoro, nec parùm auxiliante Elpidio, Legato Theodoſii, Chryſaphii aulici artibus doloſis, in Dioſcorum & Eutychetem nimiùm propenſi. Quamquam autem in conciliabulo illo omnia per iniquiſſimam vim ſint acta, videas tamen ex latrocinio iſto, ac furioſo ſicariorum agmine, hodiernos Sedis Apoſtolicæ hoſtes ſua arma depromere.

8. *Ac ipſum etiam Imperatorem corripit.* S. Leo, ut tantam abominationem ex loco ſancto exturbaret, Romana in ſynodo acta Epheſina barbaræ illius Synagogæ damnavit ac reſcidit, à Theodoſio tamen (accedente licèt Valentiniani Occidentis Imperatoris commendatione) impetrare non potuit, ut in Italia concilium Generale haberetur. Quin ille, deſciſcens à ſe ipſo, Euthychianis fraudibus, præſertim Chryſaphii, circumactus, damnato publica lege Flaviano ſynodum ſecundam Epheſinam Nicænæ juſſit æquari. At brevi vindictam ſenſit infelix Princeps, qui innocentem juventutem non æqua ſenectute commaculans, atque tumultus inter domeſticos & externos, vitam inquietam degens,

gens, porrecta etiam plus æquo ad thuribulum profana manu, absque liberis interiit, collapso elisus equo.

Pulcheria, Soror Theodosii, succedens in Imperio, Martianum, ignobili equidem stirpe in Thracia prognatum, at virtute militari virum clarissimum, & apprimè Catholicum, in sponsum & consortem Imperii assumpsit. Ab his Leo Pontifex facilè obtinet, quod Theodosius negaverat, Concilium videlicet Oecumenicum, ad quod celebrandum Martianus Pontificem invitavit, his inter alia verbis ad eum scribens: *Superest, ut si placuerit tuæ Beatitudini in his partes advenire, & synodum celebrare, hoc facere religionis affectu digneris, nostris utique desideriis sua sanctitas satisfaciet, & sacræ religioni quæ sunt utilia, decernet &c.* 9. *Quo mortuo alia facies.*

Convocatum itaque à Martiano, ex consensu & adhortatione Pontificis Concilium, primò quidem Nicæam, dein verò, ut etiam Imperator interesse possit (quod magnopere necessarium fore ad comprimendos tumultus legati Apostolici censebant) Chalcedonem translatum, anno 451. post generalem synodum Ephesinam 20. 10. *Indictum Concilium.*

Præsidebant pro more Concilio Legati sedis Apostolicæ, *Paschasinus* nempe, *Luccentius*, & *Julianus*, Episcopi, cum *Bonifacio* & *Basilio* Presbyteris. Aderat etiam actione 6. Martianus cum Pulcheria, non ut tanquam Judex in Fidei controversiis suffragium ferret, sed ut tanquam Defensor, turbas compesceret, ùt ipse innuit actione 6. Patres alloquens.

Nulla unquam ad id tempus synodus frequentior; adfuêre siquidem, ùt quidam supputant, 636. Episcopi, duplô videlicet majore numero, quàm in Nicæno comparuerant.

Venerunt insuper quidam Proceres, qui *Judices* in Concilio nominantur, ab Imperatore præfecti, non ut de rebus ad fidem & religionem spectantibus decernant, sed ut sua authoritate Concilium moderentur, & strepitus ac turbas comprimant, nam in act. 2. doceri se debere ab Episcopis profitentur. Et cum Dioscorus act. 3. Judicum præsentiam requireret, responderunt Episcopi, quando regularia tractantur, nullos Judices Laicos interesse posse: Solísque Episcopis datam esse authoritatem Episcopos judicandi.

§. II.

Acta Concilii.

Celebrata autem est hæc Synodus 16. Actionibus. In prima, longissima, Legati Apostolici protestati sunt, fas non esse, ut Dioscorus, qui 11. *Accusatus Dioscorus*

qui reus ſit, inter Epiſcopos ſedeat tanquam Judex: ipſum generalem Synodum convocâſſe non conſulta Romana ſede, eíque præſidere auſum contra fas omne: *Hoc nunquam factum, nunquam licuiſſe.* Orientales etiam Epiſcopi ejectum volebant Dioſcorum: Ægyptii verò *Theodoretum:* unde multi clamores. Dioſcorus tanquam reus juſſus in medio ſedere: ad quem accuſandum Euſebius Dorylæi Epiſcopus (qui primus in Concilio Conſtantinopolitano Eutychetem hæreſis accuſaverat, depoſitus propterea à Dioſcoro Epheſi) in medium progreſſus eſt: & cùm Dioſcorus tractandum primò de fide dixiſſet, Eugenius ad impia acta Epheſina provocavit: quæ proin lecta ſunt. Iíſque convictus Dioſcorus, aliud, quod reſponderet, non habuit, niſi, non tantùm à ſe, ſed etiam à *Juvenale* Jeroſolymitano, *Thalaſſio* Cæſareenſi, aliíſque multis Epiſcopis acta Concilii approbata & ſubſcripta eſſe. Reſponderunt Epiſcopi, ſe minis, fuſtibus & gladiis coactos ſubſcripſiſſe, atque erroris ac peccati veniam precari. Lecta dein acta Concil. Conſtant. in quo primò damnatus Eutyches: cumque ad Flaviani cauſam ventum eſſet, dixit Dioſcorus, eum jure damnatum eſſe, eò quòd duas in Chriſto naturas aſſeruiſſet: (quo oſtendit, ſe etiamnum in hæreſi perſeverare.)

In 2. cœptum de fide tractari: lectum ſymbolum Nicænum & Conſtantinopolitanum: lectæ inſuper plures Epiſtolæ atque inter eas Epiſtola Leonis ad Flavianum de Verbi incarnatione, in qua duas eſſe in Chriſto naturas declaravit. Hac lecta acclamavit Synodus: *Hæc eſt Patrum Fides: hæc Apoſtolorum fides: omnes ita credimus, Orthodoxi ita credimus: Anathema, qui non ita credit: Petrus per Leonem ita locutus eſt.*

Depoſitus. In 3. poſt trinam citationem non comparens Dioſcorus, de graviſſimis inſuper flagitiis accuſatus ab Alexandrinis, & ex publicis Epheſini Synedrii actis convictus, ex Leonis ſententia, Epiſcopali honore & Sacerdotum functionibus privatus pronunciatur acclamante Choro Patrum, quia Eutychen à proprio Epiſcopo excommunicatum in communionem receperit, Epiſtolam Leonis in Concilio Epheſino ſecundo legi prohibuerit, ac Leonem ipſum excommunicârit, atque ter citatus ad Concilium venire detrectârit.

In actione 4. Juvenalis Patriarcha Jeroſolymitanus, Thalaſſius Cæſareenſis aliíque Epiſcopi, qui cum Dioſcoro ſubſcripſerant Epheſino Conciliabulo, & jam in prima actione veniam fuerant precati, ad ſecundam autem & tertiam ſeſſionem non fuerant admiſſi, ubi de fide, ac duabus Chriſti naturis tractatum, & cauſa Dioſcori diſcuſſa

ſcuſſa eſt, poſtquam epiſtolâ *S.* Leonis ſuſceptâ Eutychi anathema dixerunt, veniam iterum precati, ad Concilium rurſus & ſedes ſuas ſunt admiſſi. Tum Ægyptii Epiſcopi, juſſi ſubſcribere Leonis Epiſtolæ, inſtanter petierunt, eligi priùs Patriarcham Alexandrinum, quem ducem ſequi poſſint (hoc enim in Ægypto eſſe moris, ut ſinè Patriarcha nihil decernerent) idque tandem impetrârunt.

Varii dein Clerici & Monachi in Concilium ingreſſi poſtulant, Dioſcorum reſtitui communioni, & dignitati. At unanimi voce Concilium clamat: *Anathema Dioſcoro: Dioſcorum Chriſtus depoſuit: mitte foras ſuperfluos: Concilium Epiſcoporum eſt.*

In 5 lecta & approbata definitio, qua *unum, eundémque Chriſtum, Filium Dei unigenitum, perfectum Deum, & perfectum hominem, Divinitate quidem Deo Patri, humanitate verò nobis conſubſtantialem, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inſeparabiliter ſubſiſtere declaratur.* 12. *Dogmatica definitio.*

In 6. Imperator, ubi per Legatos fidei definitionem intellexit, Chalcedonem venit, & ad Concilium orationem habuit, in qua dixit, ſe cum Pulcheria *veniſſe ad Concilium, ad fidem roborandam, non ad aliquam potentiam oſtendendam ſive exercendam, exemplo Conſtantini, ut veritate inventa, multitudo non ultrà pravis doctrinis attracta diſcordet.* Poſt orationem Epiſcopi applaudentes acclamârunt Auguſto & Auguſtæ multos annos. Recitata dein iterum definitio fidei, cui Epiſcopi ſubſcripſerunt, & quidem primo loco Legati Leonis his verbis: *Paſchaſinus Epiſcopus, Vicarius Domini mei Beatiſſimi atque Apoſtolici univerſalis Eccleſiæ Papæ urbis Romæ Leonis, Synodo præſidens, ſtatui & ſubſcripſi.* 13. *Imperator Concilium ingreſſus.*

Repetitum etiam ſæpiùs anathema in Neſtorium, Eutychem & Dioſcorum.

Propoſuit denique Imperator tria capita, quæ potiùs à Concilio, quàm lege Imperiali ſint ſancienda. *Tria propoſuit capita.*

1. Nullum ædificandum Monaſterium præter voluntatem Epiſcopi: nec ſervos ſuſcipiendos in Monaſterium præter voluntatem Dominorum.
2. Clerici negotiis ſæcularibus ſe non immiſceant.
3. Clerici ne tranſeant ab Eccleſia unius civitatis ad alteram.

Acclamavit Synodus approbando hæc capitula.

In actione 7. Compoſitio amicabilis inter Maximum Antiochenum & Juvenalem Jeroſolymitanum circa terminos eorum Patriarchatuum facta, Synodi ſubſcriptione approbatur ac confirmatur.

In 8 *Theodoretus* Cyrenſis Epiſcopus, qui 12. Anathematiſmos Cyrilli refutaverat, & ſic in hæreſin Neſtorii videbatur prolapſus, cùm Ana- 14. *Theodoretus.*

thema diceret Neſtorio, ſedi ſuæ Epiſcopali eſt reſtitutus, à qua dejectus fuerat à Dioſcoro in conciliabulo Epheſino, jam antea à Leone in communionem admiſſus.

Et Ibas reſtituti ejurato Neſtorio.

In 9. & 10. *Ibas* Edeſſenus Epiſcopus, à Dioſcoro in Synedrio Epheſino pariter depoſitus, auditis ejus accuſatoribus, lectáque Epiſtola, ad *Marim* Perſam data, in qua in Cyrilli Anathematiſmos invehitur, reſtitutus eſt ſuæ Eccleſiæ, poſtquam Neſtorio & Eutychi anathema dixit. Etiam Ibam jam antè Leo in communionem receperat. Quæ tamen reſtitutio magni deinceps incendii fomitem miniſtrabit.

In 11. & 12. diſcuſſa cauſa Baſſiani & Stephani, quorum illo depoſito ab Epiſcopatu Epheſino, hic ſuffectus eſt. Concilium decrevit, utrumque contra Canones veniſſe ad Epiſcopatum: adeóque tertium eligendum, utrique tamen retenta Epiſcopali dignitate, & reſervata annua penſione 200. aureorum ſolidorum, ex Epiſcopatûs Epheſini reditibus perſolvenda. *Ecce Originem penſionum; antiquiores enim non leguntur.*

In 13. & 14. aliæ cauſæ particulares Epiſcoporum deciſæ, ùt Eunomii Nicomedienſis & Anaſtaſii Nicæni Epiſcopi circa Jus Metropolitanum &c.

§. III.
Summa Canonum.

In 15. Seſſ. editi ſunt Canones 27. diſciplinam ſpectantes.

1. Canones Conciliorum ſerventur.
2. Nemo ordinationem pecuniâ obtineat.
3. Clerici non conducant aliena prædia.
4. Monachi alienis negotiis ſe non immiſceant.
5. Clerici non migrent ad aliam Eccleſiam.
6. In ordinandis delectus habendus.
7. Clericis prohibentur mundanæ dignitates.
8. Clerici obediant Epiſcopo.
9. Clericus non conveniat Clericum coram laico tribunali.
10. Non habeant plura beneficia.
11. Litteræ commendatitiæ dignioribus tantùm dandæ.
12. In una Provincia tantùm unus ſit Metropolitanus.
13. Peregrini Clerici non miniſtrent ſinè commendatitiis.

15. *Cœlibatus Sacerdotum.*

Notabilis eſt Canon 14. qui ſic habet: *Quoniam in quibusdam Provinciis conceſſum eſt, Lectoribus & Pſalmiſtis uxores ducere, ſtatuit S. Synodus, non licere cuiquam ex his accipere ſectæ alterius uxorem.* Ex quo manifeſtè patet, non licuiſſe tunc temporis, ne quidem apud Orientales, Subdiaconis, Diaconis, Presbyteris, & Epiſcopis uxores ducere, cùm ne quidem Lecto-

Lectoribus & Psalmistis fuerit ubique concessum. Prohibet deinde idem Canon, ne persona Catholica nubat hæretico, Judæo, aut Pagano.

15. Canon statuit, ne Diaconissa fiat ante 40. annos; neque nuptias postea contrahat.

16. Nec Monachi nec Virgines DEO dicatæ, matrimonium ineant.

17. Qui parochiam 30. annis quietè possedit, retineatur. Læsus à Metropolitano vel apud Primatem vel Patriarcham agat.

18. Prohibentur conspirationes contra Episcopos & Clericos.

19. Bis in anno celebretur Synodus Provincialis.

20. Episcopus alienum Clericum suscipiens excommunicatur,

21. Accusatores Episcoporum aut Clericorum non admittantur passim & sinè probatione.

22. Clerici post obitum Episcopi res ipsius non diripiant.

23. Clerici & Monachi non facilè ad urbem regiam accedant, ibíque vagentur, aut turbas concitent.

24. Monasteria ne fiant diversoria sæcularium.

25. Ordinationes Episcoporum ne differantur ultra tres menses, Oeconomus verò interim reservet res Ecclesiæ.

26. Occasione Ibæ, de administratione Ecclesiæ accusati, præcipitur in qualibet Ecclesia Episcopali Oeconomum constitui ex Clero.

27. Raptores mulierum, & Cooperatores, si Clerici sint, deponantur, si Laici, excommunicentur.

Hos 27. Canones ex Collectione Dionysii Exigui in Epitomen redegi. Nec plures in Latinis codicibus antiquis extant.

Postquam tamen Judices cum Legatis sedis Apostolicæ ex ista sessione excesserant, *Anatolius* Constantinopolitanus Patriarcha Episcopos adhuc retinuit, & Canonem Constantinopolitani I. Concilii referens, de proxima sede Patriarchæ Constantinopolis post Romanum, curavit hunc confirmari: non tamen sinè fraude; quia dixit: Romanam sedem Primatum accepisse à Concilio Nicæno, & quidem ex eo capite, quòd vetus Roma fuerit orbis Domina. 16. *Anatolius Canonem obreptitiè inserit,*

In actione 16. Legati Romani contra hunc Canonem adjectum sunt conquesti & protestati: eò quòd rejectis statutis 318 Patrum Nicæni, novare quid attentârit Anatolius circa dignitatem Patriarcharum, sub prætextu, quòd 150. Patres in Concilio Constantinopolitano huic sedi post Romanam primatum dederint, quod tamen in synodicis Canonibus non inveniatur. Cùm autem Episcopi omnes dicerent, se ultro subscripsisse, protestationis nulla est ratio habita. 17. *Protestantibus Legatis Romanis,*

Rejectus tamen est ille Canon à S. Leone, ùt patet ex ipsius epistola 61. ad Episcopos Concilii. Deinde Canon ille adjectus continet duo falsa; *Et S. Leone.*

nempe

nempe 1. Sedem Romanam à Synodo Nicæna accepisse primatum: cùm tamen sextus Nicæni Canon in genuinis codicibus sic habeat: *Ecclesia Romana semper habuit primatum, antiqua autem consuetudo servetur &c.* alterum falsum est, quòd ideò Romana Ecclesia habeat primatum, quòd ibi sit urbs regia, ùt ostendit S. Leo *in epist. ad Martianum*, & S. Gelasius *in epist. ad Episcopos Dardaniæ.* Mediolanum, Ravenna, Sirmium, Treviri, Nicomedia fuerunt sedes Imperii, nihil tamen prærogativæ propterea datum iis Ecclesiis.

Petiit quidem Concilium per epistolam confirmationem hujus præsertim Canonis à S. Leone: ubi inter alia scripserunt: *Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honorare judicium; & sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & Summitas tua filiis, quod decet, adimpleat.* Verùm S. Leo Anatolii ambitionem, datis ad Martianum & Pulcheriam atque ad ipsum etiam Anatolium litteris vehementer reprehendit.

18. *Turbæ Alexandrinæ post Concilium.* Post Concilium Chalcedonense Alexandriæ Episcopus electus est *Proterius*, qui cum Episcopis Ægypti acceptavit Concilium. At brevi post *Timotheus* Ælurus pulso Proterio, & interempto, Patriarchalem sedem invasit, Chalcedonensem Synodum damnavit, & Patriarchis omnibus anathema dixit, depositis etiam Episcopis, qui Chalcedonensi Concilio adhæsêre, habuítque sibi consentientes paucos Episcopos, ac plebem Alexandrinam, Eutychianam, quæ audita Dioscori sui exauctoratione, ingentes Alexandriæ turbas excitavit, auctore potissimùm memorato Timotheo Æluro, Eutychiano Monacho.

Occasione hujus tumultus Alexandrini multæ in tomis Conciliorum extant Episcoporum totius orientis epistolæ ad *Leonem Imperatorem*, qui Martiano successerat: in quibus Concilium Chalcedonense defenditur, & Timotheus graviter accusatur. Sed & in Palæstina adversus Concilium Chalcedonense quidam Eutychiani insurgebant, usque adeò, ut etiam Juvenalem Patriarcham deponerent, & Eutychianum intruderent.

Porrò, quò Eutyches in Concilio damnatus, devenerit, non satìs constat: de Dioscoro autem memoratur, quòd militari manu Gangram in Paphlagoniam sit abductus in exilium, in quo brevì post interierit.

19. *An Dioscorus fuerit hæreticus.* Quæres, an Dioscorus verè fuerit hæreticus, an verò tantùm spiritu ambitionis & superbiæ impellente, Eutychetis causam tam ferociter propugnârit? Ratio dubitandi est, quia à Concilio Chalcedonensi non videtur, saltem apertè, damnatus esse ùt hæreticus: licèt enim legantur quandoque aliqui Episcopi exclamâsse: *anathema Dioscoro!* in depositione tamen illius ab Episcopali dignitate, & functionibus sacerdotalibus, non assignatur pro causa hæresis: sed quòd Eutychen in communionem receperit,

perit, epiſtolam Leonis legi vetuerit Epheſi, Leonem excommunicârit, & ter citatus ad Concilium non venerit. Deinde Anatolius actione 5. apertè dixit in Concilio, Dioſcorum non eſſe depoſitum propter fidem.

Reſp. Non eſſe dubium, quin Dioſcorus fuerit hæreticus Eutychianus: Nam in Chalcedonenſi act. 1. apertè dixit: *Duas naturas in Chriſto non ſuſcipio:* item, *poſt unitionem non ſunt duæ naturæ.* Et propterea damnavit Flavianum ac Synodum Conſtantinopolitanam, quòd duas in Chriſto naturas adſtruerent: hócque ipſum in Chalcedonenſi actione 1. repetiit, nempe Flavianum propterea jure eſſe damnatum. Imò propter hanc cauſam totam illam Epheſinam tragœdiam excitavit, in qua Eutychem abſolvit. Quòd autem in decretum damnationis illius non fuerit apertè inſerta cauſa hæreſis, fieri potuit ex ea ratione, ut parceretur Juvenali Patriarchæ Jeroſolymitano, Thalaſſio Cæſareenſi, Euſebio Ancyrano, Euſtathio Beritenſi, Baſilio Seleucienſi, qui cum Dioſcoro Epheſinæ pſeudoſynodo præfuerant, ac ſubſcripſerant, nunc verò in Chalcedonenſi Synodo pœnitentes veniam rogârunt, dicto anathemate Eutychi. Unde ne etiam ipſi hæreſis damnati viderentur, utpote in cauſa ferè communi, ùt Dioſcorus in prima actione objecerat, particulares depoſitionis cauſæ, eæque Dioſcoro propriæ, ſufficientes tamen, ſunt allegatæ, & à cauſa hæreſis in ipſa depoſitione abſtractum Poſt receptos autem actione 4. pœnitentes Epiſcopos, cùm ingreſſi Archimandritæ Dioſcorum reſtitui peterent, non tantùm pauci Epiſcopi, ſed totus chorus, exceptis Epiſcopis Ægyptiis, clamavit: *Dioſcoro anathema.* 20. *Rationes dubitandi.*

Quòd autem Anatolius in Concilio dixerit, Dioſcorum non eſſe propter fidem damnatum, adſcribendum videtur affectui adhuc cuidam erga ſuum Patriarcham, cujus olim erat Apocriſiarius, ejúsque favore, interempto Flaviano, ad Conſtantinopolitanum Patriarchatum promotus.

ARTICULUS V.

De Concilio Generali V. Conſtantinopolitano II.

Contra tria capitula, & errores Origenis, ſub Vigilio & Juſtiniano Seniore anno 553.

SUMMARIUM.

§. 1.

Synopſis Hiſtorica.

1. Theodorus *Mopſveſtiæ Epiſcopus, Neſtorii Magiſter, plures hæreſes libris ſuis inſperſerat: non tamem expreſſè à Chalcedonenſi Concilio fuit condemnatus in perſona, in Synodo verò iſta fuit damnatus in perſona.*
2. *Ejus, utì etiam Neſtori, fautores erant* Theodoretus, *qui contra S. Cy-*

S. Cyrillum scripsit, non satis orthodoxè:

3. *Et* Ibas, *qui erroneam ad Marin Persam scripsit epistolam. Uterque autem retractato errore à Concilio Chalcedonensi fuit restitutus.*

4. *Et hæc sunt famosa illa* tria capitula,

5. *Quæ tantas controversias in Ecclesia excitârunt:*

6. *Primùm quidem in Ægypto per Thimotheum Ælurum, & Petrum Moggum, pseudo-Patriarchas, Dioscori Assectas:*

7. *Dein Antiochiæ per Petrum Graphеum, & Severum, pariter pseudo-Patriarchas hæreticos:*

8. *Denique Constantinopoli per Acacium Patriarcham, qui* Henoticon *procudit, Zenonis edicto roboratum, quo unius aut duarum naturarum in Christo nuncupatio abrogatur.*

9. *Atque etiam per Anthimum; quem tamen Agapetus Papa amovit, suffecto Menna.*

10. *Accessére Origenistæ, aliæque pestes.*

11. *Ut adeò calamitosissimus esset Ecclesiæ status: nullo Principe Catholico, sedibus etiam Patriarchalibus hæresi infectis.*

12. *Justiniani Imperatoris imago.*

13. *Vafrum ei datum consilium.*

14. *Indicitur Synodus V.*

15. *Consentiente quidem Vigilio Papa, sed non comparente in Concilio: licèt tunc esset Constantinopoli.*

16. *Cur noluerit comparere.*

§. 2.

Acta Concilii & Canones contra varias hæreses.

17. *In collatione* 1. *Legati à Concilio ad invitandum Vigilium.*

18. *Damnantur scripta Mopsvesteni cum auctore.*

19. *Item scripta Theodoreti contra S. Cyrillum: cum epistola Ibæ; non tamen auctores, post retractationem à Chalcedonensi restituti. Sicque damnata sunt* tria capitula.

20. *Editi* 14. *Canones seu anathematismi contra varias hæreses.*

21. *In tribus ultimis dicitur anathema illis, qui defendunt Mopsvestenum aut ejus scripta: qui defendunt Theodoreti scripta: aut Ibæ Epistolam.*

§. 3.

Canones contra Origenistas.

22. *Errores Origenis damnati, ab asseclis illius collecti.*

23. *Qui eo vivente jam fuerunt damnati.*

24. *Postea autem magnas trangœdias excitârunt, dum S. Joannem Chrysostomum, qui Origeni favere videbatur, colliserunt cum Theophilo Alexandrino Patriarcha, & S. Epiphanio.*

25. *Qua occasione Chrysostomus à Theophilo in Synedrio depositus, & in exilium ejectus est.*

§. 4

Crisis circa controversiam de *tribus capitulis.*

26. *Vigilius Papa damnationi trium capitulorum subscribere noluit. Crudeliter propterea à Justiniano habitus: tandem subscripsit.*

17. *Nec tamen instabilis erat in iis, quæ pertinent ad fidem: quia quæstio de tribus*

bus capitulis non versabatur circa fidem: in qua omnes Catholici conveniebant;

28. *Sed tantùm circa personas trium illorum Episcoporum, quid de illis sentiendum.*

29. *Doctrina autem eorum nunquam approbata, ne quidem à Concilio Chalcedonensi.*

30. *In hoc verò Concilio expressè damnata, una cum persona Theodori.*

31. *Non verò persona Theodoreti & Ibæ: sed tantùm eorum scripta, quæ ab ipsis in Chalcedonensi fuerunt tractata.*

§. 5.

Schismatis ob *tria capitula* etiam post Synodum V. continuatio.

32. *Complures occidentales Episcopi, existimantes, damnationem trium capitulorum synodo Chalcedonensi esse præjudiciosum, Aquileiæ conciliabulum conflant contra Synodum V.*

33. *Et licèt Pelagius Papa eis ostenderet, meritò damnatum Mopsvestenum.*

34. *Epistolam Ibæ, & scripta Theodoreti contra Cyrillum à Chalcedonensi non fuisse approbata, sed tantùm personas pœnitentes esse receptas;*

35. *Aliqui tamen pertinaciter in schismate perstitêre.*

36. *Quamvis aliqui ferventer se eidem opponerent.*

37. *Donec tandem sub Sergio Papa est extinctum.*

38. *S. Gregorii M. hac de re epistola.*

§. I.
Synopsis Historica.

Post explicata breviter quatuor prima Concilia generalia, quibus tanquam quatuor Evangeliis venerationem impertiendam esse dixit Gregorius M. memorandum venit Concilium generale quintum; cui occasionem aliquam dedisse visum est Concilium Chalcedonense, paulò ante exhibitum; quod hac ratione contigit: 1

Theodorus Nestorii Magister.

Theodorus, Mopsvestiæ Episcopus (qui plùs quàm decem millia librorum scripsisse dicitur) jam ante Concilium I. Ephesinum contra Eunomium & Apollinarium ita scripserat, ut in novum ipse errorem hæresínque incideret, unam tantùm in Christo personam asserens, ac B. V. Mariam Deiparam esse inficians. Ex Theodori libris Nestorius hæresin suxisse dicitur: unde Theodori discipulus appellatur. Cùm igitur Nestorio Ephesi damnato, ejus scripta imperialibus etiam edictis essent prohibita, Nestoriani per libros Theodori, in varias linguas versos, hæresin suam propinârunt.

2. *Ejus fautor Theodoretus.* Theodori laudatores erant duo præcipuè Episcopi, nimirum *Theodoretus* Cyri Episcopus, qui pugnans pro Nestorio 12 anathematismos S. Cyrilli refutavit, & tanquam hæreticos perstrinxit. Alter fuit *Ibas*, Episcopus Edessenus, qui in prima Ephesina Synodo cum Joanne Antiocheno secessione facta, eandem Synodum carpebat, præsertim in epistola ad Marim Persam scripta, in qua Theodorum Mopsvestenum laudat, anathematismos verò Cyrilli vituperat. Hic uterque, Theodoretus nempe & Ibas, à Dioscoro in conciliabulo Ephesino, quòd duas in Christo naturas propugnarent, depositus, à Concilio verò Chalcedonensi restitutus est.

3. *Et Ibas.*

4. *Tria capitula.* Et hæc sunt famosa illa *tria capitula*, nempe scripta *Theodori*, *Theodoreti*, & *Ibæ*, quæ ultra duo sæcula ingentes turbas & schismata excitârunt in Ecclesia, aliis ea tanquam Catholica propugnantibus, aliis verò ùt hæretica damnantibus.

5. *Inde turba.* Dubium inde oriebatur, quòd nullus ex istis tribus in Concilio Chalcedonensi fuerit damnatus, licèt in eo singulorum specialis facta sit mentio, imò Theodoretus & Ibas, tanquam orthodoxi, Ecclesiis suis Episcop libus fuerint omnino restituti. Unde Catholici in contrarias istas, de quibus dictum, circa tria capitula abiêre sententias. Nestoriani verò, tanquam victores essent, triumphum canebant, quòd Episcopi, quos fidei suæ addictos sparserant, synodali judicio tanquam orthodoxi sit absoluti. Eutychiani contra damnabant Chalcedonense Concilium, asserentes, ab eo Nestorianos absolutos, & communioni restitutos, adeóque ipsam etiam Nestorianam hæresin esse approbatam. Ecce turbarum, ac schismatum prætensos fontes!

Equidem vivente *Martiano*, Imperatore Christianissimo, atque acerrimo scelerum vindice, attollere in altum caput non ausa est hæresis: at verò illo post octo annos imperii ac *Aspare* Patritio, Eutychiano, per venenum sublato, vexillum illico cœpit rotare: per sublimes etiam tiaras grassante insania.

6. *Primum in Ægypto per Timotheum & Moggum.* Prima furoris scena sese in Ægypto aperuit; ubi, ùt antè insinuatùm, pars magna Dioscoro suo, quem depositum, atque in exilium deportatum ægerrimè ferebat, contumaciter adhærens, ferali tragœdiæ per cædem *Proterii* Patriarchæ, viri optimi, in ipsa sacra æde patratam, & intrusionem Timothei Æluri, hominis impii, atque ex asse Eutychiani, prælusit, in excidium Chalcedonensis Synodi vi iniquissima debachata.

Leo Imperator, qui Martiano successerat, ut læsæ religionis vindicem se præberet, acceptis orientalium Episcoporum litteris, quibus Concilii Chalcedonensis authoritatem defendebant, Alexandrino furori se quidem opposuit, impedire tamen (turbis dein etiam aliis per Basiliscum, Augustæ fra-

fratrem, concitatis) non potuit, quò minùs, præter Catholicum Patriarcham, Eutychianus etiam per plures annos conſtitueretur, intruſo, poſt Timothei obitum Petro *Moggo*, præcipuo cum Timotheo tumultus auctore.

Nec ſegniùs Antiochenam Eccleſiam Eutychianus turbo concuſſit: 7.
dum Petrus *Gnapheus* ſeu Fullo, *Theopaſchitarum* parens, Deitatem paſſam delirantium, concitata adverſus *Martyrium* Patriarcham multitudine, in ſedem illam violentè ſe intulit. Quod iniquitatis exemplum aliquot poſt annis imitatus eſt *Severus*, qui propter hæreſin Eutychianam à Monaſterio pulſus, Anaſtaſii Imperatoris favore, dejecto Flaviano Epiſcopo Catholico, ſedem Patriarchalem occupavit, atque ut ſe dignum ferret impietas operæ pretium, Chalcedonenſem Synodum execratus, direptionibus, verberibus, carcere, exiliis, cædibus, in Eccleſias atrociſſimè deſæviit, trecentis & ultrà Monachis immanitate plus quàm barbara trucidatis.

Dein Antiochiæ per Gnapheum.

Sed, ut nullum Patriarchatum præteriret Eutychiana lues, Conſtan- 8.
tinopolitanum etiam invaſit, ubi *Acacius*, ambitione turgens, Synodi Chalcedonenſis proditor, *Henotico* ſuo, ſeu prætenſa hæreticos inter & Catholicos concordia, *Zenoni* Imperatori porrecta, magis adhuc perturbavit Eccleſiam, dum Concilium Chalcedonenſe everſum ibat; hodiernorum Novatorum more indifferentiſmo quodam viam mediam pertentans. Felix Papa habito Romæ Concilio ſe oppoſuit Henotico, miſſis Conſtantinopolim tribus Legatis; quorum duo Acacii artibus ſeducti, tertius renitens in vincula datus eſt. Quare Felix Acacium anathemate perculit: qui viciſſim Felicis nomen è *diptychis*, hoc eſt Eccleſiaſticis tabulis eraſit. Petrum Moggum verò in retinenda impiè Alexandrina ſede, fidelis ſcelerum miniſter, adjuvit, ne Eutychianus æſtus deferberet. Ad

Denique Conſtantinopoli per Acacium Henoticon procudentem.

hoc operam ſuam gnaviter impendit etiam *Anthimus*, qui Trapezuntinum 9.
Epiſcopatum in Conſtantinopolitanum mutavit, ut utrumque inquinaret. At *Agapetus* Papa, qui propter Theodatum Gothorum Regem (pacis impetrandæ gratiâ) ad Juſtinianum Imperatorem Conſtantinopolim venerat, hæreticum, obſiſtente licèt Theodora Auguſta, eadem Eutychiana lue infecta, Patriarchatu amovit, ſuffecto in ejus locum *Menna*, viro bono & ex integro Catholico, quem Papa propriis manibus conſecravit, plaudente populo Catholico.

Et Anthimum.

Neſtorianæ & Eutychianæ hæreſi ut nihil calamitatis deeſſet, tertia 10.
peſtis acceſſit, ex Origenis libris collecta à *Nonno* & *Leontio* Monachis in Palæſtina, atque exinde in omnem orientem ſparſa. Docuerant iſti, ante corpus productum animam hominis exſtitiſſe in cœlo, ubi varia peccata commiſerit: cœlum, ſolem, lunam &c. eſſe animatas & rationales creaturas:

Errores Origenis.

in resurrectione corpora fore rotunda. Dæmonum ac hominum damnatorum pœnam esse finem habituram: pro eorum salute Christum rursus crucifigendum.

11. *Tristis Ecclesiæ status sub Zenone & Anastasio.* Tot mala profectò agglomerata undique incubuerant, ut nullo unquam tempore Ecclesiæ facies sit visa tristior. Hæreses Origenis, Arii, Nestorii, Eutychis, occupatis sedibus Patriarchalibus, dominabantur. Exciso occidentis imperio, Barbari undique irrumpentes, non tantùm florentissimas Provincias devastabant, sed in ruinas etiam veræ religionis collaborabant, universo Christiana orbe sub hæreticorum Pincipum gemente dominio. Orientale siquidem Imperium obtinuit Zeno, tam animo, quàm corpore homo deformis; & post ipsum Anastasius Zenone pejor, uterque Eutychiana raptus procella, & in monstrosum illud *Henoticon* orbem deturbans, quo à voce unius aut duarum naturarum abstinendum esse statuebatur. Italiam Odoacer Herulorum Rex Arianus invasit: Galliam inter se partiti sunt Franci adhuc gentiles, & Burgundiones ac Gothi, Ariana impietate imbuti: Gothi Hispaniarum Reges pariter Ariani: Africa Vandalos, itidem Arianos passa est dominos, & immanes persecutores: Catholicos infelix schisma propter memorata tria illa capitula scindebat, orientalibus illa passim damnantibus, occidentalibus verò defendentibus.

Melior equidem radius Ecclesiæ affulgere visus est, dum post Zenonem & Anastasium Justinus & Justinianus Imperii habenas capessiverant: sed brevior erat Justini gubernatio, quàm ut tantis Ecclesiæ & Imperii morbis, ùt ùt vellet, mederi posset.

12. *Imago Justiniani Imperatoris.* Justinianus equidem, & pacis artibus domi clarus, & orbem terrarum signans victoriis, per Belisarium in Asia Cosroën Persarum Regem, in Africa Gilimerem, extincto Vandalorum imperio, in Europa Gothos devicit, tota tandem per Narsetem exactos Italia. Nec minor legum, ac religionis cura; nam & exaucturationem Anthimi, & electionem Mennæ habuit ratam, & Synodum quintam generalem cura sua ac religionis studio promovit; & Sophiæ templo, Dianæ Ephesiæ & Jovis capitolini magnificentiam extinxit, & severis legibus extinguere velle hæreses est visus.

Summus profectò Princeps, & Magno Constantino comparandus, nisi conjugem habuisset *Theodoram*, ex meritricii quæstus sordibus ad id fastigii evectam, neque aliam dotem afferentem, quàm formæ illecebram, libidine, superbia, hæresi Eutychiana conspurcatam. Huic mulierculæ obnoxius orbis domitor, & legum vindex, Sylverium Papam throno dejectum per Belisarium, in Palmariam relegatum, in ærumnas exilii & mortem compulit, ac *Vigilium*, hominem priùs arrogantem, nec purum, ùt fertur, à labe Eutychiana, malè surrogatum pro mancipio habuit; qui

qui tamen (quæ Dei in Ecclefiam fuam eft cura provida) poft mortem Sylverii legitimè electus, alius à fe homo, & ex integro Catholicus, fortiter obftitit periculofis conatibus, & hærefi Eutychianæ; in quam ac præcipuè in Severi errorem (de corrupta Chrifti carne, aliáque poft refurrectionem affumpta, aliáque item à nobis poft refurrectionem affumenda) tefte Evagrio, Juftinianus tandem prolapfus creditur, præclara juvenilis viriliſque ætatis gefta corrumpens, ftultæ fenectutis exemplar novum coronatum, cúmque Eutychius fe vellet opponere, fede Patriarchali eum dejecit.

Verùm ut ad ea, quæ huc maximè pertinent, redeamus, Juftinianus adhuc fapiens, Eutychianos & Origeniftas fevero coërcuit edicto, Vigilii Papæ & trium orientis Patriarcharum confilio & fuffragio probato. Hoc edictum ægerrimè ferens *Theodorus*, Cæfareæ in Cappadocia Epifcopus, Origeni devotus ex affe, fectáque Acephalus (quæ, ùt hærefis fœcunda effe folet, ramus & propago quædam erat Eutychianæ hærefis) Juftiniano, cujus pollebat gratia, fuadet, ne tot fe curis conficiat in defendenda Chalcedonenfi Synodo: totam facilè negotium poffe componi, fi tria capitula, Theodori nempe Mopfveftini libros, Theodoreti adverfus Cyrillum fcripta, & epiftolam Ibæ publico edicto condemnet: non enim aliam ob caufam Eutychianos à Concilio Chalcedonenfi abhorrere, nifi quòd Theodoretum & Ibam ob hærefin Neftorianam Juftè depofitos reftituiffet, & ad Synodum admififfet, atque hoc ipfo Theodori Mopfvefteni doctrinam videatur approbâffe, in epiftola Ibæ tantopere collaudatam. His maculis deterfis omnes Concilio illi fubfcripturos. 13. *Vafrum Confilium Theodori Cæfarienfis.*

Hæc Cæfarienfis Eutychianus vafrè fuggeffit, ut fic Concilio Chalcedonenfi fides abrogatur, & Catholici inter fe fchifmate fcindantur, Eutychianis verò robur accederet. Hæc fapienter apud fe ponderans Vigilius Pontifex Theodorum ifta molientem epiftola redarguit. Juftinianus tamen Theodoro morem gerens, miffis in omnem partem epiftolis Epifcopos ad damnationem trium capitulorum urget. Pars eorum acquiefcit, pars verò metuens Synodo Chalcedonenfi hoc præjudiciofum fore, rem non aliter nifi per Concilium novum generale decidi poffe refpondit.

Igitur anno 553. poft Concilium Chalcedonenfe 102. annos indicitur Synodus Conftantinopolitana fecunda, inter Generales quinta, Interfuerunt *Eutychius* Conftantinopolitanus, Appollinaris Alexandrinus, & Domnus Antiochenus: Jerofolymitanus verò Patriarcha per tres Legatos comparuit: omnéſque fimul erant 160. Epifcopi. 14. *Indicitur Concilium.*

Vigilius Pontifex, licèt accitus à Juftiniano Conftantinopoli tunc verfaretur, & in celebrationem Concilii confenfiffet, accedere tamen noluit,

15. *Consentiente quidem Vigilio sed non comparente: licèt tunc esset Constantinopoli.* noluit, quamvis nomine totius Concilii sæpiùs invitatus; primò quidem à tribus Patriarchis, & 17. Episcopis, deinde vero à tribus Patriciis, ab Imperatore missis pluribúsque Episcopis: obtendítque eam excusationem, Præcessores suos, Romanos Pontifices nunquam solitos interesse Conciliis orientalibus. Prolixè tamen consensum suum est pollicitus in iis, quæ pro Ecclesiæ bono tunc decernenda erant; re ipsa autem ideo neque per se, neque per Legatos interesse voluit, ne per sæcularem potestatem adigeretur ad aliquid. quod in præjudicium Ecclesiæ aut potestatis Ecclesiasticæ cederet, & occidentales, tria capitula defendentes, ab orientalibus, atque à se abscenderet schismate.

16. *Et cur?* Unde sibi, sinè cujus authoritate nihil firmum ratúmque sciebat posse decidi, totius rei eventum exspectandum esse ducebat: maximè cùm abessent occidentis Episcopi (quos pari numero venturos Justinianus promiserat, cùm eorum etiam causa hîc maximè verteretur) quam etiam causam coram Legatis, ipsum invitantibus, & ut Concilio præsidere dignetur, rogantibus allegârat: ut hac ratione integrum sibi foret approbare aut reprobare, quæcunque in causa, tot schismatum fonte, Synodus decrevisset. Quam Vigilii circumspectam in tanto discrimine prudentiam magnopere dilaudat Baronius, utpote temporibus illis, & in causa adeò delicata oppidò necessariam.

Cœptum itaque est Concilium, præsidente ex consensu Vigilii Eutychio Constantinopolis Patriarcha (non virò Menna, ùt errat Calvinus) absolutúmque octo collationibus seu sessionibus.

§. II.

Acta Concilii & Canones contra varias hæreses.

17. *Legati ad invitandum Vigilium.* In collatione prima à Concilio tres Patriarchæ præsentes cum 17. Episcopis Metropolitis deputati sunt ad Vigilium, rogaturi, ut ad Concilium venire, eíque præesse dignetur. Quibus respondit, quæ paulò antè memoravimus, addidítque se suam de tribus capitulis sententiam scripto publico dicturum, & ad Imperatorem missurum.

In secunda, qui iteratò legati fuerant ad Vigilium Patres cum Patriciis ab Imperatore missis, referunt Concilio responsum Vigilii: quod idem fuerat cum priore: addita tamen mentione de absentia Episcoporum occidentalium.

In tertia profitentur fidem Catholicam, ab Apostolis traditam, & à quatuor Conciliis generalibus declaratam: damnántque hæreticos ab iisdem damnatos.

In

in quarta lecta ſunt impia ſcripta ex libris Theodori Mopſveſteni, 18.
conciamante Synodo in eum & ejus ſectatores anathema.

Damnatus Mopſveſtenus.

In quinta lecta ſunt ea, quæ contra eum à SS. Patribus, præſertim S. Cyrillo, Proclo & Rabbula ſunt ſcripta. Definitúmque, etiam mortuos
jam hæreticos ab Eccleſia poſſe damnari tanquam hæreticos, eorúmque 19.
nomen è ſacris diptychis eradi. Tranſitum deinde ad Theodoreti impia ſcripta adverſus 12. anathematiſmos S. Cyrilli, laudatúmque Concilium Chalcedonenſe, quòd Theodoretum non priùs ad communionem admiſerit, niſi, poſtquam Neſtorio dixit anathema.

Damnantur ſcripta Theodoreti contra Cyrillum, Et epiſtola Ibæ.

In ſexta recitata eſt Ibæ ad Marim epiſtola, conclamatúmque eſſe hæreticam.

Et ſic damnantur tria capitula.

In ſeptima lectæ ſunt plures Vigilii Pontificis litteræ, in quibus condemnârat tria capitula. Factum hoc eſt juſſu Imperatoris, ut Vigilium prævaricationis & inconſtantiæ poſſet arguere, quaſi modò damnâſſet, modò defendiſſet illa capitula. Tum oſtenſum, quòd Neſtoriani Theodoretum ſibi vendicent ac honorent.

In octava, poſt recenſita hujus Concilii acta, & iterum ſuſcepta ac laudata quatuor priora Concilia, concepta eſt definitiva damnationis ſententia in tria capitula.

Ad finem hujus condemnationis adduntur 14. anathematiſmi ſeu Ca- 20.
nones, non tantùm contra tria capitula, ſed etiam contra Origeniſtas, Arium, Eunomium, Macedonium, Neſtorium, Eutychem, aliósque hæreticos, à primis quatuor Conciliis damnatos.

Editi 14. anathematiſmi contra hæreſes.

In primo Canone anathematizatur, qui non confitetur unam eandémque eſſe naturam, eſſentiam, virtutem & potentiam Patris, Filii, & Spiritûs ſancti, Trinitatem conſubſtantialem, unam Deitatem in tribus ſubſiſtentiis, ſive perſonis adorandam.

Hoc definitum eſt contra Sabellianos, Arianos, & Macedonianos, ſanctiſſimæ Trinitatis hoſtes.

In 2. Ille, qui non confitetur Dei Verbi duas eſſe nativitates, unam ante ſæcula incorporabiliter ex Patre, alteram ejusdem in tempore Incarnati ex ſancta glorioſa Dei Genitrice. *Hîc damnantur Neſtoriani, qui negârunt, B. V. Mariam eſſe Dei Genitricem.*

In 3. Qui dicit, alium eſſe Dei Verbum, qui miracula fecit, & alium, qui paſſus eſt. *Hîc rurſus fulminantur Neſtoriani.*

In 4. Qui non confitentur veram ac realem unionem inter Verbum & humanitatem, manente inconfuſa tam humanitatis, quàm Verbi ſubſtantia poſt incarnationem. *Hoc eſt contra Neſtorium & Eutychetem.*

In 5. Qui plures ſubſiſtentias ſeu perſonas conatur introducere in Chriſto. *Damnatur hîc Neſtorius & Theodorus.*

In 6. Qui dicit, tantùm abusivè & non verè B. V. Mariam esse Dei Genitricem. *Est contra eosdem.*

In 7. Qui non confitetur duas naturas, Deitatem nempe & humanitatem post incarnationem inconfusè unitas in unitate personæ. *Est contra Eutychianos & Nestorianos.*

In 8. Contra eosdem definitur, Verbum secundùm subsistentiam esse unitum carni, unúmque esse Christum, consubstantialem Patri quoad Deitatem, nobis verò quoad humanitatem.

In 9. Damnantur, qui duas introducunt adorationes, alteram Dei Verbi, alteram hominis. *Est rursus contra Nestorianos.*

In 10. Qui non confitetur Christum crucifixum carne esse verum Deum. *Est contra eosdem.*

11. Qui non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychen & Origenem, cum impiis eorum scriptis, aliósque hæreticos ab Ecclesia, ac præcedentibus Conciliis damnatos.

21. *Anathema illis, qui defendunt Theodorum, scripta Theodoreti aut Epistolam Ibæ,*

12. Qui defendit impium Theodorum Mopsvestenum.

13. Qui impia Theodoreti scripta propugnat, quæ contra primam Ephesinam Synodum, ac contra doctrinam Cyrilli pro Theodoro & Nestorio scripsit.

14. Qui defendit Epistolam Ibæ ad Mariam Persam.

§. III.

Canones contra Origenistas.

Præter Anathematismos istos in hoc Concilio compositi sunt insuper 15. Canones contra Origenem, quos primò ex vetustissimo Codice manuscripto Bibliothecæ Cæsareæ Græcè edidit clarissimus vir Petrus Lambecius, ac postea Joannes Harduinus S. J. Latinè est interpretatus.

22. *Errores Origenis damnati.*

Damnantur in istis, qui dicunt, animam ante corpus exstitisse; astra fuisse animata ac rationalia; ex Angelico statu fieri animalem, ex animali dæmoniacum, & humanum, ex humano rursus Angelos, & dæmones; dæmones constare ex animabus hominum; Christum ante omnia Sæcula esse Deo verbo unitum: Deinde Angelis Angelum, hominibus verò hominem factum: Corpus Christi post resurrectionem fuisse æthereum, & figura Sphærica, ac talia post resurrectionem aliorum etiam corpora futura, ac denique omnia corpora annihilanda, sola mente remanente, quæ tantùm una sit futura, coalescentibus omnibus in unam. Et quæ sunt aliæ ejusmodi fabulæ ac deliria.

23. *Eo adhuc vivente jam damnati.*

Ut autem de Origene aliquid addamus, notandum est, ipsius adhuc viventis scripta, tanquam hæretici, damnata esse à Demetrio Alexandrino Patriarcha: ùt constat ex S. Hieron. *lib. 2. adversùs Ruffinum.* Origenes

nes verò pro ſui defenſione ad omnes Eccleſias ſcripſit, non eſſe ſuam illam doctrinam, ſed ab hæretico quodam ſuperſeminato lolio vitiatam. Verùm cùm in omnibus ferè libris Origenis eædem hæreſes inſperſæ legantur, oportuiſſet ipſum exprimere errores ſibi affictos, illóſque damnare, ſi ſuſpicionem hæreſis voluiſſet à ſe amoliri.

Anno 399. *Theophilus Alexandrinus* in Synodo ſuorum Epiſcoporum 24.
damnavit libros Origenis ejúſque fautores communione privavit. Quod idem Romæ factum ab *Anaſtaſio Papa*. Tum verò Monachi Origeniſtæ à Theophilo Ægyto pulſi, Conſtantinopolim ad Arcadium Imperatorem confugientes, Theophilum graviſſimè accuſârunt, adeò quidem, ut in diſcrimen adduceretur. Credidit Theophilus, *Joannis Chryſoſtomi*, Conſtantinopolitani tunc Epiſcopi ſuaſu factam delationem, ipſúmque Origeniſtis favere. Unde ad Chryſoſtomum ſcribit de cogenda Conſtantinopoli Synodo ad condemnandos Origeniſtas, ſicut ipſe Alexandriæ & Anaſtaſius Romæ feciſſet. Reſcripſit Chryſoſtomus, pleroſque Eccleſiæ Doctores magna ferri in Origenem veneratione, cúmque ea cauſa à nulla Oecumenica Synodo ſit definita, timendum eſſe, ne majus inde diſſidium oriretur.

Diſſidia Theophili & Epiphanii cum Joanne Chryſoſtomo.

Propter libros Origenis.

Ephiphanius Conſtantiæ in Cypro Epiſcopus, amicus Theophili ſingularis, & adverſus Origeniſtas ſocius, ſuadente Theophilo Conſtantinopolim profectus, atque à Chryſoſtomo perhumaniter exceptus, negavit, ſe communionem cum eo habiturum, donec Origenis libros damnaret, & Monachos Origeniſtas expelleret. Cúmque diſceptando fruſtra conaretur Epiſcopos & Clerum à Chryſoſtomo avellere, re infecta in Cyprum reverſus eſt.

Theophilus dein, collectis pluribus Epiſcopis, acceſſit urbem, atque 25.
Eudoxiæ Auguſtæ, Chryſoſtomo infenſæ, patrociniô collegit Concilium in Chalcedonis ſuburbio: Cúmque in eo citatus Chryſoſtomus non comparuiſſet, damnatur, & à ſede Patriarchali depoſitus, urgente Eudoxia ab Arcadio in Exilium mittitur, Theophilo triumphali veluti pompa urbem regiam ſubeunte.

Unde Chryſoſtomus depoſitus & pulſus in Exilium.

§. IV.

Criſis circa Controverſiam tribus Capitulis.

Hæ igitur turbæ, propter hæreſes Origeniſtarum, & trium Capitulorum 26.
Controverſiam exortæ, durârunt uſque ad quintam generalem Synodum: Imo neque per hanc fuerunt finitæ, multis Epiſcopis, præſertim in Occidente eidem reclamantibus, eò quòd exiſtimarent, eam per potentiam ſæcularem Juſtiniani Imperatoris coactam in ſubverſionem Concilii Chalcedonenſis, atque damnationem trium Capitulorum ab Eutychianis, ac præſertim à Theodoro Cæſareenſi, Imperatori perſuaſam.

Quia Vigilius confirmare noluit Synodum.

 Sed

crudeliter habitus,

Sed neque Vigilius Pontifex confirmare eandem voluit. Unde, ùt testatur Cabassutius *de notitia Conciliorum in Concil. Const. II* à Justiniano carceri inclusus, ac crudeliter habitus, fune ad collum alligato, & comitibus ejus, clericis Romanis, ad metalla damnatis; atque sæviente insuper in omnes, qui acceptare eandem noluerant, sæva tyrannide, ad majora Ecclesiæ mala evitanda, satiùs duxit, eandem confirmari, ne aliàs totus Oriens infelici schismate ab Occidente scindatur, & Justiniana persecutio gravem Ecclesiæ cladem afferret.

Tandem eam confirmavit.

Non est verò, quòd quisquam Vigilium Papam, qui antè cum Occidentalibus Episcopis condemnationi trium Capitulorum obstiterat, aut inconstantiæ arguat, aut in hæresis suscipionem vocet. Non enim disceptatio, quæ inter Catholicos de tribus Capitulis fervebat, de fide erat (in qua omnes Catholici convenerant) sed tantùm de personis, an videlicet *Theodorus*, *Theodoretus* & *Ibas* habendi sint pro hæreticis. Quia igitur Concilium Chalcedonense eos non damnaverat, sed Theodoretum & Ibam sedibus suis, à quibus à Nestorio depulsi fuerant, restituerant, Vigilius Papa cum Occidentalibus Episcopis damnare eos noluit: Nunquam verò eorum scripta approbavit.

27. *Quia controversia non erat de Fide.*

28. *Sed de personis.*

Non est equidem dubium, quin in libris Theodori Mopsvesteni plura contineantur impia, planè hæretica (ùt Vigilius ipse in sua confirmatione quintæ Synodo fatetur) dum inter alia Theodorus scripsit, alium esse Deum Verbum, alium Christum, ad exemplum imaginis Imperatoriæ adorandum, post resurrectionem primùm impeccabilem factum, talíque unione verbum esse unitum Christo, qualem Apostolus dixit de viro & muliere: *Erunt duo in carne una. 1. Cor. 6.* Thomam, dum exclamavit, *Dominus meus, & Deus meus*, ea verba non retulisse ad Christum, sed ad Deum, Christum enim, qui passus ac mortuus est, non esse Deum. Hæc proin aliáque impiè à Theodoro scripta, à quinta Synodo & Vigilio Papa in ejusdem confirmatione, unà cum ipsa persona Theodori, sunt damnata & anathematizata, neque unquam aut à Concilio Chalcedonensi, aut à Vigilio, aut alio Catholico approbata.

29. *Quæ licèt non sint condemnata à Chalcedonensi.*

Quòd autem à Concilio Chalcedonensi non fuerit apertè condemnatus, inde erat, quòd ibi tantùm hæresis Eutychiana de una Christi natura examini fuerit subjecta, atque ad eum solum finem congregata Synodus: licèt ergo ibidem aliqua scripta Theodori incidenter fuerint recitata, non tamen ex silentio Concilii in hac parte inferri potest, ea scripta, aut ipsam personam Theodori tanquam orthodoxam fuisse approbatam: quia scilicet ea quæstio tunc non movebatur; & infinitum esset, omnia, quæ incidenter in Concilio dicuntur aut leguntur examinare.

30. *Doctrina tamen nunquam approbata.*

In-

Inſuper Synodus quinta & Vigilius in ſua confirmatione damnârunt, *quæ à Theodoreto ſcripta ſunt contra rectam fidem, & contra 12. capitula S. Cyrilli, & contra Synodum Epheſinam primam, quæque ab eo ſcripta ſunt defenſione Theodori & Neſtorii: præterea epiſtolam ad Marim Perſam hæreticum, quæ ab Iba ſcripta dicitur, quæ Chriſtum Verbum ex ſancta Deipara, & ſemper Virgine Maria incarnatum, hominem factum fuiſſe negat, nudum verò hominem ex ea natum, ita, ùt ex hoc intelligitur, alium eſſe Verbum Deum, alium Chriſtum: S. Cyrillum verò, veræ fidei Magiſtrum ùt hæreticum, & ſimilia Apollinari ſcribentem calumniatur, & reprehendit primam Synodum Epheſinam, quaſi abſque judicio & diſquiſitione Neſtorium damnaverit: tum capita 12. Cyrilli impia & rectæ fidei contraria appellat: defendit autem Theodorum & Neſtorium, & impia eorum dogmata atque ſcripta.* 31. *In hac verò Synodo expreſsè damnata*

Verba hîc recitata ſunt ipſius Papæ Vigilii, quibus addit ſequentia: *Prædicta itaque tria impia capitula anathematizamus & condemnamus, ſcilicet impium Theodorum Mopſveſtiæ, uno cum impiis ejus ſcriptis: & quæcunque impie Theodoretus ſcripſit, atque etiam epiſtolam, quæ dicitur ab Iba ſcripta fuiſſe.* Deinde eos etiam, qui tria capitula ſuſceperint, aut defenderint. *Quæ autem à me* (ſubjungit Vigilius) *aut ab aliis ad defenſionem illorum facta ſunt, præſentis hujus ſcripti noſtri definitione evacuamus.* *Una cum perſona Theodori.*

Denique addit, Concilium Chalcedonenſe nunquam approbâſſe prædictas blaſphemias, neque admiſiſſe ullum, qui illas non rejeciſſet. Unde cauſam de perſona Theodori indeciſam quidem reliquit, utpote in quæſtionem tunc non deductam, Theodoretum verò & Ibam admittere priùs ac reſtituere noluit, donec anathema dixerunt Neſtorio; & poſtquam recepto Concilio Epheſino primo Catholicam fidem profeſſi ſunt. Nihil autem abſurdi habet, aut erroris, pœnitentes ab hæreſi ad Eccleſiam redeuntes recipere, ac ſedibus ſuis reſtituere. Confeſſi ſunt Chalcedone Theodoretus & Ibas, ſe tunc illa ſcripſiſſe, quando orientales cum Joanne Antiocheno, infelici illo ſchiſmate, á Concilio primo Epheſino & Cyrillo Alexandrino diffidebant: poſt factum autem ſuorum capitum à Cyrillo declarationem, & reſtitutam Cyrillum inter & Joannem concordiam, ſe ac orientales idem cum ſancta Epheſina Synodo & occidentalibus ſentire. Unde nec Synodus quinta, nec Vigilius Theodoretum & Ibam condemnârunt, ſed tantùm eorum ſcripta, quæ ipſimet etiam Chalcedone revocârunt, confitentes unam perſonam, duas verò naturas in Chriſto, totique Concilli definitioni ſubſcribentes. 32. *Non autem Theodoretus & Ibas.* *Sed tantùm eorum ſcripta.*

§. V.

Schiſmatis ob tria capitula etiam poſt Synodum quintam continuatio.

33. Cæterùm per Synodum quintam necdum extinctæ ſunt diſſenſiones, ſed ultra centum adhuc annos, usque ad Sergium I. Pontificem perdurâ- runt. Quamvis enim circa fidei definitiones, quas edidit, omnes conve- nirent Catholici, attamen circa ea, quæ facta & perſonas concernunt, acerrimè adhuc dimicatum eſt.

Inter eos autem, qui damnationi trium capitulorum, in quinta Syno- do factæ, pertinaciſſimè ſe oppoſuerunt, complures erant Iſtriæ, Venetia- rum, Liguriæ, atque Inſubriæ Epiſcopi, atque comprimis *Paulinus* Aqui- leienſis, & *Honoratus* Mediolanenſis Antiſtes, perſuadentes ſibi, vel ſcri- pta illa prædictis Epiſcopis falsò eſſe imputata, vel Synodo Chalcedonenſi damnationem illam eſſe præjudicioſam.

Conciliabulum Aquileiense. Hi itaque Synodum quintam, licèt authoritate Vigilii Papæ jam con- firmatam, coacto *Aquileiæ conciliabulo* reprobârunt, adverſante *Pelagio ſecun- do* Romano Pontifice; qui pariter Synodum quintam & damnationem tri- um capitulorum approbaverat, ùt patet ex ejus epiſtola, plena ſanctitate & eruditione, ad Eliam Aquileienſem, alióſque Inſtriæ Schiſmaticos Epi- ſcopos, quæ actis quintæ Synodi inſerta eſt.

Contra Synodum quintam pro tribus capitulis. In hac epiſtola conqueritur Pontifex primò de eorum pertinacia: ſol- vit deinde illorum objectionem, oſtendítque, per Synodum Conſtantino- politanam Chalcedonenſem non eſſe convulſam, cùm in illa tantùm de fide ſit tractatum, in qua Synodus quinta illi non diſſentiat. Vigilium & occi- dentales, Græcæ linguæ minùs peritos, non ſatìs intelligentes tria capitula,
34. damnationi eorum initio reſtitiſſe, dein verò exemplo Petri & Pauli Apo-
Refutatur à Pelagio II. Papa. ſtolorum, cognita meliùs veritate, atque Eccleſiæ rebus id exigentibus, mutâſſe ſententiam, in re non dogmatica. Theodorum Mopſveſtenum jam ab Epheſina prima Synodo fuiſſe damnatum, & quidem jam mortuum, nihil proin abſonum feciſſe quintam Synodum, eundem mortuum rurſus condemnando: deſiſterent proin defendere hominem, cujus ſcripta adeò
Meritò damnatum Mopſveſtenum. eſſent impia atque in Chriſtum blaſphema: neque dubitandum, quin ea ſint Theodori ſcripta, hoc enim manifeſtè Procli Conſtantinopolitani, Cy- rilli Alexandrini, aliorúmque teſtimoniis comprobari: ac proin damna- tioni primi capituli, damnationi videlicet Theodori, ejúsque ſcriptorum impiorum ab omnibus ſubſcribendum eſſe: neque obſtare, quòd Mopſve- ſtenus ab uno vel altero ſit laudatus, quando necdum ſatìs fuit cognitus; etiam Origenem hæreſiarcham ab Euſebio, Gregorio Nyſſeno, & Hiero- nymo fuiſſe laudatum, nec tamen injuſtè à Synodo quinta & à ſummis Pon- tificibus eſſe damnatum.

Pro-

Progreditur deinde Pelagius Papa in litteris fuis ad alterum capitulum, 25.
oftenditque, falfum omnino effe, quòd Ibæ Epiftola à Chalcedonenfi Synodo fit approbata, cùm plura eidem omnino contraria definiverit. Si defendere pergant impiam epiftolam Ibæ, reprehendere eos Synodum Ephefinum primam, utpote quæ in epiftola prævaricationis arguitur: Ibam rejecta hærefi pœnitentem effe à Chalcedonenfi reftitutum, nullatenus verò ejus epiftolam approbotam, fed reprobatam: damnarent proin ipfi etiam fecundum capitulum, illam nempe Ibæ epiftolam, & concordaturos fore cum Concilio generali tertio, quarto, & quinto.

Epiftolam Ibæ.

Denique Pelagius de tertio tractat capitulo, aitque, fe non omnia Theodoreti fcripta damnare, fed illa duntaxat, quæ contra 12. Cyrilli anathematifmos & rectam fidem edidit, quæque ab ipfo Theodoreto in Chalcedonenfi fint retractata. Negari non poffe, fcripfiffe Theodoretum plura, quæ nulla excufatione probari poffint, fcripfiffe ipfum ad Neftorium poft ejusdem in Ephefina prima Synodo condemnationem: *In his, quæ in te injuftè atque iniquè prolata funt, nec fi mihi quis utramque manum abfciderit, potero præbere affenfum.* Scripfiffe infuper illum contra Cyrillum, Chriftum, fi æternus fit, temporalem non effe; fi verò temporalis fit, æternum non effe: multáque alia, Neftorianam hærefin olentia. Verùm hæc ab eo in Concilio Chalcedonenfi retractata, dum Neftorio, quem antè defenderat, dixit anathema, & toti Concilio fubfcripfit; temerarium proin effe, Theodoreti fcripta defendere, quæ ipfemet damnâffet. Dum igitur ejus fcripta quædam damnantur, & perfona recipitur, nullius Synodi fententiæ contrarii: etiam à Chalcedonenfi fcripta ejus quædam reprobata, ipfum autem pœnitentem, & malè fcripta retractantem receptum effe. Ad calcem denique Apoftolicæ hujus epiftolæ S. Pelagius paterno zelo adhortatur Schifmaticos ad unitatem, cum iterata proteftatione, fe in nulla prorfus re à fide Chalcedonenfis Concilii, ejúsque definitionibus dogmaticis deflectere.

Et fcripta Theodoreti, neque à Chalcedonenfi fuiffe approbata.

Sed tantùm perfonas pœnitentes fuiffe receptas.

Accepta hac præclara epiftola, complures adhuc Epifcopi pertinaciter 36.
in fchifmate hærebant, ut adeò Pelagius, tentatis fruftra paternis remediis, cum Narfete, Juftiniani in Italia duce agere coactus fit, qui *Paulinum* & *Honoratum* obftinatos militari manu Conftantinopolim abduci juffit ad Imperatorem, à quo aliàs nova tyrannidis procella erat pertimefcenda.

Schifma tamen necdum fublatum.

Sed neque fic fchifma fublatum: quamvis enim aliqui Epifcopi, Sedi 37.
Apoftolicæ invicta conftantia adhæferint, dictáque tria capitula condemnârint, non pauci tamen pertinaciter fe opponere perrexêrunt: donec tandem ftudio & opera Gregorii Magni & Sergii Pontificum, extinctis Ecclefiarum difcordiis, Synodum quintam tanquam Oecumenicam omnes acceptârunt, ficque unitas & pax Ecclefiæ eft reftituta.

Quod tandem fub Sergio extinctum.

Memo-

38. *Epiſtola S. Gregorii de tribus capitulis.* Memorabilis etiam in hac re eſt epiſtola Gregorii Magni ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum data, in qua quintam etiam Synodum approbat. Inter alia in illa ſic loquitur:

„Sicut S. Evangelii quatuor libros, ſic quatuor Concilia venerari me „ fateor --- quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epiſtola, „ quæ Ibæ dicitur, erroris plena, reprobatur, & Theodorus perſonam „ Mediatoris in duabus ſubſiſtentiis ſeparans ad impietatis perfidiam ceci„ diſſe convincitur. Scripta quoque Theodoreti, per quæ S. Cyrilli fides „ reprehenditur, auſu dementiæ prolata refutantur. Cunctas verò, quas „ præfata veneranda Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo, quas veneran„ tur, amplector; quia dum univerſali conſenſu ſunt conſtituta, ſe & non „ illa deſtruit, quisquis præſumit aut ſolvere, quos ligant, aut ligare, quos „ ſolvunt. Quisquis ergo aliud ſapit, anathema ſit.

Aliam epiſtolam celebrem Gregorius ſcripſit ad Hiberniæ Epiſcopos, in ſchiſmate ob cauſam trium capitulorum perſiſtentes: in qua repetit ea, quæ Vigilius & Pelagius, præceſſores ipſius aſſeruerant, videlicet: in quinta Synodo de quibusdam tantummodo perſonis eſſe actitatum, in fide autem nihil omninò convulſum aut immutatum, nec quidquam Concilio Chalcedonenſi contrarium ſtatutum.

ARTICULUS VI.

De Concilio Generali VI. Conſtantinopolitano III.

Pro duabus in Chriſto voluntatibus contra Monothelitas ſub Agathone & Conſtantino Pogonato Anno 681.

SUMMARIUM.

§. 1.

Synopſis Hiſtorica.

1. *Eutychianæ hæreſis, in varias ſectas diffuſæ, ingens propago fuit* Monothelitiſmus, *ſeu hæreſis de una in Chriſto voluntate.*
2. *Per ſumma utriusque ordinis capita graſſata.*
3. Ecthesi *Heraclii hæretica roborante.*
4. *Sophronio reſiſtente:*
5. *Honorio Papa connivente:*
6. *Conſtante Imp. per* Typum *non medente.*
7. *Donec Martinus Papa ſtrenuè ſe oppoſuit:*
8. *Et Agatho indicta Synodo VI. feram belluam tandem confecit.*

§. 2.

Acta Concilii.

9. *Macarius Patriarcha Antiochenus contumax.*
10. *Damnatus, & depoſitus: Reſipiſcente Georgio Conſtantinopolitano.*
11. *Etiam Honorii nomen inter Monothelitas relatum.*

12. *Dam-*

12. *Damnatur Polychronius impoſtor.*
13. *Quinam nominatim damnati.*
14. *Subſcribit etiam præſens Imperator Concilio, illúdque edicto firmat.*

Controverſia critica de lapſu Honorii.

§. 3.

Argumenta, quibus probari videtur Honorii lapſus in hæreſin.

15. *Probare nituntur ex epiſtolis Honorii ad Sergium.*
16. *Ex Synodo VI. VII & VIII. Honorium damnantibus.*
17. *Ex epiſtola Leonis II.*
18. *Ex Anaſtaſio Bibliothec.*
19. *Ex variis ſcriptoribus.*

§. 4.

Honorius non fuit lapſus in hæreſin.

20. *Quia pro Sancto habitus.*
21. *Quia ejus epiſtolæ nihil continent hæreticum.*
22. *Quia tantùm erravit languidiùs ſe opponendo.*
23. *Quia Nicolaus I. & Agatho ſcripſerunt Orientalibus, nullum unquam Romanum Pontificem eſſe lapſum in hæreſin.*
24. *Quia nunquam negavit duas in Chriſto voluntates.*
25. *Sed tantùm duas in humanitate negavit. Teſtimonium S. Maximi.*
26. *Imò profeſſus eſt duas operationes, Divinam & humanam.*
27. *Quia Scriptores plurimi ſtant pro Honorio.*

§. 5.

Acta tamen Synodi VI. &c. referentia nomen Honorii probabiliùs non ſunt corrupta.

28. *Argumenta, quòd acta ſint corrupta.*
29. *Sed non eſt ſatìs credibile, omnia exemplaria eſſe corrupta, aut potuiſſe corrumpi.*
30. *Quod probatur.*

§. 6.

An Synodus VI. erraverit in damnando Honorio?

31. *Cenſent aliqui, erràſſe Synodum in quæſtione facti.*
32. *Sed hæc ſententia eſt difficilis.*

§. 7.

Quomodo ergo Honorius abſolvendus ab hæreſi?

33. *Tertia ſententia Criticorum recentiorum media.*
34. *Erravit conniventia, & diſſimulatione veritatis, non ſatìs coërcendo Sergium & Cyrum.*
35. *Hæc ſententia media abſolvit à corruptione acta Concilii: ab hæreſi Honorium, & ab errore Concilium.*
36. *Cobaſſutius male comparat epiſtolas Honorii, in quibus voluit abſtineri à vocibus unius aut duplicis voluntatis, cum Henotico Zenonis, & Typo Conſtantis Imper.*
37. *Neque locutus eſt ex Cathedra. Sed tantùm duas privatas ad Sergium ſcripſit epiſtolas.*
38. *Neque ut homo privatus incidit in hæ-*

resin propriò dictam. Imò ne quidem videtur peccâsse formaliter.

39. *Errores Historici Melchioris Cani, & Bartholomæi Caranzæ, in hac re.*

§. 8.

De Diptychis.

40. *Quid sint: Quid contineant: Quænam nomina lecta.*

41. *Diptycha Sanctorum. Utraque antiquissima.*

42. *Schisma ortum, quia Acacius nomen Felicis Papæ è Diptychis erasit.*

§. 9.

Appendix de Synodo Trullana.

43. *Hæc post Synodum VI. à solis Orientalibus coacta 102. Canones edidit. Sed reprobata est à Sergio Papa.*

44. *Aliqui tamen Canones sunt probi: Et aliunde in Ecclesia recepti: Serviùntque, tanquam argumentum ad hominem adversùs hæreticos, hoc synedrion multùm dilaudantes.*

§. I.

Synopsis Historica.

1. *Eutychiana hæresis*

Eutychiana hæresis, à Martiano Principe repressa, per Zenonis & Acacii hænoticon vires resumens, per Anastasii, eidem henotico insistentis, impietatem adolescens, in varios se se ramos diffudit. Ex ea enim orti *Theophaschitæ, Severiani, Jacobitæ* per totum Orientem sparsi, *Acephali*, sic dicti, quòd sinè certo capite delirabant. Sed instar amnis in multos rivulos divisi exaruit propemodum illa hæresis, ut adeò sub Justino II. Tiberio, Mauritio & Phoca sat tranquilla pace sit gavisa Ecclesia. Quod indignè ferens humani generis hostis, novas ex orco misit suppetias. Cùm enim Eutychiani viderent suam de una tantùm in Christo natura hæresin damnatam esse à Chalcedonensi Synodo, cúmque nec per trium capitulorum damnationem convellere, ùt sperabant, possent authoritatem ejusdem Chalcedonensis Concilii, ad alias artes versi, *unam* tantùm in Christo *voluntatem, unámque operationem* esse dicebant: Cùm enim una tantùm in Christo sit persona, unus volens, unus Operator, unam quoque voluntatem, unámque operationem esse oportere, eámque non humanam sed Divinam duntaxat, cùm etiam Persona tantùm sit Divina. Perinde autem est, sive hanc hæresin omnino novam dicamus, sive novam quandam hæresis Eutychianæ propaginem, Lernæa velut hydra in nova capita renascente, dum videlicet, cùm apertè unam tantùm in Christo voluntatem assereret, unam pariter naturam tacita illatione persuaderet. Novo tamen nomine novatores isti signati sunt, atque ab *una voluntate*, quam adstruebant, *Monothelitæ* dicti.

Propago est Monothelitismus.

Ingen-

Ingentem ſtragem hæc peſtis edidit: útque majores ederet, per ſublimes vertices graſſata, magnos viros aut auctores aut patronos nacta eſt: *Theodorum* comprimìs Pharanitanum Epiſcopum, *Athanaſium* Jacobitarum Patriarcham; *Cyrum* Alexandrinum, & *Sergium* Conſtantinopolitanum Patriarcham, hujúsque ſucceſſores *Pyrrhum*, Petrum, *Paulum*: pertracto etiam in partes ſuas *Heraclio* Imperatore, qui Perſico confecto bello, ab Athanaſio primùm, deinde etiam à Cyro & Sergio, perſuaſus hanc hæreſin vulgavit publico edicto, quòd *Ecthesin*, ſeu expoſitionem fidei appellavit; quam dein Sergius in Conciliabulo Conſtantinopoli coacto Epiſcoporum ſubſcriptione firmavit: Anno 639. Severo præcepto omnibus impoſito, unicam in Chriſto voluntatem profitendi; quæ hæreſis in Ecthesi erat contenta. 2. *Per ſublimia capita graſſatus.* 3. *Ecthesi Heraclii promovente.*

Exhorruit melior orbis ad novum hoc monſtrum. Nec defuêre heroës, qui cum illo decertarent. Hos inter primo loco celebrandus venit *Sophronius*, magnæ probitatis atque eruditionis Monachus, factus poſtea Patriarcha Jeroſolymitanus, qui datis primò ad Cyrum ac Sergium litteris, convocata deinde Jeroſolymis Epiſcoporum Synodo, errorem iſtum damnavit. 4. *Reſiſtente Sophronio*

Hoc cùm ægrè ferret Sergius, Sophronium apud Honorium Papam accuſavit, quòd novis *duarum voluntatum* vocabulis Eccleſiam turbet. Scripſit etiam Honorio Sophronius. Viſum nonnullis, ut diſſidia iſta tollantur, novíſque Eccleſiæ perturbationibus obviam eatur, abſtinendum ab iſtis *unius* vel *geminæ voluntatis* nominibus. Conſenſit, immaturo & præcipiti judicio, etiam *Honorius*, datis ad Sergium, quem virum bonum crediderat, litteris. At fidem datam fallens Sergius (qui tamen Honorium induxerat) cum Cyro aliísque ſectariis, unam in Chriſto voluntatem aſſerere perrexit, ſéque ex ſententia Honorii hoc facere mendaciſſimè prædicabat. 5. *Languente Honorio.*

Conſtans Imperator, rejecta Avi ſui Heraclii Ecthesi, novam fide formulam, per *Paulum* Patriarcham Conſtantinopolitanum, Monothelitam, compoſitam, quam *Typum* vocârunt, ad Martinum Papam tranſmiſit. In hoc Typo prohibetur utraque aſſertio, tam unius, quàm duarum voluntatum & actionum, ut ſic diſcordiæ præcidantur. Martius Papa, coacta Romæ Synodo, concluſit, laudabile quidem eſſe pacis ſtudium, verùm hanc non eſſe viam ad pacis Orthodoxæ decus: Non eſſe ſupprimendam Catholicam veritatem; præter Divinam, humanam etiam in Chriſto eſſe naturam, ex Chalcedonenſibus haberi tabulis: ubi autem humana natura eſt, ibi humanam etiam eſſe voluntatem: Neque enim humanam poſſe eſſe naturam, quæ intellectu & voluntate careat humana: Non igitur cum impiis conticeſcendum in tenebris, ſed dogma Orthodoxum in apertam orbis 6. *Conſtante Imperat. per Typum non medente.*

lucem producendum. Hæc Synodus: ſimúlque Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Theodorum damnat, rejecta Heraclii Ecthesi & Conſtantis Typo, in hæreticorum Officinis fabricatis.

7. *Martinus ſe oppoſuit* Cúmque Martinus Papa de his Concilii decretis Apoſtolicas ad omnes fideles litteras miſiſſet, excandeſcens Imperator Conſtans per Theodorum Calliopam S. Pontificem Canſtantinopolim abductum, in Cherſoneſum jubet deportari; ubi ærumnis confectus obiit, veritatis Orthodoxæ Martyr. Relegatus pariter in Exilium poſt exſectam linguam ab eodem tyranno *Maximus,* Monachus ſanctitatis & eruditionis fama celeberrimus.

Poſtquam autem Conſtans, probis omnibus inviſus, Roma propemodum expilata, in Siciliam digreſſus, eſt interemptus in balneo, ſucceſſit, in Imperio Filius *Conſtantinus Pogonatus,* à Patre piè degener, juſtitiæ & religionis cultor eximius, qui laceratas tot diſſidiis atque hæreſibus Provincias ut reparet, cum Agathone Pontifice Concilium tot malis amovendis opportunum iniit. Cúmque lues per tot annos jam depaſcens Romanum Imperium non aliter extinguenda videretur, niſi ope generalis Concilii, indictum illud eſt anno 680. authoritate *Agathonis* Papæ, atque Conſilio

8. *Agatho indicto Concilio oxtinait.* & auxilio *Conſtantini.* Habita itaque Romæ Synodo particulari 125. Epiſcoporum Occidentalium, qui tam longo itinere ad Concilium generale Conſtantinopolim proficiſci non poterant, cum legatis Agathonis miſerunt nomine Romanæ Synodi tres Epiſcopos, qui ſententiam Occidentalis Eccleſiæ exponerent. Inſtruxit etiam Agatho legatos ſuos litteris, quibus fidem Orthodoxam de Chriſto non minùs clarè quàm eruditè expoſuit.

Convenerunt itaque anno 680. Conſtantinopoli ex variis Provinciis Epiſcopi 289. (quidam pauciores numerant) præſidentibus Concilio Legatis Sedis Apoſtolicæ, *Theodoro* & *Georgio* Presbyteris, & *Joanne Diacono:* præſente etiam Imperatore, ùt Defenſore & Protectore Synodi. Ex Patriarchis duo tantùm per ſe ipſos aderant, nempe Georgius Conſtantinopolitanus, & Macarius Antiochenus: Nam Alexandrinus & Jeroſolymitanus miſerunt Legatos.

§. II.

Acta Concilii.

9. *Macarius Antiochenus contumax.* Octodecim autem actionibus conſtabat Synodus. In prima propoſitus eſt finis Concilii, nempe ut hæreſis Monothelitarum, à Sergio & ſucceſſoribus ejus invecta damnetur. *Macarius Antiochenus* Patriarcha, Monothelita, negavit eſſe hæreſin, ſed eſſe doctrinam, acceptum à Conciliis & Patribus, præſertim ab Honorio Papa & S. Cyrillo; cúmque ex Cyrillo legeretur, omnipotentem eſſe Chriſti voluntatem, atque Macarius

ex

ex hoc loco vellet inferre unitatem voluntatis, Legati Agathonis reposuerunt, Cyrillum loqui de Divina Christi voluntate.

In secunda actione Legati Apostolici ex epistola S. Leonis à toto Concilio Chalcedonensi acceptata ostenderunt, duas in Christo esse naturas & operationes.

In tertia ostensum est, Monothelitarum fraude actis quintæ Synodi insertam esse epistolam Mennæ ad Vigilium, supposititiam ac commentitiam: cùm quinta Synodus sex annis post mortem Mennæ sit habita.

In quarta præter Synodi Rnmanæ epistolam lecta est, quam Agatho per Legatos suos miserat, in qua ostendit, duas esse in Christo voluntates, nullúmque ex Romanis Pontificibus unquam à Catholica fide aberrâsse. *Quomodo hoc scribere potuisset S. Agatho ad Oecumenicum Concilium, si S. Honorius paulò ante in hæresin Monothelitarum fuisset prolapsus?*

In pluribus deinde actionibus lecta sunt, quæ Macarius pro suo errore 10.
stabiliendo, & quæ Legati pro sua sententia allegârunt; cúmque deprehensa esset impostura Macarii ac Monothelitarum in falsificatis ac depravatis textibus, integra verò fides Legatorum in citandis testimoniis ex authenticis codicibus eluceret, Georgius Constantinopolitanus, plurésque alii Episcopi, deserta Monothelitarum perfidia, ad veritatem orthodoxam reversi, epistolam Agathonis, Spiritu S. dictante per os Petri scriptam conclamabant. Macario verò pertinaci unanimi voce dictum anathema, latáque in eum depositionis sententia, utì etiam in Stephanum ejus Diaconum. Sophronii verò Jerosolymitani doctrina comprobata: Macario in Monasterium detruso.

Damnatus & depositus.

Georgio Constantinopolitano resipiscente.

In actione 12. & 13. lectæ Sergii ad Honorium & Cyrum litteræ: Ma- 11.
cario deposito subrogatus Patriarcha Antiochenus *Theophanes.* Lecta damnationis sententia in omnes Monothelitas, & nominatim in Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Honorium, Paulum, Petrum.

Honorii nomen etiam inter Monothelitas relatum.

In actione 14. epistolæ aliquæ à Monothelitis confictæ, & suppositæ Mennæ & Vigilio, rejiciuntur.

In actione 15. Polychronius Presbyter & Monachus citatus ad Conci- 12.
lium, postquam ad fidem Monothelitarum demonstrandam in mortuo resuscitando frustra laborâsset, tanquam contumax hæreticus & impostor damnatus est.

Damnatur etiam Polychronius.

In actione 16. Gregorius Constantinopolitanus cum Episcopis suæ sedi subjectis rogat, ne sui antecessores, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus &c. nominatim anathemate feriantur; sed à Synodo preces sunt rejectæ.

In 17. concepta fidei definitio, anteriorum etiam Conciliorum ſymbolo roborato, & repetita condemnatione omnium Monothelitarum, eorúmque defenſorum ac fautorum.

13. *Quinam nominatim damnati.* Denique in 8. actione definitio fidei coram Imperatore iterum lecta approbatur, clamantibus omnibus, ſe ita credere: renovatúmque anathema in Theodorum Pharonitanum, Sergium & Honorium, Pyrrhum & Paulum, Cyrum & Petrum, Macarium, Stephanum & Polychronium; rogatúsque Imperator, ut Concilium firmet edicto imperiali, ut contumaces efficaciùs coërceri poſſent.

14. *Subſcribit Imperator præſens.* Subſcripſerunt Concilio primò Legati Apoſtolici, tum Patriarchæ, dein Legati Synodi occidentalis, & reliqui præſentes Epiſcopi, & poſt iſtos Imperator his verbis: *Conſtantinus in Chriſto Deo Rex ac Imperator Romanorum, legimus, & conſenſimus.* Cùmque paulò poſt S. Agatho Papa migrâſſet è vita, *Leo ſecundus*, ejus Succeſſor, hanc Synodum confirmavit: *Et edicto firmat.* ſimúlque Conſtantinus edicto imperiali mandat, ut omnes ſexto huic Concilio generali venerationem dependant, decreta in pervicaces pœna.

Controverſia critica incidens: An Honorius Papa in Monothelitarum hæreſin ſit lapſus?

§. III.

Argumenta, quibus probari videtur Honorii lapſus.

15. *Probant lapſum ex 2. epiſtolis Honorii.* Eas inter objectiones, quibus varii Pontifices Romani in hæreſin incidiſſe arguuntur, hæc omnium difficillima meritò videri poteſt. Nam duas ad Sergium Patriarcham C. P. Monothelitam ſcripſit epiſtolas, in hac Synodo VI. act. 12. & 13. publicè lectas, in quibus cum Sergio & Cyro contra Sophronium viſus eſt convenire, & unam duntaxat in Chriſto voluntatem atque operationem aſſerere. Propterea ab eadem Synodo Oecumenica unà cum Sergio, Cyro, Pyrrho, Paulo &c. damnatur: hæcque eadem damnatio in ſequentibus actionibus ſæpiùs repetitur.

16. *Ex Synode VI. VII. & VIII.* Septima item Synodus generalis *act. ult.* & octava Synodus *act.* 7. inter Monothelitas hæreticos retulerunt etiam nominatim Honorium, eíque anathema dixerunt. In eadem Synodo octava *act.* 7. lecta & probata eſt epiſtola Concilii Romani ſub Adriano II. in qua aſſeritur, Honorium in ſexta Synodo de hæreſi fuiſſe accuſatum & judicatum poſt mortem.

17. *Et Leone II.* Deinde *Leo ſecundus* Papa, qui Synodum VI. confirmavit, & in Latinum tranſtulit, in Epiſtola ad Imperatorem Conſtantinum, quæ ad finem actorum hujus Concilii exſtat, inter alios anathema dicit etiam Honorio, quia Apoſtolicam Eccleſiam Romanam non Apoſtolicæ traditionis doctri-

na

na luftraverit, fed immaculatam fidem fubvertere permiferit, eandem Honorii damnationem etiam in epiftola ad Hifpaniæ Epifcopos repetit S. Leo.

Anaftafius etiam, Bibliothecarius Ecclefiæ Romanæ, qui feptimam & octavam Synodum in Latinum vertit, & octavæ Synodo præfens interfuit, in hujus actione 10. recenfet, etiam Honorium à S. Synodo effe damnatum; idémque invenitur in omnibus antiquiffimis exemplaribus tam Latinis quàm Græcis, omnibus quinque Patriarchalibus Sedibus communicatis; ùt conftat ex act. 18. 18. *Ex Anaftafio Bibl.*

Denique Honorium fuiffe hæreticum varii fcriptores Latini & Græci afferunt; ùt Tharafius Patriarcha C. P. in epiftola, quæ habetur actione 3. Synodi feptimæ: Theodorus Jerofolymitanus Patriarcha in epiftola fynodica, quæ extat in eadem Synodo actione 3 Epiphanius Diaconus in difputatione cum Gregorio hæretico, quæ habetur in fexta Synodo, Pfellus in carm. de 7. Syn. Beda de 6. ætat. in vita Conftantini IV. liber Pontificalis in vita Leon. II. feu *liber Diurnus Romanorum Pontificum*, in quo exftat formula, quà recèns electi Pontifices olim hæreticis anathema dicebant; ubi inter alios etiam Honorius infertus erat. 19. *Et variis Scriptoribus.*

§. VI
Honorius non fuit lapfus in hærefin.

Propter hanc difficultatem Auctores in varias abeunt fententias. Honorium, tanquam perfonam privatam, fuiffe hæreticum affirmat Melchior Canus lib. 6. de locis, verùm hoc videtur non poffe dici: Nam Occidentalis Ecclefia eum nunquam pro hæretico habuit, fed potiùs ùt virum Sanctum. Deinde, fi fuiffet hæreticus, id defumeretur ex gemina ejus ad Sergium epiftola, ùt volunt adverfarii. Sed ex ifta hoc non poteft defumi: nam in hac nihil invenitur hæreticum, fed cùm controverfia de una vel duabus voluntatibus in Chrifto afferendis tunc fufcitaretur, & Sergius effet conqueftus, Sophronium per vocum illarum novitatem totum Orientem turbare, ac de novo collidere inter fe Ecclefias, Honorius, Sergii fraudibus circumventus, nec unam, nec duas dicendas effe voluntates ac operationes fcripfit, fed ab ejusmodi contentiofis vocabulis omnino abftinendum: ne dum una dicitur, Eutychiani inde inferant, unam etiam tantùm naturam effe: & fi duæ dicantur Neftoriani inde anfam arripiant dicendi, duos effe operantes, feu duas perfonas Unde ftandum is, quæ à quinque Conciliis & Patribus funt definita, videlicet, unum effe Chriftum, unum volentem & operatorem, feu unam perfonam, in Divina & humana natura operantem, in Deitate quidem Divina, in humanitate vero humana. In quibus planè nihil eft hæreticum. 20. *Quia colitur ùt Sanctus.* 21. *Quia ejus epiftolæ nihil hæreticum continent.*

In

22. *In quo erraverit.* In eo tantùm Honorius videtur peccâsse, quòd Sergiò & Cyro faciles nimium aures adversùs Sophronium præbuerit, nec ea se constantia, qua pastorem summum decebat, se opposuerit, & sic veritatem de duplici voluntate (in illis controversiæ initiis necdum, expressè saltem, decisam, neque satis adhuc discussam) non quidem negârit, sed tamen reticendam esse putârit, timore perculsus, ne Ecclesia de novo scindatur, & hæretici inde occasionem sumant, Chalcedonensem aut Ephesinam primam Synodum cavillandi, ac propterea silentium utrique parti imponendum dubito: Ut adeò non tantùm in hæresin Monothelitarum non sit prolapsus, cùm unam tantùm voluntatem asserere, expressè prohibuerit, sed ne quidem peccatum formàle commisisse videatur.

Verùm sit, peccâsse eum timore, silentio, vel etiam præpropere, re necdum satis discussa, responsione privato ad Sergium deceptorem data: in hæresin propterea incidisse nego. Ex cathedra locutus est nihil, cùm responsionem suam non direxerit ad totam Ecclesiam, sed ad privatam Sergii epistolam. Deinde neque ùt privatus Doctor propositionem ullam hæreticam epistolæ suæ inseruit. Quis S. Hieronymum hæreticum dicat, quòd ante Ecclesiæ definitionem in epistola ad Damasum censuerit, non esse dicendas tres in Deo hypostases? nec Stephanus Papa S. Cyprianum hæreticum censuit, licèt (ante Ecclesiæ definitionem) Sententiam suam de nullitate baptismi ab hæreticis collati, pertinaciter defenderit.

23. *Nicolaus I. & Agatho scripserunt nullum unquam Pontificem esse lapsum in hæresin.* Rursus: Si Honorius in hæresin est prolapsus, quomodo Nicolaus I. in sua ad Michaëlem Imperatorem epistola scribere potuit de Romanis Pontificibus: *Hos enim nec tenuis saltem rumor aspersit, aliquando cum prava sapientibus sapere, quantò minus concertare.* Quomodo S. Agatho in sua ad Constantinum Imperarorem epistola I. scribere potuit, Romanam Ecclesiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam aberrâsse, nec hæreticis novitatibus depravatam succubuisse, sed ab exordio fidei illibatam permansisse, secundùm ipsius Christi promissionem, Apostolorum Principi in Evangelio factam: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Hoc Apostolicos ipsius Antecessores semper fecisse, hócque omnibus esse compertum, nempe eos semper fratres in fide confirmâsse: Quomodo, inquam, hæc scribere S. Agatho potuit in re tam recenti, si Honorius paulò antè in hæresin est prolapsus? Quomodo scribere potuit epistola 2. ad Constantinum, quæ actione 4. Synodi IV. est recitata, fidei lumen per Apostolicos successores Petri & Pauli usque ad eum (Agathonem) servatum esse, *Nulla hæretici erroris tetra caligine tenebrarum, nec falsitatis nebulis confœdatum, nec intermixtis hæreticis pravitatibus perumbratum, immune atque sincerum?* Quomodo scribere potuisset eadem epistola:

la: *Nostræ pravitatis prædecessores--- Apostolicam Confessionem--- absque cujuspiam novitatis errore citra ambiguitatem determinârunt?* Et cur Agatho, vir adeò Sanctus non posuisset Honorium in numero Monothelitarum, quos nominatim enumerat?

Neque dicas, Honorium in epistola secunda ad Sergium expressè dicere: *Unde & unam voluntatem fatemur Domini nostri JESU Christi.* Nam hîc non dicit, in Christo unam tantùm esse voluntatem, sed in *humanitate* Christi tantùm unam esse. Scripserat nempe Sergius Honorio, quosdam in Oriente asserere contrarias in humanitate Christi voluntates, unam carnis, alteram Spiritûs, inter se pugnantes. Hunc errorem rejecit Honorius, scripsitque, in Christi humanitate non existere duas voluntates, sed unam tantùm, & quidem voluntati Divinæ perfectè subjectam & obedientem; ut adeò in eo caro non concupierit adversùs Spiritum, (contrà ac in nobis post originale peccatum contingit) ùt ex contextu manifestè patet. 24.

Nunquam simpliciter negavit duas voluntates.

Confirmatur authoritate S. *Maximi*, Honorio coævi, qui in dialogo contra Pyrrhum, Sergii successorem, Monothelitam, proferentem pro se testimonium Honorii, respondet, Honorium semper fuisse Catholicum, mentémque ejus nunquam fuisse, negandi duas in Christo voluntates, sed tantùm negandi duas contrarias & pugnantes in natura humana: ídque probat ex testimonio Joannis (postea Papæ Joannis IV.) Secretarii ipsius Honorii, qui Epistolas illas ab Honorio dictatas scripsereat, atque tunc adhuc superstes erat. Hic igitur Secretarius, qui à S. Maximo multùm dilaudatur, ad Constantinum Imperatorem sic inter alia scripsit ex mente Honorii, sibi perspecta: *Sanè quòd unam Domini nostri voluntatem diximus, non est accipiendum, quasi de duabus, Divinæ & humanæ naturæ dictum voluntatibus, sed humanæ tantùm. Cùm enim Sergius scripsisset, prædicare quosdam, duas esse Christi voluntates contrarias, nos rescripsimus, Christum duas voluntates contrarias non habere.* 25.

Sed tantùm negavit in humanitate duas voluntates.

Teste S. Maximo.

Denique cùm Honorius in tota illa Epistola contendat, non esse dicendam unam in Christo Deo & homine voluntatem, neque duas, sed ab his vocabulis abstrahendum, quis credat, eum sibi ipsi adeò manifestè contradicere, & unum tantùm in supposito illo Theandrico voluntatem asserere? Igitur unam dixit voluntatem humanæ naturæ.

Sed quid opus hoc pluribus comprobare, cùm veritatem Catholicam circa duas voluntates in Christo in ipsis illis epistolis, quæ Honorio objiciuntur, satis apertè fateatur, solúmque à vocabulis abstinendum asserat, ne Ecclesia novis scindatur dissidiis? Sic in 2. epist. ait: *Utrasque naturas* 26.

Imò profitetur duas operationes.

in uno Christo, unitate naturali copulatas, cùm alterius communione, operantes atque operatrices confiteri debemus; & Divinam quidem, quæ Dei sunt, operantem, & humanam, quæ carnis sunt, exequentem. Quæ planè verba sunt Catholica, & hæresi Monothelitarum directè contraria.

27. *DD. plurimi stant pro Honorio.* Omitto proin Honorii fidem pluribus vindicare; possent enim plurimi testes, non tantùm recentiores, sed antiquissimi etiam adduci, qui Honorium semper Catholicum fuisse scribunt: ùt Theophanes Isaurus in historia, quam citat Emanuel Calleca in libro, quem scripsit pro Latinis contra Græcos. Photius etiam, licèt Romanæ Ecclesiæ hostis, in libello de septem Synodis, & Zonaras in vita Constantini IV. quamvis nominatim referant damnatos à VI. Synodo, Honorium tamen inter eos non ponunt.

Taceo Scriptores Latinos, qui ferè omnes, cum Blondo, Nauclero, Sabellico, Platina &c. Honorium tanquam Catholicum & sanctum Pontificem agnoscunt; imò etiam Beda, licèt eum Canus contra Honorium citet: nam Beda illum modò ùt beatum, modò ùt sanctum dilaudat, ùt videre est in *Historia Anglorum l. 2. c. 17. &c.* Unde Bellarminus putat, in librum de sex ætatibus mundi ab aliquo Sciolo nomen Honorii esse infertum, eò quòd in Synodo VI. sæpiùs invenerit ejus nomen positum inter Monothelitas damnatos.

§. V.

Acta tamen Synodi VI. &c. referentia nomen Honorii probabiliùs non sunt corrupta.

28. *Argumenta, acta esse corrupta.* Sed quid dicendum ad difficultatem initiô propositam? est enim innegabile, nomen Honorii in editionibus Synodi VI. VII. & VIII. inter Monothelitas damnatos inveniri, uti etiam in epistola Leonis secundi, qua Synodum sextam confirmavit.

Baronius, Bellarminus, Spondanus, Binius, Ant. Mayr. *Theol. tract. 7. d. 3 art. 13.* censent, acta Synodi VI. esse corrupta, & Honorii nomen fraude Græca esse insertum. Probant id 1. ex eo, quòd epistolæ Honorii nihil contineant dignum damnatione: consequenter si Concilium ipsum tanquam hæreticum damnâsse, in absurdum errorem vel iniquitatem esset prolapsum; quod dici non potest. 2. Quia S. Agatho asseruit, nullum unquam ex suis Prædecessoribus fidem hæretica pravitate miscuisse, vel hæreticum fuisse.

3. Quia Concilium Agathonis epistolam act. 3. recipit, tanquam à Spiritu S. per os Petri dictatam. Si autem Concilium Honorium toties tanquam hæreticum damnâsset, manifestè sibi ipsi contradiceret; imò Spi-

-ritus

ritus S. ſecum ipſo pugnaret: qui per epiſtolam Agathonis omnes Anteceſſores Romanos Pontifices, adeóque etiam Honorium, ab hæretica pravitate immunes pronuntiaret, ſimúlque per Concilium Honorium hæreſeos damnaret.

4. In Concilio Romano ſub Martino I. cui notiſſima erat Honorii doctrina ac fides, damnantur nominatim alii Monothelitæ, nunquam autem Honorius. Item quia Synodus VI. in epiſtola ad Agathonem ſcribit, ſe damnâſſe Monothelitas *ex ſententia Agathonis per litteras de iis priùs lata.* Atqui Agatho in ſuis litteris non damnavit Honorium: ergo neque Concilium: ſed nomen Honorii obreptitiè fuit actis inſertum.

5. Quia plures Scriptores, etiam Græci, Honorium omittunt, dum damnatos à Concilio VI. recenſent.

6. Quia aliàs conſuetudo fuit Græcorum corrumpendi libros: & in hac ipſa VI. Synodo act. 12. & 14. deprehenſæ fuerunt plurimæ corruptiones Concilii V. ab hæreticis factæ, adeò ut tres quaterniones ſpurii inſerti fuerint. Idem manifeſtè oſtenditur de multis aliis epiſtolis, Græca perfidia corruptis: uti etiam de Synodo tertia, quarta, quinta & ſeptima corruptis, ùt conqueruntur Pontifices Leo I. & Nicolaus I. cur ergo id dici non poſſit de Synodo VI. eam videlicet inſerendo nomen Honorii eſſe corruptam à Græcis, ut inter tot orientales Patriarchas condemnatos exſtaret etiam nomen unius Romani? præſertim cùm poſt Synodum VI. multi rurſus orientales Epiſcopi Conſtantinopolim redierint, ibíque ediderint Canones *Trullanos:* quorum non alius ſcopus videtur fuiſſe, quàm taxandi ac reprehendendi Romanam Eccleſiam; vide Bellarminum *tom.* 1. *controver.* 3. *de Roman. Pont. l.* 4. *c.* 11. ubi etiam adducit teſtimonium Anaſtaſii Bibliothecarii, qui ex Theophane Iſauro Græco refert, nomen Honorii poſtea primùm actis Concilii inſertum eſſe.

Jam verò corrupta ſemel ſexta Synodo, facile fuit, errorem illum etiam in ſeptimam & octavam Synodum irrepere, repetitum enim in eis fuerant, quod in actis Synodi VI. legerant. Accedit, quòd etiam acta Synodi VII. & VIII. non ſint incorrupta. Unde etiam idem reſponderi poteſt ad allatam authoritatem Concilii Romani ſub Adriano II. quando dicit, Honorium in Synodo VI. eſſe judicatum: nam aſſeruit id, quod in actis Synodi VI. corruptis legerat. Confirmatio Leonis II. corrupta ab illis ipſis eſt, à quibus Synodus VI. fuit corrupta: cùm epiſtola Leonis ſit pars actorum illius Concilii: niſi omnino ſit ſuppoſititia; nam, ùt notant Baronius & Binius, tempus, quo data dicitur, non concordat, cùm illo tempore necdum fuerit Pontifex, & tantùm decem menſes ſederit.

Addit Spondanus *ad an.* 681. probabiliſſimè Theodorum Monothelitam (qui alius fuit à Theodoro Pharanitano, condemnato à Synodo VI.)

VI.) priùs depositum à Patriarchatu Constantinopolitano, sed post mortem Georgii, ob simulatam pœnitentiam rursus restitutum, illa acta in manus recepisse, suúmque nomen delevisse, ac Honorii supposuisse; non enim esse credibile, hunc Theodorum nunquam in Concilio nominari, cùm tamen etiam reus fuerit.

29. *Sed non est satis credibile, omnia exemplaria esse corrupta.* Ita quidem isti Doctores. Verùm alii magnam in his difficultatem inveniunt non enim videtur ipsis satìs credibile, omnia omnino exemplaria Synodi VI. esse corrupta, seu potuisse corrumpi: nam, licèt ea quæ Constantinopoli asservabantur, potuerint corrumpi, quomodo autem corrumpi potuerunt illa, quæ alii Patriarchæ, ùt act. 18. insinuatur, ad finem Concilii, secum asportârunt. & præsertim illud exemplar, quod Romam deferebant Pontificii Legati? Quomodo ista Theodorus corrumpere potuit, præsertim cùm primùm triennio post Synodum VI. Georgio mortuo in sedem C. P. fuerit restitutus? Cur nemo corruptionem illam tunc advertit, & redarguit, in re tanti momenti, sicut alias corruptiones? cur Romani non vindicârunt innocentiam sui Pontificis? cur Legati Romani in septima & octava Synodo non sunt protestati? cur Anastasi-
30. *Probatur.* us Bibliothecarius Pontificius in VIII Synodo Legatus, in hujus versione actione decima recenset, etiam Honorium à Synodo VIII. esse damnatum? An credibile, septimam & octavam Synodum generalem tam facilè per imposturam corrumpentium acta Synodi VI. in errorem inductas, immaturo judicio Honorio dixisse anathema? cur idem Anastasius *in præfatione in sua collectanea ad Joannem Diaconum scribit:* NB. Honorium à Synodo VI. esse damnatum, non tamen fuisse hæreticum? cur Humbertus Cardinalis doctissimus, Leonis IX. ad Imperatorem orientis Legatus, ac in libro adversùs Nicetam Pectoratum ingenuè fatetur, à Synodo VI. anathema dictum esse Honorio? cur Ado Viennensis in chronico: Hincmarus Remensis *lib. de non trina Deitate,* pag. mihi 446. Cedrenus, aliique vetusti scriptores idem affirmant? cur usque ad Baronium imposturam illam nemo advertit? cur ipsi Pontifices Leo II. & Adrianus II. acta illa circa Honorium vera supponunt, imò testantur? Epistola Leonis II. qua confirmavit Synodum VI. ubique est recepta: aut qua alia epistola confirmavit illam Synodum, si hæc est supposititia? cur omnes Conciliorum collectores tam Latini quàm Græci hanc imposturam actis Conciliorum intulerunt? cur hodiedum id faciunt in tot novis Conciliorum editionibus? & quidem spectante Roma? Si impostura est, cur non rejicitur: ut acta pura habeantur?

Facile equidem fuit Græcis, aliqua epistolarum, & actorum Conciliarium exemplaria corrumpere. At quomodo potuerunt omnia exemplaria, per orbem dispersa, corrumpere, ut nec unicum manserit integrum?

grum? certè fraudes Græcorum, quibus varias epiftolas, & Synodum V. in aliquibus exemplaribus corruperunt, per adducta alia exemplaria, pura ac integra, in Synodo VI. detecta funt. Cur ergo corruptiones Synodi VI. detegi non potuerunt in Synodo VII. & VIII. adductis exemplaribus incorruptis, & recentiore adhuc rei tam magnæ ac novæ memoria? deinde an non fic etiam alia veterum Conciliorum acta fufpecta reddi poffunt? & cur Græci non potiùs corrupiffent ipfas Honorii epiftolas, ut fic hærefis illius effet manifefta?

§. VI.

An Synodus VI. erraverit in damnando Honorio?

Propter has difficultates aliam adhuc adducit Bellarminus fententiam ex Turrecremata *lib.* 2. *de Ecclefia cap.* 93. damnatum quidem in Synodo VI. effe Honorium, fed ex falfa informatione, ac proinde in eo judicio erràffe. Licèt enim Concilium generale legitimum errare non poffit in definiendis fidei dogmatibus, errare tamen poffe in quæftionibus facti: atque fic à Concilio, falfis rumoribus, & non intellectis Honorii epiftolis, immeritò cum hæreticis Honorium effe connumeratum: meliúsque illas epiftolas effe intellectas à Joanne IV. Martino I. Agathone & Nicolao I. fummis Pontificibus, quàm à Græcis in Synodo VI., Legatos autem Agathonis non reclamâffe ad evitandum majus malum, ne fcilicet impediretur definitio rectæ fidei, & non poffet tolli fchifma, quod annis 40. jam duraverat: cùm enim in eo fint Concilio damnati Sergius, Pyrrhus, Paulus & Petrus, Patriarchæ Conftantinopolitani, Cyrus Patriarcha Alexandrinus, Macarius Patriarcha Antiochenus, non facilè acquieturos fuiffe Græcos, nifi etiam Honorius damnaretur, qui unà cum illis accufatus fuerat. 31. *Aliqui cenfent Synodum erràffe. In quæftione facti.*

Verùm etiam hæc fententia magnam patitur difficultatem, neque eam Bellarminus tam ex fua quàm Turrecrematæ mente protulit. Nam ad modùm difficulter videtur dici, Concilium ex falfis informationibus, & non intellectis litteris Honorii in negotio tanti momenti leviter proceffiffe, & ita erràffe. Et quomodo eft credibile, Romanam Ecclefiam, ipfósque Pontificas Synodum in re tanti momenti errantem absque ulla limitatione approbaturos fuiffe, cùm aliàs in rebus minoris momenti reclamârint? Viderint, qui ita refpondent, an non anfam aliquam præbeant hæreticis dicendi, Concilia & Pontifices in damnandis hæreticis non effe infallibiles, e. g. Concilium Tridentinum in damnando Luthero & Chalvino, Innocentium X. in damnando Janfenio tanquam hæretico. Quamvìs magna fit difparitas; cùm horum libri in ipfiffimo fenfu ab auctoribus intento fint manifeftè hæretici, adeóque etiam ipfi cenfendi fint hæretici; Doctrina 31. *Sed hoc habet difficultatem.*

autem Honorii nihil hæreticum in se continebant im sensu ab ipso intento.

§. VII.

Quomodo ergo Honorius absolvendus ab hæresi, si Synodus eum damnando ùt hæreticum non erravit?

33. *Tertia sententia criticorum.* Tertia proin est sententia Ludovici du Mesnil de *Doctr. & Discipl. Eccl. ad an.* 681. *libr.* 33. *n.* 30. Joannis Cabassutii de *Notitia Conciliorum in Syn. VI. Oecum.* Petri Annati in *Appar. ad Theol. l.* 5. *art.* 7. Antonii Pagi *crit. in Annales Baronii ad an.* 633 Alex. Natalis *Dissert.* 2. *ad sæc.* 7. Joan. Garnerii S. J. *Dissert.* 2. *ad Diurnum librum Rom Pontif.* Petri de Marca, ùt testatur Baluzius in ejus vita, quam præfixit ejus operi de concordia Sacerdotii & Imperii.

34. *Erravit dissimulatione veritatis.* Scriptores isti eruditi agnoscunt quidem veritatem & integritatem actorum Synodi VI. negant tamen Honorium fuisse verè hæreticum, nec propterea in eo damnando erràsse Concilium; quia Honorium vocavit hæreticum, damnavítque, non quòd epistolæ ejus fuerint hæreticæ, aut propositio aliqua hæretica in iis fuerit inventa, aut quòd proprio judicio & sententia animi proprii hæresis fuerit auctor, sectator aut defensor, sed nideò, quia silentio, dissimulatione, & negligentia, Sergio & Cyro nimiùm indulgendo, sícque nascenti hæresi se non opponendo, ùt debebat, hæresi & hæreticis faverit, ut adeò ex ipsius dissimulatione & veritatis silentio hæresis in majores vires excreverit, ùt patet ex epistola Leonis II. ad Episcopos Hispaniæ, in qua de Honorio scribit: *Qui flammam hæretici dogmatis non, ùt decuit, Apostolica authoritate, incipientem extinxit.*

Quare non fuit hæreticus, hæresin aliquam docendo, aut tenendo, aut defendendo, sed in sensu latiore & minùs proprio, tunc tamen non insitato, à Concilio dictus fuit hæreticus, tanquam hæresis fautor, quia non restitit hæreticis, eos coërcendo, ùt summi ejus Officii ratio *Non satis coërcendo Sergium & Cyrum* poscebat, ejusdem autem culpæ rei censentur erroris Authores & Fautores, scribente Cœlestino Papa ad Galliæ Episcopos: *Meritò namque nos causa respicit, si silentio faveamus errori;* quare in sensu aliquantùm ampliore hæresum auctores, sectatores, defensores, & fautores conniventes, promiscuè hæreticorum nomine sunt appellati & condemnati.

35. *Hæc sententia media absolvit à corruptione acta.* Hæc sententia, quamvis etiam ipsa difficultate non careat, videtur tamen expeditiùs controversiam istam dirimere, media quasi via incedendo. Nam absolvit à corruptione acta Concilii, ab hæresi Honorium, & ab errore Concilium. Salvat epistolam Agathonis, in qua scripsit, nullum suorum antecessorum à fide defecisse: nam Honorius non defecit à fide. Quòd

Quòd autem Concilium VI approbârit epiſtolam Agathonis, in qua Honorius non fuerat damnatus, nulla eſt contradictio; nam Agatho tantùm damnavit præcipuos auctores Monothelitiſmi, Concilium verò omnes Monothelitas, eorúmque fautores: Unde Concilium damnavit etiam Macarium & Polychronium, quos Agatho non nominaverat. Salvari etiam videtur id, quod dicit Concilium, nempe, Honorium in omnibus ſecutum eſſe ſententiam Sergii, ejúsque impia confirmâſſe dogmata. Nam ſecutus eſt ejus ſententiam de abſtinendo à vocabulis unius ac duplicis voluntatis & operationis, atque de imponendo Sophronio ſilentio, hæreſin verò Sergii, quam ille de una tantùm in Chriſto voluntate conſtanter tenuit, impiáque ejus dogmata Honorius non eſt ſecutus, nec confirmavit ea poſitivè: Nam de hac confirmatione in ejus epiſtolis nihil invenitur, ſed ſecutus eſt, & confirmavit ea negativè, ſilendo, connivendo, diſſimulando, negligendo, ac non reſiſtendo, prout oportuit. Et in hoc ſenſu dixit Concilium, Honorium ſecutum eſſe ſententiam Sergii, ejúsque impia dogmata confirmâſſe: Cúm hac conniventia puſillanimi, ac meticuloſa, majores vires acceperit hæreſis; præſertim tum Monothelitæ falsò ſpargerent, Honorium ſecum ſentire, occaſione inde arrepta, quòd Sergio & Cyro, non reſiſteret, & in ſuppreſſionem vocabulorum de una & duplici Chriſti voluntate conſentiret contra Sophronium, ſtrenuè ſe opponentem.

Ab hæreſi Honorium

Ab errore Concilium

At vehementer hîc inſurgit contra Honorium Cabaſſutius loc. cit. quamvis enim dicat Honorium hæreticum non fuiſſe, adeò tamen acriter in eum invehitur, reprehendendo illius epiſtolas, quibus prohibuit vocabula unius ac duplicis voluntatis, ut videatur, aſſertionem ſuam rurſus velle evertere, & probare, Honorium fuiſſe re vera hæreticum. Maximè autem urget paritatem epiſtolæ Honorii cum *Henotico* Zenonis, & Conſtantis *Typo*, in quibus pariter nihil aliud ſancitum ſit, quàm in illo quidem ſilentium de una vel duplici natura, in hoc verò de una vel duplici voluntate: & tamen utrumque tanquam nefarium eſſe rejectum. Sed

36. *Diſparitas cum Henotico, & Typo.*

Reſp. Henoticon contrarium fuiſſe Synodo Chalcedonenſi, fabricatum videlicet, poſtquam hæc Synodus jam definierat, duas in Chriſto eſſe naturas, adeóque erat hæreticum. Typus vero Conſtantis ante Synodi VI. definitionem de duabus in Chriſto voluntatibus, non erat propriè hæreticus per hoc præcisè, quòd vellet, abſtinendum eſſe à vocabulis unius & duplicis voluntatis. Sed rejectus à Martino I. & Concilio Romano, tum quòd imprudens eſſet & improbandum ejusmodi ſilentium, & veritatis diſſimulatio, tum quòd Monothelitæ hoc ſilentio abuterentur ad ſtabiliendam ſuam hæreſin. Econtra Honorius ſub initium illius controverſiæ, & ante illius deciſionem ſilentium de una & duplici voluntate imponendum putavit, ex fine, ùt ipſi videbatur, bono, nempe ne nova in

Eccleſia

Ecclesia oriantur schismata & dissidia. In quo tam parùm in sensu proprio & stricto fuit hæreticus, quàm parùm hæreticus fuit S. Hieronymus, dum ante Ecclesiæ definitionem putavit abstinendum à dicenda trina in Deo hypostasi: imò ne quidem S. Cyprianus censendus est fuisse hæreticus, licèt ante Ecclesiæ definitionem positivè assereret nullitatem baptismi ab hæreticis collati. Nam hæresis propriè est judicium intellectus pertinax contra veritatem, de cujus revelatione in Ecclesia sufficienter constat.

37. *Neque est locutus ex cathedra.* Cæterum notandum, licèt Honorius re ipsa fuisset prolapsus in hæresin, & in stricto omnino ac proprio sensu damnatus fuisset à Concilio ùt hæreticus, nihil tamen inde evincerent hæretici contra infallibilitatem Pontificis, loquentis ex cathedra, seu docentis totam Ecclesiam circa dogmata fidei. Non enim ille epistolam scripsit encyclicam, aut eam ad totam Ecclesiam seu omnes fideles direxit, neque illum dogma fidei definivit, sed tantùm ad privatam epistolam Sergii privatâ pariter epistolâ respondit, consequenter tanquam privatus Doctor. Neque verum est, quod P. Anton. Mayr. *Theol. tract.* 7. *disp.* 3. *art.* 13. *num.* 389. asserit, *Sed privatam scripsit epistolam.* Pontifices semper loqui ex cathedra, quando responsa ad quæstiones fidei spectantia, privatis tantùm Episcopis mittunt, quia non raro privatam tantùm sententiam suam exponunt, absque definitione Papali, ùt in hoc negotio fecit Honorius, nihil circa fidei dogmata definiendo. Si talia responsa, Juri Canonico inserta, totam Ecclesiam ad credendum obligant, id contingit ideò, quia constat, vel aliunde jam illa ab Ecclesia esse definita, vel Papam illa non tantùm ad privatum Episcopum, sed ad omnes fideles direxisse, iisque sufficienter definitionem suam intimâsse, quod non fecit Honorius: adeóque nullatenus inferri potest, eum locutum esse ex cathedra. Unde Cardinalis Sfondrati in Gallia vindicata dissert. 3. §. 1. num. 9. ait: *Utcunque Honorii res se habeant, certum est, nihil causæ nostræ ejus exemplum aut errorem obstare, si quis fuit: quis enim nescit, epistolas Honorii ad Pyrrhum & Sergium, ob quas hæresis accusatus dicitur, privatas fuisse non publicas, nec dogmaticas, & in quibus nihil Honorius definivit, sed mentem tantùm suam privatámque sententiam aperuit &c.*

Et planè constat apertè, Honorium in suis ad Sergium epistolis censuisse, abstinendum à vocibus unius vel duarum voluntatum; si ergo ersponsum ejus ad quæstionem fidei spectat, & ex cathedra locutus est, vereor, ne inde inferri possit id, à quo laudatus supra auctor, Pontificiæ infallibilitatis Defensor eximius, quàm maximè abhorret. Deinde, si Honorius censendus est locutus ex cathedra, inferre fortassis quis posset, etiam alios pontifices, quibus varii errores objiciuntur, ex cathedra esse locutos, e. g. Vigilium, dum initio censuit, tria capitula non esse damnanda: Ste-

phanum

phanum VI. & Sergium III. dum ordinatos à Formoso iterum ordinandos decreverunt: Joannem XXII. dum animas ante diem judicii in cœlum non venire docuit.

Cæterùm, ùt dixi, Honorium neque ùt personam privatam in hæresin incidisse existimo, cum illius epistolæ nihil hæreticum contineant. Imò re quidem formaliter peccâsse videtur; cum in illis controversiæ initiis, à Sergio & Cyro deceptus, ea intentione scripserit, ne Ecclesia novo scindatur schismate, & ne Nestoriani & Eutychiani inde hæresi suæ prætextum quærant. 38. *Imò neque formaliter peccâsse videtur.*

Falsum etiam est, quod idem auctor asserit in sua Theologia loc. cit. num. 389. quòd Agatho ùt Pontifex Synodum VI. confirmaverit. Nam Agatho neque ùt Pontifex, neque ùt persona privata Synodum illam confirmavit, cùm jam fuerit mortuus, quando Legati ipsius à Synodo Romam cum actis Synodi sunt reversi, ùt patet ex epistola Leonis II. ad Constantinum Imperatorem scripta, in qua Synodum VI. confirmavit; exstat hæc epistola ed finem actorum Synodi VI. Unde non Agatho, sed Leo II. ejus successor, Synodum illam confirmavit.

Multò autem magìs contra fidem historicam peccavit *Melchior Canus*, dum scripsit, Agathonem in sua ad Constantinum Imperatorem epistola, quæ actione VI. habetur, anathema dixisse Honorio, tanquam Monothelitæ. Sed fortè Canus recursum habet ad *Bartholomæum Carranzam*, consodalem suum, qui in summa Conciliorum *Actione IV.* dum in epitomen contraxit Agathonis epistolam, ante Synodi VI. initium scriptam, inter hæreticos nomen Honorii eidem inseruit, falsò omnino; ab hoc proin se deceptum dicere Canus potuit. Taceo alterum Cani lapsum, leviorem, dum scripsit, hanc epistolam Agathonis datam esse ad Synodum VI. non enim ad Synodum, sed ad Imperatorem Constantinum Pogonatum scripta est, antequam Synodo VI. initium erat datum. Taceo etiam alterum Carranzæ lapsum historicum, dum statim ad initium Synodi VI. scribit, *Cyrum* & *Theodorum*, qui à Synodo VI. sunt damnati, fuisse Archiepiscopos Constantinopolitanos: cùm Cyrus fuerit Patriarcha Alexandrinus, Theodorus verò Episcopus Pharanitanus. 39. *Error Cani. Et Carranzæ.*

§. VIII.
De Diptychis.

Cum in hoc VI. Concilio de Ecclesiæ Diptychis ablata sint nomina Cyri, Sergii, aliorúmque Monothelitarum, quæres, quid sint illa *Diptycha?* 40. *Quid contineant.*

Resp. *Diptycha* seu *Duplicata* dicebantur geminæ tabulæ, quarum una continebat nomina fidelium vivorum, altera mortuorum; cúmque

pro utriusque in Ecclesia sacrificia & preces offerrentur, ea nomina ex Diptychis publicè legebantur è pulpito; excommunicatorum autem nomina ex iis delebantur. Cùm autem fidelium omnium nomina propter multitudinem recitari non possent in quotidianis fidelium collectis, præcipua tantùm, nempe Episcopi Romani, Patriarcharum viventium, Episcopi loci & Imperatoris legebantur, reliquorum nominibus generali memoria comprehensis.

Usus est antiquissimus, cujus meminerunt S. Dionysius Eccles. Hier. c. 3. Cyprianus epist. 10. Liturgiæ Basilii, Innocentii I. Chrysostomi. E-

41. *Diptycha Sanctorum* rant autem præter hæc fidelium vivorum & mortuorum Diptycha, pro quibus orabat Ecclesia, etiam *Diptycha Sanctorum*, quos publicè colebant & invocabant fideles inter Missarum solennia, ùt constat ex omnibus veterum liturgiis, ac Patribus, ùt Cyrillo Jerosol. catechesi 5. ubi ait: *Postea mentionem facimus eorum etiam, qui ante nos obdormierunt, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras.* Viderint hîc Acatholici morem antiquissimum, solennem & publicum colendi & invocandi Sanctos, ac pro defunctis sacrificia & preces offerendi: qui mos hodiedum continuatur in Ecclesia Catholica in Missæ Canone.

Utraque antiquissima.

42. *Schisma occasione Diptychorum.* Cæterum propter deletionem nominum ex prædictis Diptychis sæpiùs magni tumultus sunt excitati, præsertim verò cùm *Acacius* Patriarcha C. P. Henotici (in quo abstinendum à vocibus unius aut duplicis in Christo naturæ decernebatur) auctor & suasor Zenoni, à *Felice* Papa tertio damnatus fuerat: nam Acacius nomen ipsius Felicis è Diptychis Ecclesiarum, sibi subjectarum erasit, ex quo schisma 36. annorum est exortum, urgentibus Romanis Pontificibus, ut nomen Acacii è sacris Diptychis deleretur, obstantibus cum Anastasio Imperatore Patriarchis Constantinopolitanis; donec sub Hormisda Papa, & Justino Principe inter orientalem & occidentalem Ecclesiam restituta est concordia, damnatis Zenone, Anastasio & Acacio, ablatis eorum nominibus è sacris Diptychis, ac Felicis nomine restituto.

§. IX.
Appendix.
De Synodo Quini-Sexta Trullana.

43. *Synodus Trullana* Cùm in quinta & sexta generali Synodo nulli essent editi Canones, ad Ecclesiasticam disciplinam spectantes, Orientales Episcopi post plures annos ad habita Synodo VI. convenerunt rursus Constantinopoli in Secretario palatii Imperatoris, quod *Trullum* dicebatur, ibique 102. Canones condidêre, tempore Justiniani secundi Rhinotmeti. Hæc Synodus, quam

Reprobata Græci *Penthecten* seu *Quini-Sextam*, tanquam supplementum quintæ & sextæ

ſextæ generalis Synodi appellârunt, à Sergio Papa reprobata eſt, ùt teſtantur Anaſtaſius Bibl. in Sergio, Beda de ſex ætat. Paulus Diaconus l. 6. c. 4. Otho Frizingenſis l. 5. c. 13. Ado Vienn. in Chron. quia nec auctoritate Papæ fuit convocata, nec præſente illo, aut ejus Legatis; & quia plures ſunt inter eos canones meritò reprobandi.

Sic Canone 2. recipiuntur 85. Canones Apoſtolorum, de quibus ſuprà diximus, aliquos ab Eccleſia nunquam eſſe receptos, c. 13. permittitur uſus matrimonii Presbyteris & Diaconis, jam ante ordinationem conjugatis, can. 36. Conſtantinopolitanum Epiſcopum æqualem faciunt Romano. Can. 55. Sabbatorum jejunium etiam in quadrageſima reprobatur, damnato Eccleſiæ Romanæ uſu. Prohibentur etiam omnes alii Canones, exceptis iſtis Trullanis. Sicque hoc conventiculum videtur prima ſparſiſſe ſemina erumpentis poſtea ſchiſmatis.

Iſti proin Canones hujus Conciliabuli vim legis non habent, ab iſto ſaltem Synedrio. Multi tamen ſunt ex iis probi admodum, & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ perquam opportuni, qui aliunde authoritatem habent, vel quòd jam antè ab œcumenicis Conciliis ſint editi, vel ab Eccleſia poſtmodum recepti. Saltem ſerviunt, tanquam argumentum ad hominem, ad convincendos hæreticos, qui hoc Concilium non raró nobis objiciunt: plerique enim Canones ſunt omnino Catholici, & Novatorum doctrinæ prorſus contrarii. 44. *Aliqui tamen Canones.*

Sic Canon 12. uſum conjugii Epiſcopis conjugatis interdicit. Canon 32. reprobat uſum Armenorum, qui in SS. Miſſæ ſacrificio vinum non miſcebant aqua, ritúmque vinum modica aqua permiſcendi ex liturgia S. Jacobi Apoſtoli, & S. Baſilii probat. Canon 82. venerabiles imagines pingi præcipit, præſertim etiam Chriſti ſub agni ſpecie. *Et aliunde in Eccleſia recepti.*

ARTICULUS VII.

De Concilio Generali VII. Nicæno II.

Pro

Cultu SS. Immaginum, contra Iconoclaſtas, ſub Hadriano I. Conſtantino & Irene. Anno 787.

SUMMARIUM.

§. 1.
Synopſis Hiſtorica.

1. *Leo Iſaurus contra Sacras imagines cœpit rugire.*
2. *Dejecto S. Germano, & S. Joanne Damaſceno iniquiſſimè accuſato.*
3. *Excommunicatus propterea à Papa, ſpirans minarum miſerè perit.*

 4. *Revixit*

4. *Revixit impietas adhuc immanior in Copronymo filio, altero velut Antiocho.*

5. *Qui Conciliabulum cogit, Constantinopoli conare SS. imagines.*

6. *Leo VI. Patris, Avique insistit vestigiis.*

7. *Eo mortuo, sub Irene & Constantino indictum Concilium Nicænum. In quo vindicata SS. Imaginum religio.*

§. 2.

Acta Concilii.

8. *Recepti plerique pœnitentes Episcopi, qui Conciliabulo Copronymi interfuerant.*

9. *Ac tandem etiam Gregorius Neocæsariensis, fax antè & tuba Iconoclastarum, atque Conciliabuli illius Præses.*

10. *Ostensa antiquitas cultûs SS. Imaginum.*

11. *Angelos posse depingi.*

12. *Definitio cultûs SS. Imaginum.*

13. *Lecta in Concilio sententia Joannis Thessalonicensis, quòd Angeli depingi possint,* quia sunt corporei.

14. *Esse corporeos plures olim putabant Patres.*

15. *Concilium autem definivit quidem eos posse depingi: rationem tamen, quòd sint corporei, non approbavit: imò decidit eos esse incorporeos.*

§. 3.

Canones Concilii.

16. *Electio Episcopi non fiat per sæculares &c.*

17. *Sacræ Reliquiæ exponendæ in templis.*

18. *Probibiti libri hæretici.*

19. *Quod infertur Monasterio, non restituendum, licèt exeant.*

§. 4

De Concilio Francofordiensi, in quo damnata Synodus VII.

20. *Hæresis Elibandi & Felicis Urgelitani damnata.*

21. *Item Synodus VII. ex duplici falso supposito; quia putabant, coactam sine consensu Papæ: & in ea decretum Imaginibus supremum cultum Latriæ.*

22. *Nomine adorationis, cùm agitur de cultu Imaginum, propter pusillos cautè utendum.*

23. *Exemplo Concil. Trid.*

24. *Non tamen Francofordienses PP. abjicerunt SS. Imagines, ùt faciunt novi Iconoclastæ.*

§. 5.

Crisis de libris Carolinis.

25. *Hi libri nuper detecti multùm dilaudantur à Præconibus Protestanticis.*

26. *Sed sunt merè suppostititii.*

27. *Nam Carolus M. fuit Doctus. Hi autem libri rudissimi & ineptissimi.*

28. *Scaténtque falsitatibus.*

29. *Plura argumenta contra istos libros.*

30. *Confundunt tamen ipsos Sectarios.*

31. *Horum indoles.*

§. I.
Synopsis Historica.

Postquam hæresis in Oriente adversus Christum Dominum per plura sæcula rabiem suam exprompserat, modò cum Arianis eum Patri consubstantialem negans, modò cum Nestorio in duas eum personas dividens, modò cum Eutychianis in unam naturam, aut cum Monothelitis in unam voluntatem constringens, Nicænis, Ephesinis, Chalcedonensis, ac Constantinopolitanis fulminibus contrita fuerat; tandem ut revivisceret, adversùs Christi Sanctorúmque imagines furere cœpit, idoneum ac potentem ad hoc nacta adjutorum, *Leonem Isauricum* Imperatorem, præstigiis quibusdam dementatum. 1. *Leo Isaurus contra SS. imagines rugit.*

Hic quippe sacras imagines edicto imperiali proscripsit: cúmque se populus Constantinopoli opponeret, immani persecutione sæviit, sancto *Germano* Patriarcha dejecto & in exilium pulso, inque ejus locum suffecto Anastasio Iconoclasta. Atrociorem adhuc tragœdiam lusit cum *S. Joanne Damasceno*, sacrarum imaginum defensore eximio. Hunc enim Leo apud Damasci Pincipem falsò accusat, quòd Damascum, cui præfectus erat, sibi vendere voluerit; unde Princeps manum ei dexteram jussit amputari, quam tamen Deipara eidem restituit. 2. *Dejecto S. Germano.*

Gregorius II. Pontifex, cùm frustra huic Leoni per litteras se opposuisset, contumacem à communione fidelium abscindit, Italia (ùt fertur) imperio ejus subtracta, & tributa pendere prohibita; cúmque classe armata immineret Italiæ devastandæ, ad Adriatici litora eandem turbo allidit: defectionibus, fame, peste, aliisque malis imperium ejus prementibus, & læsum imaginum honorem vindicantibus: donec dira inter tormina rugire ac furere desiit. 3. *Excommunicatus propterea, Ac miserè periens.*

At revixit sacrilega rabies in pejore filio Constantino, cui ob fœdatum, cùm salutaribus undis tingeretur, sacrum lavacrum *Copronymi* nomen adhæsit. Hic quippe magicis flagitiis præstigiísque totus deditus, cùm immani crudelitate sacras icones Sanctorúmque persequi cultum pergeret, à populo depulsus est throno, designato Imperatore *Artabasdo Curopalate*, ejus affine. 4. *Ac revixit impietas in Copronymo filio.*

At Copronymus expugnata Constantinopoli, quam terra maríque obsederat, plenas furori habenas laxans, cædibus, ruinis, proscriptionibus urbem complevit, effossis Coropalati oculis, ac liberis ejus interemptis, ne unquam ex illis vindex adolesceret.

Cùm autem Romanus Pontifex, grassanti malo quæsiturus remedium, diversa in occidente contra Iconoclastas celebraret Concilia, Copronymus pseudosynodum 330. Præsulum Constantinopoli collegit, adversùs 5. *Qui contra SS. Imagines synedrion cogit.*

ſacras imagines: quas abjiciendas ſynagoga iſta decrevit, ſub nomine Concilii generalis ſeptimi ſe ipſum efferens. Tum verò nihil tam ſanctum erat in urbe, quod non deturbaret, confringeret, atque pollueret feralis impietas, facem præferente utroque Conſtantino, imperatore videlicet & pſeudo-Patriarcha. Verùm hic mox debitam locatæ operæ mercedem ab illo retulit, per urbem flagellari & jugulari juſſus, ob evulgatam de abroganda Chriſti Divinitate mentem Copronymi: qui & ipſe, amiſſo exarchatu atque Pannonia (quam Hunni dixêre Hungariam) ultrices inter flammas exæſtuans, horrendo cum ejulatu, alter velut Antiochus, infelicem animum exſpuit, feræ pœnitentiæ non feriæ novum paradigma.

Abſterrere debuerat *Leonem IV. Porphyrogenitum* Copronymi filium tremenda Patris, Avíque mors ab eorum vita. At is non minùs impietatis quàm imperii hæres, ſimulata, donec ſolium firmaret, orthodoxa fide,

6. *Leo IV. Patris avique inſiſtit veſtigiis.*

mox totus in ſacrilega illorum ivit veſtigia, ſacrarum imaginum hoſtis profeſſus. Sed & ſimili exitu finem vitæ impoſuit; dum enim radiantem gemmis coronam, à Mauritio Principe ſacris ædibus dedicatam, inde abſtraheret, eáque caput ſuum incingeret, venenatis velut carbunculis ex eadem erumpentibus eſt exuſtus, in eo duntaxat laudandus, quòd *Irenem* reliquerit viduam, & ſub ejus tutela *Conſtantinum* filium, decennem adhuc puerum, mali corvi bonum ovum.

7. *Hoc mortuo melior facies.*

Sub his enim Principibus pax reducta Eccleſiæ: dum abdicante ſe Paulo Patriarcha & ad pœnitentiam agendam, quia impio Copronymi conciliabulo ſubſcripſerat, monaſterium ingreſſo, *Tharaſium*, Auguſtorum Secretarium, laicum hactenus, & politicis aulæ ſtudiis innutritum, virum tamen Catholicum, ac rerum uſu clarum, eidem ſurrogârunt: qui tamen dignitatem illam non antè acceptavit, quàm Principes curam univerſalis Concilii convocandi adpromitterent.

Indicto Concilio.

Communicato igitur cum Adriano I. Pontifice Conſilio, Tharaſius, Conſtantinus & Irene per litteras rogant, ut Synodum convocet, ſuóſque, ſi venire ipſus nequeat, pro more ad eam Legatos mittat. Magnum hæ litteræ Pontifici ſolatium attulêre. Unde mox Archi-Presbyterum Eccleſiæ S. Petri & Abbatem S. Sabæ Legatos deſignat, ſuo nomine præfuturos Concilio; cúmque Conſtantinopolis Iconoclaſtarum furoribus adhucdum turbaretur, Nicæam Bithyniæ illud convocatur anno 787. ubi convenêre 350. orientales Epiſcopi: inter quos licèt præſiderent Legati Apoſtolici, de horum conſenſu, eminebat Tharaſius, linguæ Græcæ peritia, ac doctrina præſtans; Patriarchæ reliqui per Legatos adfuerunt. His acceſſêre multi Abbates cum Monachis, doctrina & ſanctitate fulgentibus. Menſe uno Concilium tenuit, actionibus ſeptem abſolutum.

§ II.

§. II.
Acta Concilii.

In prima actione poſt lectas Auguſtorum litteras ad Concilium datas, cauſa lapſorum Epiſcoporum, qui conciliabulo Copronymi ſubſcripſerant, in utramque partem eſt agitata: reſtitutis quibusdam ejurata hæreſi in ſedes ſuas: aliis verò, qui diutiùs ac pertinaciùs hæreſi inhæſêre, in aliam ſeſſionem dilatis.

In 2. tanquam reus adducitur in Concilium *Gregorius Neocæſareæ* Epiſcopus, Iconoclaſtarum Coryphæus, & conciliabuli prædicti veluti Præſes. Rogat veniam & gratiam, ſed rejicitur in ſequentem actionem. Legitur Adriani Papæ epiſtola ad Auguſtos & Tharaſium, cui honorificè à Concilio acclamatur & ſubſcribitur. Sed epiſtola ad Auguſtos non eſt lecta quoad eam partem, in qua Tharaſii à ſtatu laico ad Patriarchatum aſſumptionem improbavit, & nomen univerſalis Patriarchæ (quæ jam tunc, imò præcedentibus etiam temporibus Præſulum C. P. erat arrogantia) reprehendit.

8. *Recepti pœnitentes*

In tertia Gregorius Neocæſareenſis aliíque Epiſcopi lapſi, pœnitentes ſedibus ſuis reſtituuntur. Leguntur Tharaſii litteræ ad Patriarchas, quibus eos ad Synodum invitaverat.

9. *Etiam Gregorius Neocæſareenſis.*

In quarta S. Scripturæ & Patrum teſtimoniis oſtenditur uſus ac veneratio ſacrarum imaginum, jam inde ab Eccleſiæ exordiis recepta ac traditione continua propagata. Tum lectis Gregorii III. ad S. Germanum, hujúsque ad plures Epiſcopos litteris, in Iconoclaſtas à Concilio prolatum eſt anathema, editæque fidei profeſſioni ſubſcriptum.

10. *Cultus SS. imaginum antiquiſſimus.*

In quinta demonſtratum impium de abolendis ſacris imaginibus dogma ab hæreticis, Judæis & Saracenis hauſtum. Ubi Concilium definivit, Angelos etiam depingi poſſe, quos *Joannes Theſſalonicenſis*, in diſputatione cum homine gentili, docuerat eſſe corporeos. Verùm hanc Joannis rationem, quòd ſcilicet Angeli ſint corporei, Concilium non definivit, aut approbavit, nec ad illam attendit, ſed ſimpliciter decrevit, de quo ſolo erat quæſtio, imaginum uſum eſſe retinendum. Imò Angelos *Actione* 4. in confeſſione ſua Concilium expreſsè dixit *incorporales*. Quare rurſus præeuntibus Legatis Sedis Apoſtolicæ editum eſt decretum de reſtituendis ſacris imaginibus: renovatúmque in Iconoclaſtas anathema.

11. *Angelos depingi poſſe.*

In ſexta conciliabuli Copronymi argumenta frivola, à Gregorio Neocæſareenſi, jam converſo, recitata, impugnantur & profligantur: damnato illo conciliabulo.

12. *Definitio de Sancto-*

In ſeptima comprobatis ſex Conciliis Oecumenicis, editur fidei definitio, ac recitatur ſymbolum fidei: damnatis omnibus hæreticis, quos prio-

rum imaginibus. priora ſex Concilia damnaverant; fitque ſimul profeſſio de omnibus traditionibus Eccleſiaſticis, ſive ex ſcriptura, ſive ex conſuetudine deſcendentibus retinendis. De ſacris verò imaginibus definitur, eas *in templis eſſe collocandas, ut omnes, qui eas contemplantur, in prototyporum memoriam veniant, illis ſalutationem & honorariam adorationem exhibeant: imaginis enim honor in prototypum reſultat.* Decretum pariter, ut fideles debito cultu Sanctorum reliquias proſequantur; hiſque contradicentes declarantur hæretici. Nota: in aliquibus Conciliorum collectionibus ſubjungitur actio octava, ſed in hac nihil aliud actum, quàm quòd Patres Concilii Conſtantinopolim evocati ab Imperatoribus, definitionem Nicææ factam coram illis repetierint, cum iterata damnatione Iconomachorum, & acclamatione Auguſtis facta.

13. *Joan. Theſſ. docuit Angelos eſſe corporeos.* Circa ea, quæ in actione quinta ex *Joanne Theſſalonicenſi* de Angelis ſunt lecta, notandum, authorem illum pro ratione, quòd Angeli & animæ Sanctorum figuris corporeis poſſit repræſentari, hanc attulliſſe, quòd utriſque Eccleſia Catholica corporeas ſubſtantias attribuat, ſed tenuiſſimas, igneas nempe aut aëreas, ídque probare niſus eſt ex illo ſcripturæ: *Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis:* item authoritate Athanaſii, Baſilii, aliorúmque Patrum. Noluit tamen aſſerere Joannes Epiſcopus, hoc ab Eccleſia Catholica eſſe definitum, ſed tantùm à pluribus Patribus ſententiam eam traditam prævaluiſſe tunc temporis: ídque non tantùm apud Græcos, ſed etiam Latinos.

14. *Idem ſentiunt plures PP.* Certè de S. Auguſtino teſtatur Vaſquez tract. de Angelis, eum non dubitâſſe Angelos eſſe corporeos, ſed tantùm, an eorum corpora contrectari poſſint; vide Cabaſſutium *in Notit. Concil. pag.* 506. ubi multos Patres affert, opinionis illius Patronos. Complures etiam adducit, qui putârint, Angelos, antequam cœlo eſſent excluſi, ex mulieribus gigantes genuiſſe, ùt Juſtinum, Irenæum, Clementem Alexandrinum, Euſebium Cæſareenſem, Tertullianum, Lactantium &c. prævaluerat etiam tunc apud Patres Philoſophia Platonis, dœmones ex clementis, & Animas ex igne conſtituentis. Cui oppoſitum docuit Ariſtoteles 12. *metaph. cap.* 6. 7. & 8. Videlicet Intelligentias ab omni materia & quantitate eſſe immunes.

15. *Sed hæc Synodus definivit eſſe incorporeos.* Quam ſententiam poſt Lombardum & S. Thomam amplexi ſunt Theologi ſcholaſtici, probántque illam ex Jure Canonico, videlicet ex *cap. firmiter de ſumma Trinit.* ubi Innocent. III. ait: *DEUS utramque de nihilo condidit naturam, Spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, deinde quaſi communionem ex Spiritu & corpore conſtitutam &c.* Clariùs adhuc certa hæc ſententia probatur ex hac ipſa ſeptima generali Synodo, quæ actione quarta in ſua Confeſſione in qua profitetur, ſe honorare, ſalutare, aç honoranter adorare venerabiles icones Chriſti, Dei Genitricis, San-

Sanctorum Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, *Sanctorum etiam & incorporalium Angelorum: ùt homines enim justis apparuerunt.*

Quamvis autem priscis illis sæculis licuerit dicere, Angelos esse corporeos, imò etiam cum mulieribus habuisse commercium, antequam cœlo exularent, his tamen temporibus absque temeritatis nota hæc asseri non possent. *Multa nunc scimus, quæ à primis Patribus aut dubitata, aut prorsus ignorata fuerunt*, ait Alphonsus à Castro *lib.* 1. *de hæres. cap.* 17. & ùt inquit Serlogus *anteloq.* 3. *in cant. sect.* 3. *multa didicit Mater Ecclesia, processu temporum multa stabilivit, declaravitque Fidei dogmata, quæ licitis olim opinionibus jactabantur.*

§. III.

Canones Concilii.

Sub finem Concilii hujus septimi Patres 22. Cánones, ad disciplinam Ecclesiasticam spectantes ediderunt. Summa est hæc. 16. *Electio Episcopi.*

1. Canones Apostolorum, Conciliorum & Patrum serventur.

2. Episcopus ordinandus calleat S. Scripturam & Sacros Canones.

3. Irrita sit electio Episcopi, Presbyteri & Diaconi facta à sæcularibus. Episcopus ordinetur ab Episcopis comprovincialibus aut saltem à tribus ipsorum. Confirmationis autem jus maneat apud Metropolitanum.

4. Episcopi à Clericis non exigant pecunias turpis lucri gratiâ.

5. Vetatur Simoniaca ordinatio propter pecuniam.

6. Episcopi singulis annis Synodum Provincialem celebrent.

7. In templis Sanctorum Reliquiæ reponantur. 17. *SS. Reliquiæ.*

8. Judæi deceptores non admittantur ad baptismum & Ecclesiam, nisi seriò sint conversi.

9. Prohibentur omnes libri Iconoclastarum, jubentúrque cum aliis libris hæreticis ad Episcopum Constantinopolitanum deferri, decreta in clericos pœna depositionis, in alios anathematis, si tales libros occultent. *Videant hic Novatores, non esse novum in Ecclesia præceptum, prohibens legere aut asservare libros hæreticos. Imò jam ante hanc Synodum hæc lex vigebat.* 18. *Prohibitio librorum hæreticorum.*

10. Clericus ad aliam parochiam ne transeat sinè consensu Episcopi. Nec negotiis sæcularibus se immisceat.

11. Quælibet Ecclesia suum habeat Oeconomum.

12. Episcopi & Abbates alienantes bona Ecclesiarum deponantur.

13. Monasteria ne fiant sæcularium habitacula. Profanata ab Iconomachis restituantur.

14. Prima tonſura inſigniti non legant publicè, donec ſint ordinati Lectores ab Epiſcopo, vel Abbate in Monaſterio.

15. Clericus duo beneficia ne habeat: niſi ſit clericorum penuria. *Hunc Canonem Gratianus in Decretum ſuum retulit. cauſ.* 21. *quæſt.* 1. *c.* 1.

16. Clericis interdicuntur fulgidæ ac pretioſæ veſtes, uti etiam unguenta odorata.

17. Monachi ne incipiant ædificare domos & oratoria, ſi non poſſunt conſummare.

18. Fæminæ in Epiſcoporum domibus vel Monaſteriis virorum non tolerentur.

19. *Dos illata monaſterio non reſtituitur exeuntibus.*

19. Ne exigatur pecunia pro admiſſione ad Sacros Ordines, aut ad vitam religioſam. Si quid autem à Parentibus datur Filiis more dotis, vel ſi ipſi ingredientes ex propriis rebus offerant, manent illa monaſterio, ſive perſeverent in illo, ſive exeant.

20. Prohibentur duplicia monaſteria, ſimul cohærentia, Monachorum hinc, inde Monialium. Non cubet Monachus in muliebri monaſterio. Nec Monachus aditum habeat ad Monacham, nec hæc ad illum, ſecretò ad collocutionem. Cibaria ſubmiſſa ad portam recipiat Abbatiſſa cum vetula moniali. Si Monachus velit colloqui alicui ſuæ propinquæ, in præſentia Abbatiſſæ id fiat brevi ſermone; & mox recedat.

21. Nullus Monachus aut Monialis relicto Monaſterio proprio ad aliud ſe conferat.

22. Chriſtianorum convivia ſint modeſta: Clerici ac Monachi cum mulieribus non manducent ſecretò.

Abſoluto Concilio ſcripſit Tharaſius ad Adrianum Pontificem, qui Concilii acta accepit, & approbavit; licèt ritu ſolenni, aut data ad Eccleſias aut ad Imperatores epiſtola illud ſpecialiter non confirmârit. Approbatum autem rurſus fuit poſtea à Leone III. ùt patet ex Ivone *part.* 4. *cap.* 147.

§. IV

De Concilio Francofordienſi, in quo damnata Synodus VII.

20. *Hæreſis Elipandi & Felicis damnata.*

Quia Proteſtantes frequenter contra cultum SS. Imaginum ac Synodum Nicænam ſecundam iſta nobis objiciunt, brevem hîc de iis mentionem ſubjungendam duxi. Celebrata eſt Synodus à trecentis & ultra Patribus Francofordiæ ad Mœnum anno 794. tempore Adriani I. & Caroli Magni Francorum Regis. In hac damnata fuit hæreſis *Elipandi* Epiſcopi Toletani, & *Felicis* Epiſcopi *Urgelitani*, qui, in hæreſin Neſtorii deflectentes Chriſtum hominen aſſerebant eſſe Filium DEI adoptivum tan-

tantùm, Deique servum, non autem Filium Dei naturalem & quoad hujus damnationem hæresis approbata est à Pontifice Adriano Synodus Francofordiensis, non autem quoad eam partem, qua damnavit Synodum Nicænam secundam.

Damnârunt autem Francofordienses Patres illam Synodum ex duplici falso supposito circa quæstionem facti: Quia Græcæ linguæ ignari, & ab Orientalibus Iconomachis, aut etiam ab auctore librorum Carolinorum decepti, existimârunt, Concilium Nicænum decrevisse Imaginibus adorationem & cultum latriæ, soli Deo debitum, & Concilium illud habitum esse sinè consensu Pontificis: Quod utrumque est falsissimum. Nam Nicænum expressè cavit, ne cultus latriæ Sanctorum Imaginibus deferatur, sed inferior quidam, ac præcisè respectivus, ùt constat ex actione 3. 4. & 7. cùm honor delatus Imagini referatur ad prototypon, quod per imaginem repræsentatur. Cùm igitur Deo soli exhibendus sit cultus latriæ, Dei Genitrici cultus hyperduliæ, ac reliquis Sanctis cultus duliæ, & quidem absolutus, eorum Imaginibus cultus deferendus est respectivus, ac pro ratione prototypi seu exemplaris per Imaginem repræsentati; Imaginibus videlicet Divinarum Personarum, ac Christi crucifixi cultus latriæ respectivus, Imagini Deiparæ cultus hyperduliæ, & Imaginibus Angelorum ac reliquorum Sanctorum cultus duliæ, uterque tantùm respectivus, respectu nempe semper habito ad prototypum per Imaginem propositum. 21. *Item Synodus VII. Ex duplici folso supposito.*

Et licèt Nicænum usum sit etiam voce *adorationis*, Imagines scilicet Sanctorum esse adorandas, tamen hæc vox in sensu Concilii, & multorum adhuc hodie auctorum non tantùm significat supremum latriæ cultum, soli Deo proprium, sed ampliori significatione & generica cultum, etiam multò inferiorem Sanctis debitum comprehendit. Unde quia hæretici vocem *adorationis* (& in vernacula nostra anbetten) sumere solent pro cultu latrevtico, nom verò pro adoratione honoraria: & propterea ob sinistrum vocis intellectum nos idololatras clamant, quasi Numen aliquod Imaginibus inesse credamus, prout ethnici in suis idolis: ideo, ne voce (licèt innocua) offendantur, ab ea temperandum censerem, quando de cultu Imaginibus Angelorum & Sanctorum hominum deferendo loquimur, dicendúmque nos non adorare (in eorum sensu) Angelorum & Sanctorum hominum Imagines, sed eas colere ac honorare propter Sanctos, qui nobis per eas repræsentantur, ad quos honor ille ac cultus refertur. 22. *Nomen adorationis. Cautè usurpandum.*

Hanc cautelam (ob pusillos fortassis, eorúmque pravam vocis acceptionem) adhibuisse video ipsum etiam Concilium Tridentinum, dum *Sess.* 25. *de Invocatione & veneratione & reliquiis Sanctorum, & Sacris Imaginibus*, vocem *adorationis* nunquam usurpavit, quando de Imaginibus An- 23. *Exemplo Tridentini Concilii.*

 gelorum

gelorum aut Sanctorum hominum est locutum, sed voces *honorationis, venerationis &c.* dum ait, Sacras imagines, *in templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quòd credatur inesse aliqua in iis Divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quòd ab iis aliquid sit petendum, vel quòd fiducia in Imaginibus sit figenda veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita, ut per Imagines, quas osculamur, & curam quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.* Ecce! Quomodo Concilium, ubi de Christo est sermo, *adorationis* utitur vocabulo; & quando de Sanctis, vocabulo *venerationis.* Et eodem omnino sensu locutum est Concilium Nicænum, quamvis Προσκύνησις adhibuerit, quæ adorationem significat: Per hanc enim vocem noluit significare veram latriam, ùt Seff. 7. in sua confessione Fidei expressè protestatur, sed honorem & venerationem longè inferiorem, & duntaxat honorariam: Τιμητικὴν Προσκύνησιν, ȣ μὴν ἀληθινὴν τὴν λατρείαν: Honorariam adorationem, non tamen veram latriam. Unde etiam Tridentinum loc. cit. ad Nicænum se refert his verbis: *Id quod Conciliorum, præsertim verò secundæ Nicænæ Synodi decretis contra Imaginum oppugnatores est sancitum.*

24. *Non tamen abjecit imagines.* Cæterùm Concilium Francofordiense non abjecit Sacras Imagines; nec eas frangi, aut è templis exturbari jussit, ùt faciunt Calvinistæ & Zwingliani, sed adorandas esse negarunt, persuasi, Synodum secundam Nicænam, (quam ignari eam authoritate Papæ esse celebratam, pro particulari tantùm Græcorum Concilio habebant) Divinam eis adorationem verámque latriam, SS. Trinitati debitam, eisdem decrevisse. Hanc igitur adorationem eis denegavit Synodus. Persuasio autem illa falsa orta fuit, ùt antè insinuatum, vel ex libris illis pseudo-Carolinis, vel, ùt Ludovicus du Mesnil cum pluribus aliis putat, ex falsis epistolis Iconomachorum Orientalium, qui apud Gallos Nicænum perfidè accusabant, falsámque doctrinam ei affingebant, vel etiam ex imperitia linguæ Græcæ: Nam licèt Nicænum translatum fuerit jam tunc in latinum, tamen teste Anastasio Bibliothecario ea versio adeò erat confusa, ut intelligi non posset, quid statuerit Nicænum; unde idem Anastasius aliam postea ac meliorem versionem suscepit.

§. V.

Crisis de libris Carolinis.

25. *A Sectariis laudati.* Anno 1549. prodiit in lucem novum opus, alter velut Melchisedech, sinè patre, sinè matre, sinè genealogia, absque ulla scilicet loci ac Typo-

pographi notatione. Adscribitur Carolo Magno, in quatuor libros divisum: unde, à Protestantibus præsertim, *libri Carolini* appellantur: multúmque se iis jactant, quando de imaginibus scribunt. Et quidem Calvinus *lib.* 1. *Instit. cap.* 11. ex iis duo concludit: primo Nicænum Concilium fuisse statim refutatum ab orthodoxo Principe. Secundò, in Concilio illo manifestam impietatem definitam, nempe imaginibus deberi honorem sacrificiorum, & eum cultum, qui tribuitur vivificæ Trinitati.

At esto, libros istos à Carolo M. ad Hadrianum I. Pontificem esse mis- 26. *Non sunt Caroli.*
sos (nam ipse Hadrianus eos refutavit, ùt patet ex epistola ipsius Hadriani àd Regem Carolum, in qua doctissimè omnia dissolvit, quæ in libris illis Concilio Nicæno fuerant objecta) nego esse partum Caroli: patet ex laudata epistola, ab hæretico Iconoclasta esse compositos, & à Carolo ad Papam missos, ut eos refellat; sicut etiam fecit.

Deinde Carolus M. homo fuit, græcè & latinè peritus, prudens, in- 27. *Quia sunt inepti ac rudes.*
geniosus: libri autem isti sunt hominis mendacis, barbari, levis, & oppidò imperiti: ùt patet ex epistola citata Hadriani Papæ, in qua illos confutat. Scribit enim inter alia inepta, Græcorum Synodum Constantinopoli in Bithynia pro adorandis imaginibus esse celebratam sinè consensu Romani Pontificis, & eundem iis cum Deo cultum decrevisse. En! uno halitu duas ineptias, & quatuor mendacia. Quid enim ineptiùs atque imprudentiùs, quàm Constantinopolin ex Thracia in Bithyniam transferre? quid rudiùs, quàm scribere, Synodum illam Constantinopoli esse celebratam? Carolus M. utique scivit, ubi terrarum sit Constantinopolis, Imperatoria civitas, nova Roma, ubi sit Bithynia, ubi Thracia: Concilium illud Nicææ in Bithynia, jam à prima generali Synodo urbe adeò celebri,
esse habitum. Præter hæc duo mendacia falsissimum est, Synodum illam 28. *Scatent falsitatibus.*
celebratum esse sinè consensu Romani Pontificis; cùm miserit duos ad eam Legatos, qui sessionibus omnibus præsidebant, & nomine Pontificis primi subscripserunt. Falsissimum pariter est, quòd illa Synodus imaginibus parem Deo cultum attribuerit, ùt ex dictis patet, & manifestè tum ex aliis ejusdem actis, tum ex confessione illius constat. Quintum mendacium est, Synodum illam definiisse, Evcharistiam esse imaginem Corporis Christi: quod Concilium non tantùm non definiit, ùt auctor iste larvatus somniat, sed prorsus contrarium. Sextum mendacium est, quòd Constantinus, Constantiæ Cypri Episcopus, in Nicæno anathema dixerit iis, qui non adorant imagines eo cultu, quo adoratur SS. Trinitas. Taceo multa alia, quæ in istis libris Synodo Nicænæ tribuuntur, de quibus aut nunquam cogitavit, aut ab Adversariis sunt dicta. Quis ejusmodi imposturas, & ineptias Carolo M. tanquam auctori tribuat, nisi ineptus ipse sit aut impudens.

29. Et profectò Carolus M. semper fuit apprimè Catholicus, & cum Adriano I. & Apostolica Sede conjunctissimus; scripsítque Jonas Aurelianensis (tempore Ludovici Pii Caroli filii) Claudium Taurinensem, Iconomachorum hæresis fautorem, toto tempore, quo vixit Carolus, non ausum fuisse mutire. Constat insuper ex Paulo Æmilio, quòd, cùm Stephanus Papa Romæ celebraret Synodum contra Græcos Iconoclastas, Carolus ad eam miserit 12. Episcopos. Quis ergo credat, eum fuisse auctorem librorum hæreticorum, qui errorem illum Græcorum contra sacras imagines propugnent? quomodo credibile, eum, quem Catholici pium sanctúmque semper vocabant, fuisse Iconomachum?

Alia argumenta.

Constat ex historiis Græcorum & Latinorum, ùt Zonaræ Cedreni, & Pauli Diaconi in vita Leonis Isauri, Romanos Pontifices, Gregorium III. Adrianum I. & Leonem III. defecisse à Græcis Imperatoribus, eos excommunicâsse, & vectigalia eis tribui ex Italia prohibuisse, séque in tutelam Regum Francorum contulisse, atque in eos tandem ac specialiter in Carolum M. imperium transtulisse, ea præcipuè de causa, quòd Græci Imperatores hæresin Iconomachorum foverent, Franci verò in fide antiqua constantes essent. Quomodo ergo verisimile Carolum M. iisdem Pontificibus amicissimum Græcorum hæresi laborâsse, & pro ea quatuor libros scripsisse? alia profectò fuerant publica privatáque negotia, quibus tantus Princeps tempus dependeret, quàm libris scribendis.

At quid? si daremus, ea scripsisse, quid aliud sequeretur, quàm unum hominem, eúmque laicum ac militem in re prorsus Ecclesiastica, & ad Episcopos atque Pastores Ecclesiæ pertinente se opposuisse generali Concilio?

30. Ostentant quidem hos libros Protestantes, déque iis tanquam de invento raro thesauro sibi gratulantur; non tamen incauti isti homines considerant, si standum sit istis libris, novella Lutheri Calvinique sphalmata penitus eversum iri. In his enim libris apertè docetur, ultimum judicium de controversiis fidei pertinere ad Romanum Pontificem: eúmque non à Conciliis, sed à Deo habere primatum: exorcismum esse adhibendum in baptismo: templa dedicanda certo ritu: orandum pro defunctis, Sanctos invocandos, Reliquias venerandas, Chrysmatis, aquæ ac salis benedicti usum in Ecclesia retinendum: in Evcharistia verè esse corpus Christi, idque adorandum, & tanquam verum ac proprium sacrificium offerendum. Ecce! qualem thesaurum Novatores effoderint, in quo tot continentur Catholica dogmata, quæ apud ipsos sunt hæreses. Si volunt, ut his libris credamus, cùm dicunt, Nicænam Synodum errâsse, jure merito etiam nos exigimus, ut credant & ipsi iisdem, quando Catholica dogmata adstruunt.

Ostentant Protestantes novellum hoc inventum, Sed suam in pernitiem.

Sed

Sed hæc eſt hominum iſtorum indoles: quando in conciliabulo aut libro aliquo vel minimum quid reperiunt, quod vel Sedi Apoſtolicæ, vel uſui alicui noſtro particulari contrarium putant, mox altùm glocitant, librúmque illum aut Concilium extollunt, e. g. conciliabulum Copronymi, Trullanum &c. nec conſiderant miſeri, ſi illis ſtandum, novella ſua inventa penitus eſſe ſubverſa: eò quòd pleraque in iis contineantur, quæ eorum erroribus ſunt omnino contraria. 31. *Indoles Sectariorum.*

Denique neque libri pſeudo-Carolini dicunt, abjiciendas à templis, confringendas, aut comburendas eſſe Sanctorum imagines, ſed retinendas in templis pro memoria Sanctorum, qui repræſentantur, & inſtructione circa Sanctorum vitam, virtutes, martyria &c. ùt notat eruditiſſimus Sirmondus in Canonem ſecundum Concilii Francofordienſis, in quo ex falſo ſuppoſito, ùt dictum, reprobatum eſt Concilium ſecundum Nicænum. Igitur neque quoad Imagines libri illi cum Calviniſtis & Zwinglianis conveniunt. Certa mihi manet ſententia, non poſſe eos adverſum nos uti armis, niſi quibus ſe ipſos conficiant.

ARTICULUS VIII.

De Concilio Generali VIII. Conſtantinopolitano IV.

Pro reſtituendo S. Ignatio contra Photium. Sub Hadriano II. & Baſilio Anno 869.

SUMMARIUM.

§. I.

Synopſis Hiſtorica.

1. Irene *dejecta Imperio, illo recepto, crudelis Mater, à Nicephoro rurſus dejicitur & relegatur.*
2. Nicephoro *poſt malè geſtum Imperium cæſo ſurrogatur* Michaël Curopalates.
3. *Hunc* Leo Armenus *mox pulſum deportat, ac bellum adverſùs SS. Imagines inſtaurat.*
4. *Interemptus in æde Sacra, quam iconomachia polluerat, opera* Michaëlis Balbi.
5. *Qui ex carcere ſcandit Thronum; pariter Iconoclaſta.*
6. *Uti etiam* Theophilus *Filius, Parente immanior.*
7. Theodora *ejus vidua reducit cultum Imaginum.*
8. *Atque* Ignatium *ad Patriarchatum promovet.*
9. *Sed inde à* Barda *Theodoræ Fratre dejicitur, intruſo Photio.*
10. *Imago Photii. Nunquam majores dotes majoribus vitiatæ flagitiis.*
11. *Furore in Ignatium æſtuans, impoſturis Thronum firmare nititur.*
12. *Legatos Nicolai Papæ, fraudibus impetratos, fraudibus ac minis prævaricatores facit.*

13. *Et*

§. 2.

Acta Concilii.

§. 3.

Canones Concilii.

§. 4.

Bellum Photianum recrudeſcens poſt Concilium.

46. *Jo*

46. *Joanne VIII. fraudibus circumvento, conſentiente, ſub certis tamen conditionibus.*

47. *Indicto propterea Concilio, in quo Legati Romani rurſus ad prævaricationem impulſi.*

48. *Cùm autem Photius litteras Papæ corrupiſſet, & conditiones non ſervaret; à Joanne VIII. anathemate eſt percuſſus.*

49. *Utì etiam à pluribus ejusdem ſucceſſoribus.*

50. *Mortuo Baſilio Principe domi foríſque præclaro, ſed inconſtante, Leo ipſius Filius mox Santabareno impoſtore mulcto, & Photio iterum dejecto.*

51. *Ad Patriarchatum promovet Stephanum Fratrem ſuum: Sed non ſinè tricis; quia à Photio ordinatus fuerat Diaconus. Quam ob cauſam Stephanus V. & Formoſus Pontifices difficultatem initiò moverunt, promotionem Stephani ratam habendi.*

52. *Mors Photii in Exilio, hominis, utì doctiſſimi, ita Eccleſiæ ſummè noxii.*

53. *Ejus libri recenſentur.*

54. *Matthæi Raderi docti labores in collectione, verſione, & explanatione hujus Synodi VIII.*

§. I.

Synopſis Hiſtorica.

Irene, cùm per *Stauratium* adminiſtraret Imperium indignante aula & exercitibus, in ipſo palatio, quod ædificaverat, carcerem patitur, admoto ad gubernacula Filio, & Stauratio dato in vincula. At Filius geſto malè Imperio laudavit Matrem; quæ proin octo poſt annos reſumpto Sceptro, vindictæ impotens, matrémque exuens, Filium effoſſis oculis in mortem adegit: Quatuor adhoc annos rerum potita. 1. *Irene recepto Imperio. Crudelis Mater,*

Tum enim à *Nicephoro* ſolio dejecta, & in Lesbum Inſulam relegata, obſcuro fine interiit: Fœmina exceptione major, ſi aut non fuiſſet Mater, aut Matrem ſe exhibuiſſet. Nicephorô, poſt novem annorum Imperium crudeliter & ignavè geſtum, à Crunno Bulgarorum Rege, cæſô *Michaëli Curopaleti* Nicephori genero defertur Sceptrum, viro pietate, conſtantia, Fide orantiſſimo, dignóque Parenti Ignatii, propter quem octava Synodus poſtea eſt celebrata. *Iterum dejicitur à Nicephoro* 2. *Michaël à Leone.*

Verùm non ultra biennium ad rerum clavum ſedere eidem licuit. Mox enim à *Leone Armeno*, quem legionibus in Oriente præfecerat, perfidè proditus, cum Uxore Procopia, Nicephori Imperatoris Filia, & liberis Regiis Theophilacto, jam dicto Cæſare, & *Ignatio*, caſtratis, in diverſas Inſulas deportatus, arctiſſimo Monaſterio incluſus eſt, triginta duos annos ruinæ ſuæ ſuperſtes.

3. *Qui instaurat bellum contra Imagines,* Sub Irena, & Curopalate Catholicis Principibus fremere non ausa est Iconoclastorum rabies. At nova Leone rugiente in apertum prorumpens furor, dignas sua indole Ecclesiis calamitates & Sacris Imaginibus clades attulit, coacto Constantinopoli impio Synedrio, prædatorio Ephesino parùm absimili. Sed ferrum infelix acuit, quo ipse interiret: Nam post septem annos tyrannidis, qua Nicephorum Patriarcham, Theodorum Studitam, Nicetam, aliósque viros Sanctissimos, Sacrarum iconum defen-

4. *At non impunè* sores eximios, omni crudelitatis genere est persecutus, odio populi flagrans, ipsa nocte Nativitatis Christi à conjuratis in Ecclesia est interemptus.

5. *Michaël Balbus è carcere ad Thronum.* Videre tunc licuit volubilem ludentémque rerum humanarum rotam. *Michaël Balbus*, ob conjurationem à Leone jam antè in carcerem conjectus, alteráque die occidendus, proditurum se conjurationis socios minitans, nisi Leonem interficerent, ex carcere ad Thronum ducitur, Leonis Armeni Iconoclastæ immanissimi, in frustra dissecti, tota excisa progenie.

Iconomachus. Necdum tamen cum fero illo Leone calamitas Ecclesiæ desiit. Licèt enim Balbus, pariter Iconomachus, mitiùs sæviret, cultum tamen SS. Imaginum extirpare conatu omni est adnisus: Scripta etiam ad Francos epistola, qui utramque damnaverant Synodum, & Copronymi, quæ Imagines abjiciendas statuerat, & Nicænam, quam adorationem latrevticam iisdem decrevisse putabant.

6. *Uti etiam Theophilus.* Post annos octo Balbum mortuum excepit Filius *Theophilus*, paternæ impietatis & solii hæres, Tyrannus crudelior Patre. Quippe & Monachos, Catholicorum triarios, sævissimis tormentis excruciavit, & omne pictorum genus excisum volebat, ne superesset manus nutriendæ religioni Imaginum.

7. *Reductus cultus sub Theodora.* Duodecim annos, quoad videlicet vixit, adversum Sacras Imagines bellum gessit, in earum defensores lanienam exercuit: Cùm sub tutela *Theodoræ* Augustæ, ejúsque Fratris *Burdæ* ac *Theoctistis* reliquit *Michaëlem* triennem Filium. His adnitentibus reducta est Imaginum religio, pulso Joanne Pseudo-Patriarcha impio, & *Methodio* viro Sanctissimo, à Balbo relegato, iterum restituto. Ut adeò, sicut Deus per Irenem trium Imperatorum Iconoclastarum, Leonis Isauri Constantini Copronymi, & Leonis Porphyrogeniti vindicavit impietatem, ita per Theodoram, fœminam pientissimam, trium pariter Imperatorum, Leonis Armeni, Michaëlis Balbi, & Theophili hæresin Iconoclasticam profligavit: Emendantibus fæminis, ut Numinis dextera se signet patentiùs, virorum scelera.

8. *Ignatius Patriarcha,* Methodio paulò post defuncto, Theodora *Ignatium*, Michaëlis Curopalatæ Imperatoris Filium (Nicetam antea dictum à Leone Armeno, in Monachum detonsum, Constantinopolitano Patriarchatui admovendum curavit,

curavit, virum planè integerrimum, atque per omnia recti tenacem. Undecim annos tanto fub Præfule tranquilla pace conquievit Orientalis Ecclefia, cùm repentinus turbo turbavit malaciam.

Concitavit illum *Bardas* Theodoræ Auguftæ Frater: Qui ambitione turgens, perfuafit Imperatori Michaëli, ut amota à gubernaculis matre, habenas ipfe capeffat, præfumpta fpe ex nota Principis vecordia, Imperii poteftatem in fe unum transferendam. Cúmque Ignatius Patriarcha detrectaret Theodoram Monafterio invitam includere, Bardas Mejeftatis reum apud Michaëlem poftulavit, ac fede deturbatum deportavit in Infulam Terebinthum aliásque, furrogato in ejus locum *Photio*. Caufa autem præcipua furendi in Ignatium Bardæ erat, quòd ejus turpem confuetudinem cum nuru propria reprehenderit, eúmque propterea ab Euchariftica communione excluferit. 9. *à Barda dejectus.* *Intrufo Photio.*

Photius, erat illuftris natalibus, Tharafii Patriarchæ nepos, confpicuus inter aulæ proceres, primúsque à fecretis; vir immenfæ lectionis, omnium prope liberalium difciplinarum ftudio & cognitione clariffimus, rerúmque civilium & politicarum ufu, prudentia & fcientia tantopere florens, ut ævi fui facilè Princeps haberetur, imò & cum veteribus certare jam poffet. Omnia quippe in eo concurrebant: Aptitudo quædam, & mentis incredibilis vis, ac facilitas, ftudium, opes, quibus magnam librorum fuppellectilem fibi comparabat, totásque fæpè noctes, ut lectioni vacaret, ducens infomnes, ùt inter ejus opera, eruditione omnigena referta, vel Bibliotheca ipfius, locupletiffima, quam ex innumeris fcriptoribus concinnabat, abundè oftentat. Et quoniam Ecclefiæ Thronum confcenfurus erat, Sacra quoque & Ecclefiaftica volumina cœpit lectitare. Sed tantas naturæ, ingenii atque induftriæ dotes corrupit immenfa ambitio, faftus, ac gloriæ cupiditas, fimúlque perfidia, fimulatio, & verfatilis ad omnia genius. 10. *Imago Photii.* *Dotes præclares* *Majoribus vitiis corrupit.*

Hic ergo homo hoc apparatu fuccinctus Patriarchalem Conftantinopoli fedem, detrufo Ignatio, optimo, ac prifci moris viro confcendit (ordinatus à Gregorio Epifcopo Syracufano, ab Ignatio propter fcelera depofito) implacabili odio, crudelitate, calumniis, quoad vixit Bardas, in eundem Ignatium exæftuans. Neque illius Exilio nocendi fitim explevit, fed vita etiam exturbare eundem tota virium contentione laborabat.

Hoc cùm evincere non poffet, multìque adhuc Orientis Epifcopi Ignatio adhærerent, fraudum artibus, quibus pollebat, agendum ratus, Sedis Apoftolicæ authoritate fedem fuam firmare fperabat. Mittit proin cum Michaëlis Imperatoris litteris, per duos Epifcopis Legatos Romam confeffionem fuam, ex integro Catholicam, ad Papam Nicolaum I. fignificans (falso omnino) Ignatium morbis ac Senio confectum munere fuo 11. *Sedem impofturis firmare tentans.*

ſe abdicâſſe, ſe verò reluctantem eidem ſubrogatum eſſe communi omnium conſenſu: ſimùlque à Papa Legatus petit ad reſtituendam collapſam Eccleſiæ diſciplinam, & damnatus Iconoclaſtarum reliquias penitus extinguendas. Has litterâs pretioſis inſuper donis ad Pontificem communiit.

12. *Legatos Nicolai*

Nicolaus duos pariter Epiſcopos, *Rhodoaldum* & *Zachariam*, Conſtantinopolim Legatos mittit, cum litteris ad Michaëlem Imperatorem, in quibus ſuum jurisdictionem primatum ſtabilit, conqueſtus, auſam fuiſſe Synodum (ùt ſcripſerat Imperator) Ignatium deponere, ac Photium ſubſtituere abſque authoritate Sedis Apoſtolicæ; ſimúlque oſtendit, contra SS. Canones factum eſſe, ut homo laicus repente ad ſummum Sacerdotium aſcenderet. Hoc idem reprehendit Papa in ſcripta ad Photium epiſtola: conſentire ſe non poſſe, donec ex Legatis ſuis íntelligat, quomodo res iſta ſe habeat.

Corrumpit.

Verùm Legati Romani datam ſibi poteſtatem ſupergreſſi, partim minis impulſi, partim donis illecti perfidè ad Photii partes tranſeunt, & conciliabulo adversùs Ignatium coacto interſunt; adductus ad hoc ſynedrium ex Inſula Therebintho Ignatius, ac vehementer impulſus, ut Patriarchate ſe abdicet, conſtanter detrectavit, ad Papam provocans, ejus judicium ſe ſubiturum. Verùm ab impio & cruento conciliabulo, præſentibus Michaële & Barda tyrannis, conſentientibus etiam Romanis Legatis, iniquiſſimè omnique calumniarum, verberum & tormentorum genere, ùt antè in exilio, ita etiam nunc Conſtantinopoli excruciatus; cúmque Photius in mortem etiam ejus machinaretur, vili ac ſervili lacernula tectus ſe ſubduxit. per ſolitudines, montes & ſpeluncas & cavernas terræ oberrans, victum ad mortem arcendam emendicabat & Patriarcha & filius Imperatoris, Photio nequidquam quaquà versùm ad eum aut capiendum aut occidendum emittente ſiccarios.

13. *In ſynedrio Ignatium ad Sedem Apoſtolicam appellantem depoſuit & perſequitur.*

Photius, verſipellis veterator ſcribit rurſus epiſtolam ad Papam eloquentiſſimam equidem, ſed fraudibus & impoſturis plenam, coactum ſe minis & carcere conſentire: Canones (Concilii Sardicenſis) & decretales, quas citet Nicolaus, in Conſtantinopolitana Eccleſia nunquam eſſe receptos: variarum Provinciarum varios eſſe mores: etiam Ambroſium, Nectarium, & avunculum ſuum Tharaſium à laicali ſtatu ad Epiſcopatum eſſe promotos: paratum ſe tamen à ſede deſcendere. *Nota hic incidenter in hac epiſtola Photium, dum confeſſionem ſuam exponit, apertè aſſerere, communem panem per miraculum in Corpus Chriſti mutari, & commune vinum ſanguinem ejus fieri.*

14. *Reſiſtente Nicolao.*

Nicolaus Papa epiſtola iſta intellexit prævaricationem ſuorum Legatorum; ac Photio (quem non Patriarchæ, ſed *prudentiſſimi viri* titulo compellat) reſcribit, Legatos ſuos contra mandatum egiſſe: ſe eos pro dejectio-

dejectione Ignatii & promotione Photii non miſiſſe, neque ſe in hoc conſenſiſſe, nec conſenſurum unquam. Nectarium à ſtatu laicali ad Epiſcopatum aſſumptum propter neceſſitatem temporum, & inopiam ſacerdotum idoneorum: Tharaſium propter defendendam Eccleſiam adversùs Iconoclaſtas; Ambroſium miraculorum ſignis ac Divino præſagio. Nihil horum hîc ſubeſſe; caſus proin illos extraordinarios non trahendos eſſe in exemplum, contra placita SS. Canonum; Concilium Sardicenſe, in oriente habitum, ejúsque Canones ab omni Eccleſia recipi: Decretales Romanorum Pontificum ſi Conſtantinopolitani non habeant, de incuria & neglectu eſſe arguendos, ſi habeant, & non obſervent, de temeritate corripiendos: authoritate & ſanctione ſummi Pontificis omnes Synodos roborari, & ſtabilitatem ſumere. Similia reſcripſit Michaëli Imperatori, qui ſignificârat, Ignatium à 318. Epiſcoporum Concilio fuiſſe depoſitum. Repoſuit Nicolaus, Romanos Antiſtites in Synodis non tantùm perſonarum numerum, ſed pondera ſententiarum perpendere ſolitos: Synodi, quantumvis numeroſæ, non eſſe irreformabile judicium, niſi primæ ſedis conſenſus accedat.

Dedit inſuper encyclicam ad omnes fideles orientales epiſtolam, in qua Legatorum ſuorum prævaricationem ſignificat, ſe Ignatium non damnare, nec Photium recipere. Alloquitur deinde tres reliquos orientis Patriarchas his verbis: „ Ut vos hujus ſedis privilegium ritè ſervantes, pari religione Catholici, pari etiam nobiscum ſuper venerabilis Patriarchæ Ignatii ſacerdotii recuperatione, & Photii pervaſoris expulſione eadem ſentiatis, Apoſtolica authoritate vobis injungimus atque jubemus. Et ùt hujus Prælatus noſtri paginam in cunctis Parochiis veſtris ad omnium faciatis notitiam pervenire, atque de hac re juxta Apoſtolicæ ſedis definitionem prædicare curetis aliis, ipsíque ſimiliter incommutabiliter teneatis, paterno more præcipimus. “

15. *Celebris ejus ad Michaëlem Imper. epiſtola.*

Photius ad artes ſuas reverſus epiſtolas iſtas intercepit, mutatásque & paſſim corruptas Imperatori obtulit. Unde Nicolaus fraude deprehenſa novam, eámque omnium celeberrimam, à Bellarmino, aliíſque Polemicis paſſim citatam, ad Michaëlem mittit: in qua prolixè atque eruditè de ſacerdotii dignitate, de Romanæ Sedis primatu ac poteſtate &c differit, ſimúlque eat, quæ Michaël, dictantibus Photio & Barda, objecerat, diluit: ac inſtat, ut Photius & Ignatius ad dicendam cauſam Romam mittantur, aut Legatos mittant. Scriptis denique pluribus aliis litteris ad varios in oriente hortatur, ut Ignatio adhæreant.

16. *Quæ Photius Romanæ Eccleſiæ objecit.*

Quibus auditus Photius in Nicolaum Pontificem anathema regerit, depoſitúmque à generali Synodo, datis ad Ludovicum II. Imperatorem litteris, confingit; ſcriptis inſuper ad orientales Patriarchas encyclicis, Roma-

Romanæ Ecclesiæ objicit. Quòd contra Canonem Apoſtolorum 64. & 55. ſextæ Synodi (Trullanæ) ſabbatis jejunet. (*Suprà dixi, hunc Canonem non eſſe Apoſtolorum, nec generalis Synodi VI., nec unquam in Ecclesia Romana receptum.*) 2. Quòd prima quadrageſimæ hebdomade non ritè jejunet. *Verùm quia occidentales etiam ſabbatis jejunabant, jejunii dies non minùs complebant,*
17. *quàm orientales, cùm ſex ſabbata ſeptimæ Græcorum hebdomadæ æquivaleant.* 3.
Refutantur. Quòd contra Canonem 4. Synodi Gangrenſis & 13. Trullanum, ſacerdotibus uſum uxorum prohibeat. *Verùm Græcos in ea re à diſciplina primitivæ Eccleſiæ & Patrum doctrina deflexiſſe, aliàs demonſtravimus.* 4. Quòd confirmationis Sacramentum iteret. *Sed hoc eſt falſum, quòd valide collatum iteret. Erat tunc magna controverſia, ad quem Patriarchatum Bulgari, recèns converſi pertinere debeant, an ad Romanum, an verò ad Conſtantinopolitanum. Miſit Photius, Pſeudo Patriarcha & depoſitus, Presbyteros ſimplices, qui confirmationis Sacramentum conferrent Bulgaris: quod cùm eſſet irritum, Legati Papæ, qui erant Epiſcopi, ſacro eos Chryſmate rurſus inunxère. Hoc tamen factum non probat, falſum eſſe illam ſententiam, quæ dicit, ex commiſſione ſummi Pontificis etiam à ſimplici ſacerdote valide poſſe conferri Sacramentum Confirmationis. Nam Photius non erat ſummus Pontifex, imò ne quidem habendus erat pro Epiſcopo.*

5. Quòd ſacro Symbolo addiderit, Spiritum S. non tantùm à Patre, ſed etiam à Filio procedere: adeóque illud contra decretum Nicænæ Synodi mutârit. At hæc non tam eſt mutatio, quam uberior declaratio. Sic licèt prima Synodus (Nicæna) prohibuerit mutari ſuum Symbolum, tamen ſecunda Synodus plura verba addidit, ut eſt notorium, háncque non eſſe mutationem, ſed majorem declarationem eſt profeſſa. Idem circa vocem *Filióque* reſponſum eſt Græcis in Concilio Florentino, oſtenſúmque ex Conciliis & Patribus, etiam Græcis, hanc perpetuò fuiſſe Eccleſiæ doctrinam; quibus convicti Græci acquieverunt. Cæterùm in antiquiſſimis latinis actis Synodi VII. in Symbolo jam exſtat vox *Filióque.*

18. Hæc omnia ſunt, quæ Photius infenſiſſimus Eccleſiæ Romanæ hoſtis
An Proteſtantibus proſint. objecit poſt ſuam damnationem (nam ante illam omnia probaverat, & communionem cum Eccleſia Romana modis omnibus quærebat) viderint hìc Acatholici noſtri temporis, qui ſeceſſionem orientalis Eccleſiæ ab abuſibus Romanorum tantopere exaggerant, quos abuſus capitalis eorum hoſtis, ſtudioſè omnia excutiens, invenire potuerit. Et quidem nec in unico puncto ex his objectis Proteſtantes cum Græcis conveniunt. Non enim in primo & ſecundo circa jejunia: nam Photius obſervata voluit qua-

quadrageſimæ aliáque jejunia (dempta duntaxat circumſtantia ſabbati) & hodiedum Chriſtiani orientales rigidè illa obſervant. Proteſtantes jejunium quadrageſimale explodunt; in honorem fortaſſis Chriſti Domini, qui 40. dies jejunavit: & exemplum nobis dedit, ut, quemadmodum ipſe fecit, ita & nos faciamus. Sed quid? complanandæ erant rugæ aſperæ ac ſeveræ diſciplinæ, ut procos inveniat.

Sed neque in tertio puncto cum Græcis conveniunt. Illi enim Epiſcopis non concedunt uſum uxorum: neque Sacerdotes admittunt ad connubia; quàm alia habemus in Luthero, Zwinglio, Vermilio &c. exempla?

Neque in quarto. Photius enim Confirmationem habuit pro vero Sacramento: Habétque hodiedum orientalis Eccleſia. Quàm hoc cum Novatorum phantaſmate conveniat, ſatis compertum eſt.

Neque in quinto: nam Proteſtantes nobiſcum confitentur, Spiritum S. à Patre *Filióque* procedere.

Dum Photius Conſtantinopoli tumultuatur, atque inſana rabie in Eccleſiam Romanam graſſatur, ſuffultus favore Bardæ Cæſaris, ac Imperatoris Michaëlis vecordia, magna rerum mutatio turbulenta illius conſilia afflixit. Nam Bardas avunculus Michaëlis, jam dudum Cæſar dictus, 19.
& in conſortem Imperii aſſumptus, cùm ageret omnia, & populari aura *Bardas*
ſupra ipſum Imperatorem efferretur, à Baſilio Macedone interimitur: *occiſus.*
hoc uno commendatus poſteris, quòd litteratos amaret & coleret: plúsque aliis conſuleret, quam ſibi.

Baſilius, cubiculi Præfectus, operæ præmium mox cœpit, à Michaële Cæſar dictus & conſors imperii. Magnum in Barda columen amiſit Photius: ſed homo in partem omnem verſatilis, ut ambitioni ſuæ lenocinetur, cædem laudavit, & Bardam vituperavit; cúmque nefanda Michaëlis ſcelera, ſtupra, impietatem, projectámque vitæ mollitiem diſſimularet, auræ blandienti rebus ſuis ubique captandæ intentus, ejusdem gratia increſcens, furere non deſiit, donec inopinus eum turbo fregit. 20.
Michaël ſiquidem Imperator, cùm ſana Baſilii Cæſaris conſilia non *Et Micha-*
ferret, vitæ illius inſidias ſtruxit, deſignato ſucceſſore *Baſiliſco.* At Ba- *ël Impera-*
ſilius cædem præveniendam ratus, Michaëlem vino obrutum per excubi- *tor à Baſi-*
tores interemit. Nihil hic novus Heliogabalus præter nomen Impera- *lio.*
toris geſſit, niſi inter geſta ejus recenſeas ſcurrilitates, temulentiam, crudelitatem, ſpurcitias, impietatem, flagitia: dicere ſolitus, tres eſſe Conſtantinopoli Patriarchas, Ignatium Catholicorum, Photium Bardæ, ſuum vero eſſe Theophilum: hominem videlicet ſpurciſſimum, & ſcelerum ejus adminiſtrum.

Baſilius, humili licèt loco natus in Macedonia, vir tamen fortis, pro 21.
bus, & initiô ſaltem apprimè Catholicus, regia occupata, Imperator con *Baſilius*
ſalu- *Photio do-*

jecto restituit Ignatium. salutatus, illicò Photium throno suo deturbatum cœnobio inclusit, atque Ignatium, novem annorum dirissimum exilium passum, restituit. Qui, ut dispersas Ecclesiæ reliquias colligat, morbósque sanet, Oecumenicum à Basilio Concilium flagitat; missíque ad Romanum Pontificem ab Imperatore & Ignatio Legati cum epistolis. Basilius in sua petit, ut Papa de Photii asseclis sententiam ferat, atque restitutionem Ignatii ratam habeat, addiditque: *Ut autem Divinum & Apostolicum judicium de sanctissimo Patriarcha Ignatio, & infelicissimo Photio, Photianis quoque palàm fiat, ab utraque parte missi sunt Legati, ut præsentibus illis causa à te definiatur, tuique Legati unà cum nostris certissimam toti Ecclesiæ fidem facturi mittantur.*

22. *Primatus.* Ignatius verò in sua inter alia sic scripsit: *In membris autem Christi, DEI ac Salvatoris* (consanandis) *unum tantùm ac solùm selectum, ac universalissimum medicum, tuam nempe fraternam paternámque Sanctitatem supremum Dei Verbum constituit, cùm Petro, supremo sanctissimoque vertici dixit: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam: tibi tabo claves regni cœlorum, & quod ligaveris super terram, ligatum erit in cœlis, & quod solveris, erit solutum. Hujuscemodi enim beatas voces non soli Apostolorum Principi privata quadam sorte transcripsit & assignavit, sed per illum ad omnes Romanæ Sedis Pontifices illi successuros transmisit. Hinc retrò olim semper, cùm hæreses & scelera pullularent, noxias illas herbas & Zizania Apostolicæ Sedis Vestræ successores extirpârunt.*

En! quid nono adhuc sæculo sanctissimus Constantinopolis Patriarcha, ac pientissimus orientis Imperator de primatu Apostolicæ Romanæ Sedis, jure divino constituto, senserint. Profectò hæc confessio non tantùm confundit subsequentes orientales Schismaticos, sed etiam modernos Novatores, eorum Advocatos.

Nicolaus I. interim abiit; unde successor ejus *Hadrianus II.* missit Constantinopolim Legatis, Donato Ostiensi Episcopo, Stephano Nepesino, & Marino (postea Pontifice) adhucdum Diacono, Basilium laudat: toti occidentali Ecclesiæ placuisse restitutionem Ignatii, significat, ac grates agit. Lapsos, Photio excepto, si pœniteant, restitui concedit; additque: *Volumus ergo, per vestræ pietatis industriam illic numerosum celebrari Concilium, cui nostri quoque missi præsidentes, & culparum personarúmque differentias liquidò cognoscentes, juxta quod in mandatis acceperunt, singulorum liberè discretiones exerceant.*

23. *Indictum Concilium*

Magna omnino veneratione excepti sunt Legati Apostolici, cœptúmque Concilium in templo S. Sophiæ anno 869. 5. Oct. finitúmque ultima Febr. anni sequentis. Nulla autem generalis Synodus fuit hac infrequentior; initio enim præter Legatos Romanos, Ignatium, & Legatos orientalium Patriarcharum pauci aderant Episcopi, nec postea plures, quàm

102.

102. convenêre (receptis etiam aliquot Photianis pœnitentibus) ùt ex Niceta & omnibus Conciliorum collectionibus conſtat. Unde neſcio quo facto apud Bellarminum lib. 1. de Concil. cap. 5. ſcriptum inveniatur, adfuiſſe Epiſcopos 383. *è quibus unus Patriarcha Photius, ac deinde Ignatius.* Nam plures non erant, quàm 102. & Photius nunquam ùt Patriarcha interfuit, utpote ab Imperatore jam depulſus, & à Nicolao Papa depoſitus & anathemate percuſſus: ſed omnibus actionibus aderat Ignatius. Photius autem in quinta primùm actione à Laicis tanquam reus adductus ad dicendam cauſam ad Judices Concilii; quos tamen vix reſponſo dignatus eſt.

Conſtat autem hoc Concilium actionibus decem: Canonibus editis 27.

§. II.
Acta Concilii.

In actione 1. præſidentibus Legatis Romanis lecta eſt Adriani epiſtola ad Baſilium, ac libellus, in quo continetur definitio, Synodi Romanæ ſub Nicolao, qua Iconoclaſtarum hæreſis cum Photio damnatur.

In 2. ingreſſi ſunt lapſi Epiſcopi illi, qui à Methodio & Ignatio ordinati, Photii poſtea partes ſunt ſecuti, deprecantes veniam & pœnitentiam; ac poſtquam libello Romanæ Sedis ſubſcripſerunt, recepti ac ordine ſuo ſedere juſſi ſunt. Recepti etiam alii Clerici lapſi, injuncto tamen iis *epitimio*, ſeu pœna Eccleſiaſtica certi jejunii & precum uſque ad Nativitatem Domini, ante quod tempus non licebat eis ordinibus fungi. 24. *Recepti pœnitentes*

In 3. duo Archi-Epiſcopi, Ancyranus nempe & Nicænus, à venia excluſi, quòd libellum, à Papa miſſum, nollent ſubſcribere. Lectæ dein plures litteræ de Photii damnatione, ùt Adriani ad Ignatium, Baſilii ad Nicolaum, Ignatii ad eundem.

In 4. duo Photiani Epiſcopi ex litteris Nicolai ad Michaëlem & Photium de mendaciis convicti, ejecti ſunt.

In 5. per laicos citatus Photius adducitur ad Concilium: interrogatus de ſceleribus ſuis, reſpondit: *poſui ori meo cuſtodiam: quod ſequitur, ipſi legitote:* Intelligi volens: *Cùm conſiſteret peccator adverſum me.* Inſtant Legati, per obſtinatum ſilentium non evaſurum damnationem; reponit ille: *Neque JEſus tacendo evaſit damnationem.* Juſſus iterum, ut ſe juſtificet, ait verſipellis hypocrita: *Juſtificationes meæ non ſunt de hoc mundo:* Nihílque aliud exprimi potuit. 25. *Photius adductus in concilium. Verſipellis veterator.*

In 6. præſente Baſilio lecta ſunt, quæ à Nicolao I. & Adriano II. contra Photium ſunt decreta. Orientales dixêre, à ſuis Patriarchalibus ſedi- 26. *Adducti*

Photiani Episcopi. bus nunquam receptum Photium. Episcopi à Photio ordinati, quorum magnus erat numerus, jussu Imperatoris ingressi condemnationi Photii non aquiescunt, sed Ignatii depositionem justam fuisse prolixa oratione conantur ostendere. Quos refutat Metrophanes Sirmiensis Episcopus. *Contumaces.* Imperator hortatur eos ad pœnitentiam concesso novem dierum spatio.

27. *Anathema* In 7. reversus in Concilium Photius, pedo instructus, cum Gregorio Syracusano (à quo dudum propter scelera excommunicato & deposito contra SS. Canones ordinatus fuerat Photius sex continenter diebus) atque avulso ex manu ejus pastorali baculo, interrogatus, an pœniteat, respondit, ipsos potiùs pœnitere debere, reliquis pariter in contumacia persistentibus. Unde in Photium ejúsque asseclas à Concilio pronuntiatur anathema.

28. *Etiam in Iconomachos.* In 8. combustis Basilii jussu scriptis Photii adversus Nicolaum & Ignatium, actísque conciliabulorum tum veris, tum suppositiis, lectísque in falsarios decretis, actum est de Iconomachis, aliquot eorum introductis. Cúmque ostenso numismate, cui Imperatoris Imago erat insculpta, ex uno illorum quæreret *Babanes* Patricius, an illam veneretur, & ille annuere, reposuit Bahanes: *Si mortalis regis Imaginem veneraris, cur venerari renuis Imaginem Christi, Regis immortalis, Sanctissimæque Matris ejus & omnium Sanctorum?* Veneraturum se, replicat ille, si Præceptum Christi ostendatur: Responsum fuit, de eo, quod ab Ecclesia Catholica est definitum, non esse quærendum Christi præceptum. Receptis tum aliquibus pœnitentibus, in reliquos Iconomachos ac Photium repetitum anathema.

In actione nona Josephus sedis Alexandrinæ Legatus, tunc primùm adveniens, approbavit gesta Concilii. Examinati falsi in Ignatium testes, & pœnitentes recepti: Uti etiam tres laici, Sacerdotii illusores, qui Michaëlis Imperatoris jussu habitu Sacerdotali & Episcopali ad ludibrium induti per urbem incedere consueverant, gesticulatores levissimi.

§. III.

Canones Concilii.

29. In act. 10. præsentibus Basilio Imperatore Orientis, & Legatis Ludovici Imperatoris Occidentis, unà cum *Anastasio Bibliothecario* Ecclesiæ Romanæ, atque Legatis Bulgariæ Principis, & 102. Episcopis, editi ac promulgati 27. Canones. Lecta Fidei definitio: In qua damnatæ jam antè hæreses rursus damnantur, cnm Photio. Subscripsêre Legati Apostolici, Imperator, cæterísque Patres, calamis, non atramento, sed ipso Salvatoris Sanguine tinctis, ùt testatur Nicetas in vita S. Ignatii Patriarchæ,

chæ. Baſilius Imperator poſt Epiſcopos volebat ſubſcribere exemplo Conſtantini M. ſed rogatus à Patribus poſt ſedium Patriarchalium Legatos ante Epiſcopos ſubſcripſit, non definiens ùt proteſtabatur, ſed ſuſcipiens & conſentiens.

Canonum autem hæc eſt epitome.

1. Servandi Canones: Traditiones item non ſcriptæ, ſecundùm illud Apoſtoli *ſtate & tenete traditiones &c.* *Traditiones Servandæ.*

2. Et Nicolai I. & Adriani II. decreta.

3. Sacræ Imagines honorandæ.

4. Ordinationes & Conſecrationes factæ à Photio invaſore declarantur irritæ, ipſúmque nunquam fuiſſe verum Epiſcopum. *Hic exſurgit dubium, quo ſenſu Concilium ordinationes Photii declarârit irritas, eúmque non fuiſſe verum Epiſcopum: nam licèt contra SS. Canones à ſtatu laicali ad Patriarchatum fuerit intruſus, & quidem per Laicos, licèt etiam à Gregorio Syracuſano Epiſcopo excommunicato & depoſito fuerit ordinatus Monachus, Lector, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter & Epiſcopus, ſex continenter diebus, ipſius tamen ordinatio erat valida, erâtque verè Epiſcopus, conſequenter etiam ordinationes,* 30. *quas ipſe fecit, erant validæ. (Similis poſtea Romæ orta eſt difficultas circa ordinationes Formoſi Pontificis, quas Stephanus VI. & Sergius III. declarârunt irritas)* plura hujusmodi exempla afferunt Morinus & Cabaſſutius, Congregationis Oratorii presbyteri: Sic irritas eſſe declaratas ordinationes Conſtantini, invaſoris Romanæ Sedis, & absque interſtitiis tumultariè ordinati: Ebbonis item Archi-Epiſcopi Remenſis (ob conſpirationem cum Filiis Ludovici Pii) depoſiti ac poſtea per Lotharium reſtituti, ordinationes irritas & repetendas eſſe declaratas ab Hincmaro illius Succeſſore, & Concilio Sueſſionenſi. Unde iſti auctores putant, ſicut olim dubium erat in Eccleſia, an validus ſit baptiſmus ab hæreticis collatus, ſic etiam fuiſſe dubium, an valeat ordinatio accepta ab Epiſcopo depoſito & excommunicato. Sed meliùs *Quo ſenſu ordinationes Photii irritæ.*

Reſpondetur: Has ordinationes Photianus re ipſa omnes fuiſſe validas, cùm factæ ſint ab Epiſcopo, cujus character & poteſtas ordinis eſt indelebiiis. Sed quia erant ſuſceptæ contra SS. Canones, & ſic illicitè & ilegitimè, à Concilio declaratæ ſunt irritæ, hoc eſt illicitæ, & illegitimæ, conjunctæ cum irregularitate, ut adeò nec Gregorius, nec Photius, neque ab hoc ordinati potuerint licitè functiones Sacrorum ordinum exercere. Et ſic in ſenſu latiore, uſitato tamen in Antiquioribus Sacris Canonibus, non tantùm id dicitur irritum, quod in ſe ipſo eſt invalidum ac nullum, ſed etiam, quod nullum effectum licite poteſt producere. Et hinc etiam Adrianus II. in ſua ad Ignatium epiſtola, quæ actione 3. eſt recitata, ſcribit: Quia Photius vir Forenſis, Curialis, Neophytus, invaſor atque adulter, nec non & anathemate condemnatus exiſtens nihil habuit, nihil dedit, niſi

fortè damnationem habuit, quam ſe ſequentibus propinaverit: *Nempe nihil habuit, nihil dedit licitè, canonicè, legitimè. Quo ſenſu etiam dicitur à Concilio, Photium nunquam fuiſſe verum Epiſcopum, hoc eſt, eum tanquam irregularem nunquam potuiſſe licite exercere functiones Epiſcopales, & ſi nunquam habendum fuiſſe pro vero Epiſcopo. Eodem ſenſu à SS. Canonibus dicitur, eum non eſſe Epiſcopum, qui non ſit conſecratus à tribus Epiſcopis.*

Fuiſſe autem Photium validè ordinatum & conſecratum, ac conſequenter ordine & charactere Epiſcopali re ipſa inſignitum, patet etiam ex eo, quòd Joannes VIII. eum poſtea reſtituerit absque nova ordinatione: Quia priorem ſupponebat validam. Quod de Formoſo additum fuit, illius ordinationes non tantùm validæ: ſed etiam licitæ & legitimæ fuerunt: Quæque à Stephano & Sergio contra eum acta ſunt, ex ira & odio peccaminosè contra eum ſunt acta, peccato facti, non erroris in Fide.

31. *Interſtitia.* Quinto Canone vetatur, ne quis Laicus, nuper primùm tonſus aſſumatur in Epiſcopum, & niſi probatus fuerit per varia temporum interſtitia, nempe.

Per annum in ordine Lectoratus,

Per duos annos in Subdiaconatu,

Per tres in Diaconatu,

Per quatuor in Presbyteratu. Permittit tamen Concilium Epiſcopo poteſtatem ex juſta cauſa diſpenſandi. *Concil. Tridentinum interſtitiorum annum conſtituit à Minoribus ordinibus ad Subdiaconatum, & ſic ulteriùs, niſi neceſſitas aut Eccleſiæ utilitas judicio Epiſcopi aliud expoſcat. Vetat autem duos ordines majores eidem conferri uno die. Quod antiquitus etiam obſervatum; hinc ne quidem Photio plures eodem die ſunt collati, ſed ſinguli ſex diebus ſingulis.*

32. *Iterata damnatio Photii, Iconoclaſtarum.* In 6. iterum damnatur Photius ob multiplex crimen falſi.

7. Imaginum hoſtes damnantur: Et à docendis Divinis humanísque ſcientiis arcentur.

8. Epiſcopi non extorqueant more Photii ab ordinandis ſubſcriptiones, quibus ſibi adhæſuros promittant.

9 Subſcriptiones à Photio extortæ neminem obligent.

10 Ne quis ante Synodicam ſententiam, à ſuo Patriarcha, Metropolita, vel Epiſcopo ſe ſeparet.

33. *Et opinionis de duabus animabus.* 11. Opinio de duabus hominis animabus, quam Photius tenuiſſe dicitur, damnatur, tanquam S. Scripturæ & SS. Patribus contraria. *Hanc tenuerunt etiam Manichæi, præter animam rationalem, aliam diſtinctam ſenſitivam aſſerentes, eámque ex natura ſua malam, & à malo principio exortam. Contra quem errorem S. Auguſtinus librum ſcripſit de duabus animabus contra Manichæos. Et jam ante Auguſtinum Ariſtoteles lib. 1. de anima text. 66. & 91.*

Con-

Contra quosdam veteres Philoſophos, unam tantùm in homine animam aſſeruit, quæ ſimul ſit rationalis, ſenſitiva & vegetativa. Fortaſſis tamen Concilium iſtud tantùm eos damnat, qui duas animas rationales in homine aſſerunt. Licèt enim videatur, univerſaliter duas animas rejicere, ratio tamen, quam affert ex S. Scriptura, tantùm contra duas animas rationales pugnat. Sic enim Canon iſte, ex Anaſtaſii verſione incipit: Veteri & novo Teſtamento unam animam rationalem & intellectualem habere hominem docente, & omnibus Deiloquiis Patribus & Magiſtris Eccleſiæ eandem opinionem aſſeverantibus, in tantum impietatis quidam, malorum inventionibus dantes operam devenerunt, ut duas eum habere animas impudenter dogmatizare &c. *Ubi tantùm de duabus animabus rationalibus videntur loqui, nihil cogitantes de principio ſenſationum & vegetationum.*

12. Ne Tyrannica Principum poteſtate eligantur Epiſcopi.

13. Ad Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ dignitates nemo aſſumatur: niſi ex illius Clero, ſi in eo inveniantur digni.

14. Condignè honorentur Epiſcopi, etiam à Principibus.

15. Bona Eccleſiaſtica non alienentur, nec in emphytevſin concedantur, niſi pro redimendis captivis. 34. *Bona Eccleſiæ ne alienentur.*

16. Damnantur illuſores rerum Sacrarum.

17. Metropolitæ ad Synodum vocati à Patriarcha compareant: reprobatúrque imperitorum excuſatio, ſinè Principis præſentia celebrari non poſſe Synodum; cùm nuſquam SS. Canones ſanxerint, convenire in Conciliis ſæculares principes, ſed ſolos Eccleſiarum Præſules. 35. *Concilia ad ſolos Eccleſiaſticos pertinere.*

18. Bona & privilegia, ab Eccleſia 30. annos quietè poſſeſſa, firma maneant.

19. Ne prætextu viſitationis Metropolita ſibi ſubditos gravet Epiſcopos.

20. Bona Eccleſiæ in emphytevſin jam conceſſa non repetantur prætextu non ſoluti Canones annui, niſi per tres annos continuos non fuerit ſolutus. Idque fiat ordine judiciali coram Judice competente. 36. *Emphytevſis.*

21. Ne Synodus univerſalis ſententiam audacter dicat contra Romanos Pontifices, nec alii more Photii & Dioſcori contra eos inſurgant. Anathema dicitur Magnatibus & Principibus ſeculi, qui Patriarchis, & præſertim Romano Pontifici debitam reverentiam & honorem violaverint.

22. Principes ſæculares Epiſcoporum electionibus ſe non immiſceant. *Hoc Canone uſi deinde ſunt Pontifices in controverſia circa Inveſtituras.* 37. *Electiones.*

23. Epiſcopi alienas Eccleſiæ poſſeſſiones non invadant, conferant, aut locent.

24. Metropolitæ ipsi fungantur suo munere: neque per suffraganeos tantùm illud obeant.

25. Clerici Photio pertinaciter adhærentes depositi declarantur, absque ulla spe restitutionis.

38. *Appellatio.* 26. Cuilibet Clerico læso ad majores sedes gradatim appellare licet, nempe à proprio Episcopo læsis ad Metropolitam, Episcopo per Metropolitam gravato ad Patriarcham.

39. *Jus pallii.* 27. Episcopi, qui habent jus pallii, ne illud gestent extra tempora & loca, à SS. Canonibus statuta. Monachi autem ad Episcopatum assumpti retineant ordinis habitum. *Cap* 1. *de authoritate & usu pallii statuitur, intra quamlibet Provinciæ suæ Ecclesiam posse Archi-Episcopum uti pallio, non verò extra suam Provinciam. Et cap.* 3. *non esse vocandum Archi-Episcopum, quamvis consecratum, nisi à Pontifice acceperit pallium: conferrique per illud plenitudinem pastoralis officii & Archi-Episcopi appellationem. Cap.* 4. *Soli Papæ esse licitum ubique uti pallio.*

40. *Titulus Papæ.* Nota etiam in hoc Concilio Romano Pontifici à Græcis quoque datum esse titulum *Summi Pontificis*, & *universalis Papæ:* atque hunc titulum ejusdem Legatus subscriptionibus suis inseruisse.

§. IV.

Bellum Photianum recrudescens post Concilium.

41. *Artes Photii.* Confectum videri poterat hoc bellum Photianum, páxque reducta Ecclesiæ. At quis crederet, hominem, à Nicolao I. Adriano II. ac novissimè ab Oecumenico Concilio, atque ab omnibus sedibus Patriarchalibus anathamate profligatum, atque ab ipso adeò Imperatore Basilio dejectum & in exilium pulsum, ab eodem Basilio, & quidem annuente Romano Pontifice Patriarchali Cathedræ, quasi jure postliminii, restituendum, & quidem non emendatum, sed contumaciæ suæ insordescentem? debentur hæc paradoxa artibus Photii.

Cùm enim post Concilium mitiùs cum eo contumacibus Episcopis, quàm tempora ferebant, ageretur, datis quaquà versùm ad asseclas suos litteris Synodum istam tanquam inauditum latrocinium, in quo omnia per vim, nihílque ex lege actum esset, infandis calumniis proscidit.
42. *Ablata chirographa.* Tum ad collidendam Constantinopolitanam Ecclesiam, ipsúmque Imperatorem cum Ecclesia Romana ejúsque Præsulibus conversus, Græcos sollicitat, ut apud Imperatorem conquererentur, quòd Constantinopolitanam Ecclesiam velut famulam Romanæ subdi permiserit, traditis tot

tot Epiſcoporum orientalium chirographis; quibus Imperator commotus, Legatis Romanis chirographa clàm ſubtrahi jubet. At iis amarè de hoc queſtis, ac ſinè authenticis chirographis ſe Romam non redituros proteſtantibus, ſicque totum negotium, tanto molimine confectum, collapſurum aſſerentibus, illa reſtituit: deportata cum actis Græcis Romam ab Anaſtaſio Abbate Benedictino, celeberrimo Romanæ Eccleſiæ Bibliothecario, qui inter tres Ludovici II. Imperatoris Legatos Concilio interfuit, & Synodum poſtea in Latinum tranſtulit.

Alterum caput, quod utramque Eccleſiam cœpit collidere, quóque in rem ſuam gnaviter uti novit Photius, dabat *Bulgaria*, quæ ad Leonis Iſauri uſque tempora ſubjecta fuerat Patriarchatui Romano. Hæc nuper, converſo ope Imaginis, extremum judicium exhibentis, Bogore ejus Principe, ad Eccleſiam recepta, petitis impetratíſque à Nicolao I. Sacerdotibus & Epiſcopis, Archi-Epiſcopum etiam primùm quidem à Nicolao, tum etiam illo moram trahente à Synodo octava Conſtantinopoli petiit. Jurgio tunc orto, ad quem Patriarchatum Bulgaria pertinere debeat, Græca fraude, & orientalium Legatorum ſtudio, Baſilio bladientium, Conſtantinopolitano adjudicata eſt, miſſo illuc per Ignatium Theophilacto Archi-Epiſcopo, proteſtantibus Legatis Romanis; ac poſtea Adriano Pontifice, Bulgariam fruſtra repetente. His actis dimiſſi Legati, ſed non ea veneratione, qua venientes excepti fuerant. Miſſus ſub id tempus ad Ignatio Archi-Epiſcopus etiam Ruſſis, in fœdus cum Baſilio pertractis: unde tam Bulgaros quàm Ruſſos Græcorum ſchiſma poſtea involvit. 43. *Cauſa Bulgarica.*

Photius, licèt in exilium relegatus, piſcatus in turbido, confirmans itentidem Epiſcopos ſibi abhærentes, tum per eos tum per litteras in aulam clàm proſerpere, ſéque inſinuare non deſiit; útque ſe totum exprometeret, fabulam adornat, placituram Baſilio; Genealogiam texit plenam myſteriis & vaticiniis, atque ut antiquitatis ſpeciem præferret, litteris Ægyptiacis, ac Logogryphicis fucatam. In hoc Baſilii genus refert ad Tiridatem, Armeniæ Regem; imperium ei prædicit, quantáque cum gloria ſit regnaturus exponit; útque auctor lateret, Theophanem Bibliothecæ regiæ Præfectum actorem conſtituit. Is acceptam Photii Genealogiam in Bibliotheca reponit, eámque tanquam inventum theſaurum Baſilio, Bibliothecam obeunti, exhibet & laudat, ejus ſtirpem regiam, Majores, atque ipſum etiam, ejúſque geſta myſterioſo præſagio adumbrari affirmans. 44. *Impoſtura Photii.*

Baſilius

Basilius curiositate ductus librum legit, ac mysteria recondita explanari sibi postulat. Theophanes reponit, videri sibi non alium illa posse exponere, nisi Photium, in omni litteratura & arcanorum sensu versatissimum. Ecce bellum atque quæsitum fabulæ epilogum! Accersitur ab exilio in aulam Photius, rem suam personámque strenuè agit, accito etiam

Et Santabareni. in societatem *Theodoro Santabareno*, homine sibi simili, nisi quòd insuper magicis artibus operam suam locaret. His igitur auctoribus ita immutata est rerum scena, ut Photius rursus in aula & apud Basilium gratiosus, dominari adeò videretur, ut Episcopali rursus potestate uteretur, & Ignatius de cathedra sua periclitaretur iterum.

45. *Mortuo Ignatio Invadit rursus Patriarchatum.* Cùm autem decennio post restitutionem exacto, octogenario major is decessisset, viam omnino planam ad resumendum summum sacerdotium Photium habuit, rescissis Ignatii actis; cúmque is ad Joannem VIII. Adriani II. successorem litteras, sua indole plenas, hoc est, fraudibus & mendaciis, direxisset, significans, se à tota Ecclesia Constantinopolitana coactum ad reditum in Patriarchatum, accedente insuper Basilii commendatione, approbationem ab eo obtinuit, ea tamen adjecta conditione, ut in Synodo, hac de re celebranda, veniam postulet, & Bulgaricam Ecclesiam Ecclesiæ Romanæ restituat, néve deinceps post ejus obitum quisquam ex laico statu ad Episcopatum admittatur.

46. *Joannis VIII. languor.* Mittit proin Papa ad illam Synodum duos Legatos, qui minis ac muneribus Photii atque Basilii corrupti (corruptis etiam Pontificis litteris) quidquid his libuit, concesserè, Episcopis pluribus, Photium toties depositum & ab Ecclesia ejectum execrantibus. Numerosa tamen fuit illa conciliabuli colluvies, ut gloriaretur Photius, grandi miraculo ex trecentis,

47. *Conciliabulum Photianum.* quos ipse consecraverit, Episcopis, nec unicum à se defecisse. Adfuêre etiam Legati Patriarcharum orientalium; unde Græci Shismatici, loco Concilii, ante decennium sub Adriano II. celebrati, hoc conciliabulum Synodum generalem octavam vocitat, ùt videre est in Zonara, Nilo, Balsamone, aliísque Græcis, ac Conciliorum collectoribus.

Meritò etiam Baronius conqueritur de Juliano Cæsarino Cardinale, quòd in Concilio Florentino contra Marcum Ephesinum disputans, veram illam octavam Synodum, sub Adriano II. celebratam, quasi eripi sibi passus: neque obstiterit contumaci illi Schismatico, cum diceret, Synodum sub Adriano II. celebratam rescissam esse tempore Joannis VIII. ita est: rescissa est, sed à conciliabulo Photiano, prorsus reprobato.

Joan-

JoannesVIII. intellecta prævaricatione ſuorum Legatorum, nihílque in ſynedrio illo Photiano ſervatum eſſe eorum, quæ ipſe præſcripſerat, accepto in manus Evangelio ambonem aſcendit, ubi reprobato illo conciliabulo Photio dixit anathema. Quia tamen initiô Photii fraudibus induci ſe paſſus, remiſſiorem, quam decuit, exhibuit, notam aliquam imbellis animi apud occidentales contraxit: ut adeò non pauci ſint ſcriptores, qui putent, facilitatem ipſius, qua Photio Eunucho ceſſit, ridiculæ fabulæ de Joanna Papiſſa occaſionem dediſſe. 48. *Cùm Photius conditiones non ſervaret. Joannes VIII. ei dixit anathema.*

Cæterùm non tantùm Joannes VIII. anathema dixit Photio, ſed etiam ipſius Succeſſores, Marinus, Hadrianus III. Stephanus V. Formoſus, Bonifacius VI. aliíque, Baſilio Imperatore acerbis de hoc litteris conquæſto. 49. *Ejúsque Succeſſores.*

Sed anno 886. obiit Baſilius, à cervo, ùt fertur, in venatione raptatus ac vulneratus; ſucceſſit Leo, cognomine *Sapiens* vel *Philoſophus*, qui mox Santabarenum, cujus fraudibus in ſuſcipionem inſidiarum apud Patrem Baſilium vocatus, atque in captivitatem datus fuerat, oculis orbatam in exilium relegat; ejus verò fautorem & conſiliorum ſocium, imò authorem, Photium Patriarchatu iteratò dejectum, monaſterio includit, ſuffecto in ejus locum *Stephano*, fratre ſuo. Quia autem hic à Photio ordinatus fuerat Diaconus, ſcripſit Leo Imperator ad Stephanum V. Papam, ut tam fratrem ſuum, quàm alios, qui à Photio ordinati fuerant, anathematis vinculo exſolvat, ac reſtituat; addidítque, eos veniam mereri, eò quòd à quatuor Legatis Romanis, Photium bis reſtituentibus, fuerint decepti. 50. *Photius à Leone iterum dejectus.* 51. *Suffecto Stephano, fratre Leonis.*

Stephanus Papa timens Græcorum fraudes (Leonis enim litteræ nuntiabant, Photium ſe abdicâſſe, *Stiliani* autem Neo Cæſarienſis, eum vi dejectum) per legatos cauſam decidendam ſcribit. Venerunt illi Romam primum tempore Formoſi, cujus mirabile reſponſum, ex Synodo VIII. repetitum, exſtat, *nihil potuiſſe dare Photium præter damnationem.* Unde etiam decernit, ut anathematis ſententia, à Romanis Pontificibus & Synodo VIII. lata, in ævum firma permaneat, ordinati verò ab eo, ſi pœnitentes veniam rogent, ùt Laici ad communionem recipiantur; ſed non conſtat, hæc à Græcis eſſe ſervata. *Sed non ſinè tricis.*

Photius in hoc ſecundo ſuo exilio vivere deſiit anno 891. homo, ſi quis alius, Eccleſiæ noxius: à novem ſummis Pontificibus excommunicatus. Jecit fundamentum grandi illi diróque Græcorum ſchiſmati cum Romana Eccleſia. Unde plures infelicem ejusdem apocham ducunt à Photio. Licèt enim uſque ad Michaëlem Cerularium utcunque unio tenuerit, tamen illa non ampliùs ex parte Græcorum ſatis erat ſincera: Sæpiùs poſtea reſtaurata ſemper tamen iterum Græculorum levitate & perfidia fracta. 52. *Mors Photii.*

53. *Ejus libri* Cæterùm Photius, homo licèt pessimus, magnam tamen apud eruditos famam reliquit. Composuit *Bibliothecam*, in qua 280. libros, à se lectos, recenset, censorem in eos agens. Multáque antiquitatis monumenta cum fontibus deperdita, hoc pacto posteritati transmisit. Edidit etiam *Nomocanonem*, titulis 14. distinctum, ac Canones Apostolorum, Conciliorúmque veterum, cum legibus Imperialibus collatur exhibentem. Septem item Conciliorum generalium epitomen adumbravit; Quatuor libros contra Manichæos, à Christophoro Wolfio haut ita pridem Hamburgi editos. Taceo plurimas illius epistolas; utì etiam descriptas quinque ipsius Pseudo-Synodos, contra Ignatium habitas. Quarum duabus Legati Romani prævaricatores subscripserunt: Condemnati propterea Romæ, & ab Episcopatu depositi.

54. *Raderi labor circa Synodum VIII.* Denique nota, octavæ Synodi, totiúsque controversiæ, Ignatium inter ac Photium tantopere agitatæ historiam optimè descriptam esse à *Niceta Davide* Paphlagone in vita S. Ignatii Patriarchæ, quam Matthæus Raderus noster in Latinum vertit: Eàmque Binius, Labbeus, Harduinus, Coletus, Conciliorum collectioni actísque hujus Concilii inseruerunt, cum notis eruditissimis ejusdem Raderi, de collectione, versione & explanatione hujus octavæ Synodi quàm optimè meriti.

CAPUT III.

De Jure Synodali Novo.

Amplior fortassis, quàm institutum postulet, hæc de Jure Synodali videri posset tractatio. Verum, cum res sit momenti sanè maximi, atque ad apparatum Jurisprudentiæ, præsertim Canonicæ, comprimìs pertinens, æqui boníque Lector, eruditionis æstimator, consulet, si cœptam telam prosequamur & Jus Synodale etiam *Novum*, in decem Occidentalibus Conciliis Oecumenicis propositum, subjungamus: Totum Jus Synodale sub unum velut aspectum daturi.

ARTICULUS I.

De Concilio Generali IX. Lateranensi I.

Pro

Reducenda Concordia inter Sacerdotium & Imperium, propter Investituras turbata sub Callisto II. & Henrico V. Anno 1122.

SUM-

SUMMARIUM.

§. 1.
Synopsis Historica.

1. *Origo feudorum sæcularium in Germania.*
2. *Ecclesiasticorum, cum* Investitura *Cæsarea.*
3. *Usus in abusum & Simoniam degenerans, præsertim tempore Henrici IV.*
4. *Cui se opponit Gregorius VII. & Proceres Imperii.*
5. *Henricus Canusii supplex Pontifici: Mox recidit.*
6. *Unde abdicatur Imperio, electo Rudolpho.*
7. *Hoc mortuo Henricus Guibertum Antipapam excitat.*
8. *At fato suo infelici.*
9. *Instaurata discordia sub Henrico V. ratione* Investituræ, *intruso Burdino Antipapa, ac Paschali II. capto.*
10. *Tandem sub Callisto II. pax sancita, sopitáque tantisper Investiturarum controversia.*
11. *Conditiones pacis ex parte Imperatoris.*
12. *Conditiones ex parte Pontificis.*
13. *Crisis de isto bello Ecclesiastico, propter Investituras suscepto.*
14. *Vanæ Protestantium querelæ adversus Henricum V. quem ajunt, dimidium Imperii perdidisse.*
15. *Canones antiqui circa electiones Ecclesiasticas.*
16. *Per illos tamen nihil derogatum Privilegiis variorum Principum: Nec potestati Pontificiæ concedendi ejusmodi Privilegia.*

§. 2.
Canones Concilii.

17. *Concubinatus proscriptus.*
18. *Bellum Sacrum promulgatum.*
19. *Alienationes rerum Ecclesiasticarum vetitæ.*
20. *Finis Concilii pacem cum imperio sancire & confirmare &c.*

§. I.
Synopsis Historica.

Post Caroli M. & Ludovici Pii obitum, maximéque post extinctam per mortem Ludovici infantis Carolingicam stirpem Teutonicam, Provinciarum Præfecti, qui Duces, Marchiones, Comites appellabantur, Provincias, quas pro Imperatore administraverant, hæreditarii paulatim juris fecêre, non quidem absoluti & independentis, sed feudalis, agnito nempe supremo ac directo Imperatoris dominio, cui homagium ac fidelitatis sacramentum præstiterunt, exhibitis etiam certis obsequiis in aula & militia. Sic filius successit patri, atque sub hisce conditionibus feudum regale ab Imperatore accepit; dictáque est solennis hujusmodi feudi acceptio *Investitura.* 1. *Origo Feudorum sæcularium.*

2. *Ecclesiasticorum.* Episcopi Germaniæ, sub Carolina jam stirpe temporalibus etiam administrationibus admoti, cùm viderent Proceres propria jam facere, quæ alieno priùs nomine administrârant, secuti exemplum, Episcopales urbes cum terra adjecta feudali pariter jure ab Imperatoribus acceperunt; aucta plurimùm per Henricum Aucupem, Othonem M. Henricum Sanctum, aliósque subin Cæsares liberales Ecclesiarum fundatores, temporali Episcoporum & Abbatum potestate, reservato tamen consensu Cæsareo in electione, & jure dominii directi, ac potestate regalia feuda iis conferendi. Quæ collatio seu concessio per traditionem annuli & baculi Pastoralis fieri consueverat.

3. *Usus in abusum ac simoniam degenerans.* Hic usus toleratus aliquamdiu in magnum degeneravit abusum. Nam per eum factum est, ut non ampliùs libera esset Cleri electio, sed Episcopatus & Abbatiæ venales prostarent cuique concubinario & indignissimo, plus offerenti, imposita etiam pensione Ecclesiis.

Cúmque nefanda hæc sacrorum nundinatio, labésque simoniaca Henrici IV. præsertim tempore adeò in Germania dominaretur, ut vix quinque essent Episcopi, qui absque simonia ad Episcopatum pervenerint, Gregorius VII tandem efficax tanto malo adhibiturus remedium, quas diximus *Investituras*, occasionem velut simoniæ proximam, severè interdictas voluit: indignum etiam ratus, & Ecclesiasticæ libertati pugnans, quòd Episcopi annulum & Pastorale pedum, quæ potestatis spiritualis sunt insignia, à laicali manu reciperent.

4. *Cui cùm se opponeret Gregorius VII.* Monitus propterea à Gregorio Henricus Cæsar, cui jam depravato nundinatio illa simoniaca familiaris erat, cùm Pontificiam authoritatem sperneret contumax, excommunicationis fulmine percussus est; quod tamen ipse in Pontificem per Episcopos, luxuria & simonia insignes, in conciliabulo Wormatiæ coacto, retorquere ausus est. At pessimè insolenti hoc facinore rebus suis consuluit.

Orta turba. Nam cùm Gregorius regni eum jure excidisse declarâsset, populósque sacramenti religione exsolvisset, Imperii Proceres ei denuntiant, nisi intra anni spatium cum Pontifice rediret in gratiam, & Ecclesiæ communioni redderetur, statutum sibi esse de alio capite providere Imperio.

Cúmque hac de causa comitia Imperii à Principibus jam essent Augustam indicta, atque Gregorius Papa ad ea jam iter iniisset, Henricus regni

5. amittendi timore perculsus, ne annus præfixus elaberetur, in Italiam dif-

Henricus Canusii supplex. ficillimis itineribus advolans, *Canusii* vili omnino habitu ac nudis pedibus incedens, ad Pontificem tandem post triduum admissus, scelerum vaniam petiit promissáque emendatione, & abjuratis investituris, impetravit, ab excommunicatione absolutus.

Tempe-

Tempeſtate hac depulſa, exprobrantibus ei humilem adeò coram Gregorio abjectionem Longobardiæ Epiſcopis, ſimoniæ & concubinatûs ſordibus contaminatis, ad ingenium rediit, atque fractis, quæ juraverat, pactionibus, in Gregorium inſurgens, Forchemii ab Imperii Principibus eſt exauctoratus, electo in ejus locum *Rudolpho* Sueviæ Duce: qui tamen haud multò poſt altero in prælio cecidit, quamvis in utroque Victor. Henricus vero coacto Brixinæ conciliabulo, dejecturus Gregorium, *Guibertum* Ravennatenſem Epiſcopum, hominem impium & excommunicatum, ſub nomine Clementis III. creat pſeudo-Pontificem; cúmque Romam advolaret, eámque caperet, Duce Bullionio, feliciore poſtmodum Joroſolymæ expugnatore, ſubductus furori Gregorius Salerni haud ita multò pòſt ſanctè obiit. Viſus tunc quidem Henrico hoſtis proſtratus: ſed mox ab Urbano II. diræ in perduellem renovatæ: & poſt mortem Urbani, cùm obſtinatum pectus cum cœlo luctans perſiſteret, à Paſchali II. ſed maturus tandem pœnæ filiis propriis debellandus traditur, primùm quidem Conrado, eo autem ſublato, Henrico, Moguntiæ patrem adigenti, ut ſceptrum poneret, profugum poſtea, exoſum, ac egenum, miſeriis ſuis obſtinatè immortuum Leodii, anno 1006. capacem equidem imperii animam natura dedit: ſed dotes infelix vertit in crimina. Regni annos 50. bellis implevit; tres procos imperii, tres Pontifices paſſus ſacris fulminibus in ſe tonantes, duos filios in ſe pugnantes: bis corona exutus; ſæpiùs à Saxonibus & Suevis bello appetitus: bis etiam acie cæſus: nunquam tamen tot malis ſe factus melior: quamquàm aliqui pœnitentem obiiſſe ſcribant.

6. *Abdicatus*

7. *Guibertus Antipapa*

8. *Fata Henrici.*

At necdum quies Eccleſiæ. Amavit in ſe ipſo filius Henricus V. quod in parte odiſſe ac perſequi viſus eſt. Is ſiquidem, projecto licèt patris cadavere, quòd diris devotus obiiſſet, fatale mox bellum cum ſummo ſacrorum Antiſtite reſtauravit: nam poſtquam in Germania præluſit, exercitu in Italiam trajecto, Paſchalem II. magna veneratione eum excipientem Romæ, ſubitò oppreſſum in caſtra ſua abducit, & à captivo per vim extorquet jus *Inveſtituræ.* At poſt ejus diſceſſum à Paſchali reſciſſa coacta pactio in Concilio Romano, urgentibus Cardinalibus & Epiſcopis, illigatúſque anathemati Imperator, niſi malè extorta ejuraret, maluítque Paſchalis, ut Epiſcopi Germaniæ omnino reſtituant dominia ſua ac bona temporalia, quàm ut inveſtituram à Cæſare accipiant.

9. *Inſtaurati motus ſub Henrico V.*

Verùm ille defunctus bello Saxonico, armatus Italiam repetiit: ubi poſt mortem Paſchalis *Burdinum* Archi Epiſcopum Bracharenſem, patria Lemovicenſem, Antipapam oppoſuit Gelaſio II. in Galliam profugo, ibíque paulò poſt demortuo.

10. *Tandem pax.* Tandem sub Callisto II. pax dudum exul rediit. Burdinus captus Sutrii: Saxones denuò arma minitantes, Proceres turbarum pertæsi, expugnârunt Henrici animum, adnitente potissimùm Adalberto Moguntinorum Archi Præsule, Pontificis Legato ad Germaniæ Principes. Cùm enim geminus exercitus propè jam stans congressurus videretur, duodecim utrinque viri delecti convenêre tandem de pace, & tollendo pertinaci schismate.

11. *Conditiones Cæsaris.* Incredibili cum gaudio Papa accepit hoc nuntium, missísque illicò tribus Cardinalibus Legatis in Germaniam, Wormatiæ conventus est habitus: ubi pax his utriusque partis conditionibus coaluit: & quidem ex parte Imperatoris:

Ego Henricus, DEI gratiâ Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei & S. Romanæ Ecclesiæ, & Domini Papæ Callisti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & Sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo, sanctæ Catholicæ Ecclesiæ omnem investituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem & liberam consecrationem, possessiones & regalia S. Petri; quæ à principio hujus discordiæ usque ad hodiernum diem ablata sunt, quæ habeo, eidem S. Romanæ Ecclesiæ restituo, quæ autem non habeo, ut restituantur fideliter juvabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum & Principum, & aliorum tam Clericorum quàm Laicorum, consilio Principum & justitia, quæ habeo, ut reddantur, fideliter juvabo; & do veram pacem Domino Papæ Callisto, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & omnibus, qui in parte ipsius sunt, vel fuerunt: & in quibus S. Romana Ecclesia auxilium postulaverit, fideliter juvabo.

12. *Conditiones Papæ.* Ex parte verò Pontificis: *Ego Callistus, Servus servorum Dei, tibi dilecto Filio Henrico, Dei gratiâ Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici Regni, quæ ad Regnum pertinent, in præsentia tua fieri absque simonia & aliqua violentia; ut si quæ inter partes discordia emerserit, Metropolitani & Provincialium consilio vel judicio, saniori parti assensum & auxilium præbeas. Electus autem Regalia per sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Ecclesiam Romanam pertinere noscuntur, & quæ ex his jure tibi debet, faciat: ex aliis verò partibus imperii consecratus, infra sex menses regalia per sceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi quærimoniam feceris, secundùm officii mei debitum; auxilium meum præstabo. Do tibi veram pacem, & omnibus, qui in parte tua sunt, vel fuerunt, tempore hujus discordiæ.*

Hæ pacis conditiones, utrinque initæ, propter innumeram populi multitudinem in publico campo ad Rhenum sunt lectæ, ac mutuò extraditæ.

ditæ. Tum verò Lambertus Cardinalis, Oſtienſis Epiſcopus, primus ex Legatis, Imperatorem cum exercitu ejus, omnibúsque eidem adhærentibus, Pontificis nomine ab anathemate abſolutos in Eccleſiæ communionem recepit.

Ut autem hæc ſacerdotium inter & imperium concordia firmiùs perſiſteret, conventum eſt, ut Papa univerſale indiceret Concilium, in quo à toto orbe Catholico confirmaretur. Indictum proin eſt à Calliſto *Concilium generale Lateranenſe I.* in quo unanimi conſenſu 300. & ultrà Epiſcoporum, concordata, Wormatiæ inita, ſunt approbata & confirmata: declaratis ſimul omnibus Burdini pſeudo Pontificis actis irritis.

Mirari hîc profectò ſubit, quomodo fieri potuerit, controverſia iſta de Inveſtituris tantas, tam diuturnas, támque cruentas excitare potuerit tragœdias. Nam enim perſuadere mihi poſſum, ut credam, voluiſſe Imperatores Catholicos, ſimoniam aut ſacrorum nundinationem fieri licitam: neque voluiſſe eos per traditionem baculi & annuli ſpiritualem Epiſcopis poteſtatem conferre. Sed neque credere poſſum, voluiſſe Pontifices omni poteſtate etiam temporali quoad inveſtituras privatos Imperatores, liberaliſſimos Eccleſiarum, Epiſcopatuum & Abbatiarum fundatores, ut nullum omnino jus ſibi reſervare potuerint, cùm jus Patronatus SS. Canones Laicis etiam ab antiquis temporibus concedant. 13. *Criſis de iſto bello Eccleſiaſtico.*

Uſi fuiſſent initiô moderamine, hac in pace invento, ut loco annuli & baculi Imperator per ſceptrum feuda regalia Epiſcopis & Abbatibus contuliſſet, nunquam opus fuiſſet tanta colliſione ſacerdotii & Regni. Quid enim intereſſe poterat Cæſaris, an per hoc vel illud inſtrumentum, tanquam ſignum conceſſi feudi, eos in fidem, & ad clientelare obſequium reciperet? & quid obeſſe poterat Romanæ Eccleſiæ, quòd Imperatores Epiſcopis Germaniæ ampla bona temporalia in feudum elargirentur, requiſitis ac reſervatis ſibi iis, quæ feudi naturam conſequuntur, nec ſtatum Eccleſiaſticum dedecent? unde non video, cur alia ex ratione Gregorius VII. aliíque poſt ipſum Pontifices tantopere inveſtituris ſe oppoſuerint, niſi quòd ſint experti ex hoc fonte, ſæculi corrupti vitio, promanâſſe ſimoniacas illas nundinationes, & indignorum intruſiones in Eccleſiarum ſacraria, adempto fermè penitus Clericis electionum arbitrio.

Sed neque video, qua veritate ſcribere poſſint Proteſtantes, Henricum V. dimittendo inveſtituras Eccleſiaſticorum, dimidium amiſiſſe Imperii: nam imprimis falſum omnino eſt, quòd inveſtituras dimiſerit: has enim ſuper temporalibus feudis Calliſtus Papa Imperatori conceſſit: *Electus autem Regalia per ſceptrum à te recipiat.* An mutando cæremoniam annuli & pedi in uſum ſceptri dimidium Imperii amiſit? profectò abjectè nimium ſentiunt de Majeſtate Imperii, qui ita ſcribunt. Et quid con- 14. *Vanæ Proteſtantium querelæ.*

venien-

venientius Imperatori, usus sceptri, an Pastoralis baculi? utinam non magis circumscripsissent Protestantes potestatem Imperatoris, gestis tot cruentis adversùs eundem bellis, ut, quod vellet, extorquerent.

Neque dicere possunt, amisisse tunc Cæsarem jus conferendi pro libitu Episcopatus & Abbatias quoad potestatem spiritualem, per annulum & pedum significatam. Nam potestatem illam spiritualem nunquam habuerunt Imperatores, neque arrogârunt sibi unquam Constantinus M. Gratianus, Valentinianus, Theodosius, Arcadius, Honorius, Carolus M. Ludovicus Pius, Othones, Henricus Sanctus, aliique verè Catholici Cæsares. Imò ne quidem primis 300. annis, quibus sub Ethnicorum tyrannide presso gemebat Ecclesia, Episcopi ab Imperatoribus sunt constituti, sed à Clero electi, præsente & assistente populo. Tum verò crescente fidelium multitudine ad solum Clerum potestas illa est devoluta: his etiam numero auctis ad Metropolitanum & Comprovinciales Episcopos, vel ad primarios ex Clericis, pro diversitate temporum & circumstantiarum.

15. *Canon circa electiones.* Unde etiam Canone 3. Concilii Nicæni II. sic decernitur; *Omnis electio Episcopi, Presbyteri & Diaconi à Magistratibus facta maneat irrita, juxta Canonem* (Apostolorum 31.) *expressè dicentem: Si quis Episcopus sæcularibus Magistratibus usus, per eos Ecclesiam obtinuerit, deponatur & segregetur, & omnes, qui cum eo communicant. Oportet enim eum, qui est promovendus ad Episcopatum ab Episcopis eligi, quemadmodùm à sanctis Patribus Nicææ decretum est in Canone* (quarto) *qui dicit: Episcopum oportet maximè quidem ab omnibus, qui sunt in Provincia, constitui, si autem hoc difficile fuerit, tres omnino eodem convenientes, iis quoque, qui absunt, suffragium ferentibus, & assentientibus per litteras, tunc facere electionem: eorum autem, quæ à se fiunt, confirmationem in unaquaque Provincia dari Metropolitano.* Ita Concilium Oecumenicum Nicænum II. citans Nicænum I. & Canonem Apostolicum adhuc antiquiorem.

Consonat Canon 22. Concilii Constantinopolitani IV. Generalis VIII. qui ex versione Anastasii ita habet: *Promotiones atque consecrationes Episcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione ac decreto Episcoporum Collegii fieri, sancta hæc & universalis Synodus definit & statuit; atque jure promulgat, neminem Laicorum Principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cujuslibet Episcopi: ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confusio.*

Et post pauca: *Quisquis autem sæcularium Principum & Potentum, vel alterius dignitatis Laicus adversus communem ac consonantem atque Canonicam electionem Ecclesiastici ordinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat & consentiat*

ſentiat in hoc, quod Eccleſia de electione ac ordinatione proprii Præſulis ſe velle monſtraverit.

Qui Canones cùm à nemine erudito ignorari poſſint, in medio relinquo, an Proteſtantes quidam ex inſcitia, an ex ſpiritu mendacii ſcribant, primum fuiſſe Gregorium VII. qui poteſtatem Epiſcopos eligendi Imperatoribus negârit. 16.

Non derogatum Privilegiis Principum

Per Canones tamen iſtos tantùm interdicitur, ne Principes Epiſcopos pro arbitrio ejiciant, aliósque intrudant, ùt contigit in caſu Ignatii depoſiti, & Photii ſuffecti, & ne, ſecluſo privilegio Apoſtolico, Epiſcopos pro lubitu conſtituant, tanquam jure regali hanc poteſtatem haberent. Unde nequaquam reprobatur jus inveſtituræ in feudis & bonis temporalibus, quale in Conventu Wormatienſi, ac dein in Concilio Lateranenſi Imperatoribus fuit conceſſum, cum jure præſentiæ in electionibus, & ſi quæ diſcordia inter partes emerſerit, ſaniori parti aſſentiendi abſque ſimonia & violentia.

Neque derogatum eſt poteſtati ſummorum Pontificum Principibus, aliíſque ſæcularibus concedendi jus patronatus, nominandi, & præſentandi Epiſcopos & Abbates, à ſuperiore Eccleſiaſtico inſtituendos (prout conceſſum pluribus Principibus, & nominatim per concordatum inter Leonem X. & Franciſcum I. Galliæ Regem initum) aut Imperatori concedendi jus primarum precum &c.

Imò non rarò ipſos etiam ſummos Pontifices nominandi Imperatoribus eſt conceſſa poteſtas extraordinaria ac veluti delegata, tum præcipuè, cùm libera eorum electio violentis partium ſtudiis eſt turbata, aut ſchiſma fatale pertimeſcendum fuerat, ùt contigit tempore Henrici III. quo Tuſculani Comites homines indignos ſæpiùs intruſêre. Tum enim ad Imperatorem, ſupremum Eccleſiæ Advocatum ac Protectorem eſt recurſum, ut ipſe dignum aliquem nominet, ac proponat, qua ratione factum, ut plures ex inclyta natione Germanica inſignes viri ad Sedem Apoſtolicam ſint evecti.

Cæterùm concordia, per Concilium Lateranenſe cum Henrico V. inita, non adeò firma fuit, ut ſubſequentibus temporibus non recruduerit, præſertim ſub Fridericis, primo & ſecundo, colliſo rurſus imperio cum ſacerdotio: donec tandem ſub Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ Imperatoribus ſicut Imperio, ſic etiam Eccleſiæ pax alma rediit, poſito per Rudolphum I. fundamento, per Fridericum verò tertium, erectis concordatis Germaniæ, perfecto opere.

§. II.

Canones Concilii.

Editi in Concilio Lateranensi I. 22. Canones, quorum multos Gratianus Decreto suo inseruit.

In I. vetantur simoniacæ promotiones & consecrationes.

2. Nullus fiat Præpositus aut Decanus, nisi sit Presbyter.

17. *Cælibatus* 3. Innovatur Canon Nicænus, quo contubernium cum concubinis aut uxoribus penitus interdicitur Clericis. *Multùm invaluerat concubinatus tunc temporis, præsertim in Germania & Longobardia, unde Episcopi ejusmodi & Presbyteri uxorati Antipapis adhærere solebant, qui labem illam permittebant.*

4. Laici de Ecclesiasticis rebus non disponant.

5. Consanguineorum matrimonia, Divinis humanísque legibus contraria, contrahentes reddunt infames.

6. Burdini Antipapæ ordinationes declarantur irritæ.

7. Sinè consensu Episcopi nemo conferat curam animarum.

8. Nemo Beneventum invadat.

9. Excommunicati à suis Episcopis ab aliis non recipiantur in communionem.

10. Nemo Episcopum consecret, nisi canonice electum. Secus uterque deponatur.

18. *Bellum sacrum.* 11. Conceduntur indulgentiæ profecturis Jerosolymam ad bellum sacrum: & bona eorum in tutelam Romanæ Ecclesiæ recipiuntur, lato in invasores anathemate.

12. Peregrinorum bona non invadantur.

13. Pœnam excommunicationis statuit in eum, qui pertinaciter treugam, seu inducias ab Ecclesia indictas violat.

14. Oblationes Ecclesiis factas à Laicis auferri vetat.

15. Falsarii monetæ excommunicantur.

16. Romipetæ non molestentur.

17. Religiosi Chrysma, oleum infirmorum, consecrationes altarium, ordinationes Clericorum ab Episcopis accipiant. Externos oleo non inungant.

18. Parochi constituantur ab Episcopis, hísque respondeant de cura animarum. Decimas & Ecclesias non recipiant à Laicis sinè consensu Episcoporum.

19. Confirmatur facultas, à Gregorio VII. Religiosis concessa faciendi servitium Episcopis.

20. Ana-

20. Anathema fertur in eos, qui Ecclesiis, Clericis, Religiosis, eorúmque bonis molestiam intulerint.

21. Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Religiosis concubinas habere, seu matrimonia contrahere omnino interdicit: contracta dissolvantur, & contrahentes secundùm Canones puniantur.

22. Alienationes exarchatûs Ravennatensis, omnésque universim aliorum etiam bonorum Ecclesiasticorum irritæ declarantur: ordinationes item, sinè communi Clericorum illius Ecclesiæ consensu, aut per simoniam factæ. *Intelligendum hoc sensu, suprà explicato, ordinationes videlicet illas esse illicitas, probibito omni usu, executione & exercitio ordinum, sic susceptorum.* 19. *Alienationes.*

Hi sunt Canones Concilii Lateranensis I. quorum plures, ùt dixi Gratianus, qui hoc sæculo vixit, in Decretum transtulit. Sic

Primus	habetur	1. *q.* 1. *c.* 10.
Secundus	---	*dist.* 60. *c.* 2.
Tertius	---	*dist.* 27. *c.* 8.
Quartus	---	16. *quæst.* 7. *c.* 25.
Quintus	---	35. *q.* 2. *c.* 2.
Septimus	---	16. *q.* 7. *c.* 11.
Decimus	---	*dist.* 62. *c. ult.*
Decimus quartus	---	10. *q.* 1. *c.* 14.
Decimus sextus	---	24. *q.* 3. *c.* 33.
Decimus septimus	---	16. *q.* 1. *c.* 10.

Citantur autem isti Canones à Gratiano sub nomine Calixti II. reliqui autem in Gratiani decreto citantur sub nomine Urbani II. desumpti ex collectione Anselmi.

Ex quibus colliges, finem primarium hujus Concilii fuisse, ut confirmetur concordia inter Sacerdotium & Regnum, & terminetur discordia circa investituras, in Germania præcipuè & Anglia per multos annos, tantos inter tumultus, agitata. Alter finis erat, tollere vitium simoniæ & concubinatûs Sacerdotum, temporibus illis passim grassatum. Tertius finis erat expeditio nova adornanda pro recuperanda ex integro terra sancta: in qua Godefredus Bullionius Jerosolymam jam expugnaverat. 20. *Fines Concilii.*

ARTICULUS II.

De Concilio Generali X. Lateranensi II.

Contra

Petrum Leonis Antipapam, Hæreticos Petrobusianos & Arnaldistas, sub Innocentio II. & Lothario II. Anno 1138.

SUMMARIUM.

§. 1.

Synopsis Historica.

1. *Intrusi Antipapæ frequentium causa schismatum.*
2. *Sæculo tertio Novatianus intrusus.*
3. *Sæculo quarto Felix & Ursicinus. Sæculo 5. Eulalius & Laurentius.*
4. *Sæculo 6. Dioscorus & Vigilius.*
5. *Sæculo 7. Theodorus & Pascalis.*
6. *Sæculo 8. Constantinus.*
7. *Tum verò sub finem sæculi noni ac decimo omnium luctuosissima Ecclesiæ facies.*
8. *Sedes Pontificia violentiæ infelix præda.*
9. *Illibata tamen semper fidei morúmque doctrina:*
10. *Manifesto Divinæ Providentiæ argumento.*
11. *Unde frustra Novatores nobis obiiciunt aliquorum Pontificum malos mores.*
12. *Joannes XII. opem Othonis I. adversùs tyrannos implorat.*
13. *Imperator ab eo salutatus & coronatus. At deficiente Joanne ad Lambertum, per eundem Othonem Leo VIII. Antipapa eidem est oppositus.*
14. *Sub Othone II. intrusus Bonifacius. Otho III. verò Gregorium V. eligi curavit, & adversùs Antipapam à Crescentio intrusum protexit.*
15. *Cùm tempore Henrici III. tres Pontifices simul diversas Romæ regiones & Ecclesias tenerent, Imperator Clementem II. curavit eligi, & post eum plures Germanos, insignes viros, eósque contra Tusculanos Comites protexit.*
16. *Henricus IV. Alexandro II. Cadaloum Antipapam opposuit:*
17. *Gregorio VII. verò Guibertum.*
18. *Henricus V. Gelasio II. Burdinum.*
19. *Sub Lothario Cæsare Petrus Leonis, & alius quidam sub nomine Victoris IV. intrusus, at opera S. Bernardi Innocentio II. legitimo Pontifici se subjecit.*
20. *Ad penitus extinguenda schismata indictum hoc Concilium: uti etiam ad condemnandam hæresin Petri de Bruis, & Arnaldi Brixiensis.*
21. *Summa Canonum hujus Concilii.*

§. I.

§. I.
Synopsis Historica.

Uti fatale propter *Investituras* dissidium, ita sæpiùs varii pseudi-Pontifices turbârunt Ecclesiæ pacem, eámque in tristia non rarò schismata discidêre. Et nescio, an quidquam Ecclesiæ funestius. Persecutiones tyrannorum fæcundârunt agrum Ecclesiæ, rigante illum Martyrum sanguine. Hæreses putrida membra absciderunt. At schismata in ipsa Ecclesiæ viscera grassata, dum membra cum capite colliderent, totam corporis compagem deplorandum in modum concusserunt. 1. *Schismata propter Antipapas*

Signum prætulit reliquis sæculo tertio *Novatianus*, Romanus Presbyter, à *Novato* Episcopo Africano, *Felicissimi* infelicis Presbyteri fautore, in sedem Romanam intrusus contra Cornelium Papam, electum legitimè; primus Antipapa, non tantùm Schismaticus, sed etiam hæreticus, ut qui doceret, lapsos in fide, ùt ùt pœnitentes, recipiendos non esse. 2. *Novatianus.*

Quarto sæculo præter *Felicen* pro Liberio intrusum, & post hujus lapsum, (saltem præsumptum) ab Ecclesia acceptatum, adversùs Damasum insurrexit *Ursicinus* Diaconus, magna quorumdam violentia intrusus. 3. *Felix. Ursicinus.*

Quintum vidit duos pseudo-Pontifices, *Eulalium* nempe Romanum Archidiaconum, à minore Cleri parte contra Bonifacium electum. Honorius ipse Imperator, Symmachi urbis Præfecti litteris deceptus, initiò adhæsit Eulalio, & Bonifacium urbe belli præcepit. At meliùs edoctus vices mutavit, depulso Eulalio. Alter erat *Laurentius*, Symmacho legitimè electo à quibusdam pecunia corruptis subintroductus; imploratur, ne Ecclesia schismate scindatur, Theodoricus Rex Italiæ, qui pro Symmacho priùs, & majori suffragiorum numero electo tulit sententiam. *Eulalius.* *Laurentius.*

Sexto sœculo, præter *Dioscorum* quemdam Bonifacio II. oppositum, paucósque intra dies mortuum, *Vigilius* à Theodora, Justiniani conjuge, Sylverio per Bellisarium relegato, intrusus, post mortem Sylverii, ultrò cedens Papatu, liberis Cleri suffragiis eligitur: strenuè resistens inde malesanis Theodoræ conatibus, cujus antè favore intrusus fuerat. 4. *Dioscorus Vigilius.*

Septimo S. Sergius invitus adeptus est, quod ambiebant *Theodorus* & *Pascalis*; ille æquior facilè cessit, hic pertinacior monasterio includi debuit. 5. *Theodorus Pascalis.*

Octavo, mortuo Paulo I. per 13. menses sedes vacavit; quia *Constantinus* quidam intrusus fuerat: quo tamen brevì in pœnam exarescente legitimè electus est Stephanus IV. 6. *Constantinus.*

Tum verò sæculo nono sinente, ac decimo luctuosissima multò Ecclesiæ facies: intrusis non rarò profana potestate in Sedem sanctissimam sceleratis hominibus: quin (quod dictu fœdum atque horrendum) scortis et- 7. *Luctuosus Ecclesiæ status.*

iam ac meretricibus ſacratiſſima per orbem dignitas deberi debuit. Mali origo Tuſculani Comites; ac præſertim Adalbertus ejúsque conjux Theodora, cum propudioſa ſua ſobole gemina, Marozia & Theodora; quarum libidinis Roma facta eſt præda, & tyrannicæ dominationis infelix ſpolium.

Et primò quidem contra Formoſum intrudere conati ſunt *Sergium*, Maroziæ procum. Tum verò *Bonifacius* ſanctam Sedem invaſit; hunc poſt 15. dies Stephanus VI. Tuſculanorum armis dejecit, qui vel in cadaver Formoſi furorem exercuit, quòd is Arnulphum Imperatorem adverſùs Lambertum alióſque tyrannos (qui poſt Caroli Craſſi mortem Italiæ Regnum invaſerant ac lacerârant) in Italiam acciviſſet, & Imperatorem coronâſſet. Verùm Stephanus meritas brevi violentiæ pœnas dedit, anno ſequenti in carcerem conjectus & ſtrangulatus.

Sergius. Bonifacius.

8. Poſt brevem deinde Pontificatum Theodori II. Joannis IX. Benedicti IV. & Leonis V. laudabilium admodùm Pontificum, *Chriſtophorus* ſe intruſit conjecto in carcerem Leone V. ibíque haud multò poſt mortuo, Chriſtophorum Sergius dejecit, factione Tuſculana prævalente.

Romana Sedes violentiæ ſpolium.

Hic eſt ille Sergius, qui jam ante octo Pontifices Sedem Apoſtolicam invadere tentaverat, cùm Formoſus eligeretur: unde hoſtem in eundem capitalem profeſſus, acta illius, à pluribus Pontificibus optimis approbata, reſcidit ad exemplum Stephani VI. Tuſculanæ pariter factionis homine: mortuo verò Chriſtophoro Pontifex agnitus, ſub nomine Sergii III. filium reliquit ex famoſa illa Marozia, Adalberti Tuſculani Comitis potentiſſimi filia; ſub nomine Joannis XI. intruſum poſtea à matre Marozia: quæ Joannem X. in carcere ſuffocaverat. Sed & Joannes XI. cum impura & impia matre ab Alberico fratre ſuo Pontificatu dejectus in carcere obiit. Hujus poſtmodum Alberici Comitis Tuſculani filius ſuorum armis Sedem Pontificiam occupavit 18. annorum juvenis, noménque Joannis XII. aſſumpſit.

Hos tamen contra SS. Canones intruſos Romanæ Eccleſiæ Præſules Eccleſia agnovit acceptavítque, acceptatione ſua ſupplens defectus electionis Canonicæ: ſatiúſque ducens, malos etiam homines ac malè obtruſos tanquam veros Pontifices agnoſcere, quam iis ſe opponendo funeſto Eccleſiam ſchiſmate ſcindere; mirúmque ſanè, & Divinæ providentiæ o-
9. pus ſingulare, decimo illo corruptiſſimo tyrannidis ſæculo nullam omnino hæreſin emerſiſſe, quæ aliàs omnium ſæculorum faſtos infecerat. Nec minùs ejusdem, Eccleſiæ ſuæ aſſiſtentis, providentiæ argumentum fuit, quòd ſcelerati etiam Pontifices in iis, quæ ad Eccleſiam in ſpiritualibus gubernandam pertinuerant, nihil unquam perverſi dogmatis ſparſerint; quin multa laudabilia ordinârint, ùt ex eorum, ac nominatim Joannis X. & Sergii III. epiſtolis conſtat.

Illibata tamen ſemper fide.

Pro-

Profectò hæc benè perpendenti vel ipsi mali Pontifices, per sæcularem tyrannidem intrusi, & ab Ecclesia ad evitandum majus malum acceptati, fortissimum argumentum suppeditant, non tantùm Ecclesiam, sed ipsos etiam summos Pontifices ex cathedra loquentes, seu Ecclesiam circa fidem aut mores instruentes Divino munere, in S. Evangelio tam sanctè promisso, esse infallibiles: ut adeò Novatores Pontificum Romanorum vitiis omnes fermè pagellas suas conspurcantes, eáque in immensum adaugentes, prudenti, omniáque ritè perpendenti intellectui non aliud judicium possint ingerere quàm aliud esse hominem, aliud Christi Vicarium, illóque sibi malo, hunc bonum esse Ecclesiæ: signante se patentiùs Numine in malo licèt homine, bono tamen Pontifice.

Neque hæc mea est animadversio, sed illius doctrina, qui dixit, *Super Cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi: Quæcunque dixerint vobis, servate & facite; secundùm opera verò eorum nolite facere.* Ipsa Sanctissima Sacræ Scripturæ oracula per eos etiam homines placuit Deo nobis proponere, qui non semper fuerunt boni. Quis nescit Davidis, Salomonis &c. scelera? Ipsos Apostolos, alios dubitantes, alios incredulos, alios negantes, omnes fugientes legimus. Est hæc Numinis providentia, qui vel ex persecutore vas electum novit facere. Divinos inter satus crescere nonnunquam sinitur infelix lolium. Plerosque Sacrorum summos Antistites invenimus bonos, integritate, virtute, constantia, probitate, martyrio, Sanctitate conspicuos: Horum intuere ideas: & sectare exempla: Malignæ mentis est, tot pulchras præterire Imagines, & non nisi deformes suis & alienis oculis objicere, aut potiùs haud bona fide studiosè eas deformare, ut deformes appareant. Est sanè, quod homines isti domi expurgent. Quis unquam Novatorum, quos sectantur, probam castámque vitam duxit? Notæ sunt nimiùm rupta sacra fœdera, spurcitiæ sacrilegæ, gentes integræ in tot bella armatæ collisæque; & tamen non erant custodes duntaxat eorum, quæ acceperunt, ùt Romani Pontifices, sed speciosi, si superis placet, Reformatores Christi Ecclesiæ, prævalentibus inferorum portis de petra sua excussæ ac prostratæ.

10. *Assistens Providentia.*

11. *Nil prodest Novatoribus malos fuisse Pontifices.*

Cæterùm turbæ illæ Romanæ ortæ potissimùm sunt post mortem Arnulphi Imperatoris, tempore Ludovici IV. Conradi I. Henrici I. quos Itali non agnoverant Imperatores, sed proprios sibi elegerant factionibus per Italiam sus deque vertentibus omnia.

Quare fessis tandem tyrannide rebus Italiæ, *Joannes XII.* (Alberici comitis Tusculani Filius, qui primus Pontificum nomen mutavit, Octavianus antea dictus) ad Othonem I. Germaniæ Regem respexit, ejúsque adversum Tyrannos opem imploravit.

12. *Joannes XII.*

Otho,

13. *Otho.* Otho, trajecto in Italiam valido exercitu, domitis invasoribus, Romæ exceptus, Imperator à Joanne est salutatus & coronatus: Atque ut vices rependeret, perpetuam Sanctæ sedi protectionem addixit, confirmatis novo diplomate Pipini & Caroli M. donationibus, Romanæ Ecclesiæ factis novísque adjectis.

Verùm Joannes Papa, homo versatilis, ad hostes Othonis deficiens, in Conciliabulo Romæ coacto, præsente Imperatore, depositus est suffecto *Leo VIII* in ejus locum Romano Presbytero, sub nomine *Leonis VIII.* factum pessimè. Licèt enim Joannes fidem datam fregerit, & aliàs etiam (ùt equidem assentator quidam Othonis sub mentito Luitprandi nomine scribit) homo fuerit nefarius, admodum juvenis factione Tusculana intrusus; quia tamen à tota per orbem Ecclesia fuerat acceptatus, deponi non potuit: nullúmque est dubium, quin Leo VIII. fuerit Antipapa. Mortuo Joanne XII. electus est Benedictus V. qui adnitente Pseudo-Pontifice Leone VIII. sede dejectus, Hamburgum est deportatus, ubi piè vitam duxit ac finiit, electo post ejus & Leonis mortem Joanne XIII. postea in carcerem conjecto à suis Romanis, ab Othone propterea multatis.

Mortuo Othone I. cùm Itali quidam, Cincio duce, ætatem Othonis II. spernerent tumultuari rursus cœperunt. Nam Bonifacio VI. strangulato, 14. *Bonifacius.* intrusus est *Bonifacius* quidam, qui Vaticana Basilica direpta Constantinopolim profugit; Electo vero Pontifice Benedicto VII. eo verò defuncto impius Bonifacius, Constantinopoli redux, occiso Joanne XIV. rursum se intrusit, duorum Pontificum parricida.

Cúmque deinde Joannis XV. tempore Crescentius Romanus tyrannidem exerceret, Otho III. in Italiam movit, ac mortuo Joanne *Brunonem* affinem suum Pontificem eligi curavit, sub nomine *Gregorii V.* (cui institutionem septemviratus plures tribuunt) at Crescentius Placentinum Episcopum sub nomine *Joannis XVI.* Antipapam eidem opposuit; ab Othone mutilatum postea cum ignominia, interfecto Crescentio.

15. *Tres simul Pontifices.* Sub Imperatoribus Henrico II. & Conrado II. utcunque Ecclesia ab Antipapis fuit libera. Nisi quòd Benedictus VIII à Gregorio quodam pulsus, ab Henrico Sancto est restitutus. At tempore Henrici III. novum rursus schisma erupit: Nam Benedictus IX. Alberici Comitis Tusculani Filius, homo nefarius, in sedem Apostolicam intrusus, receptus tamen est ab Ecclesia metu majoris mali. Romani morum ejus pertæsi Antipapam *Sylvestrum III.* substituunt. Benedictus IX. cùm omnibus exosum se videret, accepta pecunia, Pontificatu se abdicavit, electo in ejus locum Gregorio VI. At cùm Benedicto rursus se intrudente, tres in diversis urbis regionibus pro Pontificibus se gererent, Imperatore Italiam ingresso Gregorius VI. in Concilio Sutrino, ut pacem Ecclesiæ conciliaret, Gregorii

Naz.

Naz. exemplo, jure ſuo ceſſit; electúsque eſt Clemens II. Saxo, Bambergenſis Epiſcopus, *Suidgerus* ante nominatus, quo altero anno demortuo, cùm Benedictus factione Tuſculana ſe rurſus vellet intrudere, Imperator Popponem, Bavarum, Brixinenſem in Tyroli Epiſcopum Romam miſit, ubi Pontifex electus eſt ac Damaſus II. appellatus; cui poſt 23. dies ſucceſſit Bruno Lotharingus, Tullenſis Epiſcopus, ſub nomine Leonis IX. atque huic Victor II. Gebhardus antea dictus, Euſtettenſis Epiſcopus.

Sub Henrico IV. à Cardinalibus liberè electus eſt Stephanus IX. Abbas Caſſinenſis, Lotharingiæ Ducis Frater, vir Sanctiſſimus. Poſt ejus mortem Sacram Sedem invaſit *Mincius,* qui Benedictus X. dici voluit. At ubi vidit legitimè electum Gerardum, Epiſcopum Florentinum, ſub nomine Nicolai II. accedente etiam conſenſu Henrici IV. Imperatoris, inſignia Pontificia depoſuit.

Gravius ſchiſma exortum eſt, cùm mortuo Nicolao à Cardinalibus 16.
electus conſecratúsque eſt Alexander II. Nam Henricus IV. Imperator *Cadalous.*
ægrè ferens, absque legatorum ſuorum præſentia hæc acta, *Cadaloum*, Parmenſem Epiſcopum, hominem impium, ſub nomine Honorii II ab Epiſcopo Mediolanenſi & Vercellenſi eligi curavit, ejúsque electionem in Conciliabulo Baſileæ habito confirmavit. Sed ope Annonis Epiſcopi Colonienſis receptus Alexander, damnatúsque Cadalous: Qui Romam armatus ingreſſus, victus eſt, ac poſtea miſerè periit: Alexandro etiam in Concilio Mantuano approbato.

Alexandro Cardinalium ſuffragiis ſubrogatus eſt Hildebrandns, Gregorii VII. nomine aſſumpto, cui poſtea, ùt aliàs memoratum, Henricus 17.
Guibertum Antipapam oppoſuit, Clementem III. dictum: qui Bennonem, *Guibertus.*
mandaciſſimum ſcriptorem, alióſque Cardinales nominavit.

Recruduit ſchiſma, cùm opera Henrici V. Gelaſio II. Pontifice intru- 18.
ſus eſt Antipapa Mauritius *Burdinus*, Gregorii VIII. nomine uſurpato. *Burdinus.*

Denique cùm Caliſtus II. & Honorius II. Gelaſii ſucceſſores abſque Antipapis gubernâſſent Eccleſiam, à majori Cardinalium numero electus eſt Innocentius II. à minori verò parte *Petrus Leonis*, qui Anacletus II. di- 19.
ci voluit, ac urbe vi occupata, Innocentium legitimum Pontificem in exi- *Petrus Leonis.*
lium ejecit; quem tamen, ab omnibus Principibus (excepto Rogerio Siciliæ duce) agnitum, ſtudio, induſtria & eloquentia S. Bernardi, Lotharius piiſſimus Imperator cum exercitu ingreſſus Italiam reſtituit. At Petro Leonis mortuo Schiſmatici alium quemdam ſub Victoris IV. nomine obtrudere conabantur. Verùm is à S. Bernardo, hujus diuturni ſchiſmatis debellatore inviċtiſſimo, perſuaſus, Innocentio Pontifici ſe ſubjecit.

Hæc breviter placuit prænotare, occasione Concilii Lateranensis II. quod ad extinguendum penitus schisma contra Antipapas est indictum ab Innocentio II. & à mille fermè Episcopis celebratum.

20. *Hæretici.* Verùm quia non tantùm pseudo-Pontifices turbârunt pacem Ecclesiæ, sed etiam hæretici, videlicet *Petrus de Bruis*, hujúsque discipulus *Arnaldus Brixiensis*, qui dicebant, baptismum non prodesse parvulis, templa esse destruenda, confringendas cruces &c. ideò contra istos etiam in hoc Concilio est actum; & primo quidem rescissa sunt acta pseudo-Pontificum: deinde damnati hæretici memorati: ac denique pro restauranda Ecclesiæ disciplina, per tot schismata collapsa, editi 30. Canones.

§. II.
Summa Canonum.

21. Primò, simoniace ordinatus deponatur.

2. Pro beneficiis & rebus sacris nihil detur aut exigatur.

3. Excommunicatum à suo Episcopo nullus recipiat.

4. Si Clerici propter indecentem habitum ab Episcopo moniti non emendentur, deponantur.

5. Mortui Episcopi bona nemo diripiat, sed Ecclesiæ & successori asserventur.

6. Subdiaconi, Diaconi & Presbyteri uxorati, aut concubinarii beneficiis priventur.

7. Nemo illorum Missas audiat.

8. Neque Moniales nubant.

9. Monachi & Canonici Regulares ne legibus Juris civilis aut Medicinæ discendæ temporalis lucri gratià se applicent.

10. Laici non possideant decimas.

11. Securitas publica omnibus præstetur.

12. Treuga sedulò observetur.

13. Usurarii sint infames: & nisi resipuerint, Christiana careant sepultura.

14. Prohibentur feriæ illæ, quibus gladiatores congredi solebant.

15. Excommunicantur Clericorum percussores, neque Episcopus eos absolvat, nisi mortis urgente periculo. Statuitur asylia Ecclesiæ & Cæmeterii.

16. Ecclesiastica beneficia ne sint hæreditaria.

17. Matrimonia consanguineorum vetantur.

18. Incendiariis statuuntur pœnæ.

19. Quas Episcopus non relaxet.

20. Relicto tamen jure Regibus & Principibus eos pariter puniendi.

21. Filii

21. Filii Presbyterorum à miniſterio altaris arceantur.

22. Falſa pœnitentia non admittenda: & quænam illa ſit,

23. Tanquam hæretici damnantur, qui Evchariſtiam, Baptiſmum parvulorum, Sacerdotium, aut matrimonium reprobant.

24. Nullum pretium exigatur pro oleo ſacro & ſepulturâ.

25. Beneficium Eccleſiaſticum ne recipiatur de manu Laici: recipiens autem eo privetur.

26. Monialis ne in privatis ædibus habitet.

27. Moniales ne cum Monachis aut Canonicis in eodem choro ad pſallendum conveniant.

28. Defuncto Epiſcopo Eccleſia ne ultra tres menſes vacet. Néve excludantur Religioſi ab electione.

29. Balliſtariorum & ſagittariorum ars inter Chriſtianos ſub excommunicatione prohibetur.

30. Ordinationes à Petro Leonis aliíſque ſchiſmaticis factæ declarantur irritæ.

ARTICULUS III.

De Concilio Generali IX. Lateranenſi III.

Sub

Alexandro III. & Friderico I. pro Reformatione Eccleſiaſticæ diſciplinæ, regulanda electione Pontificis, & contra hæreſes Waldenſium & Albingenſium anno 1179.

SUMMARIUM.

§. I.

Synopſis Hiſtorica.

1. *Rogerius ſchiſmatum fautor tandem agnoſcitur Rex: & qua conditione.*
2. *Romani cogitant antiquam reipublicæ Romanæ formam reducere.*
3. *Origo diſcordiarum Friderici I. cum Adriano IV.*
4. *Offenſus Cæſar propter picturam, epiſtolam, & negatas in Italia inveſtituras Epiſcoporum.*
5. *Quare adhæret Octaviano Antipapæ contra Alexandrum III.*
6. *Dein Guidoni.*
7. *Manuel offert Alexandro auxilia contra Fridericum, qui Romam capit, fugiente Pontifice.*
8. *Cæſar tertium Antipapam ſuſcitat.*
9. *At fœdere inter Pontificem, Venetos, civitates Longobardiæ, & Regem Siciliæ inito, terra marique adeò cæſus eſt, ut pacem petere coactus fuerit.*
10. *Conditiones propoſitæ.*

11. *Pax conclusa Venetiis.*
12. *Fabula de calcato Cæsaris collo.*
13. *Landino, quarto Antipapa Alexandri III. se subjiciente extinctum tandem schisma 20. annorum.*
14. *Ut collapsa interim restituantur, indictum Concilium.*

§. 2.
Summa Canonum.

15. *Regulatur electio Pontificis, requirendo duas tertias. De ætate Episcopi, Parochi.*
16. *De visitationibus, titulo mensæ, censuris, simonia, Ecclesiis non vacantibus.*
17. *De negotiis Clericorum, pluralitate beneficiorum, foro competente, juramento irrito.*
18. *Usuræ utriusque testamenti pagina vetitæ.*
16. *Damnati hæretici.*

§. 3.
Observatio circa hæresin Waldensium & Albingensium.

20. *Waldensium errores.*
21. *Albingensium.*
22. *An Lutherani ab istis hæreticis Religionis suæ epocham possint ducere.*

§. I.
Synopsis Historica.

1. *Rogerius Rex.* Post Concilium Lateranense II. (vel ùt alii scribunt, in Concilio) Innocentius II. Pontifex excommunicavit Rogerium, Siciliæ & Apuliæ Ducem, pseudo-Pontificum fautorem ac defensorem præcipuum, quem propterea Petrus Leonis Regem dixerat. At Rogerius captum Pontificem compulit, ut regiam ei dignitatem confirmaret, concessa simul Apulia & Principatu Capuano, sub pacto tamen de homagio, & 600. aureis annuatim Cameræ Apostolicæ præstandis; sicque tandem fatale illud schisma in tota Ecclesia est extinctum.

2. *Romani rempublicam meditantur.* Successoribus Innocentii multum negotii Romani facessiverant, qui *Arnaldo Brixiensi* incentore antiquam reipublicæ Romanæ formam restituere sunt conati, electo Patritio ac Duce *Jordane* Petri Leonis filio. Sub Eugenio III. S. Bernardi olim discipulo, hæ turbæ adeò exarserant, ut sanctissimus Pontifex urbem deseruerit, & in Galliam se contulerit.

Sub Hadriano IV. deinde jacta sunt semina gravissimi schismatis inter Sedem Apostolicam & *Fridericum I.* Imperatorem (quem Latini *Ænobarbum*, Itali *Barbarossam* cognominârunt) Conradi III. ex fratre nepotem, ingentis animi ac spiritûs Principem.

Petierat Imperator, ut pictura quædam, quæ Pontificem, & Cæsarem aliquantùm inclinatum referebat, deleretur Romæ; quod cùm Pontifex non fecisset, captus est in transitu Pontificius in Daniam Legatus, rebúsque omnibus spoliatus, dissimulante Imperatore.

Adrianus

Adrianus Papa duos ad eum Legatos mittit cum Epiſtola, in qua ſcribit: *Debes ante oculos mentis reducere, - - - quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit Romana Eccleſia, & qualiter Imperialis coronæ inſigne conferens - - - te ſuſceperit; ſed ſi majora Beneficia Excellentia tua de manu noſtra ſuſcepiſſet - - - gauderemus.* 3. *Origo diſcordiarum cum Friderico I.*

Lectis publicè his litteris Veſuntione in comitiis, graviter offenſi Imperii Principes, maximè in verbo illo *beneficia*, quaſi Imperator à Papa imperium acciperet tanquam feudum, Legatos contumelioſè habitos die altera Romam remiſerunt. Móxque Fridericus Imperator miſſis per univerſum imperium circularibus litteris graviter de Pontifice conqueſtus eſt. 4. *Offenſio Cæſaris.*

Pontifex, ne per unius vel alterius vocabuli ſiniſtrum intellectum concordia ſacerdotium inter & imperium turbaretur, miſſis aliis ad Imperatorem Legatis ſcripſit, ſe per vocem *beneficii* non intellexiſſe feudum, ſed *bonum factum*, & per voces *inſigne coronæ conferens*, idem ac *coronam imponens*, quòd ſcilicet ei coronam imperialem impoſuerit. Qua interpretatione Cæſar placatus aliquantum, Legatos cum honore & muneribus dimiſit.

Recruduit tamen haud ſatìs benè obducta cicatrix, cùm Cæſar ab Epiſcopis Italiæ homagium propter regalia conceſſa exigeret, atque à Pontifice novis litteris ſe offenſum exiſtimaret.

Sub cinere tamen ignis adhucdum gliſcebat, nec ultra mutuas querelas proceſſum, donec Adriano Pontifice mortuo in apertum erupit incendium, exorto pertinaci ſchiſmate, atque tribus ſucceſſivè Antipapis per Fridericum intruſis.

Ac primò quidem mortuo Adriano Cardinales 22. elegerunt *Rolandum* Senenſem, virum doctum, magníque animi, (quem etiam S. Bernardus laudaverat) ſub nomine *Alexandri III.*

Duo verò Cardinales, facta jam Alexandri electione, *Octavianum* Cardinalem Pontificem dixêre. Qui aſſumpto *Victoris V.* nomine, militari mani irrumpens, Alexandrum inſignibus ſpoliavit, & cum Cardinalibus in fugam compulit. 5. *Quare adhæret Octaviano.*

Fridericus Imperator qui tunc in Italia cum exercitu verſabatur, cùm jam antè Rolandus ipſi eſſet exoſus, apertè favit Octaviano, eúmque ad ſe accedentem in *Synedrio Papienſi* Pontificem proclamavit, magnáque veneratione eſt proſecutus. Alexander verò Fridericum, Octavianum, ipſiúsque aſſeclas, priùs commonitòs, communione Eccleſiæ movit; atque in Siciliam primum, tum in Galliam profugit.

Tum verò in partes ſciſſus orbis Catholicus, Germani, (excepto S. Eberhardo Salisburgenſi, & Hartmanno Brixinenſi Epiſcopo) adhærebant cum Imperatore ſuo Octaviano, Hiſpania, Gallia, Anglia, Oriens Alex-

andro, Italiâ in utrumque distractâ; mirúmque dictu est, quantùm laborârit Cæsar, ut omnes, Galliæ præsertim Regem, jam nutantem, ab illo abstraheret.

6. *Dein Guidoni.* Mortuo inter conatus istos Octaviano Antipapa, pseudo-Cardinales, quos ipse creaverat, voluntate Cæsaris eligunt *Guidonem* Cremensem Episcopum, *Pascalem III.* compellatum; cui Principes & Episcopi Germaniæ obedientiam jurare compulsi sunt; quod tamen facere plures detrectaverant.

Licèt autem Imperator tota contentione Alexandro se se opponeret, & Henricus etiam Angliæ Rex ab eo factus esset alienior: quòd S. Thomam Cantuariensem, protegeret, tamen cùm Rex Siciliæ, Longobardiæ Civitates, ac Veneti adversus Cæsarem conspirâssent, Romam Alexander

7. *Manuelis legatio.* ex Gallia rediit, Wilhelmi potissimùm Siciliæ Regis auxilio. Convenêre illum ibi Legati Manuelis Imperatoris Orientis, qui pecuniam & auxilium adversùs Fridericum offerebant, cum omnibus iis, quæ Carolus M. Ecclesiæ Romanæ dederat, si abrogato occidentali Imperio reliqua sibi restituerentur. At responso non satìs grato accepto cum pecunia Constantinopolim redierunt.

Roma capta à Friderico. Fridericus interea cum Pascali Antipapa in Italiam profectus, Mediolano jam antè solo æquato Romam capit, profugiente vili habitu Alexandro Pontifice. Sed peste absumente Cæsaris exercitum, & aliunde civitatibus Italicis adversus eum conjurantibus, ex Italia profugere est compulsus.

8. *Tertius Antipapa.* Extincto paulo post cancri sanie Pascale Antipapa, fautores ejus subrogârunt Joannem Abbatem strumiensem, sub nomine *Calisti III.* quem Imperator approbavit. Rursúsque cum exercitu adversus Alexandrum & Longobardiæ civitates conjuratas in Italiam movit. Cúmque Alexandriam (ante sex annos conditam, & in Alexandri Pontificis venerationem sic nuncupatam) quatuor mensibus frustra oppugnâsset, de pace agere cœpit; quæ tamen non coaluit. Unde Italos aggressus, ingenti prælio fu-

9. *Cæsar cæsus pacem petit.* sus est: Navali pariter clade accedente, illata à Venetis, qua Otho Cæsaris Filius cum 46. navibus captus, Venetias est abductus. Ad cujus victoriæ perpetuam memoriam Dux Venetiarum quot annis projecto in Mare Adriaticum annulo despondere illud solet Reipublicæ.

Tum verò, cùm Principes discessum à Cæsare minitarentur, nisi cum Ecclesia pacem componeret, seriò animum ad illam adjecit, missísque Anagniam, ubi Papa tunc morabatur, Legatis, eandem petiit.

10. *Conditiones.* Conventum denique in hæc capita *Præliminaria*, ùt vocant. Cæsar Alexandrum Papam agnoscat ac veneretur, eíque ac successoribus, totíque Romanæ Ecclesiæ veram pacem concedat. Præfecturam urbis & ter-

ram

ram Comitissæ Mathildis eidem restituat. Quod Papa de Calisto Antipapa statuerit, habebit ratum. Regalia B. Petri & possessiones Ecclesiæ Romanæ ablatas restituat. Pax universalis ineatur Venetiis vel Ravennæ: Ibique componantur etiam dissidia cum civitatibus Longobardiæ & terris Regis Siciliæ.

Venetias igitur Alexandro cum Legatis Civitatum & Regis Siciliæ, 11.
cùmque Legatis Cæsaris ingresso, atque compositis circa feuda civitatum *Pax.*
dissidiis, pax utrinque firmata est. Tum verò Imperator cum suis ab anathemate absolutus, Venetias pariter ingressus, à Pontifice, præ foribus Ecclesiæ S. Marci cum Cardinalibus exspectante, amicissimè exceptus est, dato mutuo pacis osculo, plaudente & gaudio exultante tota corona. Fabu- 12.
la proin est vanissima, quam de calcato Cæsaris collo mendaces obtrectato- *Fabula.*
res confinxêre: cujus nullus veterum scriptorum meminit.

Porro Antipapa Calistus, ubi ab Imperatore se desertum vidit, primùm in montem Albanum confugit; tum verò cum quibusdam suis Clericis ad Alexandri pedes accedit, peccati veniam precatus. Pontifex eum Archi-Episcopum & Præfectum Beneventanum constituit.

At cùm eodem adhuc anno obiisset, schismaticorum quædam reliquiæ 13.
Landinum elegerunt Antipapam Innocentium III. dictum, à Fratre Octavia- *Schisma*
ni, odio in Alexandrum adhuc flagrante, in arce munita protectum. Ve- *extinctum.*
rùm arce in Pontificis potestatem redacta captus Landinus, & in exilium est deportatus. Sicque tandem schisma extinctum est, quod ultra 20. annos Ecclesiam distraxerat.

Ut autem pax ea firmiùs teneret, & futuris etiam consuleretur tempo- 14.
ribus, atque Ecclesiæ turbis, ex Pontificum electione non rarò exortis, ob- *Concilium.*
jiceretur repagulum, Alexander Pontifex Generale indixit Concilium, Lateranense tertium, in quo à 302. Episcopis statuta est norma eligendi Pontificem; rescissa acta Pseudo-Pontificum; Episcopi iis adhærentes recepti in gratiam; damnata Catharorum, Waldensium & Albingensium hæresis; Disciplina Ecclesiæ, tot tumultibus concussa, denuo instaurata. Atque ad hos fines obtinendos 27. condidit Canones.

§. II.
Summa Canonum.

1. Nullus deinceps in summum Pontificem legitimè censeatur electus, ni- 15.
si à duabus tertiis Cardinalium partibus fuerit electus; nullo tamen *Duæ ter-*
præjudicio aliarum Canonicarum electionum, in quibus majoris & sanioris *tiæ.*
partis debet sententia prævalere, quia quod in iis dubium venerit, superioris poterit judicio diffiniri. In Romana verò Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad superiorem haberi.

2. Or-

2. Ordinationes Octaviani, Guidonis, & Joannis pseudo-Pontificum declarantur irritæ, cum aliis eorum actis.

3. Episcopus ante 30. ætatis annum non eligatur: nec Parochus, aut curam animarum exercens ante 25. annum.

16. *Visitatio.* 4. Prælati subditos ne gravent in visitationibus nimio hominum equorúmque comitatu.

5. Si Episcopus aliquem ordinat sinè titulo, unde sustentari possit, debet eum alere, donec ei provideatur, nisi propria habeat.

6. Prælati non ferant censuras, nisi prævia canonica commonitione. Nec Religiosi appellent à correctione sui Prælati, sed humiliter ac devotè correctioni se subjiciant.

Simonia. 7. Nihil exigatur pro Episcòporum, Abbatum, aliarúmqne personarum benedictione: neque pro sepulturis, exequiísque defunctorum, aut benedictionibus nuptialibus: reprobatúrque longa etiam consuetudo contraria, tanquam criminosa.

Vacatura. 8. Beneficia Ecclesiastica, necdum vacantia, non promittantur: ne desiderare quis mortem proximi videatur. Vacantia verò intra sex menses conferantur.

9. Religiosi ac Clerici de manu Laici decimas vel Ecclesias ne recipiant absque authoritate Episcopi: & Templarii ac Hospitalarii equites tantùm semel in anno Ecclesias interdictas aperiant, nec mortuos ibi sepeliant.

10. Monachi non recipiantur in Monasterium pretio. Neque aliquid tanquam proprium possideant. Neque soli extra monasterium versentur.

11. Clerici continentiam servent, expulsis mulierculis, sub pœna privationis officii & beneficii. Sodomitici verò ejiciantur è Clero; si verò sint Laici, excommunicentur.

17. *Negotia clericorum.* 12. Clerici non agant Advocatos coram Judice sæculari, nisi in sua vel Ecclesiæ causa, aut personarum miserabilium. Neque sint procuratores sæcularium. *Nemo enim militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.*

Pluralitas beneficiorum. 13. Nemo plura beneficia Ecclesiastica possideat. Præcipitur residentia. Aliàs, quod contra SS. Canones accepit, amittat: & qui tradiderit, largiendi potestate privetur.

Forum. 14. Ne Clerici accipiant Ecclesias absque consensu Episcopi. Néve Laici Clericos suo judicio stare compellant, sub pœna excommunicationis incurrendæ.

15. Reditus beneficiales post mortem Clerici maneant Ecclesiis.

Juramentum irritum. 16. Quod à majore & saniore parte Capituli constitutum fuerit, consequatur effectum, non obstante juramento contrario, nisi à paucioribus aliquid rationabile fuerit ostensum.

17. Si

17. Si plures sint Patroni & Electores discrepantes in votis, ille præferatur, quem majora merita & suffragiorum pluralitas commendant. Si hoc fieri non possit, Episcopus Ecclesiæ vacanti provideat.

18. In qualibet cathedrali Ecclesia constituatur Magister, qui gratis doceat.

19. Onera Ecclesiis & Clericis non imponantur à sæcularibus.

20. Vetantur iterum torneamenta.

21. Servetur treuga.

22. Sinè authoritate Regum & Principum non imponantur nova pedagia.

23. Leprosi proprium habeant oratorium & cœmeterium: & à decimis sint immunes.

24. Vetantur arma &c. deferri ad Saracenos, sub pœna anathematis.

25. Cùm usuræ utriusque testamenti pagina condemnentur, manifesti usurarii communione & sepultura Christiana priventur. 18. *Usuræ.*

26. Christiani Judæos & Saracenos in domibus suis ne quidem ùt servos retineant; nisi convertantur.

27. Condemnantur Cathari, Waldenses, & Albingenses hæretici, & contra eos propositis indulgentiis indictum bellum sacrum. 19. *Hæretici damnantur.*

§. III.

Observatio circa hæresin Waldensium & Albigensium.

Observ. 1. *Waldenses*, à Petro Waldo mercatore Lugdunensi exorti, initiò genus quoddam vitæ monasticæ affectâsse: sed cùm à Sede Apostolica fuissent reprobati, jugo excusso in omne genus vitiorum hæresúmque sunt prolapsi. Quippe dicebant, Romano Pontifici non esse obediendum: ejus decreta nullius esse momenti: à judicio sanguinis omnibus abstinendum: Laicos justos consecrare & absolvere à peccatis posse: Sacerdotes verò impios potestatem consecrandi & absolvendi amittere: consecrabant semel in anno, dicendo septies *Pater noster:* indulgentias, purgatorium, invocationem Sanctorum, dies festos, jejunia, salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum contemnebant: urente carnis libidine omnem commixtionem esse licitam: omne juramentum esse illicitum: perfectos manibus laborare non debere: in libris veteris testamenti non contineri verbum Dei: quamlibet fæminam suæ sectæ esse verum sacerdotem, qui consecrare possit. 20. *Waldensium errores.*

Observ. 2. Waldensium propaginem quamdam fuisse *Albigenses*, in Albigesio exortos in Gallia. Docebant isti cum Manichæis duo esse rerum Principia, bonum nempe, seu Deum, & malum, sive diabolum, quem credebant omnia corpora creâsse. Negabant confessionem peccato- 21. *Albigensium.*

rum, purgatorium, infernum, resurrectionem corporum, Funeralia, Ecclesias, baptismum, Evcharistiam, extremam unctionem &c. abjiciebant Transmigrationem animarum in corpora etiam brutorum prædicabant. Christum non fuisse verum Deum & hominem. Ante adventum Christi nullos fuisse bonos. Malum hominem desinere esse Episcopum. Ecclesiam non posse aliquid possidere, neque in communi: neque posse constitutiones facere, neque excommunicare: nullum esse peccatum originale: mundum semper exstitisse: matrimonium esse malum: ablata non esse restituenda. Vide *Sanderum de visibili Monarchia lib. 7. ad an.* 1198. *hæresi* 151. *ubi hæreses istas recenset ex Bernardo Luzenburgensi, S. Antonino* &c.

22. *An ab iis Lutheranorum epocha.* *Observ.* 3. Lutherum aliósque Novatores complura ex profligatissimis istis, atque sceleratissimis hæreticis desumpsisse, atque in farraginem novi sui sistematis intulisse, ut adeò quidam epocham Lutheranismi ad Waldensium & Albigensium tempora referant. Verùm utùt Lutherus, ipsiúsque progenies varia ex mercibus illis pestiferis collegerint in multis tamen ab iisdem discrepant, ut proin nullatenus blandiri sibi possint, Ecclesiam suam (quod tamen insigni ipsis esset probro) in Waldensibus & Albigensibus fuisse visibilem; nisi promiscuum chaos, & miserandum scepticismum atque informem indifferentismum, ex desperatione altioris originis, velint invehere, ùt latiùs ostendi adversùs Præcones Tigurinos *Observationum part.* 3. *de Ecclesia colloq.* 2. *cap.* 2.

ARTICULUS IV.

De Concilio Generali XII. Lateranensi VI.

Sub

Innocentio III. & Friderico II. pro recuperanda terra sancta anno 1215.

SUMMARIUM.

§. 1.

Synopsis Historica.

De expeditionibus sacris.

1. *Expeditiones sacræ.*
2. *Fuerunt decem præcipuæ.*
3. *Prima Bullionii, aliorumque Principum gloriosa, expugnata Nicæa, Antiochia & Jerosolyma, erecto regno.*
4. *Altera Welfonis, perfidia Alexii Comneni frustrata.*
5. *Bullionio in regno succedit Balduinus;*
6. *Equitum ordines instituti.*
7. *Venetorum virtute Tyrus expugnatur.*
8. *Tertia expeditio à Conrado III. Imperatore & Ludovico VII. Galliæ Rege suscepta, infausta propter invidiam ac perfidiam Manuelis ac Græcorum, atque discordias Ducem.*

9. *Sala-*

9. *Saladinus Guidonem Lusignanum Jerosolymæ Regem vincit ac capit.*
10. *Amissa Jerosolyma ac Palestina.*
11. *Suscepta igitur quarta expeditio à Friderico I. Imperatore, Leopoldo Austriaco, & Richardo Angliæ Rege. At rursus infausta. Imperator in balneo obiit, reliquos discordia fregit; unde capta Ptolomaide redierunt.*
12. *Richardus felicior in itu, quàm reditu; in illo Cyprum cepit, in hoc ipse captus est.*
13. *Ordo Teutonicus.*
14. *Quinta expeditio pariter fine suo frustrata.*
15. *In sexta, à Balduino & Dandalo suscepta expugnata Constantinopolis, translato ad Latinos orientali Imperio.*
16. *Venetis Creta concessa cum Ægæi insulis.*
17. *Septimam adornavit Andreas Rex Hungariæ; expugnata denuo Jerosolyma cum Damiata: at mox amissa.*
18. *Octavam Fridericus II. Imperator, qui recepta Jerosolyma mox rediit.*
19. *Nona decreta est in Concilio Lugdunensi I. suscepta à S. Ludovico: qui à Barbaris captus, Damiatam restituere coactus est.*
20. *Decimam denique idem Rex molitus est cum Eduardo Angliæ Principe. At expugnata Carthagine obiit.*

§. 2.

Observatio critica circa istas expeditiones.

21. *Protestantium querelæ contra illas. Vindicantur.*
22. *Saraceni in Hispaniam.*
23. *Irruptiones Turcarum.*
24. *Opponenda arma communi studio.*
25. *Obstruendi fontes irruptionum.*
26. *Fructus insignes.*
27. *Hodiedum perdurantes.*
28. *Equitum Hospitaliorum origo & progressus.*
29. *Rhodum strenuè propugnant, sed tandem amittunt.*
30. *Ordinis Teutonici initia & progressus.*
31. *Prussiam & Livoniam occupant.*

§. 3.

Decretum Concilii IV Lateranensis pro adornandis sacris expeditionibus.

32. *Summa frequentia Prælatorum in hoc Concilio.*
33. *Refertur decretum circa suscipiendam sacram expeditionem.*

§. 4.

Canones conditi pro Ecclesiastica disciplina

34. *Recensentur 70. hujus Concilii Canones, qui sub nomine Innocentii III. inserti sunt Juri Canonico.*

§. 5.

Observatio circa errores in hoc Concilio damnatos.

35. *Albingensium furor.*
36. *Simonis Montfortii inaudita fortitudo.*

§. I.

Synopsis Historica de Expeditionibus sacris.

1. *Expeditiones sacræ.* Inciderunt in hæc tempora *Expeditiones sacræ,* quas *Cruciatas* appellant: quia videlicet *Crux prædicabatur*, atque Christiani per Europam commovebantur, propositis indulgentiis, ut cruce insigniti ad *bellum sacrum* proficiscerentur; principaliter quidem adversùs Mahometanos, pro recuperanda ac defendenda *Terra sancta*, seu Palæstina, Christi Domini vestigiis ac sepulchro nobilitata: tum etiam adversùs eosdem Mahometanos, Saracenos, & Turcas, Hispaniam aliásque Christiani orbis Provincias invadentes: denique etiam contra hæreticos, maximè Albigenses in Gallia, ac postmodum adversùs Hussitas in Bohemia, uti etiam quandoque contra pacis Ecclesiasticæ perturbatores. Diplomata autem, quibus summi Pontifices ad ejusmodi expeditiones bellicas pro defensione Christianæ fidei Christianos adhortabantur, appellatæ sunt *Bullæ cruciatæ:* quarum nomen hodiedum est frequens, cùm non modica contineant privilegia.

Porro cruces, quas benedictas vel ad dexterum humerum, vel ad pectus, vel in pileo assutas gestabant, pro diversitate nationum diversi erant coloris; Angli siquidem gerebant albas, Franci rubras, Belgæ virides, alii alias. Et quoniam præcipua cura temporis hujus Pontificum & variorum Conciliorum fuit, expeditiones in terram sanctam adornare, non erit ab instituto alienum, epitomen earum præmittere.

2. *Decem.* Decem autem celebriores ejusmodi numerantur Expeditiones. Primò enim authore Urbano II. adversùs Saracenos pro recuperanda terra sancta crux prædicata est in Concilio Claromontano anno 1095. *Petro Eremita*, è Palestina reduce, exhibente gementis sub jugo immani terræ sanctæ suspiria. 3. *Prima Bullionii.* Altero subin anno à Christianis Proceribus *prima* expeditio suscepta, Principe *Godefredo Bullionio*, Duce Lotharingiæ: cui comites ibant *Balduinus* & *Eustachius* ejus fratres, *Hugo* frater Regis Galliæ, *Robertus* Flandriæ Comes, *Stephanus* Blesensis, *Raymundus* Tolosanus, *Boëmundus* Apulus, cum effusissima mortalium copia.

Præ-

Prælusum expugnatione *Nicææ* in Bithynia & *Antiochiæ* in Syria, centum facilè millibus Saracenorum cæsis. Tum verò Bullionius, Boëmundo Antiochiæ Duce præposito, ad ipsam *Jerosolymam* admovit exercitum, quam memorabili ad posteros fortitudine, primus in muros assiliens, incredibili hostium strage edita, 38. obsidionis die in potestatem Christianorum redegit, non tantùm murali sed regia corona dignus, quam copiarum Duces ei imposuêre anno 1099. Atque hoc pacto Jerosolyma non tantùm jure postliminii, sed belli etiam Christianorum facta, ad multos annos *regnum* eisdem dedit, ad hodiernum autem usque diem *regni titulum*. Ad Ascalonem mox promota victoria, Barbaris ubique magna suorum clade in fugam actis. *Capta Nicæa, Antiochia & Jerosolyma.*

4. Res tam prosperè atque ultra Europæ spem in Asia gestæ, mirum dictu, quantùm erexerint animos, quos operis tam ardui atque ancipitis desperatio antè dejecerat. Secunda igitur anno 1101. expeditio adornatur, tripartito exercitu, ex Germanis, Gallis, & Italis conflato, Duce *Welfone* Bavariæ Principe, ut auspiciis adeò felicibus par coronis imponi queat. At hæsit fortuna, fatigante illam invidia *Alexii Comneni* Imperatoris Græcorum, qui, licèt à Saracenis & Turcis undique oppressi, & in majores semper redacti angustias, ægriùs tamen ferebant, Latinos in agro suo, ùt rebantur, metere: unde non tantùm consilia & arma cum Latinis non conjungebant, quibus increscens illa ac formidanda Ottomanorum potentia succidi poterat, sed intentatum nihil reliquêre, quo sacras illas expeditiones irent perditum. Et cùm vis eorum à *Boëmundo* novo Antiochiæ Principe cruento prælio esset fracta, ad artes Græcas, hoc est, fraudes conversi, Welfonis expeditionem cassam reddere sunt conati. *Altera à Welfone.* *Perdita à Græcia.*

5. Malum alterum mors Godofredi Bullionii, quem altero ab inito regno anno immatura rebus Christianis falce demessuit. Successit in regno Jerosolymæ *Balduinus* frater; urbésque maritimæ Palestinæ Genuensium ope expugnatæ. Jacta pariter tenui principio magnarum rerum semina, institutis anno 1104. *Hospitalariis*, quorum erat ad S. Christi sepulchrum peregrinis providere necessaria: atque ut id muneris obirent religiosiùs, sacris vestibus cum alba cruce in pectore à vulgo sunt distincti. Necessitas tuendi peregrinos accendit in eis militares spiritus; unde ex Hospitalariis istis orti generosi Equites, dicti primùm Equites *Jerosolymitani* sancti Joannis postea *Rhodii*, dein *Melitenses*, irrumpentis Turcæ agger perennis, & succrescens sibi ipsi sinè fæmina soboles Martia. *Bullionio succedit Balduinus* *Equitum ordines.*

Haud multò post anno videlicet 1118. Jerosolymis Ecclesiæ nata altera progenies, instituti fermè similis, *Templarii* nempe, sic dicti, quia juxta porticum templi sedem fixêre. Finis erat, peregrinos in Palæstinam

læstinam deducere, & adversum grassantem Saracenum tutos præstare: magno in futurum nomine & opibus immensis. At inde pernicies & ruina Ordinis.

7. *Venetorum virtus* Venetorum tunc etiam gloria grandibus in oriente rebus gestis inclaruit. *Michaël* quippe eorum Dux, instructa classe tranans maria, *Joppen* à Turcis obsessam liberavit, *Tyrúmque* Alexandro æmulus expugnavit: felicior illo, quia promptior.

8. *Tertia à Conrado III. & Ludovico VII.* Cùm autem subsidente jam Christiana fortuna Saraceni *Edessam* cepissent, neque Hospitalarii & templarii Equites peregrinos ab eorum injuria defendere possent, regnúmque ipsum Jerosolymæ periclitaretur, authore *Eugenio III. S. Bernardus*, Rex ille animorum, Christianos Principes ita permovit, ut Conradus III. Imperator, & Ludovicus VII. Rex Galliæ *Tertiam* expeditionem cum innumerabili signatorum multitudine anno 1145. suf- *Infelix ob perfidiam Græconem* sciperent. At irritus fuit tantus apparatus, *Manuelis* præcipuè Imperatoris Græci invidia atque perfidia. Is enim promisso transitu & commeatu, frumento subtracto, aut gypso permixto, morbis, fame, viarúmque erroribus corrupit exercitus. Delatæ tandem accisæ tot malis copiarum reliquiæ in Syriam, *Damascum* oppugnârunt; sed orta Duces inter invidia, atque, rerum gerendarum peste, discordia, soluta obsidio, redeuntibus in Europam Cæsare ac Rege.

Atque ita florentissimi exercitus, à generosis ducti Principibus, ex fortissimis conflati nationibus, religioso sanctóque impulsi consilio, non modò re prorsus infecta, sed calamitosissimè gesta, perierunt.

9. *Saladinus. Guido.* Tum verò ad ruinam properavit Palæstina, & spe & subsidiis destituta. *Saladinus* quippe (ingens apud Saracenos nomen) Ægypti Calypha magna virtute conserto prælio *Guidonem Lusignanum* Jerosolymæ Regem acie victum, captivúmque abduxit, flore Equitum cæso, ipsáque Jerosolyma Barbaris tradita, funestum exemplum sequentibus reliquis urbibus, ut adeò tres duntaxat civitates, Tripolis, Tyrus & Antiochia Christianis
10. *Amissa Jerosolyma.* superessent; sicque amissum Jerosolymæ regnum, quod 88. annos à novem Christianis Regibus variantibus inter se prosperis & adversis gubernatum fuerat.

11. *Quarta à Friderico I.* Ingemuit Occidens audita fatali Orientis clade: móxque reparandis ruinis animum applicuit. Quare auctore *Gregorio VIII.* ingentes tota Europa delectus fiunt; atque Ducibus Imperatore *Friderico* Barbarossa, *Leopoldo* Austriæ Duce, *Philippo II.* Rege Galliæ, *Richardo I.* Rege Angliæ, totus fermè occidens in orientem moveri visus est anno 1190. Quis non crederet, obruendum tanta mole Saracenum, lascivientem victoriis? at minor semine fuit messis. Causa non una exspectationis fru-

fruſtratæ; & caſus funeſtus Friderici Imperatoris, infeliciùs Alexandro balneantis in Cydno, & diſſidia (perpetua Chriſtianorum labes) ad obſidionem *Ptolomaidis* Gallos inter Anglósque, hósque inter & Leopoldum Auſtriacum ob detracta à tentorio inſignia, exorta, mórsque Friderici *Infauſta.*
Junioris, Imperatoris in flumine extincti, filii. Occupata proin Ptolomaide, exili tantæ molis monumento, in Europam rediêre exercitus, captúsque in reditu à Duce Leopoldo Richardus Rex Angliæ (in ſinu adriatico naufragium paſſus & ad terras Auſtriacas appulſus) ob injuriam ad Ptolomaidem propter decuſſa inſignia Auſtriaca irrogatam.

Felicior in itu quàm reditu Richardus fuit, dum enim Palæſtinam ver- 12.
ſus claſſem trajiceret, in tranſitu *Cyprum* perfidis Græcis eripuit, atque Gui- *Cyprus.*
doni Luſignano ejecto Regi Jeroſolymæ dedit: unde extincto Solymæo (retentóque ſolo illius titulo) novum à Chriſtianis regnum erectum, ſub 17. Cypri Regibus per 283. annos, ac denique per alios 95. uſque ad annum Chriſti 1571. ſub Venetorum poteſtate, continuatum.

Tunc & tertius Militum Ordo, nempe *Teutonicus*, anno nempe 1192. 13.
Hoſpitalariis & templariis in oriente acceſſit ad repellendos Saracenos; *Ordo Teutonicus.*
crucibus nigris chlamidibus albis aſſutis diſtincti hi Equites: cúmque Hoſpitalarii & Templarii ex Francis potiſſimùm & Belgis tunc eſſent aſſumpti: ex Germaniæ nobilitate iſti ſunt ſelecti; ut haberet fortiſſima natio etiam ultra mediterraneum & virtutis generoſæ campum & palmarum. At deſperatis in Aſiæ rebus Europæus Septentrio, gentilitati adhuc permixtus, fortitudini ſpatium apperuit, Pruſſia & Livonia potituræ; at neſcio, quo jure inde dejiciendæ.

Urgebat ſubin anno 1195. *Cæleſtinus III. quintam* expeditionem crucia- 14.
tam, mittente etiam *Henrico VI.* Barbaroſſæ filio, ex Germania ſuppetias. At *Quinta.*
hujus pariter proſperos initiô ſucceſſus vetus malum, diſcordia & perfidia evertit.

Sextam magnopere urgebat *Innocentius III.* adjutore Martino Periſii 15.
in Alſatia Ordinis Ciſtercienſis Abbate. Cùm igitur anno 1204. *Balduinus Sexta.*
Flandriæ Comes ſacræ Dux militiæ perveniſſet in Italiam, perſuaſus à Venetis, ut conjunctis cum *Dandalo* eorum Duce armis, per Thraciam iter arriperet, in tranſitu repoſiturus Alexium Angelum Juniorem, ad Venetos profugum ac ſupplicem, in thronum, quo ipſe cum patre ſuo excæcato à patruo Alexio Comneno fuerat dejectus.

Expugnat igitur Balduinus cum ſignato ſuo exercitu Venetis junctus 16.
Conſtantinopolim, cogitque Græcos, ut Alexium Juniorem Imperatorem a- *Conſtantinopolis capta.*
gnoſcerent; qui tamen ea erat moderatione & pietate, ut patrem *Iſacium*, quamvis excæcatum à fratre, reddito diademate collegam adſciſceret.

Quia

Quia tamen Græci pro sua levitate, odio in Latinos flagrantes, *Alexium Ducas*, regii generis hominem, *Murzuflum* cognominatum, throno imponerent, interempto Alexio & Isaco, Latini rursus expugnârunt Constantinopolim, Balduino dicto orientis Imperatore: qui Venetis Cretam seu Candiam cum plerisque Archipelagi insulis cessit, debitum auxilii præmium. Aliis pariter laborum sociis in partes vocatis: Bonifacio videlicet Montferratensi Thessaliæ & Peloponesi Rege dicto, Achaiam & Athenas Godofredo occupante. Græci verò Europa ejecti, transmisso Bosphoro, Hellesponto & Propontide, primum Nicææ dein etiam Trapezuntii novum fundârunt Imperium, ut adeò 60. annis esset Orientis Imperator, Latinus in Europa, Græcus in Asia.

Quamvis autem ingens expeditionis istius sextæ fructus exstiterit, Thracia videlicet, Macedonia, & Græcia, cum adjacentibus insulis: Balduino tamen haud diu frui licuit victoria, cùm Adrianopolin obsideret, à Bulgaris capto, & in carcere crudeliter occiso, (succedente in Imperio Constantinopolitano *Henrico* fratre) nec multùm profuit Terræ sanctæ sub dira Saracenorum tyrannide gementi. Quare Innocentius III. omnem curam intendens eidem liberandæ, Concilium Generale, Lateranense IV. indixit, ut totum Christianum orbem incitaret ad ferendum oppressis auxilium: móxque plures Principes, quos inter Fridericus II. Imperator, cruce signati sunt.

17. *Septima ab Andrea*

Septima dein expeditio suscepta est anno 1217. ab Andrea Rege Hungariæ & Leopoldo Austriæ Duce. Expugnata denuo Jerosolyma cum Damiata; at mox iterum in Saracenorum potestatem relapsa.

18. *Octava à Friderico II.*

Tristi hoc rerum orientalium statu *Joannes Brennus*, uxorio nomine Regis Jerosolymæ titulo insignitus, venit in Italiam anno 1223. ubi filiam suam *Jolantham* Friderico II. Imperatori ac Siciliæ Regi despondit, dato in dotem jure Regni Jerosolymitani. Quare Imperator, jam anno 1215. cruce signatus, & sub anathematis minis ad exsolvendum votum impulsus, tandem anno 1228. validissimo instructus exercitu iter iniit, sícque *octavam* in orientem expeditionem suscepit.

Jam inde à prima Bullionii expeditione nulla hac felicior fuisset, si viribus suis uti Fridericus voluisset. Cùm enim Jerosolymam, Bethlehemum, ac Nazarethum, cum aliis quibusdam locis recepisset, coronatus anno 1229. Rex Jerosolymæ, cùm facilè totam expugnare Palæstinam potuisset, inita cum Barbaris pace, nullo tentato prælio, in Europam rediit. Jerosolyma autem brevì post iterum à Saracenis est occupata, relicto duntaxat Siciliæ ac Cypri Regibus titulo.

19. *Nona à Ludovico.*

Nona expeditio decreta est in Concilio Lugdunensi I. atque suscepta à S. Ludovico, Rege Galliæ anno 1248. adhortante Innocentio IV. expugnata

pugnata tum quidem est *Damiata:* sed peste in exercitum grassante, reliquiæ à Barbaris cæsæ sunt, capto ipso Rege Ludovico, qui pro lytro Damiatam restituere debuit, sícque tota expeditio effectu optato est frustrata.

Verùm Rex sanctus, zelo honoris Dei, & Christianorum suspirantium charitate flagrans, anno 1270. alteram *decimam* nempe cum *Eduardo* Angliæ Principe expeditionem ingressus, expugnata Carthagine, Tunetum obsidens, in Africæ ora maritima sanctissimè obiit. Carolus ejus frater, Rex Siciliæ, cum Tunetanis pacem iniit; Eduardus verò intellecta Ludovici morte, pactus cum Saracenis inducias, ex Palæstina rediit. 20. *Decima ab eodem.*

§. II.

Observatio critica circa istas expeditiones.

Protestantes passim invehuntur acerbo calamo in sacras istas expeditiones, eásque velut inconsultas, temerarias, prorsúsque inutiles, atque ex politicis duntaxat rationibus ad occidentis regna exarmanda, ac dominatum suum stabiliendum, à Romanis Episcopis sub fuco religionis, ac sacri sepulchri recuperandi adornatas reprehendunt. 21. *Vindicantur.*

Verùm nescio cujus spiritus esse videatur, tot Imperatores, Reges, Principes prudentissimos, omnémque adeò Europam turpis insipientiæ arguere. Quis credat, tot Principes aliósque viros sapientissimos sibi præsentia non visuros fuisse, quæ post Sæcula temporis nostri Aristarchi, longissimè remota, se videre prætendunt? Quid aliud tot gentes sedibus suis ac patria emovere poterat, nisi honor Dei, amplificatio Religionis Christianæ, gemitus Christianorum oppressorum, recuperatio terræ, patribus olim populóque illi electo, promissæ, ac dein Divini Servatoris Nativitate, vestigiis, sudore, sanguine, morte ac sepulchro sacratæ, repressio denique immanis Saracenorum Turcarúmque tyrannidis, jugíque Barbari, Christianorum cervicibus undique jam imminentis? Quid aliud quærere poterant summi Pontifices, Synodus Claromontana, Lateranensis IV. Lugdunensis I. aliáque complura orbis Concilia, in quibus expeditiones istæ summa voluntate & melioris orbis consensu sunt decretæ? Aut cui tandem Principum, dum bello sacro impliciti procul foris aberant, quidquam domi ereptum, detractúmve?

Quamvis autem princeps finis non tanta stabilitate, qua sperabatur, firmari potuerit, quis tamen neget, prudenti omnino sanctóque Consilio Sacram illam militiam esse conflatam? Nam præterquam, quòd dignissima omnino fuerit Christiana mente cogitatio, terram illam Sanctissimam, Religionis Christianæ Mysteriis tantopere insignitam decoratámque, è mani-

bus impiissimorum pietatis hostium, atque iniquorum usurpatorum eripiendi, verúmque Christi cultum ibidem restaurandi; necessitas profectò ipsa Consilium ejusmodi inire Christianos compulit. Quippe non tantùm Asia & Africa, sed neque Europa immaniores, magísque periculosos hostes habuit, quàm Saracenos, iísque fœderatos Turcas.

22. *Saraceni in Hispaniam.* Nam postquam funesta illa orbis fax *Mahometes*, impostor impius, sæculo septimo Arabes suos in arma concitaverat, Saraceni isti non tantùm Arabiam, Persiam, Ægyptum, Cyprum, Rhodum, Asiam Minorem, atque Africam occupârunt, sed etiam columnas illas Herculis trangressi, atque in Europam effusi, cæso Roderico Rege, turbinis instar, Hispanias pervolârunt potiùs victoriis, quàm emensi fuerint, trepidantibus undique, quas Mediterraneum aluit, florentissimis Provinciis.

23. *Turca.* Atque ut nihil ad calamitatem & ruinam Christianorum deesset, sæculo octavo gens alia, multò inauspicatissima, ex Scythia, transmisso Caucaso, in Christianas terras irrumpens, velut fulmen quoddam horrendum, Armeniam, Messopotamiam, Babyloniam, Assyriam, ac universas ad Tygrin & Euphratem Provincias prostravit, atque immane barbarúmque sub jugum misit. Quódque omnium formidandum maximè fuerat, gens ista Scythica cum Arabica illa Saracenorum pace inita ac fœdere juncta, in populum unum, *Turcarum* nomine insignitum, potentiámque vastissimam ad Christianitatis cladem coaluit.

24. *Opponenda arma.* Hic igitur hostis, talis tantúsque cum esset, non contentus Asia, Africa atque Hispania, in totum Mediterraneum dominatum exporrexit: Atque in eo Candiam, Siciliam, Sardiniam, Corsicam, Calabriam, Apuliam, aliásque Italiæ Provincias truculentis armis subegit, & crudelitate plùs quàm barbara oppressit, trepidante non raró Roma ipsa, quò vis illorum effera pervaserat.

Jam verò in hoc rerum articulo, num Christiani Principes otiosi torpentésque spectarent Europam diripi? Urbium cineres, Provinciarum vastationes, oppressorum singultus, Christianitatis excidium, nullum sensum generosis spiritibus ingererent? Torrenti rapido nulli opponendi aggeres? nulla meta figendi crescenti in dies immani potentiæ? Nulli Pontificum, nulli Principum hæc curam aliquam injicerent? Non arma Christianorum socianda adversùs hostem singulis fortiorem?

At in Europa profligandus erat hostis: Non ultra mare eundum ad restinguenda incendia propriis domi tectis ardentibus (hæc crisis eorum est, quibus nihil tam sanctum, quod arrodere non sit volupe) verùm quamvis sæpe pugnatum cum Saracenis in Europa fuit, à Pelagio videlicet, Alphonso, Froila, Ramiro in Hispania, à Carolo Martello, & Carolo M. in Gallia, ab Othone II. & Normannis in Calabria, Apulia, Sicilia, hydræ

dræ

dræ tamen instar portentosum hoc monstrum semper succreverat, novis identidem copiis ex Asia & Africa affluentibus.

Fontes igitur obstruendi erant, non sola semper Europa bellorum injuriis conquassanda; in hostile solum transferendum bellum, atque Scipionis illius Africani arte pugnandum. Hic siquidem heros incomparabilis, cùm Romani Hannibalem pellere Italia non possent, transmisso cum exercitu mari, in Africam bellum transtulit, sequi coacto, ingemiscente fato suo, Hannibale, cùm proprios Penates ardere cerneret. Quo pacto non tantùm ab hoste invincibili liberata est Italia, sed & Carthago sub jugum missa. 25. *Obstruendi fontes.*

At non ea fuit, inquiunt, cruciatæ expeditionis felicitas; habitatoribus viduatæ Christianæ Provinciæ; multa mortalium millia miserè perdita; occupata Palæstina, at non alio proventu, quàm ut turpiùs inde ejiceremur. Sed, quamvis non ab eventu sint metienda consilia, magnam tamen utilitatem expeditiones illas attulisse est in comperto. Quid enim ad supremi Numinis honorem gloriosius, quàm tot exercitus sibi uni auctoratos sacratósque cernere, novósque velut Machabæos ad eliminandam abominationem desolationis stantem in loco sancto, accurrere, zelo reparandi Divini cultus accensos?

Sed neque effectus pio consilio defuit. Expugnata jam in prima expeditione a Bullionio & Balduino Jerosolyma cum reliquis Palæstinæ urbibus: Erectum crucis vexillum; Cultus Divinus redditus: Terra sancta Christiànis consita: Fundatum Regnum, quod sub novem Regibus ad nonaginta annos stetit, per intervalla postea etiam reparatum: Magnis Europæ Principibus hodiedum ejusdem titulo ac jure gloriantibus. Erepta tunc etiam Saracenis Nicæa, erectus Antiochiæ Principatus, qui centum ultra annos sub Boëmundi, fortissimi Normanni, Christianis hæredibus floruit: Atque hoc pacto Antiochenus ac Jerosolymitanus Patriarchatus ad Ecclesiam reductus. 26. *Fructus.*

Quid Cyprum memorem, in expeditione quarta, depulsis perfidis Græcis, Ecclesiæ assertam, condito ibidem regno, sub 17. Regibus per 283. ac deinde sub Venetis per 95. annos staturo? Quid Cretam, Rhodum, aliásque Mediterranei & Ægei Insulas?

An contemnenda nobis res esse videatur Orientale Imperium expugnata Constantinopoli, Latinis atque Ecclesiæ assertum? Taceo ea, quæ in Ægypto ac Regno Tunetano Christianis accrevêre.

At amissa sunt hæc rursus omnia: Quid tum? An insipientes propterea, an inutiles expeditiones illas dicemus? Amissa est Monarchia Assyriorum, Persarum, Græcorum; eversa Romanorum, Carthaginensium Spartanorum, Atheniensium Respublica; extincta tot Regna & Imperia:

 An

An propterea insipienter ac frustra tot curis quæsita, bellísque parta? Insipientem Alexandrum, Pompeium, Cæsarem, qui ea per arduas expeditiones quærerent, quæ rursus amitterent! Est hæc rerum humanarum indoles: Temporales sunt: Volvuntur, revolvuntur. Cessent mortalium industriæ, si perennitatem in terris quærant: Si ea moliantur, quæ nullis sint obnoxia temporum injuriis. Unum duntaxat Regnum est, cujus non erit finis.

Sed neque amissos omnes belli sacri fructus dicere possumus. Nobis etiam militavit provida antiquitas: Hodiedum metimus, quæ illa seminavit. In Turciam fortassis dudum abiisset omnis Europa, nisi aggerem posuissent Sacræ Cruces. Cùm enim Barbari in Oriente bellis cum nostris essent impliciti, nullas ampliùs in Occidentem mittere poterant suppetias. Exarescente proin fonte, rivi facilè sunt exsiccati.

27. *Hodiedum præsentes.* Atque hoc Concilio sanè auspicatissimo, spirare liberiùs Europæ licuit: Recepta Hispania, à Mauris antea per tot annos tantáque pertinacia pressa: Fundatum Lusitaniæ Regnum, hodiedum florentissimum, Saracenorum ruinis superstructum; Via aperta ad erigendum firmandúmque Christianis Regnum utriusque Siciliæ. Sardiniam & Corsicam jam Anno 852. Mahometani rapuerant: Nec recipi poterat infelix spolium, donec accisis per Sacram militiam Barbarorum rebus, illa cessit Friderico II. Cæsari, hæc Genuensi Reipublicæ, adempta hostibus non tantùm utraque Insula, sed etiam spe ac redeundi voluntate. Clausa erant, quæ Europam Africámque separant, maria, compressa navigatio, turbata commercia, Saraceno tridente vindicante sibi maris dominium. Cruciatis classibus, signatísque Heroibus debetur libertas, qua Europa fruitur. Quin dicere possumus, ipsas etiam, optimas adeò, navigationes in Asiam & Americam, atque hac ratione utramque Indiam Europæ atque Ecclesiæ apertam, Sacrarum Expeditionum sementem esse. Nisi enim validissimæ illæ cohortes aliò avocâssent Saracenos, ac prætervectæ non raro cruciatæ classes fuissent Christianis auxilio, sícque Hispaniam & Lusitaniam liberassent, nunquam tam vastis navigationibns via fuisset aperta.

28. *Equites Hospitalarii.* Sed neque illi, quos suprà memoravi, exigui fructus sunt belli sacri, hodiedum primævo flore vernantes, status inclyti Romani Imperii, fundati videlicet complures Religiosi Equitum Ordines, ad Religionis tutelam, ac perenne Ecclesiæ decus. Et quidem Hospitalarii, jam in prima expeditione, sub *Gerardo* primo Magistro, instituti, peregrinantes Europæi perpetuam haberent, fidámque corporis custodiam, Dicti *Hospitalarii* ab Hospitali, quod Jerosolymis pro pauperibus & peregrinis erexerant, & administrabant. Et quia ibidem templum sub titulo & invocatione

S. Joan-

S. Joannis condiderant, ab illo etiam nomen acceperunt, Equites *Johannitæ* dicti.

Jerosolymâ à Saracenis denuo expugnatâ, Ptolomaidem centum adhuc annos magna fortitudine defenderunt, ad annum 1291. Tum in Cyprum progressi; indéque etiam post 18. annos à Saracenis pulsi *Rhodum* occupârunt: (unde *Rhodii Equites* nuncupati) quam Insulam ad ducentos 29.
annos propugnârunt contra Turcas, & ipsum etiam Mahometem II. qui *Rhodus.*
post eversa duo Christiana Imperia, Constantinopolitanum & Trapezuntinum, post domitos Persas, magnúmque illum Scanderbegum Græciâ pulsum, ad hunc tandem scopulum impegit. At cùm anno 1522. Solymannus II. ducenta Barbarorum millia ad obsidendam urbem adduceret, hoc etiam Christianorum propugnaculum amissum est, non sinè proditione Amaralii Ordinis Cancellarii: Cui, ut dignum perfidiæ præmium caperet, vivo cutem abstrahi Solymannus jussit: Ut filia sua potiatur, priùs exuendam Christianam pellem & Turciam induendam dictitans.

Dispersi tum sunt Equites, aliis in Cretam ad Venetos, aliis in Siciliam ad Hispanos, aliis Viterbium, ab Adriano VI. in Italia ipsis concessum, dilapsis: Donec Carolus V. Imperator Melitam Insulam eisdem permisit, quam in hanc usque diem memorabili constantia propugnant, *Melitenses* inde Equites dicti.

Quidquid autem Equestris hic ordo per sexcentos & ultra annos pro Christiana Republica adversum juratos ejusdem hostes fortiter gessit, sacrarum Expeditionum fructus est. Defensa à Religiosis istis militibus per 88 annos Jerosolyma, per 188. Ptolomais, per 213. Rhodus aliæque Insulæ, per 200. & ultrà Melita: Depulsus anno 1440. à Rhodo Sultanus Ægypti, anno 1480. fulmen illud belli Mahometes, anno 1565. Solymannus à Melita: Attritæ ferocientis Ottomanni vires, disjectæ classes, cæsa per intervalla plura centena Turcarum millia: Et quidquid à generoso isto Equestri ordine per Europam, Asiámque ad cultum Dei, ad defensionem Christianæ Reipublicæ, ad Ecclesiæ Sanctæ decus & incrementum gestum novimus, cruciatis id omne in Palæstinam Expeditionibus tanquam fonti est adscribendum.

Quid jam dicam de ornamento, utilitate, salute, quæ ex altero Eque- 30.
stri Ordine, prioris æmulo, Teutonico nempe in Christianam Religionem *Ordo Teu-*
rémque publicam omnem profluxit? fundatus hic fuerat anno 1191. à *tonicus.*
Guidone Lusignano, Rege Jerosolymæ, approbante Patriarcha, ipsóque summo Pontifice, post expugnatam à sacris exercitibus Ptolomaidem, ubi generosa virtus Teutonicæ Nobilitatis, quæ Fridericum I. Imperatorem fuerat comitata, post mortem etiam hujus, comprimis enituit; primus Ordinis Magister Walpotus Passenhemius. Finis defensio terræ Sanctæ

& peregrinorum suæ Nationis adversus Saracenorum incursus. Sedes fixa Jerosolymæ in monte Sion; habitus vestis alba Cruce nigra distincta. Dicti etiam Equites *Mariani*, quia sub tutela & invocatione potentissimæ Cælorum Reginæ militabant.

31. *Prussia.* Et militabant strenuè in Palæstina adversus Barbaros 130. annos. Tum virtute multitudini hostium cedere coacta, in Germaniam se receperunt, fixa sede principe Marburgi in Hassia: Cúmque fortitudo eorum bellica ubique inclaresceret, Dux Masoviæ adversus incursus infidelium adhuc Prussorum in auxilium eos vocavit, ea conditione, ut jure belli retinerent, quod essent occupaturi. Neque fortuna virtuti defuit: Devictis namque pulsísque Prussis Marienburgi consedêre, consita regione Christianis *Livonia.* coloniis. Tum verò promota ad Livones victoria, ex ea pariter Provincia gentiles, qui Christianos oppresserant, ejecêre: Atque hoc pacto, sicut Prussiam, ita Livoniam etiam sunt adepti: Possessione utriusque ad sæculum usque 16. continuata. Quo tempore, sanè turbulento, nescio quo novo ac peregrino *Sæcularizationis* titulo ac nomine invento. Prussia ab Alberto Brandenburgico, Livonia verò à Gothardo Kettlero est occupata, usurpantibus ad novi Evangelii placita Magistris, ùt propria, quæ toti ordini erant communia. Equites verò per Germaniam dispersi, ínque varias Provincias divisi, sedem primariam Mergenthemii in Franconia collocârunt; quo in circulo inter Ordines imperii hodiedum sunt conspicui: Magno Magistro in Imperii comitiis ante Episcopos, proximo loco post Salisburgensem Archiepiscopum sedem occupante.

Hæc uberiùs forsan, quàm Lector exspectârit, occasione Concilii IV. Lateranensis, quod pro recuperanda terra sancta institutum est, advertere placuit, adversùs malignam Protestantium quorumdam crisin, qua expeditiones illas sacras, tanquam temerarias, insipientes, atque omnino irritas pleno splene solent explodere. Ad institutum jam nostrum redeamus.

§. III.

Summa Decreti Concilii IV. Lateranensis, pro adornandis sacris expeditionibus.

32. Innocentius III. Antecessorum suorum more, Christianæ religionis propagandæ ardore flagrans, curam omnem intendit, ut terra sancta per novas expeditiones sacras è Barbarorum manibus eriperetur. Quem finem planè sanctissimum ut obtineret, ùt patet ex litteris ejus circularibus, Concilium generale Lateranense IV. indicendum putavit, ut collectus orbis Catholicus de republica Christiana contra Saracenos ac Turcas defendenda, restaurandísque orientalibus palmis decerneret.

Invi-

Invitati itaque per litteras, Romæ in Lateranensi S. Salvatoris Ecclesia anno 1215. convenêre ex universo Christiano orbe Patres 1285. (qua frequentia nulla unquam major) atque inter eos, Præside ipso Innocentio Papa, Patriarcha Constantinopolitanus ac Jerosolymitanus ipsimet, Antiochenus verò & Alexandrinus per Legatos: 70. Archi Episcopi: 400. Episcopi: 12. Abbates: 800. Priores, Decani, Præpositi: cum Legatis utriusque Imperatoris occidentalis & orientalis, Regum Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, Hungariæ, Aragoniæ, Siciliæ, Jerosolymæ, Cypri, aliorúmquæ Principum, Rerumpublicarum ac civitatum. *Frequentia.*

His tanto numero ex toto orbe Christiano congregatis, Ecclesiasticis, ac sæcularibus, Innocentius Papa facunda atque eleganti oratione Concilium Oecumenicum aperuit, finémque proposuit trinum, liberandi nempe à Mahometanorum tyrannide gementem Jerosolymam, terrámque sanctam; extirpandi succrescens in agro Ecclesiæ hæresum infelix lolium; & reformandi Ecclesiasticam disciplinam, multis in locis labefactatam.

Decretum itaque conditum sacræ expeditionis in terram sanctam instaurandæ; cujus hæc est epitome. 33. *Decretum expeditionis.*

Ad liberandam terram sanctam de manibus impiorum ardenti desiderio aspirantes, sacro approbante Concilio diffinimus, ut ita cruce signati se præparent, quòd omnes, qui disposuerunt transire per mare in calendas Junii conveniant in regnum Siciliæ, aut apud Brundusium, ubi nos personaliter disposuimus adesse. Sacerdotes in Christiano exercitu munere suo ritè fungantur: dissensiones & æmulationes omnes evitent, ut adversùs communem hostem securiùs prælientur, non de sua præsumentes potentia, sed de Divina virtute sperantes.

Ipsi autem Clerici beneficia sua integra percipiant per triennium, ac si essent in Ecclesia residentes, eáque interim pignori valeant obligare. Ne igitur hoc sanctum propositum impediri aut retardari contingat, universi, qui nomen suum dederunt, sub pœna excommunicationis compellantur vota sua Domino reddere; & à Prælatis ad auxilium ferendum incitentur, in remissionem peccatorum suorum, prout in generalibus litteris est expressum.

Ne verò in humeros hominum onera gravia imponere videamur, quæ digito nostro movere nolimus, 30000. liberarum in hoc opus donamus, præter navigium & 3000. marcarum argenti, quæ apud nos de quorumdam fidelium eleemosina remanserunt: aliis jam per Patriarcham, Magistrum templi, & Hospitalis distributis. Omnes pariter Ecclesiastici vigesimam partem Ecclesiasticorum proventuum in triennium conferant: exceptis iis, qui ipsi sunt profecturi. Nos autem & Cardinales fideliter decimas persolvemus; cruce signati autem à collectis, talliis, aliísque gravamini-

minibus ſint immunes; quorum perſonas & bona ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcepimus, ut integra maneant & quieta: nec interim uſuræ ab eis exigantur: Judæis etiam ad hoc compulſis.

Cæterùm quia piratæ nimiùm impediunt ſubſidium terræ ſanctæ, adjutores & fautores eorum excommunicationis vinculo innodamus, inhibentes, ne quis cum eis communicet aliquo emptionis vel venditionis contractu. Excommunicamus præterea illos falſos & impios Chriſtianos, qui Saracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum, aut qui galeas eis vendunt vel naves, vel aliàs illis conſilium impendunt vel auxilium. Prohibemus inſuper omnibus Chriſtianis, ne per quadriennium in Saracenorum terras navigent, ut Major navigii copia præparetur, transfretare volentibus in ſubſidium terræ ſanctæ. Torneamenta etiam per triennium ſub excommunicatione ſint prohibita.

Quia verò ad hoc negotium exequendum maximè neceſſarium eſt, ut Principes Populi Chriſtiani ad invicem pacem obſervent, ſancta univerſali Synodo ſuadente, ſtatuimus, ut ſaltem per quadriennium in toto orbe Chriſtiano ſervetur pax generaliter, ſub excommunicatione in ejusdem perturbatores lata, quam ſi contempſerint, per authoritatem Eccleſiæ in eos inducatur ſæcularis potentia.

Tandem omnibus cruce ſignatis, opem & ſubſidium præſtantibus, ſi fuerint corde contriti, & ore confeſſi, plena peccatorum indulgentia impertitur.

§. IV.

SS. Canones conditi pro Eccleſiaſtica Diſciplina.

34. Canones 70. omnino ſunt in Concilio iſto ſanciti, qui in 5. libros Decretalium Gregorii IX. ſunt relati, magnámque Juris Canonici partem conficiunt: cujus titulos & capitula in margine annotata reperies.

Cap. 1. de ſumma Trinitate. Primus & ſecundus habetur *lib. 1. Decretal. tit. 1. cap. firmiter, & cap. damnamus de ſumma Trinitate & fide Catholica*: in quibus continetur tota de SS. Trinitate doctrina, damnatúrque libellus Joachimi Abbatis, contra Petrum Lombardum editus, cum impiis Almarici dogmatis.

c. 13. de Hæreticis. In 3. excommunicantur omnes hæretici, eósque poſt damnationem ſæculari poteſtati ſubjici ac bona confiſcari jubet, nemo eos toleret in ſua ditione.

c. 6. de captis. In 4. excommunicat Græcos, qui Latinos Sacerdotes ad Altaria execrantur, aut rebaptizant Latinos.

c. 23. de privil. In 5. deciditur tandem plurium ſæculorum lis, quæ etiam non modicam Græco ſchiſmati occaſionem dedit, ut nempe poſt Romanum primus

mus Patriarcha sit Constantinopolitanus, alter Alexandrinus, tertius Antiochenus, qnartus Hierosolymitanus, qui hoc tempore omnes Romanæ erant juncti Ecclesiæ. Præcipitur, ut omnes Patriarchæ à Papa recipiant pallium, præstito eidem fidelitatis & obedientiæ juramento. Patriarchæ autem sibi subjectis possunt dare pallia, & admittere appellationes salva appellatione ad Sedem Apostolicam.

6. Metropolitæ singulis annis celebrent Concilium. *c. 25. de accusat.*

7. Prælati corrigant excessus. *c. 13. de offic. Jud. Ord.*

8. Contra delinquentes procedi potest vel per *occasionem*, vel *denuntiationem*, vel *inquisitionem*. Accusationem tamem præcedat legitima inscriptio, denuntiationem charitativa admonitio, inquisitionem clamosa insinuatio, seu infamia publica. *c. 24. de accusat.*

9. In eadem civitate ne sint duo Episcopi, ritu tamen cuivis proprio sacrificia Divina celebrentur & Sacramenta ministrentur. *Statutum hoc est propter permixtos in eadem urbe cum Latinis Græcos, præsertim ubi Latini Thraciam & Græciam expugnaverant; non tamen per hunc Canonem concessum est, ùt hæretici volunt, in qualibet lingua Divina Sacrificia celebrare: sed tantùm in Latina & Græca.* *c. 14 de offic. Judic. Ord.*

10. Episcopi bonos Concionatores & Confessarios constituant. *c. 15. ibid.*

11. In Cathedrali constituantur Magistri, qui gratis doceant. *c. 6. de Magistris*

12. Singulis trienniis instituantur capitula Religiosorum. *c. 7. de statu Monach.*

13. Vetatur institutio novorum ordinum Religiosorum.

14. Incontinentes Clerici puniantur secundùm Canones. Qui autem secundùm regionis suæ morem non abdicârunt copulam, legitimo matrimonio uti possunt. *Videtur hoc Canone Concilium Græcis concedere usum uxorum, quas ante ordinationem duxerunt.* *c. 9. de Relig. domib.*

15. Interdicitur Clericis crapula & venatio. *c. 13. de vita & honest Cleric.*

16. Clerici se non immisceant negotiis sæcularibus, quæ statum eorum dedecent; aleis, & tabernis abstineant, tonsuram & coronam gerant. *c. 14. ibid.*

17. Abstineant commessationibus, intersint diligenter Divinis officiis. *c. 16. ibid.*

18. Ne intersint Judicio sanguinis, & abstineant à chirurgia, quæ fit per ustionem aut incisionem. *c. 9. de celebrat. Miss.*

19. Vasa & supellectilia templi sint munda *c. 2. de custod. Evchar.* *c. 9. ne Clerici.*

20. Chrysma & Evcharistia sollicitè custodiatur. *c. 1. ibid.*

21. Omnis utriusque sexus fidelis, pestquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata solus confiteatur fideliter, saltem semel in anno, *proprio Sacerdoti*, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere: Suscipiens reverenter ad minùs in Pascha Eucharistiæ Sacramentum. Alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens *c. 12. de pœnit. & remiss.*

Christiana careat sepultura. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa confiteri, licentiam habeat à proprio Sacerdote: Aliàs non potest eum alter absolvere. *Hic est ille celeberrimus Canon, quem Hæretici tanquam novum Concilii inventum tantopere aversantur. Verùm Concilium hic tantùm declararavit, tempus quo Præceptum Divinum confessionis & communionis debeat impleri. Cæterùm usus confessionis privatæ & S. Communionis jam inde ab Apostolorum tempore continua praxi in Ecclesia viguit, ùt plurimis Sæculorum omnium testimoniis jam sæpè à Polemicis, ùt Bellarmino, & Theologis Dogmaticis, ùt Ludovico Simonet est demonstratum. Cæterùm per proprium Sacerdotem intelligitur Papa, Episcopus, Parochus, aut quibus hi per delegationem vel per privilegia potestatem dederint.*

c. 13. ibid. 22. Medici corporis ante omnia advocari curent Medicos animæ. Nec suadeant aliquid, quod obsit animæ.

c. 41. de elect. 23. Ultra 3. menses Ecclesia Cathedralis aut Regularis non vacet. Aliàs electores eligendi potestate pro ea vice priventur, devoluto jure ad proximè superiorem, qui ultra menses non differat providere.

c. 42. ibid. 24. Triplex modus eligendi, per *Inspirationem*, *Scrutinium* & *compromissum*. Aliter facta electio non valet. Convocatis omnibus, qui debent, possunt & volunt interesse, assumantur tres Scrutatores de collegio qui secretò & singilatim voces exquirant, & inscriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto, ut is eligatur, in quem major vel sanior pars consenserit. Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur &c. Ne quis autem Procuratorem constituat, nisi absens sit in eo loco, de quo debeat advocari, justóque impedimento detentus venire non possit: Facta de hoc, si opus, fide per juramentum. Tunc verò uni de Collegio vices suas committat.

c. 43. ibid. 25. Electio facta per sæcularem potestatem est ipso jure nulla. Et consentiens fit inhabilis ad dignitatem.

c. 44. ibid. 26. Confirmator diligenter examinet factam electionem, & personæ aptitudinem. Ultra Italiam in concordia electi possunt interim Ecclesiam administrare, nihil tamen alienare.

c. 14 de ætat. &c. 27. Episcopi promovendos ad Sacerdotium diligenter instruant, aut instrui curent. Præstat enim paucos habere bonos, quàm multos malos Ministros.

c. 9. de renunt. 28. Quibus concessa est facultas beneficiis renuntiandi, compellantur renuntiare: Quia vel propter Ecclesiæ commodum, vel propter Salutem propriam renuntiatio ipsis est concessa.

c. 28. de præbend. 29. Qui habens jam beneficium curatum aliud curatum recipit, priore ipso jure est privatus: Est si utrumque retinere velit, etiam secundo spo-

ſpolietur. *Corrigitur hic diſpoſitio Alexandri III. qui optionem dabat, utrum ex duobus beneficiatus velit retinere.* Nec quiſquam in eadem Eccleſia plures Dignitates aut Perſonatus habeat, licèt non habent annexam curam. Cum ſublimibus tamen & litteratis poteſt ſedes Apoſtolica diſpenſare.

30. Ad Eccleſias aſſumantur idonei rejectis indignis. *c. 29. ibid.*

31. Canonicorum filii, maximè ſpurii, ne fiant Canonici in Eccleſiis, in quibus eorum Patres fuerunt inſtituti. *c. 16. de Filiis presbit.*

32. Parochis congrua portio detur ex proventibus Eccleſiæ. Parochus non per Vicarium, ſed per ſe ipſum deſerviat, niſi fortè præbendæ vel dignitati eſſent annexa Parochialis Eccleſia. *c. 30. de præbend.*

33. Procurationes extra actualem viſitationem non exigantur: Et etiam tunc ſint moderatæ. Cùm viſitatores non debeant quærere, quæ ſua ſunt, ſed quæ JESU Chriſti. *c. 23. de cenſibus.*

34. Prælati ne plus exigant à ſubditis, quàm ſolvant in procurationem legati vel alterius. *c. 8. de immunit. Eccleſ.*

35. Ne appelletur absque rationabili cauſa ad ſuperiorem Judicem ante ſententiam. Cauſa autem debet exponi ipſi Judici. *c. 59. de appellat.*

36. Licèt pars appellaverit à ſententia interlocutoria, ſi tamen Judex eam revocaverit, poteſt in cauſa pergere. Quia ceſſante cauſa ceſſat effectus. *c. 60. ibid.*

37. Nemo per litteras Apoſtolicas ad Judicem, ultra duas diætas remotum, trahi poſſit, niſi litteræ de aſſenſu partium fuerint impetratæ, aut de iſto canone Concilii ſpecialem faciant mentionem. Nec quis absque mandato ſpeciali ſui Domini litteras impetret pro illo. *Bonifacius VIII. c. ſtatutum §. cùm verò de reſcript. in 6. poſtea ſtatuit, ut quis non poſſit ultra unam diætam extra ſuam diœceſim ad judicium trahi, ſeu ultra* 10. *horas.* *c. 28. de reſcript.*

38. Judex curet omnia judicii acta diligenter conſcribi, nempe citationes & dilationes, recuſationes & exceptiones, teſtimonia, inſtrumenta, interlocutiones, appellationes &c. *c. 11. de probat.*

39. Si quis à fure rem alienam ſcienter acceperit, contra poſſeſſorem hujuſmodi ſpoliato per reſtitutionis beneficium ſuccurratur, licèt non probet dominium: (non obſtante rigore Juris civilis) cùm detentor rei alienæ ſuccedat in vitium, & non multùm interſit, præſertim quoad periculum animæ, detinere injuſtè & invadere alienum. *c. 18. de reſtit. ſpoliat.*

40. Quando *actori* propter contumaciam *rei* adjudicatur detentio rei, cuſtodiæ cauſa, is verò illam à reo conſequi non poteſt, nihilominus poſt annum elapſum fit verus illius rei poſſeſſor, conſequenter omnia poſſeſſionis commoda conſequitur. Super rebus ſpiritualibus ne compromittantur in Laicum. *c. 9. de dolo &c.*

c. 8. de arbitris. 41. Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, absque bona fide nulla valeat præscriptio tam canonica, quàm civilis. Cùm sit generatim omni constitutioni ac consuetudini derogandum, quæ absque mortali non potest observari peccato. Unde oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.

c. 10. de præscript. 42. Nec Laici Clericorum, nec Clerici Laicorum jura invadant: ut reddantur, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.

c. 30. de jurejur. 43. Ecclesiastici, qui nihil temporale habent a Laicis, ne cogantur ab istis juramentum fidelitatis deponere.

c. 12. de rebus Eccles. 44. Alienatio feudorum, rerúmque Ecclesiasticarum sinè legitimo personarum Ecclesiasticarum consensu non valent; licèt approbentúr per constitutiones Laicorum.

c. 12. de pœnis. 45. Patroni, Advocati Ecclesiarum &c. ne plus sibi usurpent, quàm jure concessum est: quia, quod ad defensionis subsidium est inventum, ad depressionis dispendium non debet detorqueri.

c. 7. de immunit. Eccles. 46. Confirmatur anathema, à Concilio Lateranensi III. latum in Rectores civitatum & alios, qui Ecclesias & Clericos collectis & exactionibus premunt. Si necessitas postulet, ut subsidium conferat Ecclesia, id fiat absque coactione, ubi facultates Laicorum non sufficiunt: consulto priùs Romano Pontifice, cujus est communibus necessitatibus providere. (*Secluso scilicet speciali privilegio.*)

c. 48. de sentent. excom. 47. Ne quis excommunicationis sententiam ferat, nisi commonitione præmissa, præsentibus idoneis personis, & manifesta justáque de causa.

c. 61. de appellat. 48. Si quis Judicem velut suspectum recusaverit, coram eo causam recusationis proponat, ac simul cum Judice communiter arbitros eligat; causa coram arbitris non probata Judex utatur jurisdictione: Ea verò probata remittat negotium ad superiorem: vel cum consensu recusatoris tertio committat. Si verò crimen sit manifestum, nulla appellationis habeatur ratio: quia appellationis remedium non ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ est inventum.

49. Nullus cupiditatis seu avaritiæ causa excommunicet, aut excommunicatum absolvat.

c. 8. de consang. & affinit. 50. Prohibitio matrimonii inter consanguineos ad quartum gradum restringitur. (*Antea usque ad septimum gradum erat probibitum*) tollitur etiam prohibitio matrimonii in secundo & tertio affinitatis genere.

c. 3. de clandest. despons. 51. Clandestina *prohibentur* matrimonia, & proles ex iis susceptæ censeantur illegitimæ. *Tridentinum deinde illa omnino irritavit.*

52. Cùm

52. Cùm olim consanguinitas usque ad septimum gradum dirimeret matrimonium, sufficiebant testes de auditu: jam verò cùm ab hoc Concilio hoc impedimentum sit restrictum ad quartum gradum, requiruntur testes de visu; qui deponant, se vidisse personas, saltem in uno ex prædictis quatuor gradibus haberi pro consanguineis. *Hoc præcipuè requiritur, quando agitur de matrimonio dissolvendo.* *c. 47. de testib.*

53. Domini prædiorum decimalium non committant illa excolenda hominibus, qui nullas decimas solvunt. *c. 34. de decimis.*

54. Cùm in signum universalis dominii, quasi quodam titulo speciali sibi Dominus decimas reservaverit, solvantur priùs decimæ ex fructibus, quàm census & tributa. Si autem hæc priùs soluta fuerint, de ipsis etiam tributis solvi debent decimæ. *c. 33. ibid.*

55. Regulares ex alienis terris (subjectis oneri decimarum) deinceps acquirendis decimas persolvant Ecclesiis, licèt eas propriis manibus & sumptibus excolant. *c. 34 ibid.*

56. Pacta, quibus in præjudicium parochiarum locationes aut infeudationes fiunt, ea lege, ut locatoribus decimæ solvantur, prohibentur, cum obligatione restitutionis. *c. 7. de pactis.*

57. Declarantur aliqua Privilegia Regularibus concessa, præsertim circa fraternitates restringendas, & apertionem unius tantùm Ecclesiæ semel in anno tempore interdicti. *c. 24. de Privil.*

58. Quod non nullis Regularibus est concessum, conceditur etiam Episcopis, ut Divina officia possint celebrare tempore interdicti, sed exclusis excommunicatis, & interdictis, januis clausis, submissa voce, & non pulsatis campanis. *c. 25. ibid.*

59. Vetatur, ne Religiosi fidejubeant absque Prælati & majoris partis capituli consensu, vel pecuniam mutuò accipiant, ultra summam communi providentia constitutam. Alias non tenetur conventus pro his respondere, nisi fortè manifestè constiterit, in bonum communitatis redundâsse. *c. 4. de fidejuss.*

60. Abbates se non ingerant iis, quæ sunt Officii Episcopalis, circa causas matrimoniales, pœnitentias publicas, Indulgentias, nisi specialiter eis fuerit concessum. *c. 12. de excess. Prælat.*

61. Regulares non recipiant de manibus Laicorum Parochias aut decimas sinè consensu Episcopi. Neque excommunicatos vel nominatim interdictos admittant ad Divina. Item in Parochiis, quæ ad ipsos non pertinent pleno jure, Presbyteros idoneos Episcopo præsentent instituendos, qui eidem circa curam plebis & administrationem rationem reddant: nec institutos Presbyteros sinè consensu Episcopi amoveant. *c. 31. de præbend.*

62. Sacræ Reliquiæ non sint venales, nec ostendantur extra capsam: inventas autem de novo nemo publicè venerari præsumat, nisi priùs authori- *c. 2. de Reliquiis.*

tate Romani Pontificis fuerint approbatæ. Evitentur omnes deceptiones, figmenta, & falsa documenta.

c. 14. de pœnit. & remiss. Eleemosinarum quæstores non admittantur, nisi Papæ aut Diœcesani litteras exhibeant: adhæc, quia per indiscretas & superfluas indulgentias claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur, temperandæ sunt Cùm dedicatur Basilica, tantùm unius anni indulgentia concedatur, in anniversario autem dedicationis tantùm 40. dierum: nec plurium pro aliis etiam causis: quia etiam Papa hanc moderationem observare consuevit.

c. 39. simonia. 63. Nihil exigatur, quocunque prætextu, pro Episcoporum consecrationibus, Abbatum benedictionibus, & Clericorum ordinationibus. Consuetudo contraria magìs est corruptela, penitus reprobata.

c. 40. ibid. 64. Quoniam simoniaca labes adeò plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas sinè pretio recipiant in sorores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare, ne id de cætero fiat, penitus prohibetur sub gravi pœna. Idem aliis etiam Regularibus prohibetur. *Verùm aliud est pro susceptione seu ingressu in Religionem aliquid petere, quod utique esset simoniacum; aliud, petere aliquid pro alimentatione, dote, aut legitima. Sicut aliud est aliquid petere pro Sacramento matrimonii: aliud facere conventiones dotales ad ferenda matrimonii onera temporalia.*

c. 41. ibid. 65. Episcopi nihil exigant pro concessione institutionis beneficialis, professionis religiosæ, aut sepulturæ.

c. 42. ibid. 66. Exequiæ mortuorum, benedictiones nuptiales, administrationes Sacramentorum fiant gratìs; servata tamen laudabili locorum consuetudine.

c. 18. de usuris. 67. Si Judæi à Christianis immoderatas usuras extorserint, Christiani nullam cum illis communicationem habeant, donec satisfecerint. Compellendi etiam Judæi ad solvendas decimas ex possessionibus, antequam ad eos devenirent, huic oneri obnoxiis.

c. 15. de Judæis. 68. Judæi à Christianis habitu ubique locorum debent esse distincti. In diebus autem lamentationis & Dominica passionis in publicum ne prodeant: Nec Christum crucifixum sinantur blasphemare.

c. 16. ibid. 69. Judæi aut Pagani ne præficiantur publicis officiis.

c. 4. de apostatis. 70 Judæi aliíque, ad Christianam fidem conversi, ne permittantur eandem cum veteribus eorum ritibus permiscere.

§. V.

Observatio circa errores in hoc Concilio damnatos.

35. *Albingensium furor.* Damnati sunt in hoc etiam Concilio Albigenses. Hi in Gallia Tolosæ agróque finitimo fautore ac duce ipso Tolosatium comite *Raymundo* tantam

tantam multitudinem perverterant, ut necesse fuerit adversus eos crucem prædicare, signatorúmque exercitum ad compescendos eorum tumultus colligere.

Cruciatis copiis Dux præerat *Simon Comes Montis fortis.* Qui ea gessit, ut puderet Athenienses ostentare suos in Marathoniis campis Miltiades, ac Spartanos in Thermopylis suos Leonides. Cùm enim Comes Tolosæ, cui Rex Aragoniæ in auxilium venerat, Murellum castrum obsideret, Montfortius heros imcomparabilis cum octingentis equitibus & mille peditibus Cruce signatorum, ut castrum obsidione liberaret, pugna prope incredibili conserta, centum millia Albingensium profligavit, cæso in acie Rege Aragoniæ. Cúmque pervicaces Hæretici necdum arma ponerent, à superiore clade superstites ad internecionem prope delevit. Quare in Concilio hoc Lateranensi ditio Raymundi Tolosani hæretici Montfortio est judicata, tantæ fortitudinis & virtutis præmium. 36. *Montfortius.*

Damnatus est etiam in Concilio isto libellus, quem contra Petrum Lombardum scripserat Joachimus Abbas de mysterio SS. Trinitatis, cujus rei hæc fuit occasio.

Petrus nempe, quod Novaræ in Longobardia esset natus, dictus *Lombardus*, absolutis Bononiæ studiis, in Galliam profectus, inter Theologos brevì eminuit, ac creatus Parisiensis Archi-Episcopus, à libris sententiarum doctissimis, quos scripsit, dictus *Magister sententiarum:* in quas postea S. Thomas, Scotus aliíque veteres Theologi Scholastici ultra 240. commentarios suos ediderunt. 37. *Petrus Lombardus.*

Cùm enim Lombardus cerneret, vanum quoddam nec satìs dignum in Theologiam inductum esse philosophandi genus, cujus occasione plura ingenia, in cogitationibus suis evanescentia, cum Gilberto Porretano, Abailardo, Rosulino, aliísque in varios errores circa fidei mysteria fuerant abrepta: gravissimas de Religione quæstiones jacere neglectas, Scripturam Sacram, traditionem, Romanorum Pontificum & Conciliorum decreta, Patrum sententias, Historiam Ecclesiasticam (qui præcipui sunt loci Theologici) aut passim ignorari aut ex defectu genuinæ criticæ vel ex apogryphis hauriri, vel depravata allegari: Rationem verò naturalem, quæ in Theologicis circa fidei mysteria quæstionibus infimum locum obtinet tanquam in suprema specula collocari, eáque judice inani quadam subtilitate, ac vocabulorum conflictu quæstiones gravissimas decidi, aut confundi potiùs: Cùm inquam hunc abusum Disciplinæ Sanctissimæ scientiarúmque facilè principis, Lombardus cerneret, Theologicum opus aggressus est, in quo tot tricis eas opponeret authoritates, quibus refractari homini Orthodoxo nefas esset.

Collectas itaque magna industria Patrum sententias in quatuor libros digessit. 38. *Libri sententiarum.*

digessit. In 1. tractatur de Trinitate Divinísque attributis. In 2. de creatione & opere sex dierum, de lapsu Adami, libero arbitrio & gratia, peccato originali & actuali. In 3. de Incarnatione, Christi perfectionibus, fide, spe, charitate, donis Spiritûs Sancti, & præceptis Divinis. In 4. de Sacramentis in genere & in specie. Denique subnectit tractationem de resurrectione, extremo judicio, & statu Beatorum.

Quamvis autem hoc opus toto Christiano orbe haberetur celeberrimum, tantíque æstimatum, ut plurimi, intérque eos Theologorum Principes in illud commentarentur; attamen & sol suas habet maculas. Severa crisis reprehendit omissas quæstiones de scriptura, traditionibus, Ecclesia, Pontifice, Conciliis, & factis dogmaticis: Insertas quæstiones aliquas inutiles, allegoricas scripturarum expositiones, apocryphas aliquando allegationes, & probationes quandoque minùs solidas: Atque quod gravissimum est, 26. ejus opiniones ab omnibus Catholicis meritò reprobandas. Inter quas etiam ille est error, quòd *Christus, secundùm quod est homo, non sit aliquid.* Licèt enim Lombardus videatur nihil aliud velle, quàm quòd Christus non habeat personalitatem seu subsistentiam humanam, attamen propositio prout jacet, malè sonat, faciléque in hæresin Eutychetis posset inducere.

Unde meritò Alexander III. præcepit Archi-Episcopo Senonensi, ut pravam hanc doctrinam Petri abroget, omnésque eandem detestentur; contra verò doceant, Christum, sicut perfectum Deum, sic & perfectum ac verum hominem esse ex anima & corpore consistentem: ùt patet ex epistola Alexandri III. quæ exstat in actis Concilii III. Lateranensis.

39. *Joachimus Abbas contra Lombardum.*

Atque hanc fuisse occasionem existimat Severinus Binius in notis ad Concilium Lateranense IV. cur Joachimus Abbas contra Lombardum libellum scripserit. Cum autem ejus errores refutaret, in alium incidit, ùt habetur Can. 2. hujus Concilii, relato in cap. 2. de summa Trinitate. Ibi: *Damnamus & reprobamus libellum, quem Abbas Joachim edidit contra Magistrum Petrum Lombardum de unitate seu essentia Trinitatis appellans ipsum hæreticum & insanum, pro eo, quòd in suis dixit sententiis: Quoniam quædam summa res est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & illa non est generans, neque genita, nec procedens.*

Ex quibus verbis Lombardi falsò inferebat Joachimus, eum non tam Trinitatem quàm quaternitatem adstruere, videlicet tres Personas, & illam communem essentiam quasi quartam. Asserebat ulteriùs Joachimus, nullam rem esse, quæ sit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: Unitatem naturæ in tribus Personis non esse veram & propriam, sed quasi collectivam & similitudinariam, quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, & multi fideles una Ecclesia. Ad quod probandum adduxit illud

Joan.

Joan. 17. *Volo Pater, ut ſint unum in nobis, ſicut & nos unum ſumus, ut ſint conſummati in unum.*

Hanc Joachimi doctrinam reprobat Concilium, probátque ſententiam Lombardi, quòd ſcilicet *una quædam ſumma res ſit, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus:* Et ideo Trinitatem eſſe in Deo, non quaternitatem: Quia quælibet trium Perſonarum eſt *illa res,* ſive ſubſtantia, eſſentia, natura Divina: Et illa res non eſt generans, neque genita, nec procedens: Sed eſt Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, & Spiritus S. qui procedit, ut diſtinctiones ſint in Perſonis, & unitas in natura. Licèt igitur *alius* ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen *aliud:* Sed *id,* quod eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus Sanctus, ut ſecundùm Catholicam Fidem *Conſubſtantiales* eſſe credantur. Pater enim ab æterno generando Filium *ſuam Subſtantiam ei dedit, ſinè diminutione;* ut adeò in Patre, Filio, & Spiritu Sancto verè una indiviſibilis ſit Subſtantia, una res, una natura. 40. *De SS. Trinita.*

Quod verò Joachimus objiciebat, ſic ſolvit Concilium: *volo, ut ipſi* (fideles) *ſint unum in nobis* (unione charitatis in gratia) *ſicut & nos unum ſumus* (in natura) quemadmodum veritas alibi dicit: *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt:* Hoc eſt: eſtote perfecti perfectione gratiæ, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt perfectione naturæ: utraque videlicet ſuo modo: quia inter Creatorem & creaturam non poteſt tanta eſſe ſimilitudo, ut non ſit major diſſimilitudo.

Non tamen damnata eſt à Concilio perſona Joachimi; quia omnia ſua ſcripta Sedi Apoſtolicæ obtulit ejus judicio aut appropanda aut corrigenda, cum proteſtatione propria manu ſubſcripta, quòd firmiter teneat eam fidem, quam Romana tenet Eccleſia. Et ideò Concilium etiam cautum vult Florenſi Monaſterio, cujus Inſtitutor fuit, utpote in quo vigeat regularis diſciplina & ſalutaris obſervantia.

Denique damnata ab eo Concilio ſunt perverſiſſima dogmata impii *Almarici,* cujus mentem ſic pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica cenſenda ſit, quàm inſana. 41. *Almaricus*

Erat autem Almaricus Carnotenſis Gallus, qui teſte Genebrardo *lib.* 4. *chronol.* viginti errorum eſt convictus: quorum unus erat, Chriſti corpus non magìs eſſe in pane, quàm in qualibet alia re. Plures illius errores recenſet Sanderus *lib.* 7. *de viſibili Monarchia,* videlicet, nullam eſſe reſurrectionem, nullum Paradyſum, nullum infernum; thurificationem in Eccleſia eſſe idololatriam; ſtupra, adulteria, aliáque flagitia non eſſe peccata, ſi fiant ex charitate: & quæ ſunt alia ejusmodi deliria abſurdiſſima. Corpus ejus exhumatum & exuſtum eſt; ejus autem ſectatores, quos inter erat, Aurifaber, qui ſe Prophetam dicebat, Pa-

risiis vivi sunt concremati. Habeant sibi istos martyres, qui non habent alios.

42. *S. Dominici & S. Francisci Ordo.* Hos inter turbines Ecclesia, palmæ instar eluctantis in pondera, nova eáque immensa aucta propagine, in Dominico & Francisco defensores nacta est fortissimos, adversum circumfrementes; in agro præsertim Tolosatium, Albingensis aliósque hæreticos. Et quidem B. Dominicus, quem meritò facem fulgentissimam, totum orbem virtutum & doctrinæ luce illustraturam dixeris, cum Fulcone Tolosano Episcopo ad hoc Concilium profectus, suum Innocentio III. de instituendo Prædicatorum Ordine consilium aperuit, ab Honorio deinde III. & Innocentio IV. sub regula S. Augustini approbato. B. Franciscus verò, solo cœlo dives, Seraphicum Ordinem FF. Minorum, nova sub regula institutum, Innocentio III. & Concilio confirmandum obtulit; meruítque votis potiri paupertatis cultrix præclara Religio, in novas deinceps frondes vel repullulans vel reflorescens, propagines suas sanctissimas in ultimos terræ fines ævúmque omne exporrectura. Superis videlicet curæ est sancta Mater Ecclesia, fœcundante illam rore cœlesti, ut in sobolem amplissimam, fructúsque uberrimos sese per orbem terrarum explicet.

ARTICULUS V.

De Concilio Generali XIII. Lugdunensi I.

Sub Innocentio IV. contra Fridericum II. Imperatorem anno 1245. *celebrato.*

SUMMARIUM.

§. 1.
Synopsis Historica.

1. *Sicilia à Normannis ad Sueviæ Duces translata per Constantiam.*
2. *Discordiæ inter Pontificem & Henricum VI. Imperatorem, Constantiæ Conjugem.*
3. *Friderici II initia.*
4. *Philippus contra Othonem IV.*
5. *Turbæ inter Pontificem & Fridericum II.*
6. *Qui à pluribus Pontificibus excommunicatur.*
7. *Henricus Raspo & Gulielmus Hollandiæ Comes electi contra Fridericum.*
8. *Filii Friderici se mutuò perimunt.*
9. *Carolus Andegavensis, regno Siciliæ inauguratus, contra Manfredum Friderici Nothum,*
10. *Et Conradinum. Hujus cruenta tragœdia.*

11. Per-

11. *Perempto etiam Hencio Friderici Filio naturali.*

12. *Conſtantia, Manfredi filia, Siciliam in dotem affert Petro Aragonio.*

13. *Veſperæ Siculæ.*

14. *Conſtantiæ Chriſtianum facinus in Carolum Claudum Andegavenſem.*

15. *Sicilia per tres fœminas Principes ad tres domos Principes translata.*

16. *Magnum Inter-regnum Imperii.*

17. *Melior orbis facies ſub Rudolpho Habſpurgico, & Auguſtiſſima Domo Auſtriaca.*

§. 2.

Acta Concilii.

18. *Quinam in eo præſentes.*

19. *Dictum anathema Friderico II.*

20. *Qui factiones Gibellinorum adversùs Gvvelphos excitat per* 200. *annos Italiam laceraturas.*

§. 3.

Canones Concilii.

21. *Canones editi inſerti ſunt à Bonifacio VIII. libro ſexto Decretalium, qui locis citatis referuntur.*

§. I.

Synopſis Hiſtorica diſcordiarum inter Pontifices & Fridericum II.

I. *Sicilia à Normannis ad Sueviæ Duces per Conſtantiam.*

Exactis Italia Longobardis, & Exarchatu ad Pontificem translato Carolus M. Siciliam, Calabriam atque Apuliam Græcis adhuc Imperatoribus reliquerat; quas tamen negligentiùs defenſas Saraceni poſtmodum invasêre. Hos *Normanni* expulêre; dicti primùm Comites Apuliæ, tum Duces, denique Reges utriusque Siciliæ ſub Rogerio II. Hujus filia *Conſtantia* nupſit *Henrico VI.* tunc adhucdum Romanorum Regi: qui poſt extinctam legitimam Normannorum in Sicilia maſculinam ſtirpem uxorio nomine Regnum dotale adire conabatur, fortiter ſe opponente *Tancredo*, Normannicæ quidem ſtirpis, ſed illegitimo thoro prognato. Quare bellum civile acerrimum conflatum eſt, aliis Henrico, Tancredo aliis adhærentibus. Favit huic Clemens III. Papa, eíque inveſtituram regni impertivit, Henrico re infecta in Germaniam redire coacto, ubi melior ei fortuna affulſit.

Mortuo namque in expeditione ſacra patri ſuo Friderico I. Imperatori ſucceſſit; eúmque cum conjuge Conſtantia Romæ coronavit Cœleſtinus III. non tamen inſolenti eo modo, quem fingunt ſcribillatores quidam Acatholici: quod videlicet Papa coronam, Henrici capiti impoſitam mox pede decuſſerit, ut ſuam in Imperatorem poteſtatem oſtenderet. Futilis hæc eſt fabula, qualem ſuprà de Alexandro III. retulimus, quæ à nemine ſcri-

ſcriptorum veterum fidem habet; quin ea Cœleſtinus erat in Imperatorem veneratione, eóque affectu, ùt, cùm Imperatrix Conſtantia, proditione Salerni intercepta, Tancredo captiva eſſet tradita, omni cura evicerit, ut captivitate liberata Cæſari reſtitueretur.

2. *Diſcordia inter Pontificem & Henricum VI. Imperatorem.* At cùm idem Pontifex tandem effeciſſet, ut etiam Richardus Rex Angliæ, ob projectum ad obſidionem Ptolomaidis vexillum Auſtriacum, in reditu interceptus, atque ultra annum in captivitate detentus, liberaretur, pecuniam quoque, quam pro lytro dederat, reddi eidem poſtulabat; quod cúm facere Henricus Cæſar recuſâſſet, Pontifex eum excommunicavit, cúmque mortuo Tancredo, rejectóque ejus filio Wilhelmo, ultimo Guiſcardorum ac fortiſſimæ gentis Normannicæ ſurculo maſculinæ ſtirpis, ad Regnum Siciliæ tandem perveniſſet, acerbiſſima crudelitate in eos ſæviit, qui Tancredo paruerant, Jordano Comite, quòd regno inhiâſſe argueretur, ſellæ candenti impoſito, ac ferrea corona clavis affixa capiti; dictus propterea *Henricus Aſper*, cum ab hac aſperitate non deſiſteret, ipſa Imperatrix Conſtantia conſpiratione cum Siciliæ Proceribus adversùs eum inita, a propriis ſubditis pacem coëgit petere. Nec diuturnum fuit ejus imperium, ſeptimo illius anno, dum de invadendo orientali imperio agitaret conſilia, extinctus, veneno, ùt ſuſpicio ſparſerat, ab ipſa Conſtantia conjuge ſublatus aano 1198. obiit tamen reconciliatus Eccleſiæ, reſtitutis eidem, quæ abſtulerat, miſsíſque in Palæſtinam auxiliariis copiis.

3. *Friderici II. initia.* Reliquit filium Fridericum, ex Conſtantia jam quinquagenaria ſuſceptum, regni Siciliæ hæredem unicum, uberem Hiſtoriæ daturum materiam. Et licèt ſuppoſititium non pauci dicerent (ùt levis ad obtrectandum in hujuſmodi rebus ſolet eſſe rumor) nihilominus Papa Cœleſtinus III. corona utriusque Siciliæ eum inſignivit, poſtquam mater ejus Conſtantia, de crimine partus ſuppoſiti juramento ſe purgaverat

4. *Philippus contra Othonem IV.* Imperium interea *Philippum* inter Barbaroſſæ filium Natu minimum, Henrici VI. fratrem, & Othonem IV. Saxonem, diſtractum in partes ibat. Conventum denique, ut Philippus imperaret, Otho verò eidem ſuccederet; quod factum, occiſo Bambergæ Philippo à Comite Palatino. Cùm autem Otho IV. ab Innocentio III. Romæ coronatus, Pontificii Juris territorium invaſiſſet, ab eodem Pontifice à fidelium communione eſt motus, ac Fridericus Henrici VI. filius Rex Siciliæ, quem à teneris fovebat, Papa, eíque in bellis civilibus, quibus Siciliam ei adimere nitebantur, ſemper adfuerat auxilio, Germaniæ Proceribus commendatus, abdicato Othone, Imperator eſt renuntiatus.

5. *Turba inter Ponti-* At Fridericus avum ſuum imitatus, beneficiorum immemor, perpetuum fermè cum Romana Eccleſia bellum geſſit, à tribus Pontificibus quater ſacro fulmine percuſſus. Et primò quidem, quod dudum ſacra cruce ornatus,

ornatus, arma, quæ ex voto edito adversùs Saracenos impendere tenebatur, in Pontificem convertisset: dein iterum à Gregorio IX. quòd Saracenis faveret, & Joannem Jerosolymæ Regem exulem, omnésque in Asia bellantes Christianos, pace iniquissimis inita conditionibus, cùm Barbaros vincere, & Palæstinam recuperare, si voluisset seriò, facilè potuisset, prodiderit. Tertiò ab eodem, quòd Ecclesiæ civitates invasisset, perniciosissimam *Guelphorum* & *Gibellinorum* factionem Italiam dilacerantem excitâsset, Cardinales aliósque Prælatos in vinculis haberet, Concilium Generale congregare impediret, Episcopis interceptis, & in captivitate detentis, ipsóque Pontifice Gregorio per Gibellinos suos Roma pulso, atque in omnibus Ecclesiæ & Apostolicæ Sedis se hostem demonstraret; quare Papa crucem adversús eum prædicari jussit.

ficem & Fridericum. II.

6. *Pontifices plures excommunicant Fridericum.*

Denique, cùm post Cœlestini IV. mortem Sedes Romana, ob detentos à Friderico Cardinales in carcere, per annum & octo menses vacâsset, electus tandem est *Innocentius IV.* Hic tantis ut turbis finem imponeret, pristinámque, quam privatus cum Friderico habuerat, amicitiam renovaret, Legatos ad eum misit, quos ille ad laqueum condemnavit, tendens etiam Pontifici insidias; has ut declinaret, in Galliam ad S. Ludovicum Regem profugit, ubi collecto Lugdunensi hoc primo Concilio Fridericum ad dicendam causam citavit; cúmque is nil nisi contemptum, minásque reponeret, quartò sacro anathemate est perculsus, subditis sacramenti religione exsolutis.

7. *Henricus Raspo & Wilhelmus Hollandus contra Fridericum.*

Germani proin Principes *Henricum Rasponem* Thuringiæ Landgravium, S. Elisabethæ filium, Imperatorem dixêre: eóque haud multò post in Ulmæ obsidione mortuo, *Guilielmum Hollandiæ Comitem.* At propterea non melior factus Fridericus, quin in dies efferatior, Italiam omnem factionibus, cædibus, ruinis miscuit: donec ad Parmam, duorum annorum obsidione pressam, facta tandem felici eruptione, accurrente altera ex parte cum exercitu Pontificio Legato, cruento prælio victus, & in fugam actus, vel animi mærore contabuit, aut à Manfredo Notho suo veneno extinctus, vel, ùt alii scribunt, pulvillo ori ingesto suffocatus, anno 1250. postquam 32. annos imperâsset.

8. *Filii Friderici parricidæ.*

Sed neque in posteris suis fuit felicior; nam quatuor filios reliquit, duos legitimis ortos natalibus, Conradum & Henricum, duos ex concubinis, Hencium & Manfredum, violenta omnes morte abreptos.

Henricum quippe, Siciliæ aut Regem aut Proregem, Conradus frater interemit. *Conradum IV.* qui cum Guilielmo Batavo de Imperio contenderat, in Italiam ad capessendum regnum utriusque Siciliæ profectum, Manfredus frater veneno sustulit, cùm annis quatuor aut imperâsset, aut de Imperio litigâsset, anathemate adhucdum ligatus. *Manfredus*,

tanquam ſcelus coronare oporteret, regnum utriusque Siciliæ, Saracenorum etiam ope, invaſit: ſed Neapolitanis Pontificem appellantibus excommunicatus ab Alexandro IV. patris exemplo perſecutus eſt Eccleſiam; cúmque omnia miſceret, ab Urbano IV. in Concilio, Orvieti celebrato concluſum eſt, ut *Carolus Andegavenſis Comes* S. Ludovici Regis frater, adversùs Manfredi tyrannidem advocaretur in Italiam, cum titulo Regis utriusque Siciliæ. Ad Beneventum prælio unico debellatum, occiſo Manfredo in pugna (relicta filia *Conſtantia*, Aragoniæ Regi nupta, ex qua magnarum deinceps rerum ſeries) Carolus victor inauguratus Regno à Pontifice Clemente IV. ea conditione, ut feudi titulo Eccleſiæ Romanæ quadraginta aureorum millia quot annis penderet.

9. *Carolus Andegavenſis in Manfredum.*

10. *Et Conradinum.*

Conradus IV. occiſus in Italia anno 1254. reliquit in Germania filiolum unicum *Conradinum*, Ducem Sueviæ, duos duntaxat annos natum. Hic anno ætatis decimo ſeptimo cum exercitu adversùs Carolum Andegavenſem movit in Italiam, avitum regnum ut vindicaret. At Fucinum lacum pugnatum eſt; factus ex victore victus Conradinus, & in fugam actus, ex fugiente nova calamitate captivus, ligatus vinculis. Altero ſubin anno vidit Neapolis cruentum ſanè luctuoſúmque ſpectaculum, politas inter gentes auditum haud facile. Minutus Conradinus in ætatis flore, in urbe regia, publico in foro; expeditionis comite & ſortis acerbæ *Friderico Badenſi*, in ſpem veteris Auſtriæ ex Gertrude Friderici Bellicoſi filia prognato; fuítque facinus atrox Caroli, ſi non jus ſummum, ſumma injuria, certè ſumma invidia, plúsque moriens Carolo Conradinus nocuit, quàm vivens; creditúmque, jure gentium ſacroſancta eſſe Regnum capita, tantíque non habenda regna, ut iis nati ea propter, præſertim exarmati, pereant Principes. Falſum autem omnino eſt, nullóque teſte idoneo comprobatum, conſilio aut voluntate Clementis IV. Pontificis immanem hanc cædem eſſe patratam. Quin conſtat, hunc Pontificem, quem moderatio & pietas inſignis ornaverant, vehementer id facinoris exprobrâſſe Carolo.

Sed neque cœlo probata crudelitas, veſpericis ſiculis vindicantibus Purpuratum ſanguinem; repetamus originem.

11. *Et in Hencium.*

Occiſo anno 1268. Conradino, unicus ſupererat Ducum Suevorum ſtirpis maſculinæ Surculus, *Hencius* videlicet, Friderici II. Filius, Conradini patruus, ſed illegitimis ex concubina ortus natalibus. Qui poſt infelicem Patris pugnam Parmenſem captus à Bononienſibus, & caveæ ferreæ incluſus, poſt 29. annorum captivitatem in carcere obiit, anno à cæde Conradini quarto, videlicet 1272.

12. *Conſtantia.*

Ad unicam igitur fœminam redacta eſt Magni illius Ænobarbi progenies, *Conſtantiam* videlicet, Manfredi ſupra memorati Filiam, quæ

Petro

Petro III. Aragoniæ Regi nupta, Regni utriusque Siciliæ titulum in dotem attulit. Quare 13. annis post Conradini cædem erupêre tandem suppressa diu Consilia: Cùm Galli omnes per Siciliam dispersi, ipso paschatis die, audito companæ signo, ad Vesperas convocantis (unde *VesperæSiculæ* dictæ) 13.
in singulis urbibus ab ipsis Siculis trucidati sunt. *Causa* cædis Siculorum *Vesperæ*
in Gallos odium: *Instrumentum* Joannes Prochyta aliena veste tectus op- *Siculæ.*
pida Siciliæ circumcursans: *Socius* Michaël Palæologus Byzantino Imperio timens à Carolo, qui, Filiam suam Balduino II. à Constantinopolitano Throno depulso desponderat. Totius denique Tragœdiæ aut Auctor tacitus, aut Spectator remotus Petrus Aragonius. Qui, ne dotalis titulus esset otiosus, hac cæde regno potitus Siciliæ: Jactáque diuturnæ Gallos inter Hispanósque discordiæ semina, pretiosis nimiùm odiis in posterum nutrienda, nimiúmque multo humano sanguine ad gentis utriusque perniciem excretura.

Interea Carolus Andegavensis Divina humanáque ope vindictam spirans, Martini IV. in Petrum anathemate, & Gallorum armis se succingit. Sed infra iram erant vires: Alterum contemptu eludente Aragonio, alterum astu Indicto quippe ad Burdigalam cum Carolo singulari certamine amovit Petrus bellum à Sicilia: Detrectans deinde duellum, cujus præmium jam teneret in manibus, translatum bellum in Aragoniam; sed utrique regi fatale: Petro occumbente ex vulnere, Carolo contabescente ex tædio & dolore amissæ Siciliæ, filiique capti ab Hispanis.

Spectaculum videre tunc in Aragonia licuit, quod novo Neapolita- 14.
nam lanienam pudore obrueret. Captus *Carolus Claudus* Caroli Ande *Carolus*
gavensis Filius; traditúsque Aragoniis admotus neci, immolanda Conra- *Claudus.*
dini piis manibus victima: Sed donatus Christo crucifixo à Constantia Petri vidua, atque abdicata Sicilia libertati redditus. Nobile profectò vindictæ genus, quo Constantia Conradini patruelis sui sanguini litaret, ac fœmina virum mansuetudine superaret.

Nec tamen destitit Carolus Claudus, quibus vitam debebat, bellum, facere. At fortiter restitêre Aragonii, eáque felicitate, ut tandem etiam Neapolitanum Regnum Gallis eriperent, utrumque felici connubio ad Augustissimam Domum Austriacam transmissuri.

Ubi tres notandæ veniunt fœminæ Principes, duæ Constantiæ & Johan- 15.
na, per primam Constantiam, Henrico VI nuptam Regnum utriusque *Sicilia per*
Siciliæ pervenit à Normannis ad Sueviæ Duces: Per alteram Constantiam *tres fœmi-*
desponsam Petro III. à Suevis ad Reges Aragoniæ: Per Joannam Ferdi *nas trans-*
nandi Catholici Filiam, Philippo Austriaco junctam, ac Caroli V. & Fer- *lata.*
dinan-

dinandi I. Matrem, ab Aragoniis ad Auſtriacos; donec hoc ſæculo pilæ inſtar de manu ad manum jactaretur.

16. *Inter regnum.* Cæterùm poſt Friderici II. mortem triſtis erat Imperii facies, magno illo vigenti & ultra annorum *Interregno* capite vacui.

Licèt enim & *Wilhelmi Batavi* & *Conradi IV.* & *Alphonſi ſapientis* Caſtiliæ Regis, & *Richardi Angli* legamus nomina; nomina tamen ſunt. Adeò enim vel electi turbidè, vel in mutuam perniciem commiſſi atrociter: ut laceraſſe potius Imperium, quàm gubernaſſe dicendi ſint. Certè rerum tunc omnium in Germania erat confuſio. Corpus ſinè capite nervorum compage ac nexu diſſolutum: Nullum Imperii tribunal; perpetuum Juſtitium, ſublata publica privatáque tranquillitas: Nullus Electorum, nullus Imperii ordinum conſenſus: Jus ſuum in armis ferebant, inductis in ruinam minùs potentium *diffidationibus* illis ſeu vindicationibus privatis, aut potiùs graſſationibus & latrociniis. Unde mutuæ cædes, rapinæ, incendia, direptiones, populationes, aliæque Reipublicæ humanæ peſtes.

17. *Melior facies.* At feſſis tandem rebus ſuccurrit provida Numinis cura. Divinis auſpiciis datus Imperator, par omnino tantæ rerum moli; qui Imperii ruinas ſiſtat, abrupta reducat, diſrupta conſolidet, & diſtortam Rempublicam in ordinem ſuum reponat. Fuit is Magnus ille *Rudolphus Habſpurgicus*, glorioſiſſimus Fundator Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ, ſub cujus auſpicatiſſimo Imperio parta Germaniæ ſalus, pax data Eccleſiæ, provecta in immenſum Majeſtas Imperii, florentis domi, hoſtibus formidandi foris.

§. II.

Acta Concilii Lugdunenſis I.

18. Tot tantíſque, quæ diximus Eccleſiæ malis ut remedium pararet Innocentius IV. ac præſertim ut contumacem Friderici II. animum flecteret, Concilium Generale indicendum exiſtimavit. Cùm autem in Italia Friderici armis, & Gibellinorum, eidem adhærentium furore omnia eſſent turbata, Lugdunum in Gallia Concilio locum delegit.

Præſentes. Interfuêre, præter multos Cardinales, duo Patriarchæ Majores, Conſtantinopolitanus nimirum & Antiochenus, Epiſcopi 140. Balduinus II. Imperator Byzantinus, Galliæ, Angliæ, aliorúmque Principum Legati, imò etiam Imperatoris Friderici Orator, Thaddæus cameræ Imperialis Judex: qui rerum forenſium uſu exercitatus, magno animo pro Friderico in Concilio peroravit, crimina objecta alia inficiando, alia excuſando, quædam etiam in Pontifices ipſos retorquendo. Sed viſa eſt Patribus ejus oratio magis facunda & ornata, quàm rationum pondere roborata: quare Fridericus, de multis ac gravibus criminibus, ac præſertim

de violentia in Sedem Apoſtolicam, viróſque Ordinis Eccleſiaſtici Principes, accuſatus, & ad Concilium citatus cum contemptu monita ſacri Senatûs eluderet, ſacro anathemate percuſſus, atque Imperii Regníque Siciliæ jure excidiſſe eſt proclamatus, exſolutis ſacramenti religione ſubditis. 19. *Fridericus excommunicatus.*

In varias partes ſenſúsque hæc ſententia Europam diſtraxit, aliis aliter, ùt fit, vel pro effectu vel varitate loquentibus. Certè face velut ventilata in majus ignis exarſit incendium, Friderici ira in furorem concitata, & ſex annis, quibus ſupervixit, implacabili odio ac vexationibus ſtatum Pontificium, & Guelphos Pontifici adhærentes, perſequente. Nec morte Friderici deſiit cruentus ille Guelphorum, ſeu Pontifici faventium, & Gibellinorum, ſeu Cæſaris partes ſequentium, conflictus, ad ducentos usque annos à Friderico grandi Italiæ calamitate exporrectus. 20. *Guelphi & Gibellini.*

Prima equidem ac princeps cauſa indicendi Concilium fuit Fridericus: at morbis pluribus laborabat Eccleſia; qui tamen ipſi etiam magna ex parte Friderico ſunt imputati, quòd Advocatus, & Protector Eccleſiæ non ad defenſionem illius, tunc temporis adeò neceſſariam, ſed ad ruinam coronatas vires impenderet.

Unde in oratione ad Patres in Concilio habita Innocentius Papa dolores Eccleſiæ quinque Chriſti vulneribus comparavit. Quorum Primus erat de Turcarum & Saracenorum in Chriſtianorum terras irruptione; Secundus de Græcorum ſchiſmate; Tertius de hæreſum graſſantium labe; Quartus de terræ ſanctæ amiſſione; Quintus de Friderici in Eccleſiam perſecutione, qua ſe Italia expulſum in Galliam profugiſſe ingemuit.

Ut igitur reliquis etiam vulneribus obduceretur cicatrix, decreta eſt nova expeditio *cruciata* adverſum Saracenos in terram ſanctam: cujus dux deſignatus eſt S. Ludovicus Rex Galliæ: variáque pro ſignata militia ſtatuta privilegia.

§. III.
Canones Concilii.

In Concilio iſto Lugdunenſi, quod tribus duntaxat ſeſſionibus conſtabat, complures etiam pro more ſunt editi Canones, ad diſciplinam Eccleſiæ ſpectantes, quos Bonifacius VIII. ſexto Decretalium libro inſeruit. 21.

1. Quando Papa reſcripto Judicem delegat, cum clauſula, ut quidam alii etiam conveniri coram eo poſſint, tantùm quatuor alii, qui in citatorio ſunt nominandi, conveniri poſſunt. *De reſcript. in 6.*

2. Delegati Sedis Apoſtolicæ ſint in dignitate conſtituti, ùt Canonici vel Prælati, & tantùm in civitatibus, ubi eſt copia Jurisconſultorum. *Eod.*

De elect. 3. in 6. 3. Vota conditionata, alternativa, dubia & incerta irritantur.

4 Delegatus non poteſt compellere partes, ut perſonaliter coram ſe in judicio compareant, ſi ad hoc non habet ſpeciale mandatum (extra cauſas tamen criminales.) *De Judic. in 6.*

De litis conteſt. 5. Exceptio peremptoria non impedit litis conteſtationem, niſi ſit exceptio rei judicatæ, aut transactæ.

6. Actor non comparens in termino per citationem præfixo, condemnatur reo comparenti in expenſas. Nec citatur ulteriùs ad ipſius petitionem reus, niſi actor caveat de judicio ſiſti.

De reſcript. 7. Si quis contra alium plures movere vult quæſtiones, omnes illas coram iisdem Judicibus tractet. Nec valent reſcripta aliter obtenta: proceſſus etiam eſt nullus, tenetúrque parti ad diverſos Judices tractæ ad expenſas.

De eo, qui mittitur. 8. Quando quis litigat de beneficio obtinendo, non eſt mittendus in illius poſſeſſionem, licèt poſſeſſor illius ſit contumax: ſed lite non conteſtata ad finalem ſententiam eſt procedendum.

9. Appellans ad Papam appellare debet in ſcripto, cauſam exprimere & Apoſtolos petere.

De appellat. 10. Judex recuſatus ſtatuat arbitris certum terminum ad cognoſcendum de cauſa recuſandi Judicem: quo termino elapſo recuſatus procedat in cauſa principali.

De ſent. excom. 11. Excommunicatio in participantes cum excommunicatis lata non teneat, niſi præmiſſa ſit monitio.

12. Adminiſtrationem Eccleſiæ adeuntes inventarium diligenter conficiant coram teſtibus, ſolvántque debita Eccleſiæ: nihil autem alienent, neque debita contrahant, neque pignori obligent, ſinè debita ſolennitate, & evidenti Eccleſiæ neceſſitate aut utilitate, ſingulísque annis adminiſtrationis rationem reddant.

13. Decernitur ſubſidium pro Imperio Conſtantinopolitano, quod Græci Schiſmatici jam totum ferè in Europa à Latinis recuperaverant, Aſiam Turcis diripientibus.

14. Monentur Prælati, ut pro liberanda terra ſancta ſubſidia conquirant.

15. Statuuntur præſidia contra Tartarorum irruptiones.

16. Decernitur expeditio in terram ſanctam, eodem ferè tenore, quo Concilium Lateranenſe IV. eſt uſum.

Præter iſta capitula, à Binio edita, exſtant plura in ſexto Decretalium, quæ huic Concilio ejúsque Præſidi Innocentio IV. attribuuntur: videlicet

c. 1. de offic. ord. in 6. 1. Archi Epiſcopus non poteſt ſibi conſtituere Officiales in Diœceſibus ſuorum Suffraganeorum, ne quidem pro futuris cauſis ad eum per appel-

appellationem devolvendis; quamvis poſt interpoſitam apud eum appellationem poſſit vices ſuas alicui in Diœceſi ſuffraganei exiſtenti delegare.

2. Qui fuit Advocatus vel Procurator in prima inſtantia, non poteſt in judicio appellatorio eſſe teſtis. Neque indiſtinctè appellanti defera tur juramentum (quia præſumptio ſtat pro eo) niſi Judici ex circumſtantiis aliud videatur. *c. 3. de testibus.*

3. Conſtituens, mandans, juvans, recipiens aut protegens Aſſaſſinum ipſo facto eſt excommunicatus, depoſitus ab officio, & beneficio. Sit etiam cum bonis ſuis mandanis omnibus à toto Chriſtiano populo perpetuò diffidatus, ſeu hoſtis declaratus, absque ulla alia excommunicationis, depoſitionis aut diffidationis ſententia. *c. 1. de homicidio.*

4. Exempti ratione delicti, rei ſitæ, aut contractus initi in loco non exempto, ratione horum conveniri poſſunt coram loci illius Ordinario, aliud, ſi delictum ſit commiſſum, res litigioſa ſita, aut contractus initus in loco exempto. Religioſi tamen exempti à loci Ordinario excommunicari, ſuſpendi, aut interdici non poſſunt; niſi forſan ſint in Prioratu, qui Ordinario ſubjectus eſt. *c 1. de privileg.*

5. Epiſcopi, ipsiſque ſuperiores Prælati nullam ſuſpenſionem aut interdictum incurrunt, niſi expreſsè nominentur. *c. 4. de ſentent. excommunicat.*

6. Archi-Epiſcopus non relaxet cenſuras, à ſubditis ſuorum Suffraganeorum latas: niſi hoc habeat ex conſuetudine. Ejus ſententia generalis ligat tantùm ejus ſubditos. Cenſuræ absque competenti monitione præmiſſa ſunt injuſtæ, ſive in genere ſive in ſpecie illas promulgent. Non ferant cenſuras, niſi culpabiliter in mora ſatisfaciendi fuerint delinquentes. In integrum collegium vel univerſitatem non feratur ſententia excommunicationis, ne innocentes irretiantur. *c. 5. eod.*

8. Cùm omnes leges, omniáque jura vim vi repellere, cunctíſque ſe defenſare permittant, Prælatus contra injuſtum aggreſſorem ſuorum bonorum temporali & ſpirituali gladio ſe poteſt defendere. *c. 6. eod.*

9. Si quis electionem aut proviſionem impugnans ad Papam appellat, intra menſem tam ipſe, quàm reus, quorúmque intereſt, vel per ſe, vel per Procuratorem iter Romanum ſuſcipiant. Si menſe elapſo parte una com parente pars altera per 20. dies abſit, procedatur in negotio. Si actor tunc non plenè probârit, quod contra formam electionis objicit, condemnandus eſt reo in expenſas. Si autem non probet, quod contra perſonam objicit, à beneficiis triennio eſt ſuſpenſus: ſi autem interea in ea ſe ingeſſerit, ipſo jure eſt iis perpetuò privatus. Hæc tamen pœna locum non habet, ſi manifeſtiſſimis conſtet documentis, quòd ipſum à calumniæ vitio cauſa probabilis & ſufficiens excuſet. *c. 1. de elect.*

c. 1. de restit. spol. 10. In civilibus non admittitur exceptio spoliationis, facta ab alio, quàm ab actore: in criminalibus verò etiam facta à tertio, in utroque autem casu exceptio probari debet intra 15. dies, aliàs excipiens actori condemnatur in expensas, quas interim propter hoc fecerit. Agenti autem super rebus Ecclesiasticis opponi non debet exceptio spoliationis in privatis rebus.

c. 1. de except. 11. Si reus actori opponat exceptionem excommunicationis, hujus speciem ac nomen debet exprimere, atque intra octo dies apertissimis documentis probare; aliàs Judex procedens in causa condemnat eum in expensas, propter eam exceptionem factas. Si post rem judicatam talis exceptio opponatur, executionem impedit, licèt sententia sit valida. Si autem actor publicè esset excommunicatus, reo etiam non excipiente, repelli deberet à Judice.

c. 1. de sentent & re judic. 12. Si Judex contra conscientiam & contra justitiam in gravamen partis quidquam fecerit per gratiam, vel per sordes, ab executione officii per annum se noverit suspensum, ad æstimationem litis parti læsæ condemnandus. Si durante suspensione se ingesserit Divinis, fit irregularis: potéstque à solo Papa cum eo dispensari. Salvis aliis constitutionibus, quæ alias insuper pœnas injustis Judicibus statuunt.

ARTICULUS VI.

De Concilio Generali XIV. Lugdunensi secundo

Sub

Gregorio X. & Rudolpho I. pro unione Græcorum cum Latina Ecclesia anno 1274.

SUMMARIUM.

§. I.
Schisma Græcorum per Photium inchoatum.

1. *Patriarchatuum distributio.*
2. *Omnes subsunt summo Pontifici.*
3. *Ad quem cuilibet datur Appellatio.*
4. *Sæpè etiam Patriarchas judicavit.*
5. *Photius intrusus à Barda.*
6. *Legati Nicolai I. ab illo corrupti.*
7. *Nicolaus excommunicat Photium, & Photius Nicolaum.*
8. *Quos errores Latinæ Ecclesiæ objecerit.*
9. *Ingens in Oriente rerum mutatio, occiso Michaële Imperatore & Barda, Basilio coronato, Photio dejecto, & restituto Ignatio.*
10. *Post mortem Ignatii restitutus Photius à Basilio, præstigiis decepto.*
11. *Et quidem annuente Joanne VIII. Papa.*

12. *Sub*

12. *Sub certis tamen conditionibus: quas non implevit, sed in conciliabulo Constantinopolitano magno fastu omnia contraria egit, corruptis iterum & contemptis legatis Romanis.*
13. *Unde excommunicatur à Joanne VIII. edocto à Marino legato suo.*
14. *Photius rursus reprehendit doctrinam Latinorum de processione Spiritus S. & vocis* Filióque *in symbolo additionem.*
15. *Antiquitas hujus doctrinæ.*
16. *Et additionis in symbolo, jam in Concilio Toletano I. factæ.*
17. *Mors Basilii, ejúsque effigies.*
18. *Nova in Oriente scena, duo Leo Philosophus, Basilii filius, ex carcere ad thronum ascendit, Photius à throno ad custodiam descendit*
19. *Excipiente etiam Santabarenum præstigiatorem condigna sceleribus pœna.*
20. *Missis Romam legatis restaurata unio.*
21. *Colentibus illam probis Patriarchis, Stephano fratre Leonis Imp. Caulea, Euthymio &c.*
22. *Nicolaus Mysticus, Patriarcha, ingentes adversus Leonem Imperatorem pientissimum turbas excitat, propter illius quartas nuptias. Joannes IX. eum absolvit, substitutus Nicolao Euthymius.*
23. *Mors Leonis ejúsque opera eruditissima.*
24. *Alexander, frater Leonis, dejecto Euthymio restituit Nicolaum Mysticum: quem pacis causa Papa approbavit: relicta Græcis sua consuetudine circa tertias & quartas nuptias prohibendas.*
25. *Constantinus Porphyrogenitus Leonis filius Imperii socium ascíscit Romanum: qui filium suum Theophylactum adolescentem facit Patriarcham*
25. *à Joanne XI. malè confirmatum, quem tamen Orientales post hanc confirmationem agnoverunt: durante semper utriusque Ecclesiæ unione.*
26. *Licèt à Sisinnio & Sergio Patriarchis impugnata, Sedísque apostolicæ Primatus semper agnitus.*

§. II.
Schisma Græcorum per Cerularium instauratum.

27. *Variis tragœdiis prælusum schismati Græcorum: sursum deorsum euntibus omnibus: impiis hominibus, sub Patriarchis impiis per sanguinem antecessoris ad thronum Imperialem passim ascendentibus. Romani, Stephani, Constantini, Nicephori Phocæ, Zimiscis, Romani Argyri, Michaëlis Paphlagonis, Michaëlis Calæphatis, Imperatorum tragœdiæ, Theophane & Zöe furore & libidine aulam miscentibus.*
28. *Theophylacti Patriarchæ spurcissimi effigies.*
29. *Alii etiam Patriarchæ ad scelera omnia abusus, morúmque corruptionem connivent: imò promovent.*
30. *Hac rerum facie Cerularius, homo infiniti fastûs, ad Rempublicam Ecclesiasticam accessit:*
31. *Eámque in schisma præcipitavit, omnibus ad ruinam pergentibus.*
32. *Usus opera Nicetæ Pectorati: qui librum scribit adversus usum panis azymi in Eucharistia.*

33. *Hunc refutat Humbertus Cardinalis, Leonis IX Constantinopolis legatus, ipsúmque Nicetam cum Imperatore Constantino Monomacho convertit.*

34. *Cerulario furorem continuante, ac schisma in alios etiam Patriarchatus spargente.*

35. *Totus tamen Oriens jam passim plenus erat Hæreticis, Turcis & Saracenis. Maronitæ Monothelitæ postea conversi, Nestoriani.*

36. *Jacobitæ seu Cophti Eutychiani, Armeni.*

37. *Græcorum Religio toto cœlo diversa à Religione Protestantium.*

38. *Quæsita unio per Lotharium Imper. & Græcos Imperatores: sed frustra: Stratiota, Andronico, Isacio & Alexio Angelo cruentas tragœdias continuantibus.*

39. *Schisma sopitum sub Latinis Constantinopoli Imperatoribus.*

40. *Renovatum amissa rursus Constantinopoli.*

§. III.

Unio à Concilio Lugdunensi restaurata.

41. *Michaël Palæologus recuperato Imperio unionem urget.*

42. *Præsertim apud Gregorium X.*

43. *Qui indicit Concilium Generale Lugdunense, ad quod missi legati Græcorum.*

44. *Fines hujus concilii.*

45 *Sancita unio.*

46. *Veccus, unus ex legatis, fit Patriarcha, unionis defensor.*

§. IV.

Constitutiones Concilii Lugdunensis.

47. *Insertæ pariter libro sexto Decretalium.*

§. I.

Schisma Græcorum per Photium inchoatum.

1. *Patriarchatus.* Una est Christi in terris Ecclesia; in varias tamen orbis terrarum diffusa provincias, sub uno visibili capite in unitate fidei congregata, in duas tamen magnas mundi partes divisa, alteram *Orientalem*, *Occidentalem* alteram, ab antiquissimo jam tempore. Occidentales per potissimam Europam, Africámque, & nunc etiam Americam exporrecta, sub uno Patriarchatu Romano coaluit. Orientalis per Thraciam, Græciam, Asiam, & Ægyptum extensa, quatuor Patriarchatus est complexa, Constantinopolitanum videlicet, Alexandrinum, Antiochenum, atque Hierosolymitanum.

2. *Omnes subsunt summo Pontifici.* Quamvis autem Patriarchæ isti Orientales magnam authoritatem in subjectos sibi Metropolitanos & Episcopos exercuerint, Romani tamen Pontificis, Petri Apostolorum Principis, cui peculiari omnino ratione Christus ovium suarum curam, & regni cœlorum claves concredidit, Successoris Primatum summámque in Ecclesia authoritatem sunt venerati.

Hinc,

Hinc, licèt Patriarchæ, præsertim Constantinopolitani, qui ex ultimis facti sunt in Oriente primi, Romæ novæ sedísque Imperatoriæ typho elati, non raró caput surrigerent, Romanus tamen Pontifex, quem antiquissima etiam concilia Orientis *Papam Universalem* nuncupabant, ac specialis prærogativæ honore colebant, primos semper tenuit: Adeò quidem, ut ejus ad octo prima Concilia, in Oriente propter hæreses turbásque, ibidem exortas, celebrata legati, licèt simplices quandoque tantùm essent Presbyteri, primo semper loco sederint, primi dixerint sententiam, primíque in omnibus actis subscriberent ac nominarentur, ejúsque epistolas, ùt Cœlestini, Leonis, Agathonis, Adriani velut oracula ex Petri ore prolata susciperent, imò in ipsos etiam Patriarchas Romæ novæ jurisdictionem semper exercuerint.

Demonstrant hoc manifesta profundæ etiam vetustatis exempla, quibus constat, viros sanctissimos atque multò doctissimos, Orientis Patriarchas, S. Athanasium, S. Flavianum, S. Joannem Chrysostomum, S. Ignatium, ab Orientalibus conciliis damnatos, ad sedem *Apostolicam* (semper ita nuncupatam & æstimatam) Romam appellâsse, tanquam ad superiorem, non tantùm Patriarchis, sed etiam conciliis. 3. *Ad quam appellatio*

Maximè autem & manifestè id comprobatur ab exemplis ipsorum Patriarcharum Constantinopolis, Anatolii, Acacii, Flavitæ, Euphemii, Epiphanis, Mennæ, Eutychii, Cyriaci, Sergii, Pyrrhii, Pauli, Petri, Anastasii &c. quos judicatos esse novimus à Romanis Pontificibus, Leone, Simplicio, Felice, Gelasio, Hormisda, Agapeto, Vigilio, Gregorio, Theodoro, Martino, Eugenio, & Agathone; Aliísque summis Ecclesiæ Romanæ Præsulibus ante & post sævam Iconoclastarum tyrannidem; qua capitis ac Judicis supremi unitate factum sanè est, ut neque Patriarcharum quorundam fastus, atque ambitio, neque surgentes in Oriente novæ identidem hæreses, quas communi consilio, studio, vigilantia utraque Ecclesia semper damnaverat, fundatam illam in Christo, ejúsque Vicario unionem potuerint scindere. 4. *aliósque judicavit.*

Unanimis ille consensus tenuit firmiter ad dimidium usque sæculi noni, quo primùm labefactari cœpit. Mali origo, ùt supra ad Concilium Generale octavum memoravimus, *Photius*, qui Bardæ artibus corrupto Michaële Imperatore, amota Theodora matre, & Theoctiste Cancellario à gubernaculo, depulso Ignatio, Patriarchatum invaserat, licèt adhuc Laicus: quem tamen se tueri non posse videbat, nisi Romani Pontificis, quem tunc ipse totáque Orientalis Ecclesia pro Papa universali agnoverat, assensu firmaretur. 5. *Photius intrusus.*

Missis

6. *Legati Nicolai prævaricatores.* Missis igitur Romam ad Nicolaum I. Pontificem tam suis quàm Imperatoris legatis, lupum sub ovina pelle tegens, fraudibus impetravit duos à Nicolao legatos: qui tamen aliud mandatum non acceperant, nisi renovandi decreta, contra Iconoclastas lata, de causa verò Ignatii & Photii informationem tantùm Romam mittendi, absque decisione controversiæ. Imò communionem iis cum Photio vetuit: sicut & ipse Romæ legatos Photii ad suam aut Episcoporum communionem non admisit.

Legati Romani ubi Constantinopolim venêre in arctam mox custodiam dati, atque ultra tres menses in ea detenti minis tandem ac spebus victi, in conciliabulo Constantinopolitano in depositionem Ignatii, sedem Apostolicam appellantis, perfidè consenserunt. Nihílque intentatum reliquit Photius, quo suam in sententiam Nicolaum pertraheret.

At in virum consiliis suis minimè opportunum incidit: condemnatus ab eo cum asseclis suis Episcopis; Rhodoaldo & Zacharia legatis propter prævaricationem excommunicatis atque depositis.

7. *Photius excommunicat Papam.* Quare Photius abjecta ovina pelle lupum jam palàm ostentabat, insurgens adversus Romanam Ecclesiam, ejusque Antistites. Litteris confictis, acsi ab Orientalibus tribus Patriarchis essent scriptæ, falsisque adversus Nicolaum Pontificem testibus subornatis, in novo conciliabulo excommunicationis sententiam in eundem dicere attentavit: cohorrescentibus ad inauditum facinus plerisque Episcopis, licèt alioquin servili studio addictis Photio, qui per Principes, Michaëlem & Bardam omnia poterat.

8. *Errores objicit.* Inflârunt magìs adhuc illius arrogantiam duorum Archiepiscoporum Germaniæ, Coloniensis videlicet & Trevirensis litteræ, qui à Nicolao Pontifice excommunicati atque depositi (quòd in conciliabulo Aquisgranensi & Metensi in divortium *Lotharii Junioris*, Austrasiæ Regis, cum *Thietberga* Regina ac legitima conjuge, atque in adulterinas cum *Valdrada* nuptias consenserint) communionem cum Photio petebant. Has ille litteras per totum Orientem, additis suis circularibus, quibus Patriarcham universalem se dixit, Episcopis misit: objiciens latinis, quòd sabbato jejunent; quòd ova manducent in quadragesima; quòd parvulos in baptismo chrysmate ungant; quòd chrysma permisceant aqua; quòd Clerici barbam radant; quòd Diaconi sinè ordine Presbyteratûs transeant ad Episcopatum; quòd dicant, Spiritum S. à Patre Filióque procedere; quòd Patriarcha Constantinopolitanus non sineretur litteras Decretales ad omnes fideles mittere.

9. *Sortis mutatio* Dum hac ratione Photius Orientalem niteretur Ecclesiam ab Occidentali avellere, subita in aula mutatio ejus consilia evertit. Occisus Bardas, columen Photii; assumptus in regni societatem Basilius, in Macedonia parentibus rusticis natus, sed virtute ac fortitudine per omnes honorum gradus

gradus eò fastigii provectus, occisus à Basilio Michaël, temporis sui Nero. Photius in monasterium relegatus, restitutus Ignatius, indictum Concilium Generale octavum: damnatus Photius, restitutio Ignatii confirmata, ubi notandum, quòd Photius Patriarchatu dejectus, rursus supplices ad Papam litteras dederit, cum omni submissione tanquam universalem & supremum Ecclesiæ Pontificem veneratus, quem antè, Bardæ & Michaëlis favore turgens, iterato anathemate ferire non erubuit.

Quamquam autem Basilius omni honore ad concilium illud accedentes legatos Pontificios exceperit, magnóque componendæ pacis Ecclesiasticæ zelo flagrans concilio in templo S. Sophiæ præsens adfuerit, non ea tamen veneratione legatos dimisit; tum quia obtinere non poterat, ut Ludovicus II. Imperatoris nomine abstineret; tum quia Episcopi Orientales conquererentur, Ecclesiam Constantinopolitanam tanquam famulam Romanæ in concilio fuisse subjectam, tum quia causa Bulgarorum, de qua aliàs meminimus, animos Orientalium alienaret.

Hæc tamen tanta non erant, ut unionem utriusque Ecclesiæ scinderent: sed post mortem Ignatii, Basilius rursus à Joanne VIII. legatos petiit, qui surrogationem Photii, per imposturas suas Imperatori interim reconciliati approbarent. Addidit etiam Photius preces suas ad eundem Romanum Pontificem, sinè cujus communione se non posse firmiter Patriarchatum retinere cernebat: manifesto argumento, quòd Orientales etiam, non obstantibus quibusdam dissidiis, authoritatem supremam Papæ adhuc sint venerati: & ipse etiam Photius non ob aliquam dissensionem in fide aut abusus Romanæ Ecclesiæ egisse, quæ contra eandem egerat, agniturus lubenti animo ejus primatum, si ipse vicissim receptus in communionem Patriarcha Constantinopolitanus agnosceretur. 10. *Mortuo Ignatio à Basilio restitutus Photius.*

Joannes VIII. quamquam haud ignarus, quibus motibus esset Photius, quidquid contra eum varia statuissent concilia, nihilominus, quia Saraceni undique vastabant Italiam, nullúmque aliud videret præsidium, ut Basilium, fortissimum Saracenorum victorem, protectorem haberet, consensit in restitutionem Photii, sub conditione tamen humilis deprecationis, coram concilio ab eo faciendæ, & Patriarchatui Romanæ restituendæ Bulgariæ. 11. *Annuente Joanne VIII.*

Quas tamen ille, corruptis more suo Papæ litteris, non implevit, sed in conciliabulo, quòd ipse synodum VIII. dixit, ante legatos Pontificios omnia pro potestate magno cum fastu egit, nemine obluctari auso, causa verò Bulgarorum ad Imperatorem remissa. Ut verò suas partes magìs firmaret, appellatione ad Papam sublata, quam concilium Sardicense adstruxerat, statuit, ut neuter ab altero excommunicatos admitteret. 12. *sub condionibus tamen, quas non implevit.*

Cùm Papa rei iniquissimè gestæ seriem deprehendit, damnata legatorum suorum pusillanimitate & prævaricatione *Marinum*, virum inflexibilis animi misit Constantinopolim, in carcerem primum missum à Basilio, dein
13. *Unde à Joanne ex communicatus.* remissum Romam, à quo edoctus pleniùs Joannes de abolita per Photium synodo VIII. de imposturis, & non impletis conditionibus Photium rursus excommunicavit: sicque schisma recruduit. Restauravit sacrum fulmen idem Marinus Joannis Successor.

14. *Photii objectio.* Tum verò Photius recoacta illa de processione Spiritus S. à Filio controversia, hæreseos Ecclesiam Romanam arguebat, Concilii Ephesini lato in eos, qui symbolum mutarent, fulmine prostratam. Quæ res, cùm plurimùm à Græcis objiceretur nostris, operæ pretium fuerit, hîc altius aliquantùm eandem repetere.

In primis quatuor Ecclesiæ sæculis nemo unquam adduxit in controversiam, an Spiritus S. à Patre Filióque procederet; nam in synodo secunda ac Romana, contra Macedonium de Spiritu S. habitis id duntaxat est definitum, Spiritum S. verum esse Deum, ejusdem cum Patre & Filio substantiæ, neque dubitavit tunc quisquam, quin sicut unigenitus Dei Filius, qui est verbum & sapientia Patris per intellectum à Patre procedit, ita Spiritus S. qui est mutuus Amor Patris & Filii, per voluntatem ab utroque tanquam uno principio procedere: nemine unquam contradicente.

Primus sæculo quinto famosus ille *Theodoretus* Cyri Episcopus, Nestorii adhuc sectator, & Magistro suo Theodoro Mopsvesteno, malè intellecto, negavit, Spiritum S. procedere à Filio, ut contradiceret S. Cyrillo, cujus odio propter anathematismos in Nestorium latos flagrabat.

15. *de processione Spiritus S.* Contra verò sicut jam ante sæculo IV. Damasus Papa, ùt ex ejus confessione fidei ad Paulinum Antiochenum Patriarcham missa constat, sic etiam sæculo quinto S. Leo, rescripsit Turibio Austuriæ Episcopo, impium esse afferere, quòd *non sit alius, qui genuit: alius qui genitus est; alius, qui ab utroque procedit.* Hanc dein doctrinam ab Ecclesia Catholica omni tempore receptam ac traditam à Patribus Concilium Toletanum I. fidei definitioni inseruit, addens symbolo Constantinopolitano vocem *Filióque*, ad condemnandos Priscillianistas. Quo nihil contra Ephesini decreta est
16. *Quando additio symboli.* actum; per additionem enim illius vocis non mutatur symbolum, sed magis declaratur, sicut synodus Nicæna declaravit symbolum Apostolorum per additionem vocis *consubstantialis Patri*, ad condemnandum Arium, & synodus secunda symbolum Nicæni per additionem plurium vocum, ad condemnandum Macedonium.

Exemplum Concilii Toletani converso ad fidem Recaredo, Visigothorum Rege, tota Hispania est amplexa; subin etiam Gallia, ùt patet ex professione fidei, quam Historiæ suæ præmisit Gregorius Turonensis, sæculi sexti

ſexti ſcriptor; eandem vocem *Filioque* fidei ſymbolo adjecit concilium Generale Nicænum ſecundum, prout antiquiſſimis exemplaribus Græcis eſt exhibitum. Idem definitum eſt à Paulino Patriarcha Aquilejenſi in Concilio Foro-Julienſi. Teſtis etiam eſt Walfridus Strabo *de rebus Eccleſ. c.* 22. tempore Caroli M. ſymbolum cum ea additione in Gallia & Germania inter miſſarum ſolemnia cantari ſolitum, cúmque Joannes Monachus Jeroſolymitanus hanc doctrinam impugnâſſet, Concilium Aquiſgranenſe ſub eodem Carolo M. eandem expreſsè definivit, multíſque S. Scripturæ ſanctorúmque Patrum teſtimoniis confirmavit, & cùm Carolus M. acta hujus concilii ad Leonem III. miſiſſet, hanc veram fidem eſſe is decidit, contrariámque damnavit: noluit tamen, ut ea vox, ùt ùt Catholica, fidei ſymbolo inſerta publicè in Miſſa cantaretur in Italia, relicta in ſua conſuetudine Hiſpania, Gallia ac Germania, donec ad preces Imperatoris Henrici ſancti Benedictus VIII. in Concilio Romano morem illum etiam in Italia introduxit.

Sed neque Orientales additionem illam morémque Eccleſiis occidentalibus unquam objiciebant: ne ipſe quidem Photius, quamdiu promotionem ſuam ad Patriarchatum à Romanis Præſulibus confirmandam ſperabat, repetitis autem fulminibus percuſſus à pluribus Pontificibus, hunc prætextum abſtrahendi Orientales ab obedientia Romani Pontificiis quærebat, condemnans doctrinam de proceſſione Spiritus S. à Filio: utque in Occidente etiam turbaret, Patriarcham Aquilejenſem, quem aliàs à Pontifice alienum noverat, litteris, verboſa eloquentia fucatis, in erroris ſocietatem pertraxit.

At diu furere ei non licuit, nam liberato ex carcere *Leone* Baſilii filio, 17. *Mors Baſilii.*
in quem Photii & Santaberini fraudibus fuerat conjectus, obiit Baſilius, anno Imperii fortiter geſti vigeſimo, hoſtium Domitor, Saracenorum Terror, virtute, prudentia, regnandique artibus præſtans: eo duntaxat infelix, quòd duobus impoſtoribus Photio & Santabereno obnoxius, ſynodo octavæ, quam tanta cura procuraverat, renuncians, Pontificibus nullo jure infenſus, ſchisma foverit, quod temulento Anteceſſore ſuo damnaverat; in eo verò longè feliciſſimus, quòd ſucceſſorem reliquit Leonem filium, cæterà patri ſimilem, niſi quòd Eccleſiæ pacem dederit, ad poſteritatis memoriam inſigni conſilio.

Hic namque Princeps ab obſequio in Deum Imperium auſpicandum 18. *Leo filius deponit Photium.*
ratus, lectis Stephani V. Pontificis ad Baſilium litteris, mox Photium, turbarum omnium dirique ſchismatis auctorem in arctum Monaſterium abduci præcepit, ſubſtituto ei voluntate Pontificis, in Patriarchatu fratre ſuo Stephano, Principe integerrimo, ſacris jam priùs admoto. Periit in exilio

 Photius:

19. *Santaberenipœna.* Photius: Santaberenus verò ſcelerum ejus miniſter, qui Leonem fraudibus ſuis patris iræ objecerat, adempto pingui Archi-Epiſcopatu, quem Photius dederat, majoribus pœnis ſervatus: fuſtibus cæſus, oculis orbatus, in perpetuum exilium deportatus: Orthodoxi verò Epiſcopi revocati ab exiliis, in quæ eos Photius ejecerat. Miſſi illico ab Imperatore & Epiſcopis Romam legati, qui recognita Romani Pontificis, Papæ Univerſalis, ſuprema in totam Eccleſiam authoritate, extincto ſchismate, unitatem reducerent.

Princeps legationis Stylianus, Metropolitanus Neo-Cæſareæ, nomine totius Cleri Conſtantinopolitani expoſitis actis Photii dixit, ad ſanctam ſedem pertinere eos corrigere, & ad gregem Eccleſiæ aberrantes reducere; cúmque multi Epiſcopi non niſi vi ac metu compulſi, Photio adhæſerint, æquiſſimum eſſe, impoſtorem illum omni rigore juris punire, Epiſcopos verò lapſos ſupplices ad pœnitentiam admitti, & Ordinum atque officii exercitio reſtitui: uti factum in quarta ſynodo cum Dioſcori aſſeclis, & in ſeptima cum Iconoclaſtis.

20. *ſopitum ſchiſma.* Pontifex igitur confirmato Stephani Patriarchatu, & receptis in gratiam lapſis Epiſcopis, reunita utraque Eccleſia, ſchisma illud aut extinxit, aut certe ita repreſſit, ut longo tempore nulla illius ſcintilla eruperit: manifeſto documento, Græcos ad ſchiſma illud conflandum non eſſe motos doctrina illa de proceſſione Spiritûs Sancti, aut abuſibus, Romanæ Eccleſiæ à Photio objectis, ſed ſola hujus tyrannide, terrore, violentia, impoſturis.

21. *ſub probis Patriarchis.* Plurimùm autem ad ſchiſma evellendum contulit Stephani Patriarchæ Zelus, virtus, morúmque ſanctimonia; quam Deus remuneraturus brevi eum ex humanæ vitæ fluxibus eripuit. Nec minus Sanctum ſucceſſorem habuit *Antonium Cauleam*, ſub quo unio cum Latina Eccleſia ex integro eſt confirmata, miſſis novis legatis ab Imperatore Leone ad Stephanum V. Pontificem: ad quas *Formoſus Papa*, mortuo interim Stephano, reſpondit, data plena lapſis venia.

Antonio Patriarchæ ſucceſſit *Nicolaus Myſticus*, tamen exactæ vir diſciplinæ, ut in rigorem nimium deflecteret, quo, ſervata cum Eccleſia Occidentali concordia, non parùm turbata eſt Eccleſia Conſtantinopolitana. Ecce fontem!

quartæ Leonis nuptiæ. Leo Imperator poſt mortem trium uxorum, ex quibus prolem nullam ſuſceperat, tranſiit ad quartas nuptias cum Zöe (ex qua deinde Conſtantinum nactus eſt Porphyrogenitum) quia verò Canones Eccleſiæ Orientalis, (ùt *can.* 37. Concilii Neocæſarienſis) prohibent tertias & quartas nuptias (quòd Leo ipſe *Conſtitut. Novell.* 90. confirmavit) Nicolaus Patriarcha non tantum Benedictionem nuptialam ei negavit, ſed etiam

pres-

presbyterum, qui eam impertiverat, deposuit, & Imperatorem ab ingressu Ecclesiæ prohibuit, ac tandem excommunicavit; cúmque absolutionem instanter peteret, constanter ei Patriarcha negavit, Episcopis id aliis probantibus, aliis improbantibus.

Quare Imperator ad Pontificem Joannem IX. pro impetranda absolutione ac dispensatione recurrit; qui missis legatis causáque discussa eum absolvit, ac matrimonium confirmavit. Nicolaum verò Patriarcham, pertinaciter adhuc obluctantem Imperator deponi & in monasterium detrudi curavit, surrogatio viro pientissimo *Euthymio*: qui mox Leonem à Papa absolutum in suam communionem recepit: multis tamen adhuc pertinaciter Nicolao adhærentibus, ac schisma foventibus; cum quibus usque ad mortem moderatissimo Imperatori conflictandum fuit. Obiit autem anno 911. Imperii 25.

Edidit plures doctissimos ingenii partus, ab illo enim habemus 113. novellas Constitutiones, post Justiniani & Justini constitutiones novellas in Corpore Juris collocari solitas: tractatum item de re militari: Epistolam ad Omarum Saracenorum Principem de veritate Religionis Christianæ contra errorem & Sectam Mahometis, ubi de mysterio SS. Trinitatis disserens, confitetur Spiritum S. à Patre & Filio procedere: 204. orationes disertissimas: 33. Panegyres in festa primaria totius anni: Epistolam circularem ad omnes suos subditos, in qua doctè adeò atque ferventer eos hortatur ad vitam Christiano homine dignam, ut Basilium aliquem aut Chrysostomum te putes legere, dignus sanè Princeps, quem suspiciant, améntque litterati! dignus, cui ad posteritatis commendationem *Philosophi* ac *Sapientis* cognomen adhæreat.

23. *Leonis opera.*

Recruduit post ejus mortem Constantinopolitanæ Ecclesiæ secum ipsa dissidium; reliquit etenim Leo filium unicum *Constantinum Porphyrogenitum* in tenera adhuc ætate: dedit proin ei consortem Imperii *Alexandrum* fratrem suum, quem jam Basilius Cæsarem dixerat, hominem stolidè ferocem ac planè impium: patrique Basilio ac fratri Leoni per omnia dissimilem; hic, ut specmen daret, qua sit indole, restituit illico Nicolaum Mysticum, deposito sancto Euthymio, quem schismaticorum, Nicolao adhærentium, furori objecit, pugnis calcibúsque contundendum. Denique inauditis contumeliis, ludibriisque affectum vix adhuc spirantem in exilium relegavit. Verùm ultra annum furendi spatium mors ademit.

24. *Nicolaus Mysticus restitutus. deposito Euthymio.*

Nicolaus, hac ratione aut restitutus, aut intrusus, pristinam suam crudam atque inflexibilem severitatem necdum deposuit: sed nulla Imperatoris Contantini ratione habita matrimonium Leonis cum Zöe improbare perrexit, epistola ad Joannem X. Romanum Pontificem data accerbè conquestus, injustè se judicatum: quartas nuptias in Ecclesia non esse

tolerandas. Tandem cùm ſchiſma invaleſceret, aliis Nicolaum aliis Euthymium agnoſcentibus Patriarcham, imploratus Papa legatos in Thraciam miſit, ubi in ſynodo, mortuo interea Euthymio, receptus Nicolaus: relicta Græcis ſua circa te rtias & quartas nuptias conſuetudo: quæ à Conſtantino etiam edicto eſt firmata: conſentientibus tamen omnibus, penes Pontificem tanquam caput Eccleſiæ poteſtatem eſſe in lege eorum & conſuetudine diſpenſandi.

Reducta hoc pacto in Eccleſiam Byzantinam pace, floruit toto Sæculo decimo unio cum Romana Eccleſia, licèt per infandam tyrannidem ſcelerati etiam Pontifices eſſent intruſi, ac nunquam plures abuſus irruerent, agnita ſemper Romanæ ſedis auctoritate: id, quod ſequens eventus comprobavit.

25. *Romanus.* Conſtantinus Imperator *Romanum* Lecapenum Belliducem ſuum Imperii ſocium aſciverat: qui ſpreta Conſtantini ætate & inertia, relicto ſolo ei titulo, omnia cùm gubernaret, *Theophylactum* filium ſuum, ſedecim duntaxat annorum adoleſcentem, moribúſque corruptiſſimum, Patriarcham propria authoritate creavit contra SS. Canones. Cúmque ea res vehementer offenderet Orientis Epiſcopos, Romanus Albericum comitem Tuſculanum, qui ſimile facinus in Eccleſia occidentali patrârat, muneribus corruptum permovit, ut à Joanne XI. quem in poteſtate habebat, diſpen-

25. *Teophylactus.* ſationem pro Theophylacto impetraret.

Albericus igitur Joannem adegit, ut legatos in orientem mitteret ad confirmandum nomine ſuo Theophilactum, & conferrendum Pallium, jure Palii omnibus ejus ſucceſſoribus tradito, licèt à Papa illud non peterent.

Huic Pontificis voluntati aquieverunt Orientales Epiſcopi: licèt Joannes XI. Maroziæ turpiſſimæ filius, tyrannide intruſus, acceptatus tamen ab Eccleſia, perſona ſua nihil dignum tanto Orientis conſenſu præſeferret, niſi ſedis Apoſtolicæ authoritatem ac ſupremam in ſacris per orbem jurisdictionem: manifeſto rurſus argumento, Græcos ſæculo decimo, quo nullum fuit Eccleſiæ Romanæ luctuoſius, ſola veneratione ſedis Romanæ, licèt homines etiam indigni illam occuparent, ſummam Pontificum authoritatem agnoviſſe, eidémque ſe ſubjeciſſe.

26. *Siſinnius.* Tenuítque hæc Orientalis Eccleſiæ in Romanam reverentia ad annum uſque 981. quo non quidem ſublata, ſed tamen tenata fuit à *Siſinnio* Patriarcha, homine impio, qui litteras encyclicas Photii, ad Patriarchas Orientis contra doctrinam & Diſciplinam Latinorum olim ſcriptas, ſuo duntaxat nomine ſubſcripto, iterum ad Patriarchas miſit, invitans eos ad bellum indicendum Romanæ Eccleſiæ. Idem attentavit vehementiùs ſucceſſor illius *Sergius*, additis pluribus calumniis: At irrito conatu. Patriarchæ enim Alexandrinus, Antiochenus & Jeroſolymitanus fideles unionem cum Romana Eccleſia coluerunt.

Imò

Imò etiam *Eustathius* successor Sergii supremam Pontificis Authoritatem agnovit. Quod vel ex ambitione illius perspicuè elucet: induxit enim *Basilium* Imperatorem, ut an. 1024. communi utriusque nomine legatos ad Joannem XX. mitterant, qui peterent, ut ejus auctoritate Patriarcha Constantinopolitanus diceretur *Oecumenicus* in toto Oriente, sicut ipse Occumenicus esset Patriarcha per totum Occidentem, & Papa universalis per totum orbem. Quo facto liquidè constat, sæculo adhuc undecimo persuasum fuisse non tantùm toti Orienti, sed etiam Imperatori ac Patriarchæ Constantinopolitano, Ecclesiam Græcam Romanæ subjectam esse; cùm arrogantem illum titulum *Oecumenici*, quem tot Patriarchæ Constantinopolitani frustra extorquere conati sunt, assumi ac retineri non posse censebat absque Romani Pontificis authoritate. Qui tamen, non obstantibus magnis promissis, ac precibus, constanter illum negavit, redeuntibus re infecta Græcis.

§. II.

Schisma Græcorum per Cerularium instauratum.

Quanquam titulus, *Oecumenici* per Orientem Patriarchæ, negatus à Pontifice ægrè haberet Imperatorem ac Patriarcham Eustathium, tenuit tamen adhuc unio ad medium usque sæculi undecimi: Quo tandem fatale Græcorum schisma à Photio cœptam per Michaëlem Cerularium est instauratum. 27.

Græcorum res lapsæ.

Variis autem tragœdiis prælusum est à Græcis funestæ huic pesti. Cùm enim Patriarchæ fæminarum Principum libidines, & virorum cruentos furores coronarent, Imperatores, ut scelerato obsequio præmium rependerent, Patriarchis, quidquid illis ambitio, novandique cupiditas suggesit, concessêre: sicque sursum deorsum euntibus sacris profanísque Græcorum rebus confusa sunt omnia.

Et internecini furores.

Imprimis enim solium Imperatorium vix aliter turbulento illo tempore scandere contigit, nisi per strata antecessorum cruenta cadavera, mulierúmque maritis suis exitiales libidines. Constantinus Porphyrogenitus, ùt dictum, Imperii socium Romanum asciverat. Hic à filio Stephano spoliatus diademate, & in exilium projectus. Stephanus à Constantino deportatus & suam & patris pœnam luit. Theophylactus frater Stephani, Patriarchatus propudium, equorum amator, ab equo in murum allisus interiit. Constantinum filius Romanus veneno sustulit. Romanus pariter veneno, à propria, ùt creditum, conjuge Theophane Imperatrice misto, periit. Hæc Medea proprio etiam interfecto filio, Nicephorum Phocam, vix ad thalami & Imperii societatem admissum, per Zimiscen occidit. Zimisces Theophanem à thoro, quem speraverat, in Insulam deportavit;

portavit; veneno & ipse extinctus, à cubiculario suo propinato. Relictum tunc Imperium Basilio & Constantino IX. Romani & Theophanes filiis, jam antè à Zimisce in Imperium societatem assumptis. Uterque periit prole nulla relicta mascula. Romanus Argyrus, propria dimissa uxore legitima, Zöen Constantini filiam duxit, ut Imperium in adulterinam dotem acciperet. At Zöe Romanum conjugem Imperatorem, cùm venenum ei propinatum spe pigrius esset, per Michaëlem Paphlagonem strangulavit, ut amoribus hujus sicatii, quem deperibat, potiretur. Imperium, more Byzantii haud peregrino, mercedem sceleris Michaël retulit, & Zöen Imperatricem conjugem: At brevì in insanam rabiem actus flagellante Nemesi vindice interiit.

Zöe tot parricidiis superstes ad Michaëlem Calæphaten & sui copiam, & diadema tot cædibus cruentatum attulit. At Calæphates, cùm Zöen in Monasterium intrusisset, & Patriarcham impium, tot scelerum administrum, vellet deponere, orta seditione, à populo obsessus in suo palatio, cùm in Monasterium Studitarum, tanquam in asylum profugisset, & Monachalem habitum induisset, oculis nihilominùs est orbatus. Unde Zöe, sceptro rursùs admota, cùm Constantinum quemdam, quamvìs conjugatum maritum peteret, Constantinus à sua uxore, ne Zöe illo potiretur, veneno est enecatus. Hac spe frustrata Zöe, in alium *Constantinum*, cognom ento *Monomachum*, hominem spurcitiis corruptum oculos jam aniles & amores convertit, eúmque in thori ac throni consortem admisit.

28. *Teophylacti effigies.* Hæc erat aulæ Augustalis facies, cùm sub Imperio hujus Imperatoris Monomachi Græcorum schisma erupit. Sed nec Patriarcharum melior. Pudet memorare Theophylacti sordes, mores turpes, vitam infamem, propudiosas comessationes, lascivos saltus, sacrorum nundinationes, equorum numerum incredibilem, quos Mytratus hic stabuli præfectus unctis manibus exquisitissimis atque inauditis pabulis infarcire est solitus: Taceo ipsam etiam sacras aras contaminatas, dum hinnulum effusum audiens, cùm die Jovis Sancto Divina in Ecclesia celebraret officia, his interruptis, stabulo accurrit: Dignus, qui per equum periret equorum amator insanus.

29. *Corruptio Græcorum.* Successorem Polieucten habuit, qui non tantùm secundas Theophanis cum Nicephoro Nuptias approbavit, licèt is Theophanis prolem sacro ex fonte Patrinus levâsset, pronuntiante Jurisprudentia Græca, Principes non ligari impedimentis matrimonii sacrísque canonibus, Bigamiam statuentibus obicem. Basilius post eum Patriarcha scelera gravi infamis fuit. Nicolaus Chrysoberges Photii & Ignatii acta, contradictionem nempe multifariam, approbavit. Alexius cum Theologis suis ac Juris-Consultis Romano Argyro potestatem fecit, ut abjecta uxore legitima Zöen ducat. Idem, grandi corruptas pecunia, Zöen Michaëli Paphlagoni adultero

suo

ſuo junxit nuptiali fœdere, poſtquam communi opera Romanum Argyrum Imperatorem peremiſſent, & quidem eum in finem, ut matrimonii fuco adulterinas libidines obducerent. Cúmque Epiſcopi eidem Nicolao objicerent præter alia, eum contra SS. Canones eſſe promotum ad Patriarchatum, adeóque deponendum, reſpondit: Si ita eſt, vos omnes oportet deponi. Idem tertium etiam quartúmque matrimonium Zöes ratum habuit. En! Nicolai illius Myſtici rigorem, quem impientiſſimum Imperatorem Leonem exercuerat! tunc SS. Canonum Decretis, atque Imperatorum edictis vetitum erat terium quartúmque matrimonium, tunc neque ſummus Pontifex diſpenſare poterat. Jam verò poſt cæſos communi conſilio ac ope maritos tertiæ quartæque nuptiæ omnino ſunt licitæ. *Et abuſus.*

Ex quibus planè videre eſt Græcorum ineptias. Quantas adverſus Imperatorem Sanctiſſimum Leonem, quoad viveret, & poſt ejus etiam mortem excitârunt tempeſtates propter quartas initas nuptias, ut Imperii hæredem relinqueret? Jam verò agglomeratæ & Imperatorum & maritorum cædes, & multiplicatæ nuptiæ, & criminoſæ, & Bigamiâ irritæ, & vivente adhuc legitima conjuge contra Divina humanáque jura cum altera initæ, & conſequenter diſſolutum matrimonii jam conſummati vinculum, pro nihilo habita à Græculis iſtis leviſſimis, ad omnem Principum, etiam ſceleratiſſimorum, auram ſe vertentibus. Veniant jam iſti Canonum legúmque cuſtodes & Romanæ Eccleſiæ abuſus exprobrent, ſuæque pravitati inde prætextum quærant, videntes feſtucam in oculo alieno, trabe in ſuo relicta, excoriantes culicem, camelum autem glutientes. 30.

In hac rerum profanarum ſacrarúmque ſumma confuſione Græca Eccleſia fuerat conſtituta, cùm Michaël Cerularius, homo projectæ audaciæ, ambitionis immenſæ, inquieti, turbulentíque omnino ingenii ad Sacram Patriarchatus Rempublicam acceſſit: Qui jam priùs conſpirationis adverſus Michaëlem Paphlagonem initæ reus, pro temporum illorum more, in Monaſterium detruſus eſt. Sed verſipellis genii cùm eſſet auræque ſervire doctus, in Conſtantini Monomachi, Principis alioquin, ùt diximus, corrupti gratiam adeò ſubdolè blandéque ſe inſinuare novit, ut Patriarcham illum tot ſcelerum reum, conſtituerit, habiturus Sacerdotem ſui genii, ſibíque quæ vellet, indulgentem. *Cerularius.* 31.

Hic igitur homo talis cùm eſſet, metuens, ne ſummus Pontifex intruſionem ſuam, contra SS. Canones factam, improbaret, iráque adverſus Latinos, ob negatum quoddam, ùt Allatius ait, Privilegium concepta, ambitione inſuper ſtimulante, ut ſolus omnia poſſet, neminémque cenſorem formidare deberet, jugum ſtatuit excutere, & bellum Romanæ Eccleſiæ apertè denunciare. *Schiſma inſtaurat.*

Hæc, ut vellet inſanire, faciebant, ut poſſet, rerum in Oriente perturbatarum opportunitas: Conſtantinus Monomachus & Zöe nullius erant

Religionis, nisi quam mollis & projecta in voluptates vita inspirabat: Ecclesiasticus ordo à Cerulario fraudibus, mendaciis, calumniis tentatus, & alioquin jam in inertem vappam subsidens, & ab Imperatoribus, & Patriarcha Constantinopolitano, qui, cùm omnia in aula posset, & favores & terrores distribuit, servili pendebat obsequio.

32. *Liber Nicetæ contra Azyma.* Accessit perniciosus, plenúsque dolo, calumniis, & imposturis liber, Cerularii jussu à *Niceta Pectorato*, presbytero in magno Studitarum monasterio, scriptus adversus abusus, ùt ferebat Romanæ Ecclesiæ, reprehendens potissimùm, quòd in Missæ sacrificio pane *Azymo* uteretur. Quem usum, Christi Domini, in Azymo consecrantis, exemplo, continuáque jam inde ab Apostolico tempore, traditione firmatum, neque Photius, omnia excutiens, neque quisquam alius ad illam usque diem objecerat.

Seditiosum hoc scriptum encyclicis suis additum Cerularius misit ad Orientis Episcopos, Monachósque, alios minis, promissis alios flectens, quósque obsistentes invenerat, atque ad sanctam sedem provocantes, excommunicatione, verberibus, catenis, carcere fregit, occlusis, quas Latini Constantinopolitani habebant, Ecclesiis. Quin eò insaniæ devenit, ut baptizatos à Latinis rebaptizari juberet: Cùm tamen secundùm Concilii Nicæni primi decreta ne quidem Baptismus, ab Hæreticis collatus, iterari debuerit.

Missæ etiam in Apuliam, ubi Græci aliquas adhuc civitates habebant, litteræ, sollicitantes ad defectionem. Capita accusationis in Romanam Ecclesiam erant, quòd judaizet, sabbatum & azyma observando, quòd animalia suffocata manducet, quòd tempore quadragesimæ à canendo *Alleluja* abstineat. Grandia enim verò momenta tantorum tumultuum!

33. *Humbertus legatus.* Hæc epistola incidit in manus *Humberti* Cardinalis & Episcopi Sylvæ candidæ, viri doctissimi, qui eam latinè versam obtulit *Leoni IX.* sancto omnino, doctrina, integritate, religione, zelo, omniúmque virtutum ornamentis præstanti Pontifici. Is tanto Ecclesiæ vulneri ut mederetur, ad Cerularium scripsit epistolam, admodum prolixam, doctrina, eruditione, paterna gravitate & charitate plenam, ostendens concessum ab ipso Christo Domino Romanæ Ecclesiæ, ipsiúsque Præsulibus, S Petri Apostolorum Principis successoribus Primatum, à synodis Oecumenicis & Patribus perpetuò agnitum: à Patriarchis Constantinopolitanis plurimas invectas esse hæreses, quas semper Romani Pontifices represserint. Quæ objicerentur, tanti non esse, ut luctuoso schismate Ecclesiam scinderent: Fidem illis non tangi; sed neque abusus esse: Diversas diversis in Provinciis vigere posse consuetudines atque disciplinam, salva fidei unitate: Intra ipsam Romam tolerari ritus, quibus Græci à Latinis discreparent: Quamdiu doctrina fidei sit una, unionem non esse scindendam.

Ac

Accepta hac epiſtola Cerularius ſimulans concordiæ ſtudioſum animum, legatos mitti petiit, qui pacem componerent. Miſſi à Leone tres, 34.
Fridericus Cardinalis, Eccleſiæ Cancellarius, poſt triennium deinde ele- *refutat*
ctus Papa ſub nomine Stephani X. Petrus Amalphis Archiepiſcopus, & Le- *Nicetam.*
gationis Princeps, quem dixi, Humbertus Cardinalis. Excepti pro dignitate ab Imperatore, qui eis exhibuit libellum Nicetæ Pectorati adverſus abuſus Romanæ Eccleſiæ editum. Humbertus brevi tempore tam doctè atque perſpicuè eundem confutavit, ut Imperator ſcriptum Nicetæ juſſerit publicè comburi, additio edicto, ne quis præſumat primatum Romanæ Eccleſiæ negare, aut doctrinam ejus, ſemper orthodoxam, impugnare: Ipſe etiam Nicetas damnans ſuam temeritatem, à legatis in communionem receptus eſt.

Cerularius contrà legatos, quos ut excommunicatos & hæreticos damnabat, ne quidem in conſpectum admiſit. Quare legati in Eccleſia S. Sophiæ, enarratis coram populo ejus ſceleribus & erroribus, excommunicationis ſententiam in eum pronuntiàrunt. Quia autem Conſtantino non multò pòſt mortuo in Imperio ſucceſſit *Theodora* ſoror Zoës, Patriarchæ obnoxia, irritum fuit unionis negotium, dominante per Orientem Cerulario: Qui tandem etiam reliquos tres Patriarchas in ſchismatis communionem machinis ſuis pertraxit, ad caſum alioquin prono Oriente, quem immanis ſectarum colluvies in varias jam dudum hæreſes abſtraxerat.

Ibi enim jam tum dominabantur *Mahometani, Turcæ* nempe & *Saraceni*
innumeri: multi etiam erant *Maronitæ* circa montem Libanum à Monothe- 35. *Maroni-*
litis pridem infecti: Sed deinde converſi, ſub peculiari Patriarcha, qui *tæ.*
Concilio Lateranenſi IV. præſens fuit, conſtanter fidem Catholicam & unionem cum Romana Eccleſia retinuerunt, inter Mahometanorum & Schismaticorum perſecutiones, velut roſæ inter ſpinas efflorescentes. Quapropter Gregorius XIII. illis Romæ ſub directione Patrum Societatis JESU Collegium fundavit, in quo bonis artibus ac Theologiæ præſertim ſtudio imbuerentur, ut in patriam reduces Patriarchæ & Epiſcopis utile in religionis & animarum cura obſequium præſtent. Officia Divina peragunt lingua Chaldaica: Ritu autem utuntur ferme Græco, niſi quòd ab antiquiſſimis temporibus in Azymo conſecrent; etiam, dum tempore Cerularii adhuc erant Monothelitæ.

Plurimi inſuper erant *Neſtoriani,* dicti etiam *Chaldæi,* cis Euphratem per Meſopotamiam aliáſque Orientis provincias, & trans Tygrim uſque in Indias, ipſóſque Aſiæ fines magno numero diffuſi Tartaris etiam multis ea peſte infectis.

Nec pauciores forſan erant *Eutychiani,* per Aſiam & Africam propagati;

gati; & quamvis in varias ſectas inter ſe eſſent diviſi, ſectæ tamen *Jacobitarum*. ſic dictæ à *Jacobo* quodam Syro, Eutychetis & Dioſcori diſcipulo, acceſſerunt, & numero & amplitudine, inter eas potiori. Duos habebant
36. *Jacobitæ.* Patriarchas, alterum in Meſopotamia, qui ſe Antiochenum, alterum in Ægypto, qui ſe Alexandrinum dicebat: Ut adeò duo eſſent Antiocheni, & duo Alexandrini Patriarchæ: Quorum alter Græcus, alter Eutychianus. Poſt Schiſma autem Cerularii *Copbti* ſeu Jacobitæ in Ægypto adeò prævaluerunt, ut ferme ſoli obtinuerint Patriarchalem ſedem Alexandrinam, ſub qua etiam eſt Patriarchatus Æthyopiæ, ubi omnes ferme Chriſtiani erant Jacobitæ ſeu Eutychiani, donec David Imperator Æthyopiæ miſſis ad Clementem VII. legatis, impetravit, ut poſtea à Paulo IV. Andreas Oviedo Societatis Jeſu miſſus eò Patriarcha, aliiſque, ſub Imperatore Claudio, Davidis filio, multos converterit; ſed ob pertinaciam Cænobitarum Eutychianorum, tam pulchra ſementis penitus ferme eſt extincta. Poſtea tempore Clementis VIII. etiam Gabriel Cophtorum ſeu Jacobitarum Patriarcha Legatos miſit Romam ad renovandam unionem.

Mediam quandam inter Eutychianam & Neſtorianam hæreſin profeſſi ſunt *Armeni*, horum unio cum Eccleſia ſæpè ſuſcepta, hodiedum ex parte viget.

Memorare hæc viſum, ut pateat, operoſùm minimè fuiſſe Patriarchis Conſtantinopolitanis Orientis reliquias, tot ruinis circumſeptas, convellere. Quanquam multi ſemper Eccleſiæ Romanæ adhæſerint; Nec eſt, cur ſibi Lutherani aut Calviniſtæ blandiantur, ac Græcorum Schiſmate numerum ſuum augeant: Cùm Schiſmatici iſti omnes Proteſtantes tanquam hæreticos execrentur, & integris convocatis Synodis ſint deteſtati.

Profitentur illi Sanctorum cultum & invocationem, cultum item ſa-
37. *Græcorum Religio.* crarum Imaginum & Reliquiarum, vota Monaſtica, purgatorium, ſuffragia pro mortuis, libertatem arbitrii, meritum bonorum operum, ſeptem Sacramenta: Sacrificium Miſſæ, ac præſentiam veram & realem Chriſti in SS. altaris Sacramento; ut adeò Proteſtantium quidam aut omnino ſint peregrini in rebus Græcorum, aut fallere velint, dum eos partibus ſuis conantur accenſere. Azymorum uſus ad diſciplinam pertinet; Spiritum S. à Patre per Filium, imò etiam ex Patre Filióque, tanquam uno principio, procedere, non rarò in Conciliis faſſi ſunt Græci, cœlibatus Sacerdotum, barbæ raſæ, modus non nihil diverſus jejuniorum, tanti utique non erant, ut ſcindi debuerit unio. Adeóque ad quæſtionem de primatu Papæ Schiſmatis cauſa videtur reduci, manifeſtis Scripturæ patrúmque teſtimoniis aſſerto. Sed neque quoad hoc Græci cum proteſtantibus conveniunt; agnoſcunt enim illi Romanum Epiſcopum tanquam Patriarcham

Occi-

Occidentis, cui in Ecclesiasticis omnes Occcidentales Ecclesiæ sint subjectæ & parere debeant.

Vera igitur causa ambitio fuit, ex urbe Augusta ac Roma nova inflata, odiúmque in occidentales conceptum propter avulsum Imperium occidentale, & ad Germanos translatum. Cerularii autem fastus eò pro cessit, ut ipsos Imperatores deponeret novósque constitueret; nam Michaë- 38.
lem Stratiotam, post Theodoram, Zoës sororem, evectum ad Imperium *tentata*
abducavit, & Isacium Comnenum coronavit: Adversus eundem etiam su- *unio.*
perbissimè postea insolescens.

Anno 1136. Lotharius II. Imperator Anselmum Episcopum Havelbergensem Legatum misit Constantinopolim, qui cum Niceta Archi-Episcopo Nicomediensi, Græcorum Doctissimo, publicam de capitibus controversis disputationem iniit. Fassus est Nicetas, ea non esse tanti, ut scindi propterea Ecclesia debuerit; circa processionem Spiritûs S à Filio Græcos verbis potiùs, quam re ipsa differre. Unde indicto generali Concilio unionem facilè restaurari posse. At, quia Comnenus in Oriente bellum Latinis intulit, frustra obsessa Antiochia, quam crucitati exercitus Saracenis eripuerant, totum negotium effectu caruit.

Manuel, ejus Successor cum ipsis Turcis fœdus iniit contra Christianos Occidentales: Simul tamen desiderium uniendi Ecclesias Romano Pontifici significavit. Andronicus, ejus patruelis, usurpato Imperio omnes Latinos crudeliter interemit Constantinopoli, quòd Alexio Manulis Filio faverent: Qui Ludovici VII. Galliæ Regis filiam duxerat. At vastantibus propterea latinis Græciam, à populo, in seditionem concitato, atrocissima inter supplicia est enecatus: Isacio Angelo, proclamato Imperatore. Qui à fratre suo Alexio Angelo, Latinorum hoste jurato, erutis oculis Imperio est spoliatus. Sed cùm intelligeret Alexium Isacii filium in Italiam elapsum ad conquirenda contra tyrannidem patrui auxilia, sceptro metuens, ab Innocentio III. Ecclesiarum unionem flagitavit. 39.

Cùm autem, ùt supra memoratum, Constantinopolis esset à Latinis *Schisma*
expugnata, ac Balduinus creatus Imperator, electus pariter est Patriarcha *sopitum*
Latinus, reductáque in Thracia, Græcia & Bulgaria cum Ecclesia Romana *sub Latinis*
unio. Verùm cùm diversi Græci Principes in Asia novos principatus eri *Imperator.*
gerent, eò quoque schisma translatum est, protegente illud *Theodoro Lascari*, quem Græci in Asia Imperatorem salutârunt; ejus Successor Joannes Ducas, dictus *Vatatius*, Princeps strenuus, totum ferme Imperium, Constantinopoli excepta, Latinis eripuit, Balduino II. ad imploranda auxilia Europam percurrente, non tamen ab unione alienus fuit Ducas; quin ea bis sub ipso tentata, semper tamen evanuit. Quamvis *Nicepho-*

rus Blemmida, Græcorum Doctissimus, ac Religiosissimus, scriptis etiam pro Romana Ecclesia libris, vehementer illam suaderet.

40. *Constantinopolis Latinis erepta.* Successorem in Imperio Ducas habuit Theodorum Lascarim Juniorem, qui magìs alienum à concordia animum ostendit. Reliquis sceptrum Joanni Lascari, filio suo sexenni, qui à *Michaële Palæologo*, Administratore Imperii, abductus in custodiam, oculísque privatus est. Interea verò Alexius Dux præclarus à Michaële Cæsar jam dictus, Constantinopolim facili manu die unico expugnavit. Quam dein Imperator imaginem Deiparæ prælatam pedes secutus, subiit redeuntibus Græcis pro levitate sua sub Græcis Imperatoribus ad schisma.

§. III.
Unio à Concilio Lugdunensi restaurata.

41. *Michaël Palæologus.* Recuperata rursus à Græcis Constantinopoli, quam Latini ad 50. annos tenuerant, in id curam suam intendit Palæologus, ut Imperium suum ab hostili incursu tutum præstaret; timuit, ne cruciata aliqua expeditio rursus in provincias suas prorumperet. Præcipuè verò metum ei incussit magnus belli apparatus, quem Carolus Andegavensis in utraque Sicilia instruebat.

Quare, ut tempestatem à se averteret, æquósque sibi haberet Occidentis Principes, cum pluribus Romanis Pontificibus de unione tractare cœpit; ac tum maximè, cùm, post duorum annorum & novem mensium vacationem Ecclesiæ, electus tandem per compromissum fuit Theobaldus, è nobilissima Vice-comitum prosapia ortus Placentiæ; qui cum Eduardo, Angliæ Principe, in Palæstinam profectus, Ptolomaide tunc versabatur, cùm in Italia Pontifex ipse fuit electus; nomen assumsit *Gregorii X.* 42. *Greg. X.*

Cum insigni hoc Pontifice ferventiùs concordiæ negotium urgebat Imperator Græcus. At Patriarcham & alios quosdam Episcopos, fœminarum Principum patrocinio firmatos, plurimùm in schismate obstinatos deprehendit. Primus contumaciam posuit *Joannes Veccus*, Græcorum eruditissimus, qui lectis SS. Patrum de processione Spiritûs S. à Filio testimoniis, Orthodoxam veritatem professus, magna deinceps constantia propugnavit. Valuit viri tam præstantis exemplum ad plures convertendos, accedente præsertim Imperatoris industria: Cui solus ferme Patriarcha restitit.

43. *Legati ad Lugdun. Concil.* Missi proin Legati ab Imperatore ad Concilium Lugdunense II. erat hoc Concilium mille ferme Patrum. Summus illius Præses ipse Papa Gregorius: Cardinales aderant 15. Patriarchæ duo Latini, Constantinopolitanus & Antiochenus, Archi-Episcopi 60. Episcopi 500. plurimíque Abbates

Abbates & inferiores Prælati: Legati utriuſque Imperatoris, Rudolphi I. & Michaëlis Palæologi, Regum Galliæ, Angliæ, utriuſque Siciliæ, aliorúmque Principum & Rerumpublicarum totius ferme Europæ: Cum duobus Magnis Magiſtris Templi & Hoſpitalis, atque ipſo Rege Aragoniæ Jacobo. S. Thomas Aquinas in itinere ad hoc Concilium obiit in Monaſterio Foſſæ-novæ. S. Bonaventura verò, Cardinalis creatus, in ipſo Concilio Lugduni eſt defunctus. *S. Thomas, & S. Bonaventura.*

Sex autem Seſſionibus, trium menſium ſpatio abſolutis, conſtabat.

In prima Seſſione Gregorius, habita ad Patres eleganti oratione, finem convocandi Generalis Concilii propoſuit, videlicet, ad decernenda ſubſidia pro liberanda terra Sancta, ad uniendam Græcam Eccleſiam cum Romana, ad reparandam Eccleſiaſticam diſciplinam, ac nominatim ad præſcribendum modum promptiùs eligendi ſummum Pontificem, ne ampliùs tanto tempore Sanctam Sedem vacare contingat.

In ſecunda & tertia Seſſione editæ ſunt variæ conſtitutiones ad fidem & diſciplinam pertinentes. Definitum, Spiritum S. à Patre Filióque, tanquam uno principio, procedere, decretæ in ſex annos decimæ ex omnibus proventibus Eccleſiaſticis in ſubſidium terræ Sanctæ.

In quarta Seſſione recepti advenientes Legati Græcorum, quibus Epiſcopi & Proceres multi obviàm proceſſerant. Legati litteras Imperatoris & Metropolitanorum ſuorum offerunt, & tam ſuo, quàm illorum nomine ſchiſma ejurant, Romanæ Eccleſiæ fidem publicè profeſſi, agnito Papæ per univerſalem Eccleſiam Primatu, & jure appellationis ad S. Sedem: Addito inſuper juramento, ſe nunquam ampliùs receſſuros ab obedientia, Romano Pontifici debita; ſícque inſtaurata unione, cantatus Hymnus Ambroſianus, ſymbolum item fidei cantatum primùm latinè: Tum à Græcis græcè cum additione *Filióque*, ter ab ipſis repetita. 44. *Unio.*

In quinta excepti ſunt legati Tartarorum Principis, ad Concilium ab eo miſſi ad in eundem fœdus adverſus Turcas. Latæ variæ conſtitutiones; habitæ ſolennes exequiæ S. Bonaventuræ, inter quartam & quintam Seſſionem mortuo, ingredibili Patrum luctu.

In ſexta Seſſione editi duo adhuc Canones, nempe *c. Religionum diverſitatem &c.* &c. *Cùm Sacroſancta &c.* tum Pontifex gratulatus Concilio felicem uninonem utriuſque Eccleſiæ, Prælatos ad zelum, vigilantiam ac diſciplinam ſervandam cohortatus finem Synodo impoſuit.

Legati Græcorum cum muneribus & epiſtolis ad Imperatorem & Metropolitanos dimiſſi, una cum Abbate Caſſinenſi, Pontificis Nuntio, ubi Conſtantinopolim venerunt, ſucceſſúmque Legationis & factæ unionis expoſuerunt, magno Imperatorem gaudio affecerunt, præcipuè ubi

ſe

ſe à toto Concilio Imperatorem agnitum intellexit, curámque Pontificis, ne ab occidentalibus Principibus ejus Imperium invadatur.

Atque ut ſeriò negotium hoc actum oſtenderet, illúdque in futurum firmaret, convocata Synodo Concilii Lugdunenſis acta eidem communicavit; approbata fidei profeſſio, agnitus Primatus Papæ, promiſſa eidem obedientia, noménque ejus reſtitutum ſacris Dyptichis, inter Divina officia primo loco memorandum ſub hac formula: *Gregorium Summum Eccleſiæ Apoſtolicæ Pontificem, & Papam Oecumenicum.*

45. *Veccus Patriarcha.* Quia autem Patriarcha Joſephus, homo, quàm doctrina vacuus, tam plenus contumacia, aſſentiri noluit, in Monaſterium remiſſus, & in ejus locum electus eſt, quem ſuprà laudavi, *Joannes Veccus*, qui unus è Legatis Imperatoris Concilio Lugdunenſi interfuit, & propter magnam auctoritatem, quam virtute & doctrina eximia apud Græcos ſibi comparaverat, ad unionem illam, toties fruſtra tentatam, conſummandam plurimùm contribuit. At tantæ molis ſubſtructio brevì concidet, ùt dicemus ad Concilium Florentinum.

§. IV.

Conſtitutiones Concilii Lugdunenſis II.

46. *De ſumma Trinit. in 6.* Conſtitutiones hujus etiam Concilii Bonifacius VIII. libro ſexto Decretalium inſeruit; quarum hæc eſt epitome.

1. Fideli ac devota profeſſione fatemur, quod Spiritus S. æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex uno principio, non duabus ſpirationibus, ſed unica ſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt hactenus, prædicavit ac docuit, hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur & docet Sacroſancta Romana Eccleſia, Mater omnium Fidelium & Magiſtra; hoc habet Orthodoxorum Patrum atque Doctorum, Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis & vera ſententia. Sed quia nonnulli ex ignorantia veritatis, in varios errores ſunt prolapſi, ſacro approbante Concilio damnamus omnes, qui negare præſumpſerint Spiritum S. ex Patre & Filio procedere, aut temerario auſu aſſerere, quòd ex iis tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex uno procedat.

c. 3. de elect. 2. Occaſione ſumpta ex diuturna vacatione Sedis Apoſtolicæ poſt obitum Clementis IV. edita eſt in hoc Concilio ſolennis conſtitutio *ubi periculum,* de electione ſummi Pontificis; in qua decretum Concilii Lateran. III. renovatur, additúrque, ut Cardinales in civitate, in qua Papa obiit, præſentes, per decem tantùm dies exſpectent abſentes: Quibus elapſis præſentes in palatio Pontificis conveniant, in uno omnes conclavi incluſi, nullo intermedio pariete vel velamine in communi habitantes: Singuli uno, vel ad ſummum duobus inſervientibus contenti: abſciſſo

abſciſſo omni cum externis commercio. Si intra tres dies poſt ingreſſum non fuerit Eccleſiæ proviſum, per quinque ſubſequentes dies unum tantùm ferculum iis detur tam in prandio, quàm cœna; quibus lapſis absque electione abſoluta, ſolo pane, vino & aqua deinceps ſint contenti, donec fiat proviſio.

3. Qui electionem vel poſtulationem Eccleſiaſticam vult impugnare, vel contra illam appellare, omnia, quæ vel ratione formæ electionis, vel contra perſonam electi vult opponere, ſcripto inſtrumento expreſſè inſerat, cum juramento, ſe credere vera, & poſſe probare, quæ expreſſit. Non audiendus ſuper iis, quæ non ſunt expreſſa: Niſi juret, novas probationes primùm poſtea eſſe detectas. *c. 4. ib.*

4. Electus in adminiſtrationem ſe non ingerat ante confirmationem. Aliàs jure quæſito ipſo facto eſt privatus. *c. 5. ib.*

5. Electio quamprimùm intimetur electo. Hic verò intra menſem conſentiat; aliàs omni jure ipſo facto eſt privatus. Si poſt conſenſum præſtitum intra tres menſes non petat confirmationem, electio viribus vacuetur. *c. 6. ib.*

6. Licèt quis ſuffragium ſuum indigno ſcienter det, non privatur ſuffragio, ſi is, cui datum eſt, non fuit communiter electus. *c. 7. ib.*

7. Electione peracta, & conſenſu præſtito, nemini licet ampliùs electionem impugnare, niſi juret, defectum primùm poſtea innotuiſſe. *c. 8.*

8. Si quis per duplo majora ſuffragia ſit electus, non poteſt ampliùs à minori parte impugnari prætextu minoris meriti, zeli, aut auctoritatis: Niſi oſtendatur votum fuiſſe nullum ipſo jure. *c. 9.*

9. Temeraria appellantium audacia & frequentia prohibetur. *c. 10.*

10. Si quis eligendo defectum objiciat, ante omnia id examinandum erit. Si defectus non ſubſit, opponens puniatur, acſi in probatione omnium defeciſſet. *c. 11.*

11. Qui alios gravant propter negatum in electione ſuffragium, ipſo facto ſunt excommunicati. *c. 12.*

12. Uſurpatores bonorum vel jurium Eccleſiaſticorum, ipſo facto ſubjacent oxcommunicationi. Qui verò ex fundatione vel antiqua conſuetudine jus aliquod habent, eo non abutantur. *c. 13.*

13. Nullus fiat parochus ante 25. ætatis annum, (éſtque promotio irrita) & à ſcientia & moribus ſit commendatus; reſideat in parochia. Inter annum fiat Sacerdos: Quòd ſi non fiat, nulla præmiſſa monitione Eccleſia eſt privatus. Circa reſidentiam verò poteſt Ordinarius ex rationabili cauſa ad tempus diſpenſare. *c. 14.*

14. Nemo Parochiam det in commendam, niſi in ætate legitima & ſacerdotio conſtituto, nec niſi unam uni, & propter evidentem Eccleſiæ *c. 15.*

 utilitatem

utilitatem aut necessitatem: Et ad sex menses tantùm. Secùs facta sunt irrita ipso jure.

c. 2. de tempor. ordin. 15. Scienter ordinans Clericum alienæ Ecclesiæ, per annum à collatione ordinum est suspensus. Et postquam ejus suspensio fuerit notoria, poterunt Clerici, absque ejus licentia, à vicinis Episcopis ordinari.

c. un. bigam. 16. Bigami omni Privilegio clericali sunt nudati: Et foro laicali subjecti: Consuetudine contraria non obstante; & sub anathemate ipsis prohibetur gestare tonsuram aut habitum clericalem.

c. 2. de offic. Jud. ord. 17. Canonici non cessent à Divinis; cessationis causam authentico instrumento exprimant. Aliàs fructus non faciunt suos: Uti etiam, si causa expressa non fuerit inventa canonica.

c. 3. ib. 18. Plures dignitates vel beneficia curata habentes, aut cum dignitate curatum beneficium, ad exhibendam dispensationem ab Ordinario compellantur. Si nullam habeant dispensationem, aliis conferantur, quæ sinè dispensatione possident. Si de valore dispensationis dubitetur, consulatur Sedes Apostolica.

19. Advocati Ecclesiastici præstent juramentum, utì etiam Procuratores singulis annis.

c. un. de his quæ vi. 20. Absolutio à censuris, per vim aut metum extorta est irrita. Sícque extorquentes excommunicantut.

21. Si Pontifex beneficia in curia Romana vacantia intra mensem non contulerit, ad ordinarios collatores jus redit.

c. 2 de reb. Eccles. 22. Res Ecclesiasticæ non alienentur à Prælatis absque capituli consensu, & Sedis Apostolicæ licentia speciali: Et ne quidem præscribendi conditionem ejusmodi alienatio parit.

c. un. de Relig. dom. 23. Ne quis novum ordinem Religiosum instituat. Ordinésque Mendicantium, post Concilium Lateran. IV. instituti, & necdum confirmati abrogantur.

c. 2. de cens. 24. Renovatur constitutio Innocentii IV. circa temperandas expensas in visitationibus Ecclesiarum. Non exigantur aut acceptentur pecuniæ.

25. Omnis profana negotiatio absit ab Ecclesiis. *C. 2. de Immunit. Eccles.*

c. 1. de usur. 26. Renovantur prohibitiones usurarum; nemo usurariis habitationem concedat.

c. 2. ib. 27. Usurarii sepultura Ecclesiastica arcentur, licèt in testamento restitutionem mandârint: nisi restitutio re ipsa facta sit.

c. un. de injur. 28. Pignorationes, quas *Repressalias* vulgus dicit, omnino prohibentur, tanquam æquitati naturali & legibus etiam civilibus contrariæ, si iis unus præ altero gravetur.

29. Ex-

29. Excommunicatio lata in communicantes cum excommunicatis non valet, si non priùs fuerint canonicè moniti: Hoc est, aliquot dierum intervallo. *c. 9. de sent. excomm.*

30. Relaxationis beneficium ad cautelam in generali interdicto locum non habet. *c. 10.*

31. Fertur Sententia Excommunicationis in omnes, qui vel personas vel bona eorum gravant, à quibus, vel quorum opera aut consilio fuerunt excommunicati. *c. 11.*

ARTICULUS VII.

De Concilio Generali XV. Viennensi.

Sub

Clemente V. & Henrico VII. pro extinguendo ordine Templariorum & damnandis Hæreticis Anno 1311.

SUMMARIUM.

§. 1.
Synopsis Historico critica de Templariis.

1. *Templariorum ordo primùm bonus & Ecclesiæ utilis.*
2. *Tum ab Instituto suo desciscens immanium criminum accusatur.*
3. *Et testibus convictus exscinditur.*
4. *Respondetur Protestantium querelis contra istam abolitionem.*

§. 2.
Acta Concilii.

5. *Damnatæ variæ hæreses.*
6. *Fraticelli & Beguardi.*
7. *Quinam fuerint præsentes in Concilio.*
8. *Decreta Concilii de Templariis, & ferendo terræ Sanctæ auxilio.*
9. *Et Canones,*
10. *Diversæ Pontificum constitutiones circa Regularium Jus prædicandi, sepeliendi &c.*

§. I.
Synopsis Historico-Critica de Templariis.

Anno 1118. fundatus fuit Jerosolymis Ordo Equestris *Templariorum* sub primo illius Magistro *Hugone de Paganis*, qui cum octo aliis vota Religiosa emisit in manibus Patriarchæ Jerosolymitani; Et quia juxta templum habitabant in domo, à Balduino II. ipsis concessa, *Templariorum* nomen ipsis adhæsit. Finis hujus Instituti erat, Christianos, præcipuè ad S. Christi Sepulchrum peregrinantes à barbarorum, latronum, & piratarum incursibus defendere; Quo in munere cùm strenuam per plures annos operam posuissent, adeò, ut non pauci sanguinem etiam pro *1. Boni.*

Mali. Christo funderent, tandem à pio suo ac Religioso Instituto degeneres, immensis opibus aucti, eò malitiæ sunt prolapsi, ut Christum abnegarent, ejúsque imaginem conspuerent, occulta cum Saracenis & Turcis fœdera pangerent, séque nefandis impietatis ac libidinis flagitiis polluerent.

Horum aliorúmque gravissimorum scelerum cùm apud Clementem
2. *Accusati.* V. Pontificem accusati essent, is, an vera essent, diligenter tum per se, tum per Cardinales & Episcopos inquisivit. Comprobata sunt omnia, per diversas Provincias Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ institutis processibus, testium ferè 2000. depositione, ac ipsa 72. Equitum confessione.

Non equidem ignoro, non defuisse, nec hodiedum deesse, præsertim ex Protestantico genere, qui, licèt immani odio Religiosos Ordines persequantur, omnésque excisos cuperent, majore tamen odio in summum Pontificem æstuantes, eorum patrocinium suscipiant, dicántque, in favorem Philippi Pulchri Galliæ Regis, Templariorum opibus inhiantis, Clementem V. patria Gallum, Gallóque Regi, cujus ope ad Pontificatum pervenisset, obnoxium, in extinctionem Ordinis consensisse. Ipsum Magistrum, licèt objecta scelera fuerit antè fassus, tamen, cùm ad supplicium raperetur, confessionem suam revocâsse, ac per omnes superos suam suíque ordinis innocentiam esse contestatum. Philippum brevì pòst ad Divinum tribunal abreptum in tribus filiis sterilem, pœnas luisse, Anglis postea Galliam occupantibus.

Verùm quis sibi persuadeat post tantam testium nubem, ex tot diver-
3. *Et merito damnati.* sissimis Provinciis, agglomeratam, post tot editos processus, post tot reorum confessiones, post examen ab universali totius orbis Concilio institutum, in præsentia duorum Patriarcharum, 300. Episcoporum, Regum Galliæ, Angliæ, Aragoniæ, aliorúmque Principum, Legatorum, Doctorum, quorum haud exigua pars nobilissimis illis Equitibus sanguine vel affinitate erat juncta, ordinem illum illustrissimum, totóque orbe propagatum, non tantùm unanimi omnium assensu per summum scelus fuisse abolitum, sed etiam innocentem ad atrocissima supplicia injustissimè fuisse condemnatum? Quodnam tribunal absolvet deinceps Judices, si hoc judicium, tot testibus, tam matura causæ cognitione, in orbis luce peractum eos condemnat?

Et extincti. Fuerint sanè aliqui innocentes: Bona sua id erant indole, non ampliùs Professionis integritate; quæ hæresi, idololatria, nocturnis propudiosis conventiculis, infandísque spurcitiis perhibetur infecta: Ipso Ordinis Magistro & duce & complice flagitiorum. Pudet meminisse, quæ plurimi testes deposuerant, scriptorésque Historici annotârunt. Fuerit arbor bo-

na

na; at jam fructibus vacua, umbras horto noxias projicit, vermésque nutrit: Exscindenda est, ùt quid enim terram occupat, fini inutilis, imò nociva.

At revocavit confessionem suam in morte Magister Ordinis: Innocentiam per omnia Numina est contestatus. Hoc si sufficiat ad innocentiæ probationem, nullus ampliùs erit in mundo homo tam nefarius, ut pœna capitis plecti possit: Modò rursus neget scelera, de quibus antè convictus & confessus est. Quot sceleratos annales memorant, qui pertinaci scelerum silentio obstinati, cœlum innocentiæ testem, & Divini tribunal Judicis appellârunt. Dein revocârit Magister, quod absque tortura ante confessus est: At non revocârunt alii, ad extremum usque vitæ Spiritum confessioni suæ inhærentes.

Sed Philippus eorum opibus inhiabat: Divites fuisse erat ruinæ: Subornati falsi testes, corrupti Judices, ut innocentum adipe saginaretur avaritia. Quasi verò tota Europa, quin totus orbis Catholicus tot millenis oculis nihil viderit, aut ita faverit Gallo, ut ad cupiditatem ejus exsatiandam, tot viros innocentes, populares, consanguineos, affines suos, illustrissimis ortos prosapiis, ex omni genere & natione unanimi consensu conspirantes adversum innocentiam ad atrocissima supplicia condemnarent. Ad duo millia falsorum testium: Iniquissimi Judices innumeri ex toto orbe, Provinciis regnísque omnibus: trecenti Episcopi, tres Reges, Principes plurimi, uno omnes assensu ad opprimendam inaudito scelere innocentiam conspirabant, ut unius Principis avaritia saturetur: Quis hoc sanæ mentis credat? Quodnam in orbe tribunal, quod judicium à calumnia se tuebitur, si maligna hæc crisis locum habeat? Si vindicta Pontificem & regem rapuit, cur non statim? Cur tribus annis Concilio supervixerunt? 4. *Hæreticorum criminationes.*

Mirum sanè, eos potissimùm Ecclesiasticorum bonorum sitim Principi Catholico objicere, qui ultimis istis temporibus instar immanis cujusdam charybdis & immensi vorticis patrimonium Christi, tot Episcopatus pinguissimos, tot abbatias pia vetustatis liberalitate fundatas, inaudita ab omni retro ætate usurpatione absorpserunt: Et fortassis Principum etiam Catholicorum animos pertentant, ut sequantur exemplum.

Deinde bona illa Templariorum non tam obvenerunt Regi Philippo, quàm Ordini Equitum S. Joannis Hierosolymitani (qui hodie Melitenses dicuntur) saltem Clemens V. in Concilio Viennensi illis eadem addixit, non verò Philippo; ùt patet ex *sententia de extinctione*, in Concilio lata.

§. II.
Acta Concilii.

Concilium istud principaliter congregatum fuit propter causam, quam diximus, nempe ad abolendum Ordinem Templariorum, propter

nimios abusus atque impietatem factum Ecclesiæ noxium. Quia enim ordo ille toto orbe erat propagatus, ex illustrissimis Europæ familiis collectus magnásque ante pro Ecclesia res gesserat, Synodo generali ad ejus suppressionem opus esse visum est: Ut toti orbi pateat, quanta accuratione & justitia ea in re procedatur. Sublatus igitur est ordo ille non per modum definitivæ sententiæ, sed per viam *provisionis seu ordinationis Apostolicæ*, ùt loquitur Pontifex; prohibitúmque, ne quis pro Templario se gerere deinceps præsumat, sub excommunicatione ipso facto incurrenda.

Altera Causa Concilii fuerunt varii errores Petri-Joannis, Fratricellorum, Dulcinistarum, Beguardorum, & Beguinarum, tunc grassantes.

5. *Variæ hæreses.* Erat autem *Petrus Joannis* Discipulus Joachimi Abbatis; negabat is, animam rationalem esse formam humani corporis; item Gratiam & virtutes in baptismo infundi. Contrà verò asseruit, Christi latus adhuc viventis esse lancea percussum.

6. *Fraticelli.* *Fraticelli* (dicti etiam *Dulcinistæ* à Dulcinio quodam, cujus concubinam de Spiritu Sancto concepisse impiè delirabant) promiscuos concubitus in locis occultis exercebant: Visionem beatarum animarum usque ad novissimum judicii diem differri asserebant.

Et Beguardi. *Beguardi*, & *Beguniæ* docebant, hominem in hac vita ad tantam perfectionem venire posse, ut reddatur penitus impeccabilis, & gratiam ulteriùs augere non possit, aliàs enim fore, ut perfectior fieret Christo. Hominem in hoc perfectionis gradu posse corpori concedere, quidquid lubet; nec ampliùs esse subjectum præceptis; talem jam in hac vita tenere finalem beatitudinem: Intellectualem naturam per se ipsam esse beatam, nec indigere lumine gloriæ, ipsam elevante ad Dei visionem beatificam. Virtutum actus exercere esse hominis adhuc imperfecti, non autem perfecti. Actum carnalem non esse peccatum, eò quòd ad eum inclinet natura; Hominem perfectum contemplativum non debere Christo Eucharistico reverentiam exhibere, ne contemplatio turbetur.

Porro errores isti damnati sunt ab hoc Concilio Viennensi; nam, ùt habetur *Clement.* 1. *de Summa Trinit. & Fide Cathol.* definit, unicum Dei Filium in essentia Dei æternaliter subsistentem, verum corpus humanum assumpsisse de Virgine & in eo passum, & jam mortuum lancea perforatum. Deinde eum tanquam hæreticum damnat, qui dixerit, animam rationalem non esse *formam* humani corporis. Denique approbat tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum & Doctorum illius temporis Theologiæ magìs consonam, illam opinionem, quæ dicit, *Tam parvulis, quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam & virtutes*, quoad habitum.

Begu-

Beguardorum (Virorum) & *Beguinarum* (mulierum) errores damnati sunt in eodem Concilio, ùt habetur *Clement. III. de Hæret.* mandatúrque Ordinariis & Inquisitoribus, per Alemanniam, in qua hæc secta est orta, ut eos puniant.

Tertia Causa convocandi Concilium fuit, decernendum subsidium pro recuperatione terræ sanctæ. *Quarta*, restituenda Ecclesiæ disciplina.

Adfuerunt Clemens V. Præses Concilii, Cardinales multi, Patriarcha Alexandrinus & Antiochenus, 300. Episcopi, multique alii Prælati, *Philippus IV.* cognomento *Pulcher*, Rex Galliæ, cum tribus filiis, qui omnes successivè facti sunt postea Galliæ Reges, videlicet *Ludovico X. Philippo V.* & *Carolo IV.* item, *Eduardus II.* Angliæ Rex, gener Philippi Pulchri: *Jacobus II.* Rex Aragoniæ. 7. *Præsentes.*

Tenuit Concilium septem mensibus: tribus tantùm sessionibus absolutum. In prima, post expositas à Papa Concilii causas, variásque deliberationes, & tractationes de Templariis, Pontifex eorum ordinem extinxit in privato coram Cardinalibus Consistorio. 8. *Decreta.*

In secunda deinde sessione approbata & confirmata est à Concilio pleno Templariorum abolitio, eorúmque redituum ad Equites Rhodios translatio.

In tertia Pontifex sermonem habuit de ferendo terræ sanctæ Auxilio. Philippus Rex promisit sacram Expeditionem suscipere; quem in finem Galliæ Præsules in sexennium ei decimas Ecclesiasticorum proventuum addixerunt. Sed promissum Regis effectu caruit.

Edita sunt insuper in hoc Concilio multa alia decreta: quorum præcipua sunt:

1. Philippus Pulcher propter gravissima dissidia & collisiones cum Bonifacio VIII. (quarum causas & seriem exposui in prima Apologia contra Præcones Tigurinos §. 10. pag. 404.) petierat à Clemente V. ut acta, decreta, ac memoria omnis Bonifacii VIII. (quem hæresis falsò accusaverat) aboleretur: Negavit Concilium, se unquam hoc facturum: Quin eundem Bonifacium tanquam probum, integrum ac verè Catholicum Pontificem contra Philippi calumnias strenuè vindicavit, decrevit tamen, Philippi adversus Bonifacium acta nunquam ei ejúsque filiis ac hæredibus fraudi fore. 9. *Et canones.*

2. Gravissimam edidit constitutionem contra usuras; dum sub excommunicatione prohibet, ne ulla communitas vel officialis statutum condat, quo usuræ ùt licitæ permittantur. Fœneratores etiam sub censuris compellendos esse decernit ad exhibendos rationum libros. *Clement 1. de usuris.*

Addit deinde, si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuras non esse peccatum, velut hæreticum puniendum esse.

3. Ex-

Clemen. 1. *de sepulturis.* 3. Excommunicati sunt ipso facto, etiam exempti, qui extra casus sibi permissos, in suis cœmetriis sepeliunt mortuos tempore interdicti, aut nominatim excommunicatos, vel interdictos, vel manifestos usurarios.

c. 2. de sepult. in extrav. com. Bonifacius VIII. constitutionem *super cathedram* (quæ habetur inter *extravag. comm. c. 2. de sepult.*) ediderat, qua FF. Prædicatoribus & Minoribus concessit prædicare in suis Ecclesiis, & plateis publicis, hora tamen illa excepta, qua locorum Prælati vel per se vel per alios prædicare voluerint: Nisi ipsi Prælati illa etiam hora prædicandi specialem licentiam ipsis dederint. Prohibuit etiam, ne prædicti Religiosi prædicent in parochiis, nisi invitati aut obtenta licentia ab Episcopo aut Prælato loci. Superiores Prædicatorum & Minorum à Prælato loci facultatem petant, exponendi suos Religiosos ad audiendas confessiones: Qua obtenta aptos deputent, & Prælato præsentent. Quodsi Prælatus facultatem dare recusaverit, concedit illam ex plenitudine potestatis Apostolicæ ipse Pontifex.

10\. *Cica Regularium prædicationem & sepulturam.* Statuit deinde Bonifacius in eadem Constitutione, ut Fratres dictorum Ordinum in Ecclesiis, vel locis suis sepelire possint omnes, qui in iis sepulturam elegerint, soluta tamen Ecclesiæ parochiali *quarta*, seu Canonica portione funeralium, omniúmque, quæ ratione funeris & sepulturæ Fratribus obvenerunt, non obstantibus quibuscunque privilegiis, aut consuetudinibus contrariis.

c. 1. de privil. in extrav. com. Hanc Constitutionem Bonifacii quoad puncta, in quibus FF. Prædicatores & Minores videbantur gravati, abrogavit ejus Successor Benedictus XI. ex Ordine S. Dominici assumptus, ùt videre est in *Extravag. comm. c. inter cunctas* 1. *de privileg.* ubi ipsis concedit licentiam non tantùm absque facultate Diœcesani aut Prælati loci prædicandi in suis Ecclesiis, & plateis communibus (excepta tamen hora, qua in parochia esset concio) sed etiam audiendi confessiones sæcularium. Superiores tamen Diœcesano significent, se Fratres ad confessiones audiendas deputâsse, petántque licentiam: Quodsi illam intra triduum non impetraverint, possint nihilominus confessariorum officio fungi. Si autem à Diœcesano data fuerit licentia, tunc ea per mortem Diœcesani non extinguitur. Non tamen major potestas Fratribus prædictis conceditur, quàm Sacerdotes Parochiales habeant: Unde in casus Episcopo, aut Papæ reservatos se non immisceant. Concionatores verò populum adhortentur, ut saltem semel in anno suis Sacerdotibus confiteantur. Denique sublata *quarta*, ex omnibus, quæ fratribus à defuncto obveniunt, Ecclesiæ Parochiali juxta Constitutionem Bonifacii solvendis, statuit Benedictus, ut *medietas* ex solis funeralibus seu ex iis, quæ in funere ipso deferuntur, & in oblatione exequiarum offeruntur Religiosis, Parochiæ detur, nihil verò ex aliis.

Hanc

Hanc constitutionem Benedicti XI. iterum revocavit Clemens V. in Concilio Viennensi; & observari præcepit Bullam Bonifacii VIII. in qua proportione Canonica, Ecclesiæ parochiali persolvanda, statuta est *quarta* Pars omnium, quæ ratione funeris ac sepulturæ Monasterio obveniunt. Restituit pariter eandem constitutionem quoad præscripta circa prædicationem verbi Divini, & administrationem Sacramenti pœnitentiæ; ùt patet ex *Clement. Dudum* 2. *de Sepult.* ubi integra Constitutio Bonifacii VIII. apponitur, & innovatur. *Clem. 2. de Sepult.*

5. Prohibet Concilium sub pœna excommunicationis, ne Religiosi Clericis aut Laicis Sacramentum extremæ unctionis, vel Eucharistiæ ministrent, aut matrimonia solennizent sine speciali Parochi licentia: Præcipitque Religiosis venerationem erga Clerum Sæcularem. *Clem. 1. de Priv il.*

6. Bonifacius VIII. excommunicationis sententiam tulit in Laicos, exigentes seu extorquentes ab Ecclesiis Ecclesiasticisque personis tallias seu collectas, aut exactiones quascunque, ac insuper etiam in Clericos talia solventes. *c.* 2. *de Immunit. Eccles. in* 6. Jam verò Clemens V. in Concil. Vienn. quoad secundam partem, nempe quoad excommunicationem à Clericis solventibus incurrendam Canonem illum revocavit. *Clem. un. de commun. Eccles.*

7. Exponitur Regula Fratrum Minorum S. Francisci, & variæ circa illam elucidantur à Concilio quæstiones, præsertim circa strictam paupertatem; ùt fusè habetur *Clement.* 1. *de verbor. signif.*

8. Statutum fuit, ut in scholis & universitatibus, Romæ, Parisiis, Oxonii, Salmanticæ, & Bononiæ constituantur Catholici Magistri, qui publicè doceant linguas, Hebraicam, Chaldaicam, & Arabicam. *Clem. 1. de Magistris.*

9. Instituta jam ab Urbano IV. sacra Corporis Christi festivitas decernitur ab hoc Concilio celebranda feria 5. post octavam Pentecostes.

Multi præterea Canones in hoc Concilio sunt editi, qui cum aliis tum antè tum post Concilium à se editis, in unum volumen congessit Clemens V. sed morte præventus promulgare eos non potuit. Promulgati autem sunt ab ejus successore Joanne XXII. qui ab authore suo eas constitutiones *Clementinas* appellavit: Habentúrque post sextum Decretalium in corpore Juris Canonici.



ARTICULUS VIII.

De Concilio Piſano & Conſtantienſi

Ad

Tollendum ſchiſma celebratis ſub initium Sæculi XV.

SUMMARIUM.

§. 1.

Synopſis Hiſtorica Concilii Piſani.

1. *Pontifices Avenione reſidentes. Extravagantes Joannis XXII.*
2. *Gregorius XI. Sedem Pontificiam reducit Romam; inde occaſio diuturni Schiſmatis. Nam*
3. *Non ſatìs liberè electus Urbanus VI.*
4. *Unde eidem oppoſitus Clemens VII.*
5. *Urbano Romæ ſubrogati, Bonifacius IX. Innocentius VII. & Gregorius XII. Clementi verò Avenione Petrus de Luna.*
6. 7. *Concilium Piſanum utrumque depoſuit, & elegit Alexandrum V.*
8. *An Concilium fuerit legitimum.*

§. 2.

Synopſis Hiſtorica Concilii Conſtantienſis.

9. *Alexandro mortuo electus eſt Joannes XXIII. ut adeo tres eſſent Pontifices.*
10. *Joannes, quem plerique pro vero habebant Pontifice, perſuaſus à Sigiſmundo Imperatore, indicit tandem Concilium Conſtantienſe.*
11. *Ex quo, cum ad ceſſionem urgeretur, aufugit, capitur & deponitur, utì etiam Petrus de Luna: Gregorio XII. ultro ſe abdicante.*
12. *Eligitur Martinus V.*
13. *Petri de Luna character.*
14. *Ac pertinacia.*
15. *Extinctio Schismatis, quod dimidio Sæculo tenuit.*
16. *Altera cauſa Concilii Wicleffi & Huſſi hæreſis.*

§. 3.

Summa Actorum in 45. Seſſionibus.

17. *Cùm pro via tollendi Schiſmatis electa eſſet via ultroneæ ceſſionis, & Joannes ad eandem urgeretur,*
18. *Aufugit, cum magna perturbatione Concilii.*
19. *Unde Seſſione quarta & quinta deciſum, Concilium non eſſe diſſolutum, cùm ſit ſupra Pontificem.*
20. *Quod de dubio Pontifice intelligendum, quales tunc erant tres illi.*
21. *Hieronymus Pragenſis clàm venit Conſtantiam, ſed rurſus aufugiens, captus reducitur.*
22. *Depoſitio Joannis: Qui Concilii decretum ratum habet, ſeque abdicat.*
23. *Petrus Dresdenſis & Jacobellus, neceſſitatem communionem ſub utraque ſpecie ſumendi aſſerentes, damnantur.*
24. *Ceſſio Gregorii XII.*
25. *Hus exuſtus.*
26. *Sigismundus abit in Hiſpaniam, ad impetrandam à Lunenſi ceſſionem.*

27. *Hie-*

Duo hæc Concilia, quamvis Generalia sint, atque rerum gestarum magnitudine celeberrima, quia tamen de Pisano dubium est, an fuerit legitimum, Constantiense verò tantùm quoad decreta, fidem concernentia, & quoad ea, quæ contra Wicleffum, Hussum, ac Hieronymum Pragensem acta sunt, est approbatum, ideo à Cardinale Bellarmino aliisque, præsertim Italis, inter Generalia approbata non recensetur. Juvat tamen illorum acta brevi synopsi constringere: Cùm magna gestorum copia hic se prodat: Multáque Jurisconsultis discutienda sint relicta, quæ hodiedum magna contentione agitantur.

§. I.
Synopsis Historica Concilii Pisani

Cum translatio sedis Pontificiæ in Galliam schismati, atque Conciliis, ad hoc tollendum, institutis occasionem dederit, operæ pretium fuerit, rem istam ex altioribus aliquantò principiis deducere. 1.

Post mortem Clementis V. sub quo Concilium Viennense est habitum, quique sedem Apostolicam Româ Avenionem transtulerat, sedes vacavit per duos annos; tum verò electus tandem Lugduni est *Joannes XXII.* natione Gallus, anno 1316. à quo habemus 20. Constitutiones, corpori Juris insertas; quæ *Extravagantes Joannis XXII.* nuncupantur.

Extravagantes Joannis XXII. Memorabilis eſt conſtitutio *Execrabilis de præbend. & dignit.* in qua inſtaurat atque exaſperat decreta Anteceſſorum, ſtatuitque, ut qui plures Dignitates, Perſonatus, aut Beneficia curata obtinet: unico retento, reliqua intra menſem publicè reſignet (exceptis Cardinalibus & Regum filiis) aliàs utrumque perdit, & fit inhabilis ad ſacros ordines ſuſcipiendos, & ad quodcunque beneficium habendum.

Cap. un. de voto & voti redempt. dicitur, per votum ſolenne, ordinibus ſacris annexum, dirimi matrimonium ſequens, non tamen antecedens, licèt necdum ſit conſummatum. Si quis autem durante matrimonio ſuſcipiat ſacrum ordinem, fit irregularis; & niſi religionem ingrediatur, matrimonio necdum conſummato, compellitur ad matrimonii conſummationem per excommunicationem, ſi uxor petierit.

In *cap. ad Conditorem* 3. *de Verborum ſignif.* contra Nicolai IV. aliorúmque Pontificum ſententiam, in materia ad fidem non pertinente, definivit, in rebus uſu conſumptibilibus ſimplicem uſum facti à dominio earundem rerum eſſe inſeparabilem: adeòque non Eccleſiam Romanam, ſed ipſos Fratres Minores habere dominium illarum rerum. In cap. verò ſequente ùt hæreticam reprobat ſententiam, quæ dicit, Chriſtum ejúsque Apoſtolos iis, quæ ipſos habuiſſe ſcriptura ſacra teſtatur, utendi, vendendi, donandi non habuiſſe jus, aut ex ipſis alia acquirendi.

De animarum immortalitate impudenter mentitur Calvinus, eum perperam ſenſiſſe. Erroneam tamen aliquando privatim ſententiam ſuſtinuit, Lactantii, Irenæi, aliorúmque quorundam Patrum fretus authoritate, animas ante diem judicii non recipi in cœlum. Cúmque publico decreto opinionem ſuam vellet firmare, morte præventus, ùt inquit ejus Succeſſor Benedictus, perficere illud non potuit; argumento haud obſcuro, promiſſam tot ſacris eloquiis providentiam ſuæ aſſiſtere Eccleſiæ, ne quis unquam Pontificum falſum ex Cathedra dogma proponat.

Imò paulo ante mortem revocavit apertè hanc ſententiam, & aſſeruit, quòd animæ purgatæ ſint in cœlo, & videant Deum facie ad faciem: Ut patet ex ejus epiſtola 1. quæ exſtat in *tom.* 15. *Concil. collect. Coleti.* quin ipſe etiam *Ockamus,* propter aliquot errores excommunicatus à Papa, in quem propterea multa calumnioſè ſcripſerat, apertè fatetur, Joannem eſſe proteſtatum, nunquam ſuæ intentionis fuiſſe, dicere aliquid contra fidem, &, ſi aliquid dixiſſet, ſe totum revocare. Ex quo apparet, neque ùt privatum

vatum hominem incidisse in hæresin: Cùm hæresis non detur sine pertinacia. Taceo, tempore Joannis, quæstionem illam de animarum beatitudine ante diem judicii necdum adeò clarè fuisse definitam ab Ecclesia.

Porro Joannes XXII. gravissimis discordiis collisus est cum Ludovico Bavaro Imperatore, mutuo fulmine tonante utroque, & *Petro Corbario* Minorita, sub Nicolai V. nomine Antipapa intruso. Qui tamen Cæsare cum exercitu ex Italia regresso captus, & ad Joannem Papam Avenionem abductus, pœnitens in carcere obiit.

Successor Joannis *Benedictus XII.* ex ordine Cisterciensi assumptus, omnium virtutum scientiarúmque ornamentis decoratus, definivit, quòd animæ Sanctorum post ascensionem Christi in cœlum sint translatæ, & transferantur etitamnum ad visionem beatificam, si satìs sint purgatæ. Censuras in Imperatorem Ludovicum innovavit: Ejus verò Successor *Clemens VI.* Electoribus persuasit, ut abdicato Ludovico Carolum Bohemiæ Regis filium eligerent. Hic Pontifex Avenionem emit à Joanna Siciliæ Regina. Regem Galliæ & Angliæ frustra conciliare est conatus. Utì etiam Urbanus V.

Hujus denique Successor Gregorius XI. cùm videret ditionem Ecclesiasticam in Italia undique discerpi, atque tyrannidem passim dominari, hortatu S. Catharinæ Senensis sedem Pontificiam, quam Clemens V. Avenionem in Galliam transtulerat, Romam reduxit, postquam 70. annos sub quinque Pontificibus, qui omnes natione erant Galli, & potissimùm Lemovicenses, Avenione hæserat. Atque hæc res diuturno deinceps schismati Occasionem dedit. Nam 2. *Sedes Romam reducta.*

Gregorio XI, anno 1378. Romæ mortuo, cùm Cardinales, majori ex parte Galli, conclave fuerant ingressi, populus timens, ne si Gallus eligeretur, sedes Pontificia iterum in Galliam transferretur, tumultu per urbem concitato, in ipsum conclave violentè irrupit, extrema minitans Cardinalibus, nisi Italum eligerent. 3. *Electio Urbani VI.*

Quare illi metu perculsi Bartholomæum Prignanum, Neapolitanum, Barii in Apulia Episcopum, quamvis nec præsentem nec Cardinalem, confestim eligunt; qui ab Ecclesia acceptatus, & ab ipsis etiam Cardinalibus per plures menses ùt verus Pontifex agnitus, assumpto *Urbani VI.* nomine, ubi Romam venit, serviorem se, quam tempora ferebant, Cardinaliùm Censorem ac Reformatorem opere ipso est professus: Quo rigore adeò sibi illos infensos reddidit, ut Anagniam primùm deinde sub protectione Joannæ Reginæ Fundos secederent; ubi electione Urbani, tanquam metu extorta, declarata irrita, Robertum Cardinalem Gebennensem sub nomine *Clementis VII.* elegerunt: Eúmque Avenionem in Galliam abduxerunt. 4. *Electio Clementis*

5. *Schisma.* Atque ſic ortum eſt pertinaciſſimum illud Schiſma, quod 50. annis uſque ad Concilium Conſtantienſe, & ultrà, laceravit Eccleſiam: Pontifice uno Romæ ſedente, altero Avenione. Gallis, Neapolitanis, Hiſpaniſque Avenionenſi, Italis, Germanis, Anglis, Romano adhærentibus, reliquo orbe in partes diſtracto: Ac Pontificibus ipſis inter ſe armis Eccleſiaſticis & profanis acriter decertantibus. Docti pariter ibant in partes: Urbanum defendebat Baldus, celeberrimus JCtus, Clementem Abbas à S. Waſto &c. qua occaſione cùm Joanna I. Regina Neapolis partes Clementis acriter tueretur, Urbanus Regnum Carolo Dyrrachino Joannæ cognato clientelari jure conceſſit. Illa verò Ludovicum Andegavenſem adoptavit, enecata propterea in carcere à Dyrrachino.

Duo Pontifices. Urbano anno 1389. Romæ mortuo Cardinales Romani ſuffecerunt *Bonifacium IX.* Neapolitanum, qui *Annatarum* Author dicitur. Clementi verò Avenione defuncto Cardinales Avenionenſes ſubrogârunt *Petrum de Luna*, Hiſpanum, qui nomen *Benedicti XIII.* aſſumpſit, & ultra 30. annos pertinaciſſimè apud ſuos retinuit.

Porro poſt mortem Bonifacii IX. Cardinales ſinguli juratò promiſerunt, ſe omnem operam impenſuros, ut ſchiſma tollatur, ſi ad Pontificatum promoverentur, depoſituros etiam eundem, ſi opus fuerit, & Petrus de Luna idem faceret. Hoc igitur promiſſo obſtricti ſuffecti ſunt Bonifacio primò quidem Innocentius VII. & hoc brevì mortuo *Gregorius XII.* *Angelus Corbarius* antea dictus, Patriarcha Aquileienſis.

Verùm cùm negotium non procederet, neque *Antonius de Butrio* JCtus celeberrimus ultro citróque Legatus ad reſignationem perſuadere eos poſſet, veriti Cardinales, ne partium ſtudiis, & novorum ſubrogatione in Italia & Gallia Pontificum, nullum Schiſma finem acciperet, poſtquam Gregorium XII. & Benedictum XIII. ſæpius ſunt hortati, ut alteruter aut ambo Pontificatu ſe abdicarent, conſulturi Eccleſiæ, Concilium Piſas indixêre.

6. *Concilium Piſanum.* Fuerunt in hoc præſentes partis utriusque Cardinales 24. tres Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus & Hieroſolymitanus, 300. Epiſcopi, cum plurimis aliis Prælatis, Religionum Superioribus, Doctoribus, Principum ac Civitatum Legatis, de indubitato capite Eccleſiæ proviſuri anno 1409. Præſide Cardinale Pictavienſi, Decano Sacri Collegii.

7. *Alexander. V.* Citati à Concilio fuêre Gregorius & Benedictus, ſed neuter comparuit. Quare tanquam contumaces, Schiſmatici, & perjuri, condemnati, & Pontificatu depoſiti ſunt: Electúsque eſt in eorum locum communibus ſuffragiis Petrus Philaretus, Mediolanenſis Archi-Epiſcopus ac Cardinalis, ex Ordine F. F. Minorum, ex Creta oriundus, vir magna virtute & doctrina (ut adeò immeritò reprehendatur maledico calamo Theodorici

à Niem;

à Niem; eidem infenso, quòd interdicta ei esset Sacrorum nundinatio, cui sub prioribus pontificibus in hoc Schismate, tanquam eorum officialis, assueverat) Neo-Electus dictus est *Alexander V.* qui deinceps Concilio præfuit, ejúsque decreta confirmavit, tanquam Concilii generalis.

De hoc Concilio disputant D. D. an inter approbata aut reprobata sit censendum. Qui inter approbata illud recensent, ea ducuntur ratione, quòd, ubi non constat in Schismate, quis verus sit Pontifex, ad Concilium pertineat, se ipsum congregare, & Ecclesiæ de certo capite providere. Atque hinc Alexandrum V. à Concilio electum, tanquam verum Pontificem esse agnitum; ut adeò sequentes ejusdem nominis Pontifices Alexandrum sextum, septimum & octavum se appellârint; majórque Ecclesiæ pars Alexandrum V. ejúsque Successorem Joannem XXIII. tanquam veros Pontifices agnoverit. Atque ita senserunt Ægidius Viterbiensis, Dominicus Jacobatius, Joannes Gerson, omnes Doctores Parisienses, omnésque ferme alii etiam Hispani. Et sanè nisi hoc legitimum sit Concilium, & Alexander V. verus Pontifex, etiam Constantiense non erit legitimum, neque Martinus V. verus Pontifex: Quod dici non potest. 8. *An sit verum Concilium.*

Alii autem cum S. Antonino Concilium istud tanquam illegitimum repudiant; eò quòd non sit indictum à Gregorio XII. quem verum credunt Pontificem, neque sublatum per illud sit Schisma, sed potiùs auctum: Cùm pro duobus postea tres Ecclesia habuerit Pontifices, quolibet eorum Syrma trahente sequacium, ùt nunc declarabitur. Nam licèt pleræque nationes Alexandrum V. agnoscerent, Gregorium tamen adhuc sequebatur Sicilia, cum aliquot urbibus Italiæ: Benedictum verò Aragonia, Castilia & Scotia.

§. III.

Synopsis Historica Concilii Constantiensis.

Alexandro V. post decimum Pontificatûs mensem Bononiæ defuncto, omnium ferme Cardinalium consensu electus est *Balthasar Cossa*, Neapolitanus, dictus *Joannes XXIII.* qui Electoribus Imperii persuasit, ut *Sigismundum* Bohemiæ ac Hungariæ Regem, Caroli IV. filium ac fratrem Wenceslai, eligerent Imperatorem. Princeps iste pientissimus, incredibili pacis unionísque desiderio flagrans, Joannem permovit ad indicendum Generale Concilium Constantiam, ut per illud tolleretur tandem Schisma, & Bohemi Hussitæ ad unitatem Ecclesiæ reducerentur. Quare ut tantum negotium promoveretur, ipse Imperator Sigismundus, non tantùm Italiam peragravit, litterásque ac legatos in omnem partem dimisit, sed postea etiam ex Constantiensi Concilio profectus in Galliam, Hispaniam, Angliámque, ut Petri Lunensis petrinaciam frangat, aut saltem ipsi adhærentes subtrahat, & ad Concilium Constantiam permoveat. 9. *Joannes XXIII.*

Con-

10. *Concilium Constantiense indicit.* Convenerunt igitur Constantiæ anno 1414. Patres fere mille; ex quibus 4. Patriarchæ, 300. Episcopi, cum ipso Imperatore Sigismundo, & Joanne Pontifice, qui primis duabus Sessionibus præsedit.

11. *Fugit.* Cùm autem Joannes videret, graves adversum se accusationes esse paratas, mutato habitu, clàm se subtraxit, ope Friderici Archi-Ducis; Quæ res cùm Imperatorem in eum concitaret, magnas eidem molestias ac damna attulit.

Deponitur At Joannes primùm Schaffhusium profugus, inde Lauffenburgum, Friburgum, ac Brisacum, ab ipso Friderico & Concilii legatis reductus, Cellæ, ad inferiorem lacum Acronium oppido, tribus circiter horis Constantia distante, de 60. & ultrà criminibus accusatus, à Pontificatu est depositus: Approbans ipse sententiam contra se latam; traditus inde custodiendus Ludovico Electori Palatino, atque per tres annos captivus detentus, primo quidem Heidelbergæ, deinde verò in arce Manheimensi.

Greg. XII. Citatus tum à Concilio Gregorius XII. qui comparere initiô recusavit; at dein persuasus à Sigismundo, *Carolum Malatestam* Legatum misit, qui unanimi Concilii sententia percepta, nomine ipsius renunciavit Pontificatui: Quam renuntiationem ipse Gregorius ratam habuit.

Benedict. XIII. Petrus de Luna verò cùm nulla ratione flecti posset, & citatus nec per se nec per Legatum compareret, sed pertinaciter tiaræ suæ inhæreret, à Concilio est depositus.

In eodem Concilio damnati sunt errores Wicleffitarum, & Hussitarum, eorúmque Principes Joannes Huss & Hieronymus Pragensis exusti.

His omnibus peractis ad electionem novi Pontificis processum. Ut autem eò certiùs orbis Catholicus consentiret, & schisma penitus extingueretur, consentientibus Cardinalibus decretum à Concilio fuit, ut pro illa vice non soli Cardinales Papam eligerent, sed adjunctis 30. aliis, ita quidem, ut quælibet ex quinque Nationibus nempe Italica, Germanica, Gallica, Hispanica & Anglica, sex Legatos deligeret.

12. *Martinus V.* Hi ergo delecti unà cum Cardinalibus Conclave ingressi, anno 1417. elegerunt Cardinalem *Columnam*, qui *Martini V.* nomen assumpsit; quòd ipsa die S. Martino Sacra esset electus. Huic omnes se subjecerunt tanquam indubitatò legitimo Pontifici.

Nam Gregorius XII. constitutus à Concilio perpetuus Legatus in Marchia Anconitana, ante Concilii finem obiit. Joannes verò XXIII. è custodia, qua, ne quietem Ecclesiæ ulterius turbaret, detentus fuerat, elapsus, ad Martinum V. Florentiam confugit, atque ad pedes illius se abjecit; clementissimè exceptus: permissa illi Cardinalis dignitate, concessóque Episcopatu Tusculano, cum Decanatu Sacri Collegii: Post sex menses mortuus.

Solus

Solus igitur Petrus de Luna, qui minimum juris habuerat, (quamvis 13.
S. Vincentius Ferrerius causam ejus justiorem initiò censuisset, eúmque *Petrus de*
propterea Regi Aragoniæ commendârit) Concilii decretis pertinacissimè *Luna.*
obluctari perrexit. Is primò Avenione sedit: Sed cùm Gallia ab eo post Pisanum Concilium defecisset, in Aragoniam profugit ad Ferdinandum regem. Ad hunc ex Constantiensi Concilio usque in Aragoniam profectus Sigismundus. Ubi Lunensis ab utroque Principe multùm rogatus, ut Ecclesiæ pacem daret, & exemplum Collegarum secutus judicio Constantiensis Concilii se subjiceret, pertinacissimè obstitit, sua identidem jura exaggerans.

Cùm autem Rex Ferdinandus secessionem ab eo minaretur, clàm dilapsus est in Peniscolam, arcem gentis suæ, munitam propugnaculis, militúmque suorum præsidio. In hoc Angulo reliquum vitæ exegit cum Pontificiis insignibus, septem adhuc annos à Concilio Constantiensi superstes: Quamvis ab omnibus suis Cardinalibus, duobus exceptis, desertus.

Sed neque morte ejus, omnino extinctum est schisma; nam duo Car- 14.
dinales eo moriente adjurati, successorem elegerunt sub nomine *Clementis* *Pertina-*
VIII. cui ipse etiam Aragoniæ Rex Alphonsus adhæsit, infensus Martino *cis.*
V. quòd is in Ludovicum Andegavensem (cum quo Alphonsus de Neapolitano Regno contendebat) videretur propensior; & Alphonso *Investituram* negaret. At Clemens iste, quamvis ad novos creandos Cardinales 15.
ac schisma continuandum incitatus ab Aragonio, discordia tamen hunc in- *Extin-*
ter & Martinum Papam composita, meliore usus consilio post aliquot an- *ctum schis-*
nos se ultro Martino subjecit: Cardinalibus ejus, Othonem Columnam *ma.*
Martinum nempe V. eligentibus. Atque sic tandem schisma per 50. annos continuatum penitus extinctum est.

Altera causa hujus convocandi Concilii, Sigismundo comprimis, Im- 16.
peratori fuit, ut erroribus in Bohemia potissimùm grassantibus, occurra- *Hussitæ.*
tur opportuno remedio. Cùm enim Joannes *Wicleffus*, sacerdos Anglus, homo ambitiosus & turbulentus, varias hæreses disseminâsset, pluribus libris easdem complexus, multi novandi libidine abrepti venenum hauserunt, præsertim Bohemi, ad quos pestiferi ejusdem libri fuerant delati.

Pestem auxit *Joannes Huss* lingua promptus. Presbyter vafer ingenio; & toto corporis habitu ad fallendum opportunus; Qui libros Wicleffi miris encomiis ornabat, additis non paucis ex sua penu hæresibus, quas in Synodo generali se defensurum jactabat. Cùm igitur hæc lues in dies latiùs per Bohemiam serperet, invalescente insuper labe simoniaca, omnem Sigismundus operam impendit, ut collecto Constantiensi Concilio huic etiam Ecclesiæ malo remedium quæreretur.

Examinata in illo Bohemorum nova doctrina à viris multis & doctissimis; Qui apud Wicleffum 45. apud Hussum verò 30 propositiones, comprimis pernitiosas; notârunt. Wicleffus tanquam hæreticus à Concilio est damnatus, ejúsque ossa è sepulchro erui, & concremari jussa. Hussus verò, cùm jam sub initium Concilii Constantiam venisset, ut Wicleffi ac suas hæreses coram synodo propugnaret, atque initiô Synodo se assensurum simulâsset, tum verò ad ingenium rediens erroribus suis pertinaciter insisteret, primùm Constantiæ in carcerem datus, dein Episcopo Constantiensi traditus, & in arce Gotliebensi custoditus, tandem à Concilio tanquam hæreticus damnatus, ac vivus exustus est.

Accessit ad idem Concilium *Hieronymus Pragensis*, Hussi socius, cui postulanti fidem publicam dedit Concilium, *salva tamen justitia*, ùt apertè synodus addidit. Detestatus est ille quidem initiô suam hæresin, ac fidei Catholicæ professionem edidit, sed postea fugâ elapsus (qua salvi Conductus jure excidit) sed retractus, atque reversus ad vomitum, debitas sceleri pœnas luit, ad rogum pariter condemnatus.

Concilium istud cœptum est 5. Novembr. Anno 1414. & tandem post 4. ferme annos anno 1418. 22. Apr. absolutum 45. sessionibus. Quo tempore Imperator Sigismundus Fridericum Comitem Castellanum seu Burggravium Norimbergensem, ex Domo Zollerana, tradita Brandeburgia, quam ipse priùs possederat, Electorem creavi; Comitatus Cliviæ & Sabaudiæ in Ducatus evexit. Henricum ab Ulm Consulem Constantiensem solenniter *Equitem* dixit. Plures Principes solemni Investitura condecoravit. Cum Friderico Archiduce in gratiam rediit, cui bellum antè indixerat. Necem Præposito Lucernensi illatam est ultus &c.

§. III.
Summa Actorum.

17. *Via cessionis.* In 1. sessione, post orationem à Joanne XXIII. habitam, lecta est bulla convocationis Concilii. Monitúsque Joannes de cedendo Papatu, quod se sponte facturum promisit. *Hæc sola sessio est habita anno* 1414.

In 2. sessione idem promisit cum juramento, si Benedictus & Gregorius idem facerent. Grates propterea egit ei Imperator, pedes ejus exosculatus.

18. *fuga.* In 3. cùm compertum esset, Joannem sub ipsis ludis Equestribus, quæ Fridericus Archidux instituerat, assumpto servili habitu, vesperi clàm Schaffhusium, Austriacæ tunc ditionis Urbem, profugisse, in Concilio, cui præsedit *Petrus de Alliaco*, Cardinalis Cameracensis, *Franciscus Zabarella*, Cardinalis Florentinus, Patres hortatus est ad perseverantiam: Atque ex decreto synodi promulgavit, Concilium legitimè convocatum & inchoatum,

choatum, per Papæ discessum non esse dissolutum, nec ab ipso posse dissolvi, aut alio transferri usque ad extinctionem schismatis. Neque licitum esse Prælatis sine justa causa à Concilio discedere. Causas autem à deputatis Nationum esse examinandas. Ipse etiam Sigismundus Imperator urbem obequitans, tumultus, ex fuga illa ortos, compressit. Impediri tamen non potuit, quin Cardinales aliqui, à Joanne evocati, Constantiâ profugerent: reversi tamen postmodum.

In 4. Præside Cardinale Ursino à Zabarella ex Concilii decreto est declaratum, *Concilium Generale immediatè à Christo habere potestatem, cui quilibet cujuscunque statûs, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire teneatur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem schismatum, & ad Generalem Ecclesiæ DEI reformationem in capite & in membris.* 19. *Concilium supra Pontificem.*

Lectæ dein litteræ Joannis ad Imperatorem, in quibus excusat recessum suum à Concilio ob aëris insalubritatem, re ipsa autem, depositionem fugiens, Concilium dissolvere nitebatur.

In 5. Confirmatur decretum de superioritate Concilii supra Pontificem. *Verùm quoad hoc punctum concilium Constantiense, præterquam quod tunc necdum fuerit plenum, neque à Martino V. neque ab alio Pontifice est confirmatum. Potéstque Concilium etiam intelligi de Pontifice dubio loqui, & pro tempore Schismatis, quale tunc erat. Nam pro tali casu dedit Deus Ecclesiæ suæ potestatem providendi de capite certo: Aliàs nunquam possent tolli Schismata; ùt satìs ex hoc ipso tam diuturno Schisinate apparet.* *Crisis.*

Quod autem Concilium Constantiense sit locutum de tali casu Pontificis dubii, patere videtur partim ex ipsis circumstantiis temporis, quo tres erant Pontifices adeò dubii, ut sciri non potuerit, quis sit legitimus; partem ex circumstantiis fugæ. Nam Concilium timens ne Prælati dilaberentur, aut plures ad Joannem confugerent, (cùm alioquin quidam in controversiam adducerent, an post discessum Joannis Concilium sit integrum) tantùm voluit decidere, Synodum non obstante fuga Joannis, Pæpæ dubii, esse legitimam, habentem à Christo potestatem Ecclesiæ in tali casu & necessitate providendi. 20. *Sermo erat de dubio Pontifice.*

Quod autem addat, etiam Papam debere obedire Concilio in iis, quæ pertinent ad fidem, intelligi pariter potest de casu Papæ dubii; item de casu, quo Papa incideret in manifestam hæresin, tunc enim possent Cardinales & Episcopi se ipsos congregare in Concilio, & Papam hæreticum deponere, vel potiùs per hæresin jure suo excidisse, & à Christo depositum esse declarare, novúmque eligere, ut Ecclesiæ necessitati consulatur.

Quod verò PP. Constantienses voluerint, etiam extra hos duos casus, nempe hæresis & Schismatis, Papam certum & indubitatum esse subjectum Concilio,

lio, non est credibile. Nôrant enim viri sapientissimi effata Evangelica, super Petrum ædificatam Ecclesiam, non Petrum super Ecclesiam: Petro datas claves Regni Cœlorum, cum independente potestate ligandi & solvendi; pro Petri fide specialiter Christum rogâsse, Petro demandatum, ut confirmet fratres suos. Petro commissam curam ovilis Christi. Num Pastor oves regat, an oves Pastorem? An desinunt fideles in Concilio esse oves? An desinit Papa in Concilio esse Caput Ecclesiæ Universalis, Vicarius Christi, quibus cum titulis Oecumenica Concilia solenni definitione honorârunt?

Quis nescit, idem esse tribunal Principis & ejus Vicarii? Princeps Christus, Legitimus Papa ejus est Vicarius in terris: Idem ergo utriusque tribunal. Quodnam altius illo? Peregrina fuerat per 14. *Sæcula in Ecclesia illa à Romano Pontifice appellatio, aut saltem à nemine Sanctorum hominum unquam attentata. At à Conciliis ad Papam provocâsse quot Sanctos novimus, Athanasios, Flavianos, Chrysostomos, Ignatios &c. aliósque doctrina & sanctimonia viros clarissimos!*

Quæ vis unquam Conciliorum in Ecclesia fuit, frequentissimorum licèt, quibus authoritatem negavit Romanus Pontifex? Antiochenum, Mediolanense, Ariminense, Sirmiense, Ephesinum secundum, Constantinopolitanum sub Copronymo, sat documento sunt. Conciliorum in Asia sub Firmiliano, in Africa sub S Cypriano in causa baptismi, quæ vis unquam fuit in Ecclesia? Quanta verò veneratio particularium etiam Synodorum, quibus authoritatem & confirmationem impertivit Sedes Apostolica!

Quot hæreses damnatæ à solis Romanis Pontificibus! Nulla à Conciliis sinè Pontifice, aut præsente per se vel legatos, aut volente, aut consentiente, aut approbante, vel confirmante.

Et quanta semper veneratio Generalium etiam Conciliorum erga Romanum Pontificem! Quanta Concilii Chalcedonensis erga epistolam Leonis Papæ! hac decernente decreta sunt omnia. Quanta sextæ Synodi erga epistolam Agathonis! Quanta octavæ erga epistolam Hadriani! Os Petri per eas locutum esse, tota acclamârunt Concilia. Præsidebant toti Concilio legati Papæ, licèt quandoque nequidem essent Episcopi. Quot Conciliorum protestationes, primam sedem à nemine judicari! Concilium Generale Lateranense quintum disertè & ex professo Sess. 11. *docuit, solum Romanum Pontificem, tanquam super omnia Concilia authoritatem habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum, plenum jus & potestatem habere, ex S. Scriptura, dictis SS. PP. atque Pontificum, & ipsorum Conciliorum confessione manifestè constare. Quin in hoc ipso Constantiensi Concilio edita à Martino V. est Bulla, ipso approbante Concilio, in*

in qua jubentur suspecti de hæresi interrogari, an non credant Romanum Pontificem habere supremam potestatem in Ecclesia Dei. At suprema est, qua nulla est major: Cui nulla æqualis. Et cum Poloni ad finem Concilii appellâssent ad futurum Concilium, respondit eis Papa Martinus, hanc appellationem esse illicitam; quamvis Papæ contradixerit Joannes Gerson.

In 6. Sess. præside Cardinale Vicariensi, Episcopo Ostiensi, postquam priori Sessione declaratum est, Joannem illegitimè Constantiâ discessisse, tenerique sub pœna depositionis stare promissis & Papatum abdicare, decreta ad eum honorifica legatio, quæ reditum suadeat. *At nihil impetratum: Quin ab uno loco in alium profugit, evasurus in Burgundiam, cujus Dux ipsi favebat.*

In 7. publica est citatio Joannis ad Concilium ad novem dies; ju- 21.
dicatum etiam de contumacia Hieronymi Pragensis, citati & non com- *Hieronymus Prag.*
parentis. Is clam Constantiam venerat; ubi intellecta Hussi Magistri sui captivitate Schedam affixit Ecclesiæ Cathedrali, in qua se ad defendendam Wicleffi & Hussi doctrinam offerebat, cautione sibi data. Cùm autem inde mox aufugiens in itinere Bohemiam versus indignis Concilium probris lacesseret, captus Constantiam reductus est, & Husso in carcere socius additus.

In 8. promulgata damnatio 45. propositionum Wicleffi: Cum mandato omnes ejus libros & ossa exhumata concremandi.

In 9. decreta rursus citatio Joannis.

In 10. præside Patriarcha Antiocheno Joannes declaratur contumax. Examinatísque testibus de ejus simonia, aliísque criminibus lata est in eum sententia suspensionis ab omni administratione & functione Ecclesiastica.

In 11. Promotores Concilii ad 60. crimina cum testibus exhibuerunt Synodo. Cúmque Joanni, qui interea *Cellam* erat reductus, essent transmissa, respondit, se illa non negare, quin potiùs judicio Concilii se totum subjicere, cessionem voluntariam Papatus se iterum offerre.

In 12. pronuntiata in Joannem depositionis sententia; qui illico 22.
depositionis Pontificiis insignibus acquievit. Decretúmque, ne quis è *Joannes*
tribus istis dubiis Pontificibus eligeretur in Papam. *Balthassarus Cossa*, *depositus.*
nuper Joannes XXIII. Cellâ Gotliebensem in Arcem, ne rursus elaberetur, & turbas moveret, ductus, donec Electori Palatino custodiendus est traditus.

In 13. contra *Petrum Dresdensem*, & *Jacobellum Misnensem*, Hussi so- 23.
cios, communionem sub utraque specie, etiam non jejunis distribuen- *Communio*
tes, docentésque communionem sub utraque specie esse *necessariam*, de- *sub utraque specie.*

 crêtum

cretum est, erroneam & hæreticam esse sententiam, asserentem, quod communio sub utraque specie sit omnibus necessaria. Simúlque sub excommunicatione prohibitum Sacerdotibus, communionem sub utraque specie populo distribuere. Hanc consuetudinem, tantùm sub specie panis Eucharistiam distribuendi non fuisse quidem semper in Ecclesia usitatam; attamen ad multa evitanda scandala, & pericula rationabiliter esse introductam. *Hic ritus cùm non ad fidem sed disciplinam tantùm spectet, potuit pro variis temporum exigentiis variari in Ecclesia, absque ullo præjudicio doctrinæ fidei.*

24. *Cessio Greg. XII.* In 14. *Gregorius XII.* degens Arimini, per Carolum Malatestam coram Concilio abdicavit ultro Papatum; unitíque sunt & acceptati utriusque Pontificis Cardinales; vetiti tamen circa electionem novi Pontificis aliquid moliri citra consensum Concilii. Acta autem Gregorii habentur rata à Concilio.

25. *Huss exustus.* In 15. *Joannes Huss* è carcere Gotliebensi, in quo sæpiùs examinatus fuerat, productus in Concilium, altóque sedili, ut ab omnibus conspici posset, collocatus, per *Henricum de Piro* de hæresi accusatus & convictus, cum libris suis & 30. Articulis est condemnatus. Degradatus, relictúsque sæculari judicio cùm maneret pertinax, cum libris suis ad rogum eductus, flammis est absumptus: Cineribus ejus in Rhenum sparsis.

In 16. actum de persuadendo Petro Lunensi, ut exemplo *Cossæ*, & *Corarii* pariter abdicet Papatum.

26. *Sigismundus in Hispaniam.* In 17. Pientissimus Imperator Sigismundus cum Legatis Concilii ad Regem Aragoniæ, Lunensis fautorem, profecturus, publicis precibus commendatur. Cúmque multis itineribus Perpinianum tandem pervenisset, nec Lunensem movere posset, Aragoniæ primùm, dein etiam Castellæ, Navarræ ac Portugalliæ Reges ab eo abstraxit: Parisios quoque & Londinum profectus, tum ut Schisma ubique tolleret, tum ut pacem etiam civilem inter Galliæ & Angliæ Reges componeret. Angelus Corarius, quondam Benedictus XII. non tantùm Cardinalis agnitus, verùm etiam perpetuus Legatus à Latere in Provincia Marchiæ Anconitanæ est constitutus.

In 18. Constituti Judices delegati ad discutiendas alias causas ad Concilium pertinentes, reservata tamen Concilio definitiva sententia.

27. *Pragensis ejurat hæresin.* In 19. *Hieronymus Pragensis* introductus in Concilium, de hæresi accusatus & convictus, Fidei Catholicæ professione emissa, ejurat hæresin. Declaratum à Synodo, non obligari Patres per Salvum Conductum, à sæculari potestate hæreticis concessum, si in hæresi pertinaces persistant;

quò

quò minis eos punire possint. *Non est hic decisum (ùt Novatores suggillant) hæreticis non esse fidem datam servandam ab iis, qui eam dederunt, & quo modo dederunt. Concilium illam non aliter dedit, nisi, ùt expressè addidit :* Salva Justitia, & quantùm fides Orthodoxa exigit; *ùt patet ex Sess. 6. Sigismundus verò Salvum Conductum dedit, in quantum ad ipsius Jurisdictionem & potestatem sæcularem pertinuit : Præstititque, quantùm potuit. Plus neque promisit, neque præstare tenebatur; ùt constat ex Sess. 19. deinde, totum jus Hieronymus amisisset per fugam perfidam, qua elapsus est : Quamvis iterum retractus.* 28. *Salvus Conductus.*

In 20. approbata sunt 12. capitula cum Hispanis Narbone constituta : In quibus Concilium promittit, Lunensis Acta habere rata, ipsiúsque Cardinales agnoscere. Actum etiam de Controversiis inter Fridericum Archi-Ducem & Episcopum Tridentinum exortis. *Omnes prædictæ Sessiones, excepta prima, sunt habitæ anno* 1415.

In 21. anno 1416. 30. May celebrata Hieronymus Pragensis, relapsus in hæresin, quam priùs ejuraverat, convictus, & degradatus, relictus est judicio sæculari; à quo ad rogum condemnatus, combustus est, absente adhuc Cæsare. 29. *Exustus.*

In Sess. 22. introducti Legati Regis Aragoniæ; *Cúmque postea etiam Legati Regum Castellæ, Navarræ & Portugalliæ successivè accederent, & unirentur Concilio, quinta Natio, nempe Hispanica, paria cum reliquis suffragia obtinuit. Quamvis non finè tricis.*

In 23. Lecti 12. Judices delegati in causa Petri de Luna. 30. *Acta in Lunensem.*

In 24. approbata citatio Petri de Luna.

In 25. receptus in Concilium Comes Fuxensis.

In 26. receptus in unionem Rex Navarræ.

In 27. & 28. anno 1417. processum in causa Friderici Archi-Ducis, & Episcopi Tridentini. Magna solennitate exceptus Sigismundus Imperator, ex Hispania redux Constantiam.

In 29 declaratus contumax Petrus de Luna. Novæ nihilominus indul e dilationes.

In 30. auditi Legati, qui Petrum de Luna convenerant. Laudatúsque Rex Aragoniæ, quòd se ab illo subtraxerit.

Sessiones, 31. 32. 33. 34. consumptæ in variis relationibus circa Lunensem, ejúsque citationes, ac deliberationem circa sententiam definitivam.

In 35. in unionem receptus Rex Castellæ, cujus Legati tunc primùm advenerant.

In 36. citatus Lunensis ad audiendam sententiam definitivam concilii.

In

31. *Depositio.* In 37. lata sententia definitiva in Petrum de Luna contumacem: Quâ à Papatu deponitur, omnésque fideles ab ejus obedientia absolvuntur.

In 38 absoluti, vel potius absolutione non indigentes declarati, quos Lunensis excommunicaverat.

In 39. statutum, ut post quinquennium rursus celebretur Concilium generale: Ab illo rursus aliud post septennium, ac deinceps singulis decenniis, ad evitanda Schismata &c. *Intentio bona Concilii, sed in praxi impossiblis.*

In 40. statuitur, in quibus Pontifex mox eligendus cum Concilio disciplinam reformare debeat. *Magnam hæc res in Concilio excitavit controversiam: Nationes enim, præsertim Germanica cum Cæsare magnopere contendebant, curiam Romanam, præsertim quoad reservationes beneficiorum, Annatas &c. esse à Concilio reformandam ante electionem Papæ, Cardinalibus vehementer se opponentibus, eámque reformationem electo jam Pontifice suscipiendam contendentibus. Evicit tandem Cardinalium sententia. Zabarella Cardinalis Florentinus tanto æstu pro Cardinalium causa certâsse dicitur, ut brevi post in Concilio sit mortuus.*

In 41. adhuc præside Cardinale Ostiensi, post lectam constitutionem
32. Clementis VI. circa electionem Papæ, Cardinales præsentes 20. cum 30.
Electio Martini V. aliis, è quinque Nationibus selectis, conlave sunt ingressi, & tertio post die, nempe 11. Nov. anni 1417. ab iis electus est *Otho Columna*, dictus *Martinus V.* tunc Subdiaconus. *Qui altero die ordinatus est Diaconus, tertio Sacerdos, quarto Episcopus. Ludi Equestres celebrati.*

In 42. Præside jam Martino V. liberantur Sigismundus, & Ludovicus elector ab onere custodiendi Balthasarum de Cossa, olim Joannem XXIII. quem Martinus ad se duci jubet.

In 43. anno 1418. editæ constitutiones, prout antè fuerat statutum, circa simoniam, dispensationes, decimas, vitam & honestatem Clericocorum. *Quamvis plures majorem disciplinæ reformationem requirerent: Sed dilata illa ad proximum Concilium.*

In 44. pro futuro post quinquennium celebrando Concilio designata est Papia à Martino Papa.

In 45. & ultima, cùm pontifex omnia decreta Concilii *ad fidem pertinentia* confirmâsset, finitum est Concilium, cuilibet abeundi concessâ licentiâ. Poloni tamen, non nisi cum protestatione & provocatione ad futurum Concilium discessêre, eò quòd Pontifex non apertè damnâsset libellum quemdam *Joannis Falckenbergii*, in quo plura Polonis eorúmque Regi ac Principibus injuriosa scripsisset. Nec satìs acquiescebant Petrus de Alliaco, Cardinalis Cameracensis, & Joannes Gerson Cancellarius Academiæ Parisinæ (viri doctissimi, qui orationibus, scriptísque in Concilio

variis

variis tractatibus magnum nomen ſibi fecerant) eò quòd, vehementer licèt urgerent condemnationem libri *Joannis Parvi*, Theologi Burgundi, de tyrannicidio, obtinere tamen iſtud non potuerint. Sicut etiam Alliacenſis non obtinuit, ut Calendarium à Concilio corrigeretur; quod edito hac ſuper re tractatu urgebat.

§. IV.

Præcipui errores Joannis Wicleffi, & Huſſi, à Concilio damnati.

Wicleffus docuit, panem & vinum manere in Sacramento Altaris; accidentia non manere ſinè ſubjecto. Chriſtum non eſſe realiter præ- 33. *Errores Wicleffi.*
ſentem. Epiſcopum vel Sacerdotem in peccato mortali exiſtentem, non ordinare, conſecrare, baptizare validè: Non eſſe fundatum in Evangelio, Chriſtum ordinâſſe Miſſam. DEum debere obedire diabolo: Si homo ſit debitè contritus, confeſſionem eſſe ſuperfluam. Si Papa ſit malus, nullam eum habere poteſtatem. Vivendum eſſe more Græcorum ſine Papa; eſſe contra ſcripturam, quòd Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones. Non eſſe excommunicandum Clericum, qui appellat ad Regem. Nullum eſſe Dominum civilem, nullum Epiſcopum, dum eſt in peccato mortali. Dominos temporales pro arbitrio poſſe auferre bona Eccleſiaſtica. Malis prælatis non deberi decimas. Speciales orationes uni applicatas non plus prodeſſe, quàm generales; eſſe excommunicatum, qui Fratribus dat eleemoſynam. Per Religionis ingreſſum fieri quem ineptiorem ad obſervanda Mandata Dei. Sanctos inſtituendo religiones peccâſſe. Religioſos non eſſe de Religione Chriſtiana. Fratres non debere mendicare, ſed labore manuum victum quærere.

Simoniacos eſſe, qui ſe obligant orare pro aliis, qui eis in temporalibus ſubveniunt. Orationem præſciti nihil valere. Omnia evenire ex abſoluta neceſſitate. Univerſitates, ſtudia, Gradus & Magiſteria tantùm prodeſſe, quantùm diabolus: Excommunicationem eſſe cenſuram Antichriſti. Ingredientes clauſtra eſſe viros diabolicos. Ditare clerum eſſe contra regulam Chriſti: Hinc errâſſe Conſtantinum Imperatorem. Omnes de ordine Mendicantium eſſe hæreticos. Papam & omnes Clericos poſſeſſiones habentes eſſe hæreticos. Eccleſiam Romanam eſſe Synagogam Sathanæ. Decretales epiſtolas ſeducere à fide Chriſti, ſtultóſque eſſe, qui eis ſtudent. Electionem Papæ à Cardinalibus faciendam à diabolo eſſe introductam; fatuum eſſe credere Indulgentias: Illicita eſſe juramenta, quæ fiunt ad firmandos contractus. Auguſtinum, Benedictum, & Bernardum eſſe damnatos, quòd habuerint poſſeſſiones, & inſtituerint, atque intraverint Religiones: Et ſic à Papa ad ultimum Religioſum

omnes esse hæreticos. Omnésque universim Religiones esse à Diabolo. *Et isti quidem sunt crudissimi errores Wicleffi, hominis ex asse impii.*

34. *Huss.* *Joannis Huss verò errores præcipui sunt:* Ecclesiam esse universitatem prædestinatorum. Paulum nunquam fuisse membrum diaboli. Præscitos non esse partem Ecclesiæ. Duas naturas, Divinam & humanam esse unum Christum. *(Hæc propositio reprobatur, quia Filius Divinus subsistens in utraque natura est Christus)* Petrum non fuisse Caput Ecclesiæ. Sacerdotes criminosos hoc ipso esse infideles. Papæ dignitatem esse à Cæsare; eum non esse Caput Ecclesiæ: Tradentes Clericum puniendum sæculari potestati esse similes Pharisæis tradentibus Christum Pilato. Obedientiam Ecclesiasticam esse inventum Sacerdotum; Vitiosum omnia agere vitiosè: Virtuosum verò omnia virtuosè. Licitum esse Sacerdoti cuivis prædicare, non obstante quacunque prohibitione. Censuras procedere ab Antichristo.

Papam malum, & præscitum esse diabolum, & ne quidem membrum Ecclesiæ. Papam non debere dici Sanctissimum, etiam secundùm officium; aliàs etiam diabolum debere dici Sanctum; quia est Officiarius Dei. Damnationem 45. propositionum Wicleffi esse iniquam. Nec scintillam esse apparentiæ, quòd oporteat esse unum Caput Ecclesiæ. Nullum esse Dominum civilem, nullum Prælatum, nullum Episcopum, dum est in peccato mortali.

Ex quibus apparet, Sectarios istos in pluribus convenire cum recentioribus novatoribus: In pluribus tamen iis esse contrarios, ut proin isti Sectæ suæ originem ad Wicleffitas & Hussitas referre nequeant: Nisi velint effrænem *libertinismum*, ac desperatum *scepticismum* in Religionem suam inducere.

§. V.

Origo hæresis Wicleffiticæ & Hussiticæ.

35. *Imago Wicleffi.* Cæterùm Joannes Wicleffus erat Anglus Sacerdos, Doctor Oxoniensis, in qua Theologiam docuerat, homo quanti ingenii, tantæ ambitionis & audaciæ, novitatum amator ingens. Cùm Papa ei negasset Episcopatum Vingorniensem, furere in S. Sedem cœpit, ejúsque authoritatem, quacunque ratione posset, extinguere. Occasionem dabat murmur Anglorum adversus nimias Legatorum Pontificiorum exactiones & effusam Cleri vivendi licentiam. Unde extollebat sæcularem potestatem, Ecclesiasticam verò deprimebat: Flabellum hoc esse ratus, quo Magnatum sibi afflaret favonios.

Utque Sanctitatis & severioris disciplinæ imagine magis deciperet, Apostolicum vivendi morem præseferens, cum Discipulis suis Angliam nudi-

nudipes percurſabat, reformationem Cleri, purum Evangelium, primitivam Eccleſiam ubique clamans, atque hæreſum ſuarum lolium diſſeminans.

Gregorius XI. oppoſuit ſe equidem ſurgenti contagio, ſed quia Wicleffus haud ingratum melos quibusdam optimatibus cecinit, ipſámque adeo Oxonienſem Academiam peſte afflaverat, ſimúlque decipiendi artibus non leviter imbutus eſſet, curationem facilè eluſit: Præſertim, ubi Gregorio mortuo, turbulento Eccleſiaſticæ Reipublicæ ſtatu electus eſt Urbanus VI. eíque oppoſitus Clemens VII. excitato pernicioſo & pertinaci Schiſmate.

Tum enim verò Wicleffus ſecurus ſui, plenas erroribus ſuis habenas permiſit, & voce & calamo in ſedem Pontificiam detonans, eò liberiùs, quo duo Pontifices magìs in ſe ipſos colliſos, Richardi vero Regis teneram ætatem ſiſtendis furoribus minùs aptam videbat: eò denique inſaniæ ac temeritatis prolapſus, ut omnem humanam poteſtatem protritum iret.

Quô factum, ut plebs, aliàs ad jugum excutiendum prona, per totam Angliam concitata in ſeditionem ad ducenta millia adverſus Regem & optimates concurreret, *libertatem* undique rebelli fremitu conclamans, Londinúmque uſque immani rabie graſſata, Rege ipſo vix furori ſubtracto. 36. *Tumultus ab eo concitati.*

En! Pulchros novi Evangelii fructus, in funeſtum exemplum per Germaniam ituros poſt Sæculum.

Tandem Rex comparato exercitu rebelles domuit, confeſſos, dum quæſtioni ſubjicerentur ſe deletis Magiſtratibus, ac nobilitate, inſtituta democratia, omnes æquales facere intendiſſe. Wicleffus tamen, ſicut poſtea Lutherus, videri noluit auctor tumultûs ruſticani. Quaſi verò neceſſe ſit inflare tubas, & pulſare tympana ad accendendum Martem plebejum, & non ſufficiant ſeditioſæ conciones, & ſcripta, oſtentantia libertatis & effuſæ licentiæ ſpes cupitas.

Reverſus ad genium ſuum in omnem partem verſatilem Wicleffus commendare rurſus cœpit poteſtatem politicam ſacrámque deprimere, ſpe ea fretus, fore, ut hoc pacto apud Regem & optimates gratiam iniret.

At ſpes eum ſua fefellit; expertus enim ordo uterque, quo veteratoris conatus tenderent, ad convellendam videlicet utriusque poteſtatem, Archi-Epiſcopo Cantuarienſi, totius Angliæ Primati judicium commiſit; qui collecta Londini Synodo Epiſcoporum, has potiſſimùm quinque Wicleffi propoſitiones damnavit.

1. Subſtantia panis materialis & vini poſt conſecrationem manet in Sacramento Altaris.

2. Accidentia in eo non ſunt ſinè ſubjecto. *Docuerat namque, accidentia non diſtingui à ſubſtantia.*

3. JEsus Christus in eo non est verè, realiter & corporaliter præsens.

4. Quando homo est contritus, confessio est superflua.

5. Post Urbanum VI. nullus agnoscendus est Papa. Sed exemplo Græcorum propriis vivendum legibus.

37. *Damnatus in Anglia.* Cùm autem Wicleffitæ urgerentur ad damnandas istas propositiones, haud aliter se torquebant in sensu illarum detorquendo, ac nostro tempore Jansenistæ in damnandis quinque propositionibus Jansenii: Donec tandem utraque potestate conspirante inauspicata hæc lues Regno est exterminata. Wicleffus tamen fato suo obiit: ac nescio, qua ratione contingat, ut tantorum tumultuum ac hæresum auctores cum pace canos suos deducant ad inferos.

Postquam autem Wicleffitæ surrigere in Anglia caput non ampliùs audebant, Bohemus quidam nobilis, qui Oxoni litteris operam dederat, afflatus lue illa, eandem cum libris Wicleffi Patriæ suæ intulit: In quo adeò grassari occepit, ut pertinaci malo vix ampliùs remedium videretur reliquum.

38. *Origo Hussit. hæresis.* Sectæ illius Bohemicæ caput se efferebat præcipuè Joannes Huss, Sacerdos, acuto ingenio, facundiáque præditus, Reginæ Sophiæ Confessarius, & Academiæ Pragensis Nationis Bohemicæ Procurator. Sed consiliis ejus obicem initiô posuit hæc ipsa Academia, quæ 45. propositiones Wicleffi damnaverat.

Huss, ut consensum Academiæ turbaret, Nationem Germanicam exterminandam duxit, inversis statutis Academicis, quæ Carolus IV. Imperator ac Rex Bohemiæ sanciverat: Hic etenim Princeps Academiam illam ad imaginem Parisiensis à se fundatam constare volebat ex Natione Bohemica & Teutonica: Hæc verò in Polonicam, Saxonicam & Bavaricam est subdivisa: Quarum singulæ suum dabant suffragium in omnibus electionibus, honoribus ac collationibus: Ita, ut Natio Teutonica tribus gauderet suffragiis, Bohemica verò tantùm uno.

39. *Mutatio Academiæ Pragensis.* Hanc rem tanquam indignam Huss proposuit Wenceslao Regi, faciléque ab homine inerte, ac Rempublicam negligente impetravit, ut inversis Parentis statutis, Nationi Bohemicæ tria decernerentur suffragia, uno duntaxat Teutonibus relicto.

Ingentes hæc mutatio turbas excitavit: Cúmque Wenceslâus Teutonum protestationes rejiceret, ingenti numero Academici discessêre, tum Erfordiam, tum Lipsiam, ubi ex isto discessu Academia coaluit.

40. *Artes Hussi.* Hussus votorum potitus, à Bohemis suis, jam solis dominantibus, electus Rector Universitatis, occasionem nactus est errores suos disseminandi: Usus ad hoc opera *Hieronymi Pragensis*, qui Philosophiam in Academia docebat cum plausu, & *Jacobelli Misnensis*, qui primus errorem

rem illum in Bohemiam invexit, necessarium esse, ut Eucharistia sumatur sub utraque specie.

His adjutoribus succinctus libros Wicleffi in Bohemicam Linguam convertit Hussus, utì etiam Sacra Biblia, neque tantùm ejus lectionem, sed prædicationem quoque publicam omnibus etiam fœminis, communem esse voluit. Tum verò non serpere sed cursitare ac volitare cœpit error, per tot prædicantium, etiam muliebrium guttura publicè proclamatus.

Archi-Episcopus Swinko opposuit equidem authoritatem suam effræni licentiæ combustis Hussitarum libris, vetitísque concionibus. At eo paulò post demortuo, sub Albico ruptis repagulis pleno torrente se lues effudit, dormitante ignavo Rege, *Sophia* autem Regina etiam apertè tutela sua protegente Hussum, cui conscientiam suam dirigendam commiserat. Quàm alia hæc à prima Wenceslai conjuge! Quam alius confessarius!

Atque hinc descenderunt incredibiles illi tumultus, illæ seditiones, cruenta illa bella, cum infanda Divinorum humanórumque confusione. Quæ tum maximè incrementum nacta est, cùm Joannes XXIII. adversus Ladislaum, Caroli Byrrachini filium, Regem Neapolis, propositis Indulgentiis crucem prædicari jussit. Tum enim tribus Hussitis, qui concionatori publicè occlamaverant, Papam esse Antichristum, jussu Regis interfectis, ingens multitudo confluens tumultum concitavit, auctum postea plurimùm, ubi Bohemi Joannem Huss Constantiæ combustum audierunt.

ARTICULUS IX.

De Concilio Basileensi

Pro

Restauranda disciplina & Unione Bohemorum. Anno 1431.

SUMMARIUM.

1. *Concilium indictum à Martino V. primò Papiam, dein Senas.*
2. *Denique Basileam.*

§. 1.

Synopsis Historica Concilii Basileensis.

3. *Eugenius IV. primò ratam habuit indictionem Concilii Basileensis: Deinde verò, cùm in Pontificem insurgeret, Bononiam illud transferre decrevit.*
4. *At resistente Concilio cùm Cæsare aliísque Principibus decretum revocavit.*
5. *Cùm autem disceptaretur de loco Concilii pro unione Græcorum, ortum est Schisma.*
6. *Depositus à Schismaticis Eugenius. Eíque oppositus Amedeus.*
7. *Bohemi ad Concilium.*

§. 2.

Summa Sessionum.

§. 3.

Observatio de Bohemorum Unione, facta in Concilio Basileensi.

§. 4.

Observatio circa Sanctionem Pragmaticam Gallorum.

§. 5.

Crisis de Cardinale Arelatensi, Præside Conventûs Basileensis.

2. Concilium Constantiense, ùt paulò ante expositum, Seff. 39. decrevit, ut post quinquennium rursus celebretur Synodus Generalis, ad reformandam Ecclesiæ Disciplinam, motúsque Bohemicos Hussitarum componendos.

Indictum primò Papiam tum Senas.

Quod Synodale decretum ut executioni daret Martinus V. Papiam designavit in annum 1423. sed cùm pestis urbem illam invasisset, Senas Concilium transtulit, ubi habita sessio, in qua Wiclefitarum & Hussitarum hæresis damnata est iterum: Cœptúmque de restauranda unione Græcorum tractari missis à Martino Papa Constantinopolim ad Patriarcham & Imperatorem Legatis.

Verùm cùm minùs opportunum negotio tempus esse responderet Imperator, ac propter imminentes bellorum turbas, metúmque ab Alphonso Aragoniæ Rege, Schisma renovante, exiguus Patrum numerus compareret, Martinus V. dissolvit Senense Concilium, aliúdque septennio post, anno videlicet 1431. *Basileæ* celebrandum indixit, prout Constantiæ statutum fuerat.

Quia

Quia autem Concilium Basileense cum Florentino magnam connexionem habet, quin potiùs in Florentinum fuerit commutatum, haud abs re me facturum existimo, si priùs illud breviter exponam. 2. *Denique Basileam*

§. I.

Synopsis Historica Consilii Basileensis.

Exacto à dissoluta Senensi synodo septennio Martinus V. *Julianum Cæsarinum* S. Angeli Cardinalem Diaconum, legatum suum à latere, Concilii Basileensis Præsidem nominavit. Mortuóque ante Concilii initium Martino V. *Eugenius IV.* ejusdem successor indictionem illam ratam habuit, confirmato Juliano Legato suo & Concilii Præside. *à Martino V. tum ab Eugenio IV.*

Cùm autem anno 1431. magna Prælatorum multitudine Basileæ confluente, Concilium cœptum varia in præjudicium Sedis Apostolicæ statueret, Eugenius decretum de revocando Juliano & dissolvendo Concilio Basileensi, atque *Bononiam* transferendo edidit, ut ibi sit commodior locus ineundæ cum Græcis concordiæ, ùt ferebat. 3. *Ejus decretum de transferendo Concilio*

Huic Eugenii decreto vehementer se opposuerant Basileenses Patres cum ipso Concilii Præside Juliano asserentes, Concilium legitimè congregatum non posse invitum à Papa dissolvi, aut transferri.

Incredibile est, quantas hæc altercatio turbas excitârit; quot accusationes in Eugenium, citationes, condemnationes de contumacia, suspensionis ac depositionis minas, donec tandem anno 1434. Eugenius Papa, adnitente Sigismundo Imperatore, & Carolo VII. Galliæ Rege, decretum de Concilio dissolvendo revocavit, rescissis pariter à Concilio decretis asperiùs in Pontificem latis. 4. *Tandem revocatum.*

Cùm ecce! triennio post, anno videlicet 1437. nova dissidiorum procella incubuit. Acriter nempe Sess. 25. inter Patres disceptatum fuerat, quis futuro Concilio pro unione Græcorum designandus esset locus: Parte una, majore ac saniore, ducibus Legatis Apostolicis, Florentiam decernente altera verò duce *Ludovico Alemanno Cardinale Arelatensi*, Basileam, vel Avenionem vel Sabaudiæ aliquam civitatem, deposcente. 5. *Schisma propter locum.*

Pars utraque pro sententia sua decretum promulgavit. Ex quo natum inter ipsos Patres Basileenses Schisma: Parte altera se separante ab altera. Eugenius Papa Florentiam statuit, eò quòd hæc aptior esset pro Græcis. Perpessus propterea partis alterius indignissimas minas, citationes, suspensiones attentatas. Quas tamen anathemate in Basileenses reliquias lato retudit, Concilio Ferrariam primùm, deinde Florentiam translato. Unde plerique Episcopi Basilea discessêre, remanentibus tantùm septem Basileæ cum uno Cardinale. 6. *Depositus Eugenius.*

Ab

Amedeus Antipapa. Ab eo tempore Basileense legitimum esse Concilium desiit. Nihilominus tamen aliqui pertinaces per plures adhuc annos Conciliabulum illud continuârunt, electo in Præsidem *Ludovico Cardinale Arelatensi*, & introductis contra morem Ecclesiæ ob paucitatem Episcoporum multis presbyteris cum jure suffragii. Ausúsque est contumax iste manipulus Eugenium legitimum Pontificem deponere, electo, seu veriùs intruso, in ejus locum *Amedeo*, (quem Sigismundus Imperator tempore Concilii Constantiensis primum Sabaudiæ Ducem creaverat) ex Eremita facto Antipapa, sub nomine *Felicis V.* Seff. 39. anno 1439. continuatis etiam eo Præside Sessionibus adhuc sex. Dum interim Ferrariæ, ac dein Florentiæ celebratur legitimum Concilium. Donec tandem suo se Felix infelici abdicavit Antipapatu, adnitentibus Friderico Imperatore, & Carolo Galliæ Rege.

Ubi observare licet paradoxa Amedei fata; ex Comite enim Sabaudiæ factus est Dux anno 1416. ex Duce, Marito, plurimúmque liberorum Parente, Eremita 1434. ex Eremita Pontifex 1439 ex Pontifice Cardinalis 1449. ex Cardinale Monachus 1451. quo anno ad stabiliorem in altera vita statum abiit.

7. *Bohemi.* Multum etiam Concilio huic Basileensi negotium fuit cum Bohemis, qui per Legatos suos præsentes in omnibus Ecclesiæ se subjecerunt præter usum calicis, quem Concilium ipsis ac Moravis indulgendum censuit.

Licèt autem hoc Concilium initiô fuerit Generale ac legitimum, utpote ex ordine à Papa indictum & convocatum, cui etiam per Legatum suum præsedit. Evasit tamen Conciliabulum omnino reprobatum à Concilio Lateranensi V. à quo Seff. 11. vocatur *Conciliabulum Schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus auctoritatis*: Exceptis tamen quibusdam dispositionibus circa Beneficia, quas Pontifex Nicolaus V. amore pacis ratas habuit. Placet nihilominus eruditionis gratia summam Sessionum breviter adstruere.

§. II.
Summa Sessionum.

8. *Concilium esse supra Pontificem.* In 1. Sessione *anno* 1431. lectis Bullis Martini V. & Eugenii IV. de Concilio Senis Basileam transferendo constituti Officiales Concilii.

In 2. *anno* 1431. definitum, Synodum esse legitimè congregatam, ac habere majorem Pontifice auctoritatem immediatè à Christo.

In 3. repetitur & confirmatur decretum Concilii Constantiensis de superioritate Concilii generalis supra Papam. Monetur Eugenius, ut ab attentata dissolutione Concilii desistat; citantur etiam Cardinales, puniendi ùt contumaces, nisi certum intra tempus compareant. *Ubi notandum*

tandum, malè à Basileensibus allegatum esse decretum Concilii Constantiensis, utpote quod non loquebatur de Pontifice certo ac legitimo, sed de dubio, pro tempore Schismatis, quales tunc erant, existente.

In 4. prohibetur Papæ, ne extra Concilium novos Cardinales creare, aut eos à Concilio avocare præsumat. Cardinalibus verò vetatur, ne extra Concilium Papam eligant, si Eugenius decederet. Datus salvus conductus Bohemis. 9. *Acta in Eugenium.*

5. Ne præsentes in Concilio ad curiam Romanam trahi se sinant.

6. Accusatur Eugenii, dissolutionum Concilii non revocantis, contumacia, uti etiam Cardinalium absentium.

7. & 8. Citatur Eugenius ad Concilium sub minis gravibus, nisi intra 60. dies compareat. Lata in eos excommunicatio, qui alio vellent transferre Concilium.

9. *Anno* 1433. Acta Eugenii adversus Concilium eique adhærentes declarantur irrita.

10. Accusata iterum contumacia Eugenii.

11. Decreta contra Pontificem varia.

12. Ad instantiam Sigismundi data iterum Eugenio dilatio 60. dierum: Intra quos nisi obediat, Concilii dissolutionem revocet, & decreta in eo facta approbet, atque legitimè inchoatum ac continuatum declaret, ipsum ùt contumacem à Papatûs administratione suspendunt.

13. Instante Wilhelmo Bavariæ Duce Concilii Protectore, data adhuc Eugenio dilatio 30. dierum.

24. Præscribitur formula, qua Eugenius acta Concilii confirmare, & quæ contra Concilium eique adhærentes dixit, constituítque, revocare & irritare debeat.

15. Quotannis celebretur Concilium Diœcesanum, & singulis trienniis Provinciale.

16. *Anno* 1434. Eugenius revocat decretum de dissolvendo Concilio, censuras item, suspensiones ac privationes, tribus bullis latas: quas pariter revocat. Concilium ab initio legitimè continuatum, continuandúmque porro declarat, ac si nullum unquam decretum dissolutionis emanâsset. *Per hoc tamen nullatenus approbavit acta priora Concilii, neque quanta sit authoritas illius definivit.* 10. *Revocatio Eugenii.*

17. Præsentibus 5. Legatis Pontificiis, Sigismundo Imperatore, multísque aliis Principibus statuta Sessio proxima. *In hac Sessione Prælati, mitras albas in capite gestantes comparuerunt, & Sigismundus habitu Imperatorio.*

18. Renovata rursus Constantiensia Seff. 4. & 5. decreta (perperam intellecta) de superioritate Concilii; addúntque, etiam Papam esse puniendum,

dum, si non obediat Concilio. *Hoc attentatum rursus alienavit Eugenii animum.*

19. Actum de loco Concilii pro Græcorum unione. Vetita communicatio cum Judæis.

20. *Anno* 1435. Statutæ pœna in concubinarios.

21. *Annatæ* pro Beneficiorum collatione, electionum confirmatione, postulationum admissione, aut pro præsentatione datæ reprehenduntur ùt simoniacæ, & abrogantur.

11. *An Annatæ Simoniacæ.*

„ *Verùm in hoc, sicut in multis aliis decepti sunt Patres Basileenses, ex zelo* „ *fortè, sed non secundùm scientiam, laborantes falso supposito:* Non enim ex- „ iguntur Annatæ pro collatione, confirmatione aut provisione Be- „ neficiali, aut tanquam pretium pro re spirituali, aut spirituali annexa, „ sed solvuntur ex fructibus Beneficialibus tum in recognitionem supre- „ mæ potestatis in Ecclesiasticis, quæ in Papa residet (quo sanè titulo, su- „ premi nempe dominii, Principibus tributa solvuntur) tum pro sustenta- „ ne tot officialium, quibus summus Pontifex ad regendam universa- „ lem Ecclesiam perpetuò indiget: Item ut indigentibus succurrere, „ fidem propagare, & contra hostes: e. g. Turcas, collato subsidio, „ tio possit defendere, atque exules pro fide sustentare. Et quot piæ „ fundationes Nosocomiorum; aliorúmque Hospitalium, Seminario- „ rum, Collegiorum, Convictuum, Romæ, in Germania, aliísque „ Provinciis liberalitate Pontificum erectorum, insigni sanè commodo, „ præsertim Nationis Germanicæ, quæ gaudet suos, etiam Nobiles, in „ ejusmodi Collegiis gratìs sustentari!

„ Deinde Annatæ subrogatæ sunt decimis, quæ à Christianis olim „ Pontifici solvebantur, utpote cui non minùs, quàm aliis animarum „ pastoribus, à fidelibus debetur congrua sustentatio, cum iis omni- „ bus, quæ ad regendam Ecclesiam ei sunt necessaria. Quid igitur sæ- „ cularibus hominibus magìs commodum, quàm has veluti decimas non „ à se, sed ab Ecclesiasticis exigi?

„ Neque hæc res nova est, sed Juri Divino etiam veteri conformis: „ Etenim Num. 18. Levitis & Sacerdotibus præcipitur, ut singulis an- „ nis decimam decimarum & primitiarum summo Sacerdoti persolvant. „ Deinde Jus istud annatorum plurimum jam sæculorum usu invaluit, „ ut ignoretur ejus initium.

„ Quamvis enim non legatur aperta illarum mentio in Jure Cano- „ nico ante *c. cùm nonnullæ in extrav. comm. de præbend.* non tamen do- „ cet constitutio illa Joannis XXII. tunc primùm esse impositas anna- „ tas. Et quidem Joannis tempore omnes fructus vacantium Be- „ neficiorum primi anni exigebantur, Bonifacius autem IX. ad me- „ diam

„ diam partem illas postea reduxit. Imò etiam de hac multum remi-
„ sit Camera Apostolica, ut adeò ex Parochiis & Canonicatibus, licèt
„ pinguissimis in Germania nihil sit solvendum, teste Pichler in tit. de
„ præbend.

„ Nulla igitur simoniæ apparentia in annatis illis deprehenditur,
„ nisi dicere quis velit, omne beneficium Ecclesiasticum esse simonia-
„ cum, dum præbet fructus temporales pro functione spirituali: Cùm
„ beneficium detur propter officium: Aut solvere decimas esse simo-
„ niacum, quia solvuntur, ut Parochus sustentetur in ordine ad Eccle-
„ siasticas functiones peragendas. Accedit, quò annatæ non debean-
„ tur ex pacto, sed ex lege jam antecedenter existente tanquam onus
„ reale, fructibus primi anni impositum: Quod tam parùm est simonia-
„ cum, ac, si lex juberet, fructus primi anni Hospitali applicari: Aut
„ constituatur super Beneficio aliqua pensio pauperi Clerico, vel alte-
„ ri Ecclesiæ singulis annis persolvenda. Aut si Episcopus subsidium
„ charitativum, Cathedraticum aut synodaticum, vel Provisiones in
„ Visitationibus exigat. Nempe, qui servit altari, de altari vivat:
„ Et de Operariis Apostolicis Veritas dixit, dignos eos esse mercede
„ sua, si tamen contingeret, ut aliqui officiales Pontificii hac in parte
„ excederent, nequaquam id Pontificem approbare censendum ést. „

In sess. 22. damnatus libellus *Augustini de Roma* ex Ord. Eremit. S. Aug. *de Christo & Ecclesia;* in quo inter alia dicebat, Christum quotidie peccare: *Quamvis de membris ejus, quos cum Capite unum Christum esse dicebat, intelligeret.*

23. Anno 1436. Decreta circa electionem Pontificis lata, variæque ei leges præscriptæ: E. g. ut curiam reformet: Immunitatem Ecclesiasticam & Ecclesiæ ditiones protegat: Nullum Consanguineum aut affinem, Ducem, aut Marchionem, aut Feudatarium, aut Provinciæ vel urbis gubernatorem constituat. (*Hoc statutum occasione querelarum de Condelmerio Cardinale Eugenii nepote, qui gubernatione sua Italos offenderat*) Numerum Cardinalium ad 24. redigat, qui sint Theologiæ aut SS. Canonum Doctores.

21. *Reformatio curiæ Romanæ.*

24. Pactum cum Imperatore & Patriarcha Græcorum per Legatos initum à 10. Episcopis & 23. Abbatibus de Concilio in Occidente celebrando. Datúsque salvus conductus pro 700. Græcis. Promulgatæ etiam indulgentiæ plenariæ, pro iis, qui tantum Græcis darent, quantum ipsi una hebdomade absumerent. *Ecce! Indulgentias promulgatas in Concilio, à Protestantibus tot laudibus celebrato.*

25. Anno 1437. Ortum dissidium inter Patres de loco Concilii pro unione Græcorum, parte una cum legatis Pontificiis Florentiam decernente,

nente, parte altera cum Ludovico Cardinale Arelatenſi Baſileam, aut Avenionem &c.

13. *Schiſma.* 26. Cúmque Eugenius pro Florentia pronuntiâſſet, de multis criminibus falsò à parte altera eſt accuſatus: Et ad 60. dies cum Cardinalibus iterum citatus.

27. Interdicta Eugenio Cardinalium electio, & venditio vel oppignoratio urbis Avenionenſis, quam in ſubſidium Græcorum vendere eum velle erat ſuſpicio.

14. *translatio Concilii Ferrariam.* 28. De contumacia accuſatur Eugenius. Qui Concilium Ferrariam transfert, quò maxima pars Præſulum ſe confert.

29. Pars Baſileæ remanens irritam declarat translationem Concilii, & ſub cenſuris vetat, ne quis Eugenio obediat &c.

15. *Acta in Eugenium præſide Cardinale Alemanno.* 30. *Anno* 1438. declaratur, non ſacrificantes non adſtringi ad Communionem ſub utraque ſpecie.

31. Rejectæ appellationes frivolæ ad Romanam curiam. Ne Papa deinceps gratias exſpectativas concedat, nec Beneficia reſervet. Atque ùt contumax Eugenius à Papatu ſuſpenditur, adminiſtrationem ad Baſileenſes devolutam decernunt.

Tum verò Cardinalis Julianus relicto Baſileenſi Conciliabulo Ferrariam ad Pontificem ſe contulit. Præſidem verò Baſileæ agere cœpit Ludovicus Cardinalis Arelatenſis. Qui ſolus ex Cardinalibus contra Eugenium pugnabat, cœpta etiam Neutralitas Germaniæ, quæ ſex annis tenuit.

32. Damnatur Concilium Ferrarienſe cum Eugenio, omnésque, qui ei interſunt, excommunicantur à Baſileenſi ſynedrio.

33. *Anno* 1439. declarat ſynagoga Baſileenſis, hæreticum eſſe, qui negaverit, Concilium eſſe ſupra Pontificem: Aut qui aſſereret, Papam poſſe Concilium, legitimè congregatum diſſolvere, aut transferre.

34. Pronuntiatur ab eodem ſynodulo depoſitionis ſententia in Eugenium Papam, cum graviſſimis calumniis.

35. Deſignata dies electioni novi Pontificis.

16. *Immaculata conceptio.* 36. Declaratur pia, ſancta, fidei Catholicæ, rectæ rationi & S. Scripturæ conſona, ſententia de Immaculata Conceptione. Contraria doceri vetita. *Ita videlicet conſeſſus iſte lucida intervalla inſaniæ ſuæ intercalabat.*

37. & 38. Actum de electione novi Pontificis.

17. *Amedeus.* 39. A Cardinale Arelatenſi & 32. viris, ex diverſis Nationibus ad id deputatis, eligitur in Papam Amedeus, Sabaudiæ Dux.

40. *Anno* 1440. promulgatur, obtentus tandem, Amedei conſenſus. Cui *Felicis V.* nomen impoſitum.

41. Sententia Eugenii IV. contra Felicem ejúsque ſectarios damnatur.

42. Aſſi-

42. Assignata Felici quinta pars proventuum Ecclesiasticorum.

43. *Anno* 1441. decernitur festum *Visitationis B. V. Mariæ.*

44. Ab Eugenio privatos Beneficiis restituendos esse decernitur.

45. *Anno* 1442. Lugdunum decernitur pro futuro Concilio. Verùm, ne pertinacia interim remitteret, translato Lausannam Conciliabulo, nihil actum memorabile, nisi quòd Felix V. hortatu Friderici Cæsaris ad pacem dandam Ecclesiæ Antipapatu suo se abdicârit, in Ripalliæ suæ regressus solitudinem.

Atque hæc est series sessionum Basileensis turbulenti ac seditiosi conventiculi, monstrosi velut portenti, cujus caput pulchrum in deformem caudam desinebat, vel instar illius ominosæ statuæ in pedes luteos. Videre hîc licet, quàm difficile, imò impossibile foret, conservare unionem, unitatémque Ecclesiæ sine unitate visibilis capitis, cui membra sint subjecta, atque ad illius præscriptum se moveant. Quo sanè ex defectu desperata est apud Acatholicos fidei & Ecclesiæ unitas.

§. III.

Observatio de Bohemorum unione facta in Concilio Basileensi.

Cum in Concilio Constantiensi Joannes Huss & Hieronymus Pragensis essent exusti, Bohemi, quorum partem magnam hæresis infecerat, in iram concitati, anno 1419. sub Duce *Joanne Zisca* collecto 40000. exercitu Sigismundum Regem Bohemiâ pellunt, eámque immanitate incredibili diripiunt, hæresin Hussiticam latè ferro propagantes; Quamdiu scilicet Ziscæ superfuit vita, quam deinceps quinque annis assiduis coronavit victoriis; *Tabore* urbe in monumentum gloriæ ædificata: Victoriæ tam certus, ut eam etiam cæcus inveniret. Nam utroque orbatus oculo pugnavit, & vicit. Peste tandem periit, patriæ ipse & Religionis pestis vel vincendo. 18. *Hussitæ rebelles. Zisca.*

Sed neque morte ejus finitum bellum, *Procopio*, quamvis non æquo passu, prosequente victorias; Licèt signato cruce Germanorum exercitu & Pontifex & Imperator in eos moveret. *Procopius.*

Pacis artibus cum belligera fortíque gente actum ire faciliùs rati Basileenses Patres, urgente præsertim Sigismundo Cæsare, ad Concilium litteris primùm, dein legatione etiam honore & charitate plena, Bohemos invitârunt.

Miserunt & ipsi Bohemi, accepta fide publica seu salvo Conductu, sub initium Concilii suos Legatos, pacem & unionem non respuentes: Dummodo quatuor in rebus ac articulis ipsis satisfactum fuerit. 1. In *concedendo calice.* 2. In firmanda doctrina, quòd *hominibus etiam privatis publica* 19. *Postulata Bohemorum.*

ca scelera plectere liceat. 3. In *permittenda libertate cuivis prædicandi.* 4. In prohibitione, *ne clerici bona temporalia possideant.*

Pro calice peroravit in Concilio Basileensi Joannes *Rokizana*, *Hussita*, Legationis Princeps, vir versipellis, magníque apud suos nominis, ac postea Pseudo-Archi-Episcopus Pragensis; pro privata punitione scelerum Wenceslaus *Taborita;* pro libertate prædicandi Widaricus *Orphanita*, seu *Orphanorum* presbyter; contra Clericorum possessiones Petrus Payne Anglus, *Wicleffita:* Ut adeò ex quatuor Bohemorum Sectis adessent Legati, ac perorarent, Joannem Wicleffum, & Hussum Doctores Evangelicos appellantes.

Responderunt istis totidem Orationibus, per plures dies continuatis, totidem Doctores Catholici; & quidem Rhokizanæ de communione sub utraque specie respondit *Joannes de Ragusio*, Dominicanus: Qui cùm sæpiùs voce *hæreticorum* uteretur, surgens *Procopius* Ductor Hussitici exercitûs, qui inter Legatos aderat, publicè conquestus ac protestatus est: Víxque placari poterant.

Taboritam refutavit *Ægydius Carlerius*, Decanus Cameracensis: Orphanitam Henricus Kalteisen Dominicanus, Petrum Anglicum Joannes Polemarius, Auditor causarum Sacri palatii. Cúmque replicantibus rursum Bohemis, præsertim Rhokizana, contra Ragusium sex diebus dicente, disputatio disputationem pareret, nullúsque dicendi esset finis: Visum est Wilhelmo Bavariæ Duci, qui loco Sigismundi, in Italiam profecti, Concilii Protector aderat, unionem amicè faciliùs, quàm disputationum contentione iniri posse; frustra omnia. Nam in quatuor illis articulis pertinaces hærebant Bohemi. Et cùm Julianus Cardinalis Præses Concilii ipsis diceret, compertum esse, quòd in pluribus articulis ab Ecclesiæ Catholicæ doctrina recesserint, illos proin etiam esse proferendos & examinandos, responderunt, sibi à gente sua plus non esse commissum, quàm ut de quatuor illis articulis in Concilio tractandum proponerent.

20. *Responsa Concilii.* Cùm igitur nihil cum illis ex sententia succederet, missi sunt cum Bohemis, abitum urgentibus Legati à Concilio Pragam, qui humaniter excepti, declarationem quatuor articulorum proposuerunt. Et quoad correptionem quidem scelerum, *potestatem puniendi criminosos non ad privatas personas, sed ad eos tantummodo pertinere, qui jurisdictionem in eos habent fori, Juris & Justitiæ ordine observato.*

De libertate prædicandi declaratum, *quòd verbum Dei à Sacerdotibus idoneis, & per Superiores, ad quos pertinet, approbatis & missis, liberè, non tamen passim, sed ordinatè & fideliter prædicetur, salva auctoritate Pontificis, qui est præordinator in cunctis, juxta SS. Patrum instituta.*

3. Quoad

3. Quoad possessiones Clericorum, declaratum, Clericos, nullo paupertatis voto obstrictos, posse acquirere & habere quævis bona temporalia, ex hæreditate, donatione, contractu &c. Ecclesias etiam posse habere & possidere bona mobilia & immobilia, clericos verò horum bonorum fideles administratores esse debere: Nec posse ab aliis sinè Sacrilegio usurpari.

Bohemi, audita hac Legatorum declaratione dixerunt, se nolle ad eam respondere, nisi priùs audirent, quid super articulo de communione sub utraque specie sibi concederetur.

Quare Legati super hoc etiam articulo, quid à Concilio commissum habeant, exponunt: Videlicet, consuetudinem generalem Ecclesiæ, quam etiam Bohemi observârint, per longissima tempora hoc habuisse; & habere, quòd non conficientes tantùm sub specie panis communicent. Hanc consuetudinem ab Ecclesia & SS. PP. rationabiliter introductam non licere pro libitu mutare; ecclesiam verò ex rationabilibus causis posse concedere, ut etiam Laici sub utraque specie Eucharistiam sumant. 21. *Contra usum calicis.*

Addiderunt deinde, consuetudinem tantùm sub specie panis populum communicandi rationabiliter esse introductam propter duas possimùm causas: Nimirum propter periculum *erroris* & *irreverentiæ*. Errorem namque fuisse Nestorii, quòd sub specie panis sit sola Caro Christi, & sub specie vini solus Sanguis. Ut igitur huic errori obviaretur, & magìs imprimeretur fidelium mentibus, sub qualibet specie esse totum Christum, visum fuisse sub una tantùm specie ministrari.

Causam alteram fuisse *periculum irreverentiæ;* si enim ministretur populo sub specie liquida, multa facilè posse contingere, tam ex parte ministrandis, quàm etiam ex parte suscipientis, quàm etiam ex parte speciei vini (quæ ad alterationem magis est disposita) quæ in irreverentiam tanti Sacramenti cedant. Auditum esse, plures in Bohemia contigisse ejusmodi irreverentias, horrore plenas: Nec illas in tanto fidelium numero satìs caveri posse.

Nihilominus, si Bohemi petitioni calicis pergant insistere, in reliquis verò omnibus ritui universalis Ecclesiæ se conforment, fore, ut Concilium ipsorum sacerdotibus det facultatem, Eucharistiam etiam sub specie vini populo ministrandi: Dummodo sic communicantibus semper dicant, quòd firmiter debeant credere, sub specie panis non tantùm carnem, & sub specie vini non tantùm sanguinem, sed sub qualibet specie integrum Christum esse, ac sumi. 22. *Concessus.*

Resumpti deinde à Bohemis sunt tres reliqui articuli. Et quidem pro *privata scelerum punitione* dicebant, Deum sæpiùs privatos excitâsse ad punienda crimina. Responderunt legati: Quando punita fuerunt crimina

Divi-

Divino mandato, jam non esse punita privata authoritate, sed Divina. Verùm rem fore plenam periculi, ne quis falsò sibi persuadeat, se esse constitutum à Deo scelerum vindicem, nisi authoritate publica polleat.

Pro *libertate prædicandi* objecerunt, quandoque Prælatum ex invidia & malitia prohibere prædicationem boni & idonei concionatoris, sinè rationabili causa.

Responsum, pro tali casu prædicatori apertam esse viam appellandi ad superiorem, cujus sit disquirere, an inferior Prælatus justè an verò injustè prædicationem inhibuerit.

23. *De Dominio Clericorum.* Circa quartum articulum interrogârunt Bohemi, an liceat Prælatis Ecclesiasticis actus temporalis dominii in propria persona exercere?

Responsum à Joanne Polemario, JCto, uno ex legati, aliquos actus posse Prælatum exercere in propria persona, ut vendere, oppignorare, infeudare &c. alios, qui prohibentur sub rubrica, *ne clerici sæcularibus negotiis se immisceant*, eos non posse in propria persona exercere; sed exercendos per œconomum, vice-dominum aut Procuratorem sæcularem.

Dúmque instarent, an potestas disponendi, quæ exerceri debet per Procuratorem, sit apud Prælatum Ecclesiæ? Respondit Polemarius, hanc quæstionem dependere ab alia; Penes quem scilicet sit dominium Ecclesiæ, item an actiones sint in persona tutoris vel procuratoris. Varias autem quoad hæc esse DD. Sententias, quarum nulla ab Ecclesia sit definita: Relinquere proin se illis optionem, cui sententiæ velint accedere.

Cùm tamen urgerent Polemarium, ut suam ipse hac de re sententiam dicat, respondit, suam opinionem esse, quòd dominium rerum Ecclesiæ sit penes Christum, & Prælati Ecclesiastici ac Canonici sint tantùm administratores, ac instar tutorum: Ampliorem tamen eos habere potestatem quàm tutores: Oeconomum vero vel Procuratorem constitutum à Prælato habere potestatem delegatam, & exercitium Jurisdictionis. Bohemi reposuerunt, suam pariter sententiam esse, Ecclesiasticos viros tantùm esse administratores rerum temporalium Ecclesiæ, non verò dominos.

Ubi miror, nec Polemarium, nec Bohemos distinxisse inter bona, fundos, & res ipsius Ecclesiæ, Monasterii, vel Hospitalis, seu ad Ecclesiam ipsam aut aliam causam piam immediatè pertinentes, & inter bona beneficialia, seu fructus, & reditus annuos, ex Ecclesiæ fundis provenientes. Posteriorum dominium pertinet ad ipsos clericos; ùt ad titulum de peculio cleric. docetur ex Concil. Trid ex communi sententia DD. persuasione & praxi, ex divisione redituum Ecclesiasticorum, ex Bulla cùm sicut Julii III. &c.

Dominium verò bonorum ipsius Ecclesiæ, ùt fundorum &c. vel est penes Ecclesiam, Monasterium, vel Hospitale, tanquam personam fictam

(uti

(uti est penes civitatem &c.) vel penes totam communitatem capituli, Collegii, Monasterii, nisi velis cum Palmerio, Innocent. Navar. Donat. &c. dicere, illud esse penes Christum: Homines verò esse administratores.

Tandem post multos tractatus, Pragæ, Ratisbonæ, Egræ, Brunæ, ad Albam Regalem in Hungaria, coram Sigismundo Cæsare, denique Iglaviæ in Moravia, eodem Cæsare præsente, anno 1438. inita est inter legatos Concilii & Bohemos concordia; promiserúntque isti, se declarationem trium articulorum recepturos, erecto concordiæ instrumento, quod *Compactata* vocant.

Missi deinde ad Concilium Basileense novi Oratores, qui confirmationem ab eodem peterent: Ac 1. petierunt pro Regno Bohemiæ, & Marchionatu Moraviæ universim facultatem ministrandi populo Eucharistiam sub utraque specie. Rogant insuper, hoc sibi non concedi ad eum modum, quo olim Judæis propter duritiam cordis est concessus libellus repudii, sed, ut sinè peccato, ad consolationem totius Regni, possint uti S. Calice.

24. *Concessa à Concilio.*

Respondit Concilium, se non obligari quidem ad compactata illa legatorum confirmanda, ad pacem tamen & concordiam restaurandam, atque ad quietem Regni Bohemici, rata illa habere; Adeóque concedere usum calicis illis, qui petiverint, & quidem tanquam licitum ex hac ipsa speciali concessione Ecclesiæ; sic tamen, ut ad eum invitus nemo trahatur, aut cogatur. Hæc tamen omnia Concilium speciali Bulla & instrumento declaraturum.

Petunt 2. facultatem, etiam parvulis præbendi eucharistiam: Utpote quem usum Bohemia, magnorum SS. DD. scripturis & exemplis mota, susceperit, & à multis annis exercuerit: Aliàs magnum in populo scandalum atque perturbationem orituram.

Respondit Concilium, quòd compactata expressè excludant communionem parvulorum.

Petunt 3. licentiam, Evangelium, Epistolam, & symbolum in Missa vulgari lingua coram populo legendi & cantandi in Ecclesia. Jam olim enim esse Bohemis & Moravis concessum, in lingua Sclavica ista exercere.

Respondit Concilium, etiam hanc petitionem esse expressè contra compactata, in quibus promisissent, se excepto usu calicis, omnes ritus Ecclesiæ universalis esse observaturos. Neque in ipsa urbe Pragensi ante motus istos Bohemicos hoc in usu fuisse.

Petunt 4. ut Concilium providere ipsis velit de Pastoribus animarum idoneis, atque acceptis, ùt Joannem de Rokozana in Archiepiscopum Pragensem.

Respondit Concilium, hoc petitum esse æquissimum. Non esse tamen consultum, ut Ecclesia Pragensis committatur Magistro Joanni de Rokozana: Cùm is conatus fuerit compactata convellere, & pacem rursus turbare.

Petunt 5. ut ad modum aliarum Universitatum Academia Pragensis reformetur, atque Beneficia aliqua Ecclesiarum Cathedralium & Parochialium eidem annectantur.

Responsum, hoc Concilio curæ fore: Aliquas videlicet præbendas designandi, ad quas Universitatis Pragensis Doctores assumi debeant.

§. IV.

Observatio circa sanctionem Pragmaticam Gallorum.

25. Sicut Provisiones Beneficiales in Germania, Anglia, aliisque provinciis, magnas excitârunt controversias, ita etiam in Gallia, colliso non rarò regno cum sacerdotio; Jam anno videlicet 1267. tempore Clementis IV. deinde in Concilio Lugdunensi II. anno 1274. rursus in dissidiis Bonifacii VIII. & Philippi IV. circa annum 1303. denique in Concilio Basileensi.

Cùm enim hoc varia decreta contra Romanos Pontifices, eorúmque jura ac privilegia condidisset, 38. ejusdem Canones in Catalogum relati, Carolo VII. Francorum regi fuerunt à Concilio missi. Rex in quodam Conventu Bituricensi anno 1438. eosdem Canones Concilii Basileensis recipit, ac famosa illa Gallorum *sanctione Pragmatica* firmavit, in senatu Parisiensi promulgata. Cui deinceps Romani Pontifices acriter se opposuerunt. Juvat summatim illius articulos adducere.

26. *Summa Articulorum.*

1. Papa singulis decenniis Concilium celebret. Si negligat, Patres suppleant.
2 Basileensis Concilii Authoritas sit perpetua.
3. Prælaturas electivas Papa non reservet, neque Canonicatus, nisi in casibus, in Jure scripto expressis.
4. Electiones sint omnino liberæ.
5. Electionis forma observetur; Et electus à Prælatis confirmetur.
6. Papa huic sanctioni non deroget. Si faciat, deferatur ad Generale Concilium.
7. Si electio sit irrita: Electoribus altera relinquatur. Electus ab immediatè Superiore confirmetur.
8. Generali Synodo etiam Papa obediat, quatenus fides & schismatum abolitio postulat.
9. Concilii decreta à Christo protinus authoritatem obtinent.
10. Ecclesiis digni præficiantur.
11. Exspectativis gratiis non sit locus.

12. Be-

12. Beneficia vivo rectore nemini reserventur.

13. In qualibet Ecclesia Episcopali constituatur Theologus.

14. In Beneficiis conferendis præferantur Graduati.

15. Graduati nomina sua offerant.

16. Collatio prima, aliis facta, est nulla.

17. Nemo, quatuor dierum itinere Roma distans, in Jus vocetur Romam, nisi in majoribus causis.

18. Appellatio fiat ad immediatè superiorem. Exemptorum verò causam Papa Judici regionis committat.

19. Qui inaniter ante sententiam appellat, 15. florenos pendat, præter litis expensas.

20. Triennalis possessio quieta non ampliùs turbetur, nisi impedimentum justum obstiterit, quò minùs potuerit possessor impeti.

21. Cardinales sint tantùm 24. docti, 30. annorum, legitimis natalibus.

22. De dignitatibus ac beneficiis Ecclesiasticis nihil prorsus, neque annatam, neque primitias Pontifex exigat. Secus irrita est provisio: Et pœna simoniacis debita infligatur. Scribis tantùm & Notariis merces solvatur.

23. Res Divina sanctè ac devotè peragatur.

24. Qui tantùm in aliqua horarum est præsens, non fruatur distributione quotidiana.

25. Hoc etiam ad Decanum & Præpositum extendendum.

26. Idem de garrientibus aut deambulantibus in Ecclesia.

27. Insuper unius mensis stipendiis priventur.

28. Tabula officiorum hebdomadalium in Choro sit appensa.

29. Symbolum integrum canatur.

30. Camænæ vulgi in Ecclesia ne canantur.

31. Missa non celebretur sine Ministro, illáque alta voce legatur.

32. Canonici debita non solventes statuto tempore, interdicuntur Divinis, & trimestri stipendio Ecclesiæ.

33. Solennibus diebus nullum celebretur capitulum.

34. Profana facessant ab Ecclesia.

35. Clericus Concubinarius post secundam sanctionis istius promulgationem non resipiscens, tribus mensibus fructibus beneficii careat.

36. Hæretici non denunciati non sunt vitandi.

37. Nulli communitati sacris interdicatur, nisi per se ipsam, aut per Magistratus suos deliquerit.

38. Non credendum litteris, quibus scribitur, quempiam beneficio suo se abdicâsse, nisi testibus id aut documentis idoneis comprobetur.

Hæc ſunt capitula Sanctionis Pragmaticæ Gallicanæ, ex Concilio Baſileenſi prognata. Quamvis autem Rex Carolus iſta reciperet ac promulgaret, quoad ea tamen, quæ Conciliabulum egit in deponendo Eugenio Pontifice, noluit conſentire, quin imò ad diſturbandum illud Conventiculum Ludovicum filium ad fines Baſileenſium miſit, qui cruento prælio Helvetorum copias fudit.

Porro ſucceſſor Caroli VII. Ludovicus XI. reſcidit quidem anno 1462. Sanctionem iſtam Pragmaticam, (tanquam ſeditionis & ſchiſmatis tempore latam ad infringendam Sedis Apoſtolicæ authoritatem) urgente Pio II. cui Ludovicus illam reſciſſionem promiſerat, ſi quietè ad Regnum perveniret. Verùm cùm Galli Sanctionem Regno admodum utilem dicerent, propter abolitionem appellationum, reſervationum Beneficialium, gratiarum exſpectativarum, ac præſertim Annatarum, per quas multum pecuniæ è Regno eſſet exportatum, quoties minùs ipſis cum Pontifice conveniebat, eandem rurſus inſtaurârunt. Donec anno 1516. illâ abro-
27. gatâ inter Leonem X. & Franciſcum I. erectum eſt *Concordatum;* quo ſub-
Abrogata per Concordatum. lata electionum libertate conceſſum eſt Regi Jus Præſentandi ad Epiſcopatus & Prælaturas Galliæ, Pontifici verò reſervatæ Annatæ, Controverſiæ Eccleſiaſticæ, ac Jus confirmandi Epiſcopos & Prælatos ſibi à Rege legitimè præſentatos.

Ægrè hoc concordatum Clerum Gallicanum habuit, eò quòd per illud Capitulis ſit adempta eligendi poteſtas, & electis impoſitum Annatarum onus. Unde Leonem Papam ſuggillabant, quòd Regi conceſſerit Spiritualia, ſibi verò retinuerit temporalia.

Sed neque ipſi Reges concordatum, quantumcumque ſibi favens, integrum ſemper reliquerunt: Quin ultra Sanctionem Pragmaticam & Baſileenſis decreta eſt progreſſus Ludovicus XIV. dum cum Innocentio XI colliſus, anno 1675. Beneficiorum Eccleſiaſticorum Collationem, ac perceptionem fructuum ex Beneficiis vacantibus, tanquam *Jus Regale* ac Majeſtaticum prætendit. Unde magnæ illæ *Regaliarum* controverſiæ, quæ tandem ſopitæ: Reſtituto in integrum concordato; agnitúmque jus præſentandi ab Eccleſiaſtica poteſtate eſſe conceſſum: Permiſſæque Pontifici Annatæ.

§. V.

Criſis de Cardinale Arelatenſi, Præſide Conciliabuli Baſileenſis.

28. Quæres, quid ſentiendum de *Ludovico Alemanno* Cardinale Arelatenſi, Conciliabuli Baſileenſis poſt Julianum Cæſarinum Præſide: Qui ſolus poſt depoſitionem Eugenii ex Cardinalibus remanſit, acerrimus illius defenſor? Ratio dubitandi eſt, quòd *Æneas Silvius*, qui Concilio

cilio Basileensi ipse interfuit, & initiò cum eo adversus Eugenium sensit, factus postea Pontifex sub nomine Pii II. in *descriptione Europæ cap.* 42. de Alemanno jam Pontifex sic scribit: *In Arelate ad sepulchrum Ludovici Cardinalis S. Cæciliæ ejus urbis Episcopi, quem Basileæ in consessu Patrum præsentem vidimus magna miraculorum opinio orta est: Et invalidorum frequens undique concursus spe sanitatis factus.*

Imò Spondanus ad annum 1438. & Odoricus Raynaldus ad annum 1450. testantur, eum, sanctitate & miraculis illustrem, à Clemente VII. in Beatorum numerum esse relatum. Producítque Ciaconius diploma Pontificium de cultu illi deferendo.

Quomodo autem combinari hæc possunt cum iis, quæ Alemannus Basileæ gessit tanta vehementia ac pertinacia in Eugenium Pontificem, atque ad continuandum tanto tempore Schisma?

℞. Referre plurimùm, imò unicè, an quis bona vel mala fide agat. Sua enim quemque conscientia aut absolvit aut condemnat. Firmilianus in Asia, S. Cyprianus in Africa cum numerosis Conciliis se opposuerunt S. Stephano summo Pontifici in causa baptismi: Concilium Carthaginense 218. Episcoporum, inter quos erat S. Augustinus, Zosimo & Bonifacio Romanis Pontificibus in causa appellationum. Paschasius S. R. E. Diaconus Laurentii Schisma fovit, & tamen post mortem miraculis claruisse dicitur; in Purgatorio tamen errorem luisse, S Gregorius scribit in Dialogis; & recentiori ætate, Vincentius Ferrerius & Petrus Lutsenburgus, viri sanctimonia celebres, partes Petri de Luna sectabantur: Quas Catharina Senensis aliíque Sancti tanquam Schismaticas aversabantur; bona nempe fide agebant.

Eodem modo in Alemanno Cardinale si factum non potes, intentionem excusa. Altè vir iste animo impresserat sententiam de Superioritate Concilii Generalis supra Pontificem, quam non tantùm à multis viris doctis tunc temporis teneri videbat, sed etiam à Concilio Constantiensi Seff. 4. & 5. definitam & à Martino V. confirmatam esse putabat. Cernebat eandem esse sententiam Patrum multorum Basileensium, eandémque bis à Concilio esse latam, atque Eugenium Bullas suas contra Concilium pro ejusdem dissolutione editas revocasse, propter quas rationes censebat, Pontificem etiam legitimum debere obedire Concilio, irritámque esse dissolutionem aut translationem Concilii, Papámque Concilio non parentem posse deponi.

Adhæc magno zelo ducebatur reformandi Ecclesiasticam disciplinam, quam existimabat à Romana curia labefactatam. Unde in ejus reformationem juxta Constantiensis Concilii decreta magna contentione incumbendum esse putabat: Sícque fervore indiscreto ultra æquum abreptus, in auctoritatem, Juráque antiquissima Romanæ Ecclesiæ summíque Sacro-

rum Antiſtitis eſt graſſatus; aſſumpto etiam, cùm Prælati dilaberentur, contra morem omnium temporum, magno numero ſimplicium Presbyterorum, qui ſententiam dicerent.

Accedit, quòd fortaſſis de pertinacia ſua & malè attentatis egerit pœnitentiam, præſertim ubi vidit Amedeum, quem Antipapam creaverat, reſipiſcere, totúmque mundum agnoſcere Eugenium tanquam legitimum Pontificem. Certè Maimburgius de Magno Schiſmate Græcorum lib. 6. ad annum 1447. teſtatur, eum errorem ſuum pœnitentia eluiſſe.

ARTICULUS X.

De Concilio Generali XVI. Florentino.

Pro

Uniendis Græcis cum Eccleſia Latina ſub Eugenio IV. & Alberto II. Anno 1438.

SUMMARIUM.

§. 1.

Synopſis Hiſtorica de Græco Schiſmate poſt Concilium Lugd. II. denuo inſtaurato.

1. *Status Religionis ſub Michaële Palæologo: Qui obit Catholicus.*
2. *Sub Filio ejus Andronico Seniore reductum antiquum Schiſma.*
3. *Continuatum ſub Andronico Juniore: At non impunè, nam Græci à Turcis in majores ſemper rediguntur anguſtias.*
4. *Cantacuzeni infelix tutela.*
5. *Turcarum ingentes progreſſus.*
6. *Joannes Palæologus, Andronici Junioris Filius, fruſtra à Chriſtianis petit auxilia.*
7. *At ſuccurrit Tamerlanes:*
8. *Bajazetis Victor.*
9. *Manuël, Joannis filius, obit fruſtra aulas Principum Occidentalium pro impetrandis auxiliis. Unio etiam religionis fruſtra tentata.*
10. *Joannes Manuëlis Filius ardentiùs urget unionem cum Eccleſia Latina.*
11. *Eugenius Papa, & Baſileenſes, utrique ad ſe invitant Græcos, miſſa Legatione.*
12. *Græci præferunt Legatos Pontificis, atque unà cum Imperatore & Patriarcha Ferrariam proficiſcuntur.*

§. 2.

Acta Concilii Florentini.

13. *Initium Concilii Ferrariæ.*
14. *Fruſtra exſpectantur Principes Occidentales propter Conciliabulum Baſileenſe.*
15. *Græci vehementer impugnant additionem vocis* Filióque *in Symbolo.*
16. *Translatio Concilii Florentiam.*

17. *Diſpu-*

17. *Disputationes de processione Spiritûs S.*
18. *Definitiva sententia.*
19. *Obit Florentiæ Patriarcha, omnino Catholicus.*
18. *Doctrina de Eucharistia.*
19. *De Purgatorio.*
20. *Et Primatu Romani Pontificis.*
21. *Decretum Unionis.*
22. *Græcorum regressus in patriam.*

§. 3.

Græcorum relapsus & suprema ruina.

23. *Obstinatio Marci Ephesini, omnia turbantis.*
24. *Et populum concitantis.*
25. *Electus Theophanes Patriarcha sanctissimus.*
26. *Excommunicatus à reliquis Patriarchis Orientalibus, à Marco circumventis.*
27. *Russia etiam obstrepit Unioni.*
28. *Cæso Ladislao Hungariæ Rege, Joannes intepescit in fervore Unionis.*
29. *Constantinus Palæologus ejus frater succedit in exilibus Imperii reliquiis.*
30. *Contra eum assurgit Mahometes II. ingens belli fulmen.*
31. *Desperata Græcorum pertinacia.*
32. *Mahometes biennio obsidet Constantinopolim.*
33. *Eámque tandem expugnat ac diripit.*

§. 4.

Decretum Eugenii IV. in Concilio Florentino pro Armenis unitis.

34. *Summa hujus Decreti.*
35. *Doctrina celebris de Sacramentis.*
36. *De Baptismo.*
37. *De Confirmatione.*
38. *Præsertim de illius materia.*
39. *An simplex Sacerdos possit esse illius Minister.*
40. *De Eucharistia.*
41. *De Pœnitentia.*
42. *De extrema Unctione.*
43. *De Ordine.*
44. *De contactu physico instrumentorum.*
45. *De Matrimonio.*

§. 5.

De Decreto Eugenii IV. pro Unione Jacobitarum.

46. *Summa hujus Decreti.*
47. *Unio cum Æthiopibus.*
48. *Concilium translatum Romam.*
49. *Obitus Eugenii Papæ.*

§. I.

Synopsis Historica de Græco Schismate post Concilium Lugd. II. denuo instaurato.

Postquam magnis laboribus unio Græcorum cum Latina Ecclesia in Concilio Lugd. II. sub Gregorio X. & Michaële Palæologo Orientis Imperatore est confecta, atque in Græcia promulgata, plurimi eandem fuerant amplexi: Verùm cùm Martinus IV. homo Gallus, Carolo Andegavensi utriusque Siciliæ Regi, usque adeò faveret, ut eundem Michaëlem Impe- 1. *Status vivente Palæologo.*

Imperatorem, unione necdum ſatis firma, tempore ſanè importuno, per excommunicationem rurſus ab Eccleſiæ Societate, tum ante tum poſt Veſperas Siculas ſeparâſſet, ejúsque Legatos acerbè habuiſſet, (eò quòd cum Rege Arragoniæ & Siculis conſpirâſſe adverſus Carolum diceretur) Græci irritati, in Schiſma rurſus propendebant; relabentibus etiam non paucis Imperator verò commemorationem Pontificis in Miſſarum ſolemniis equidem prohibuit, in Unione tamen cum Eccleſia Latina ad mortem uſque permanſit, dictitare ſolitus, Religionis veritatem agnitam majori ſibi eſſe in pretio, quàm ut propter ſimultates ſuas cum Romano Pontifice ab illa deficeret. Imò quoad vixit, Græci non ſunt auſi Unionem apertè rumpere. Digna ſanè Conſtantia, quæ Henrico VIII. Regi Angliæ, aliíſque Principibus eſſet exemplo.

2. *Sub Andronico ſeniore.* Michaële verò, præclaro Principe & Imperatore anno 1283. perceptis Eccleſiæ Sacramentis, piè defuncto anno vitæ 58. Imperii 24. ſucceſſit *Andronicus* Filius, diſſimilis omnino Patri Juvenis ſtolidè ferox, qui illico abjecta, quam Patris metu induerat, larva, Græcorum errores civitate denuo donavit, projecto etiam in profanam ſcrobem Patris inhonoro funere, quòd in hæreſi Latinorum, ùt ajebat, obiiſſet.

Tum verò rupto velut aggere torrentis inſtar ſeſe effudit Schiſmatis inſania: Dejectus Patriarchatu inflexibilis ille veritatis vindex *Joannes Veccus*, in cœnobium primùm detruſus, dein in Exilium, in quo Martyr pro fide obiit. Pari laude dignus *Manuël Calæcas*, qui doctiſſimos quatuor libros contra errores Græcorum ſcripſit.

At impunè non fuit genti leviſſimæ impietatis flagitium: Religionis quippe excidium reipublicæ etiam ruinam traxit: Ab Occidente & Meridie Genuenſibus, Venetis, Piſanis, Catalaunis; à Septentrione Tartaris & Scythis; ab Oriente Saracenis; in Inſulis & Oris maritimis prædonibus; undique verò Turcis incumbentibus, & Imperii decidui artus, nervis inciſis, diſtrahentibus.

Ea enim infauſta Andronici fuere tempora, quibus ſub initium ſæculi decimi quarti ad perniciem Chriſtiani nominis enatum eſt formidandæ illud potentiæ *Imperium Ottomannicum;* ſuper ruinas Græcorum fundatum ab *Ottomano* ſeu *Oſmanno I.* qui diſperſos Turcas ſub unam Monarchiam collegit, ſub *Sultani*, hoc eſt, ſupremi imperantis nomine, & fuſis Andronici copiis, ad Boſphorum uſque Thracicum promovit victoriam.

3. *Sub Juniore.* Sed neque felicior *Andronicus Junior.* Hic etenim, poſtquam anno 1325. Andronicum ſeniorem, Schiſmatis inſtauratorem, avum ſuum, oculis erutis in carcere coëgit contabeſcere, ad eas à Turcis, ad Helleſpontum jam tumultuantibus, redactus eſt anguſtias, ut miſſis ad Roma-

num

num Pontificem ac Chriſtianos Principes Legatis, oblata unione cum Eccleſia, rogârit ſubſidia. At negotium unionis *Nicephorus Gregoras*, famoſus ille Hiſtoriæ Bizantinæ ſcriptor, fraude abrupit, Legatis, quos Pontifex miſerat, re infecta redeuntibus.

Defunctus anno 1339. Andronicus Palæologus Junior, Filium reliquit *Joannem* novennem puerum, ſub tutela *Joannis Catacuzeni*, in quo magnæ virtutes cum grandibus vitiis de palma certarent. Is ex tutore factus uſurpator Imperii, nil, niſi caſſum Collegæ nomen pupillo reliquit. Atque ut magna ſe parentela domi foríſque firmaret, filiam alteram Joanni Palæologo pupillo ſuo, alteram *Orchani* Sultano, Ottomanni Filio ac ſucceſſori, deſpondit. 4. *Catacuzeno.*

Sed neutrum vinculum nexu ſat ſtabili colligare potuit coronam, malè uſurpatam, quin ea deflueret: Genero utroque poſcente dotem, pretio grandi nimiùm ſtaturam Socero. Quippe Archanes Helleſponto trajecto in Europam atque in ipſam adeò Thraciam Turcas infudit. Joannes verò Palæologus anno 1355. geſtæ tutelæ rationes depoſcens, avitum Imperium repetiit, tutore perfido Monaſterio incluſo, ubi ſceptro cum calamo commutato hiſtorias ſcriberet. Atque hoc pacto 5. *Turcarum progreſſus.*

Joannes, Princeps optimus, recepit quidem Imperium, aut nomen potiùs Imperii, undique laceri & fatiſcentis: at poſtquam Amurathes Orchani Filius, tertius Turcarum Sultanus Adrianopolim aliáſque Thraciæ urbes, cum Macedonia & Græcia, occupavit, Romam uſque excurrit, exoraturus Chriſtianorum auxilia. Verum, licèt ejuratis Romæ Græcorum erroribus, Catholicæ fidei profeſſionem ediderit, anno 1369. ſubſidiorum tamen nihil impetravit: Chriſtianis Principibus, quæ perpetua noſtra eſt calamitas, in ſe ipſos arma vertentibus, mutuíſque cladibus aperientibus campum, in quo Chriſtiani nominis hoſtes nova ſemper trophæa defigerent. 6. *Joannes fruſtra petit auxilia.*

Sed cùm Chriſtiani non ſuccurrerent Chriſtianis, ſuccurrit homo gentilis ac Barbarus, à cunis enutritus ad orbis terrarum victorias. *Tamerlanes* is eſt, Scytha origine, qui miles gregarius duratus inter aſpera, ad ſummum Imperium imbutus, ſubactis Indis ac Parthis, Meſopotamia quoque & Ægypto ſub jugum miſſis, adverſus *Bajazetem*, Amurathis Filium, quartum Turcarum Sultanum, in Aſia & Europa victoriis laſcivientem, movit: Eúmque in Cappadocia ſibi cum immani exercitu occurrentem inaudito prælio victum captúmque, aureis vinculis oneratum, caveæ ferreæ incluſit, ac circumvexit, proſtratæ ſuperbiæ ingens trophæum; utente Numine hoc flagello in Turcas, ut amplius Græcis reſipiſcendi ſpatium concederet. 7. *Succurrit Tamerlanes.*

8. *Bajazeth.* Hac enim ratione Bajazetes, qui toto Græcorum Imperio occupato, Constantinopolim obsederat, diráque fame jam ferme ad deditionem compulerat, avocatus à Tamerlane, Græcis respirandi tantisper tempus concessit. 9. *Manuël.* Quare *Manuël*, Joannis Filius & Successor, qui in Galliam, Angliámque, inter se bello collisas, suppetias impetraturus concesserat, Constantinopolim redux circa annum 1400. negotium unionis seriò aggredi cœpit, missis ultro citróque Legatis, de loco Concilii deligendo disceptantibus. Quo tamen in puncto convenire non poterant, Græcis Constantinopolim designantibus, Latinis verò urbem in Occidente deposcentibus.

10. *Joannes urget unionem.* Obiit inter istos conatus Manuël Palæologus circa annum 1418. Filius illius *Joannes VII.* Imperio admotus, vehementiùs urgebat unionem, primùm quidem apud Martinum V. Pontificem anno 1430. qui voluit, ut Græci in Concilio, quod Basileam indixerat, comparerent. Cùm autem mortuo Martino, Eugenium inter Pontificem, ac Basileense Concilium turbæ illæ, de quibus antè memoratum, essent ortæ, pars utraque Legatos Constantinopolim misit, ac Imperatorem cum Patriarcha, & Episcopis ad se invitavit.

Prævenerunt Legati Basileenses: Quare Imperator Basileam Oratores suos misit. Cum quibus rursus de loco Concilii est disceptatum: Pars minor, minúsque sana, designavit Basileam, aut Avenionem, ut aliquam Sabaudiæ civitatem: útque sumptus pro itinere 700. Græcorum corrogaret, Indulgentias plenarias promulgavit pro omnibus, qui tantum contribuerent, quantum pro victu unius septimanæ insumendum esset.

11. *Duplex Legatio ad Græcos.* Pars altera major & sanior, cum Legatis Sedis Apostolicæ decrevit Florentiam. Huic decreto accesserunt Græci, nolentes Alpes transcendere; igitur Eugenio de necessariis itineris sumptibus providente, pars illa sanior sub nomine Concilii Basileensis misit iterum Constantinopolim Legatos suos, inter quos *Nicolaus Cusanus*, Leodiensis Archidiaconus, & *Joannes de Regusa*, Generalis Dominicanorum, uterque postea Cardinalis: Quibus etiam Papa suos adjunxit, cum triremibus advehendis Græcis destinatis.

Quamvis autem Ecclesia non soleat quæstiones jam definitas disputationi rursus subjicere, datum tamen hoc est Græcorum infirmitati, ut promitteretur, ipsis locum & tempus concedendum proponendi in Concilio, quidquid placeret.

Legati tum Eugenii Pontificis, tum veri Concilii Basileensis, amicissimè excepti ab Imperatore, qui repudiatis navibus, quas Basileensium pars contumax Avenione Constantinopolim pariter miserat, Eugenii Pontificis naves ingressus est cum Demetrio fratre suo, Patriarcha Josepho,

Metro-

Metropolitanis & Epiſcopis, relicto ad Imperii gubernacula Conſtantino fratre altero.

Anno 1438. appulſi Venetias ſummo honore à Duce & Senatu ſunt excepti. Ubi Legatus pariter Pontificis, & *Julianus Cæſarinus* nomine veri Concilii, ad majorem Græcorum commoditatem Baſilea *Ferrariam* ab Eugenio translati, Imperatorem & Patriarcham ſalutârunt, Nicolao Eſtenſi, Ferrariæ Marchione, urbem ſuam ditionémque eisdem offerente. 12. *Veniunt Ferrariam.*

Digreſſi igitur Venetiis Ferrariam, omnes Cardinales, pluréſque Principes extra urbem habuerunt obvios, à quibus ſolenni pompa in urbem ad Eugenium Pontificem deducti. Cúmque Imperator ad oſculum pedum ſe vellet demittere, protinus humaniſſimè eum Pontifex ſublevatum tenerrimo affectu eſt amplexus. Peractíſque mutuæ ſalutationis officiis ad palatium præparatum Imperator ſolenni pompa eſt deductus.

Plus tricarum erat, quibus cæremoniis Patriarcha, qui ſeriùs aliquantò Venetiis advenerat, excipiendus eſſet. Quamvis enim olim omnes Patriarchæ Conſtantinopolitani, dum res Græcorum adhuc florerent, Legatis etiam Pontificiis inferiorem locum ubique occuparent, poſtmodum tamen, acciſis licèt rebus, eò uſque intumuêre eorum animi, ut Romano Pontifici æquales vellent haberi.

Eugenius Pontifex, ne controverſiæ ejusmodi curſum negotii ſufflaminarent, deferendum, quantumcunque fieri poſſet, Patriarchæ ratus, quatuor Cardinales & 25. Epiſcopos cum quibusdam Principibus miſit, qui eundem navi egredientem exciperent, atque ad palatium Pontificium deducerent. Quo delatus, ab Eugenio aſſurgente amplexu ac pacis oſculo ſalutatus, atque inde ad ſiniſtram humiliori ſede, quali Cardinales utebantur, collocatus.

Invitati à Pontifice petente Joanne Imperatore Chriſtiani Principes; quos dum exſpectant, ſelecti interea, ſexdecim Doctores Latini totidémque Græci, qui in privatis cœtibus, exponendo doctrinam, ac diſputando de quinque Articulis controverſis, differerent, nimirum *de proceſſione Spiritûs S. de additione facta in Symbolo Latinorum. De purgatorio, & ſtatu animarum ante diem Judicii. De uſu Azymorum in Conſecratione panis. De primatu & ſuprema Romanæ Sedis authoritate.*

§. II.

Acta Concilii Florentini.

Auſpice Deo convenit anno 1438. Ferrariæ Concilium Orbis Chriſtiani, quale nulla retro ætas viderat, conflatum videlicet ex plurimis Epiſcopis Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ, cum jure Suffragii; cùm in Synodis, quæ in Oriente fuerant celebrata, pauci adeſſent ex Occidente, & 13. *Initium Concilii.*

in Occidentalibus pauci quidam ex Oriente. Sed & finis tanto Conventu dignus, uniendus videlicet Oriens cum Occidente, ut unum posthac sit ovile & unus Pastor. Præsidem agebat Eugenius Papa, etiam antequam de Primatu ejusdem esset pronuntiatum ab hac Synodo.

Locus Concilio delectus Ecclesia Cathedralis S. Georgii; in dextro latere collocatus thronus Pontificis, & prope ipsum Thronus Alberti Austriaci (licet absentis) paulò antè in Imperatorem electi, ac deinceps ex illo latere Cardinales, Archi-Episcopi & Episcopi Occidentalis Ecclesiæ, cum Abbatibus, Generalibus Ordinum, ac Doctoribus, partem inferiorem templi complentibus.

Ex parte verò sinistra Græci erant collocati, & quidem primus in Throno, è regione Throni Occidentalis Imperatoris positi, sedebat Joannes Palæologus Orientis Imperator, post eum Josephus Patriarcha, ac deinceps Metropolitæ & Episcopi Græci. Aderant insuper Legati Alexandrinæ, Antiochenæ, & Jerosolymitanæ Ecclesiæ: Ut adeò manifestè pateret, à tanto orbis senatu universam repræsentari Ecclesiam: Dum ex una parte visebantur Eugenius in habitu Papali, Archi-Episcopi & Episcopi, cum ornamentis Pontificalibus & mytris in capite, ex altera parte Imperator cum Patriarcha atque Prælatis Græcis diversi omnino habitu ornatis.

In 1. Sessione declaratum est, hanc Synodum esse Oecumenicam, legitimè congregatam. Habita Oratio eloquentissima à *Bessarione*, Archi-Episcopo Nicæno, Græcorum doctissimo.

14. *Exspectantur Principes.* Ab hac Sessione per sex menses exspectati sunt Principes aut eorum Legati. At nullus ferme illorum advenit; quia nimirum Imperator Albertus, ac Germaniæ Principes, Reges Galliæ, Castiliæ, Lusitaniæ, Navarræ, Dux Mediolani, &c. licèt omnes Eugenium ùt legitimum Pontificem agnoscerent, putabant non esse Episcopos suos & Legatos Ferrariam mittendos, donec ad concordiam reducerent residuos Basileæ Patres, qui magno æstu ac strepitu adversus Eugenium ac Ferrariensem Synodum tonare ac fulminare perrexerunt.

Altera Sessio, utì etiam subsequentes, non est habita in Ecclesia Cathedrali, sed in magno sacello palatii Pontificii, eò quòd Eugenius morbo quodam pedum laboraret. Ordo tamen sedendi idem. Electi ad disputandum sex ex parte Latinorum, videlicet Julianus Cæsarinus Cardinalis S. Angeli, qui antea Præses erat Concilii Basileensis: Andreas Archi-Episcopus Latinus Rhodensis seu Colossensis, ex Ordine S. Dominici: Ludovicus Foroliviensis ex Ordine S. Francisci: Joannes à S. Thoma ex Ordine Eremit. S. August. &c. sex item ex Græcis, tres nempe Metropolitæ, Marcus Ephesinus, Isidorus Rutenus, & Bessarion Nicænus, cum Theodoro Xantopulo Custode S. Sophiæ, Michaële Balsamon, Bibliothecario, & Georgio

Georgio Gemisto. Tum verò Andreas Colossensis Orationem habuit de laudibus Papæ, Imperatoris, Patriarchæ totiúsque Concilii.

In 3. decretum, Græcos in disputatione habituros partes oppugnantium, ùt ipsi petebant, Latinos verò respondentium.

In 4. & 12. sequentibus Sessionibus, Marcus Ephesinus & Bessarion Nicænus vehementer impugnabant additionem illius vocis *Filióque* in Symbolo, omnem additionem à Conciliis & Patribus esse vetitam.

Responderunt Latini, præsertim Andreas Rhodius, qui Marcho Ephesino opponebatur, nullam esse propriè loquendo additionem aut mutationem, sed solùm explicationem Articuli. Veritatem verò processionis Spiritûs Sancti à Patre & Filio probabant etiam ex Patribus Græcis: Maximè ex S. Chrysostomi Homil. 38. in Joan. ubi dicit, totum, quod habet Pater, habere Filium, excepta paternitate: Afferente ipso Dei Filio Joan. 16. *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt.* Idem ergo Patri & Filio commune est principium Spiritûs S. 15. *Additio Filióque.*

Explicationes autem seu declarationes Symboli nequaquam esse prohibitas, quo minùs authoritate Ecclesiæ eidem inserantur, quando id necessarium videtur ad instructionem fidelium contra exurgentem novam hæresin. Id solùm esse vetitum, proponere aliquid Symbolo contrarium, (prout Nestoriani tempore Concilii Ephesini inseruerant) non autem implicitè jam contentum magis declarare. Contineri autem in Symbolo Nicæno implicitè processionem Spiritus S. à Filio, dum ait, eum à Patre procedere, cùm omnia, quæ habet Pater, habeat etiam Filius, excepta paternitate.

Ab ipsis etiam Conciliis præteritis Nicæno Symbolo complura verba esse addita, ad meliùs exprimendas contra novos hæreticos veritates fidei, maximè à Synodo II. quæ integras lineas addidit eidem Symbolo, licèt Nicænum Concilium prohibuerit Symbolum mutari: In Ephesino etiam adversus Nestorium, aliísque, quin tamen Nicænum Symbolum dictum propterea fuerit mutatum, aut contra prohibitionem priorum Synodorum fecisse posteriores. Solùm ergo prohiberi additionem Symbolo contrariam. Imò à Synodo Ephesina appellatum esse Symbolum Nicænum, licèt illud recitârit, prout à Constantinopolitano pluribus insertis lineis ad majorem declarationem auctum fuerat. Sicut ergo in Oriente ad extinguendas hæreses ibidem exortas addi potuerit clarior Symboli explicatio, sic etiam in Occidente ad clariùs instruendos fideles adversus hæreses ibidem exortas. Neque ignorâsse Græcos in pluribus posterioribus Conciliis atque post agitatam etiam à Photio eam controversiam, additionem illam in Symbolo, & tamen Romanæ Ecclesiæ tanquam

matri mansisse unitos: Non causam proin Schismatis eam additionem fuisse, sed merum prætextum.

Cùm autem Græci allegâssent Synodum septimam, contra Iconoclastas celebratam, in cujus Symbolo additio illa necdum contineatur, produxit Julianus Cardinalis vetustissimum manuscriptum Concilii VII. in quo additio illa ab ipsa illa Synodo inserta esse monstrabatur. Et quis neget, posteriori Synodo tantam esse potestatem, quanta est priori?

Dum per 12. Sessiones de hac una additione vocis *Filióque* prolixè disputatur, invasit Ferrariam pestis. Quare partis utriusque consensu in Sess. 16. promulgata est translatio Concili Florentiam.

16. *Translatio Florentiam.* Igitur anno 1439. Papa, Imperator, Patriarcha omnésque Prælati Florentiam se contulerunt: Et quia ibi Concilium istud finitum est, potiùs Florentinum, quàm Ferrariense dicitur.

In Sessione igitur 17. Florentia I. conventum est, ut, cùm disputatum Ferrariæ hactenus sit de additione in Symbolo, nunc Florentiæ de ipsa veritate processionis Spiritûs S. disceptetur, permissúmque Græcis, ut privatam deliberationem & consultationem præmittant.

17. *Processio Spiritûs S.* In Sess. 18. inter Marcum Ephesinum, & *Joannem Theologum* Dominicanum Provincialem Longobardiæ, inchoata est disputatio de processione Spiritus S. à Filio; & per alias quinque sequentes Sessiones continuata. Ubi Joannes Marcum solidissimè confutavit, adducto præsertim testimonio S. Basilii ex antiquissimo manuscripto Constantinopoli apportato, quo S. Doctor asserit, Spiritum S. non tantùm ex Patre, sed etiam ex Filio procedere. Ubi simul detecta est perfidia Schismaticorum, qui in suis exemplaribus, quæ producebant, vocem *Filióque* expunxerant.

Tandem cùm videret Imperator, Marcum Ephesinum convictum sola ampliùs pertinacia repugnare, Græcos suos in domum Patriarchæ ægrotantis convocavit, proposuítque; cùm Latini fateantur, unicam tantùm esse *causam* Spiritûs S. (ita enim loquebantur Græci, sumentes *causam* in sensu latiore, nihílque aliud per illam intelligentes, quàm nos nomine *principii*) cùm putârint ipsi, quòd Latini duo distincta statuant Spiritûs S. principia, ideóque in doctrina fidei videantur convenire, id solum esse reliquum, ut una adhuc Sessione argumenta sua proponant, altera dein doctrinam Ecclesiæ Latinæ perciperent, tum verò ad plura Suffragia concluderent.

18. *Decisio.* Sessione igitur 24. & 25. hoc præstitum. At Marcus Ephesinus, toties in angustias redactus, vel causæ diffisus, vel morbo vero detentus, vel consilio Imperatoris, non ampliùs comparuit. Quare Joannes Theologus veritatem Catholicam magnis rursum rationum momentis firmavit,

ex S Scriptura, atque SS. Patrum Orientalium & Occidentalium testimoniis.

Græci poſt plures deliberationes & conſultationes privatas in eam tandem plerique conceſſêre ſententiam; cùm Latini doceant, Spiritum S. ex Patre & Filio tanquam *uno principio* atque per *unam productionem ſeu ſpirationem*, procedere, nihílque aliud intelligant, quàm ii Patres, qui dicunt, Spiritum S. à Patre *per Filium* procedere, eorum doctrinam omnino eſſe Orthodoxam; ac proin nihil eſſe, quod unionem ultrà retardet.

Hujus ſententiæ authores, ac fervidi promotores fuerunt *Iſidorus*, Metropolita Ruſſiæ, *Beſſarion* Metropolita Nicænus, qui poſtea in Cardinalium numerum ab Eugenio Papa ſunt relati. At pertinaciter ſe oppoſuit Marcus Metropolita Epheſinus, uſque adeò, ut Latinorum de proceſſione Spiritus S. doctrinam hæreticam diceret.

Facta igitur à parte utraque definitio, quòd Spiritûs S. à Patre & Filio procedat, tanquam unico principio & unica Spiratione: Et additio illa *Filióque*, neceſſitate tunc in Occidente exigente, rationabiliter ſic facta: Relicta tamen Græcis libertas, vocem illam Symbolo ſuo inſerendi, modò proceſſionem Spiritûs S. etiam à Filio credant.

Ad ſalvandum autem honorem Græcorum declaratum fuit, eos, dum dicerent, Spiritum S. à Patre procedere, non excluſiſſe proceſſionem à Filio, ſed ita locutos, quia exiſtimaverint, Latinos docere, Spiritum S. à duobus principiis diſtinctis emanare. Latini verò ſunt conteſtati, ſe nunquam aſſeruiſſe duo principia; tum verò mutuo amplexu unionem magno cum gaudio confirmârunt, anno 1439.

Joſephus Patriarcha paulò antè Florentiæ obierat, ſcripta tamen in ſupremo morbo Fidei Catholicæ profeſſione, ſe omnia credere, *quæ Catholica & Apoſtolica Eccleſia Romæ veteris credit: Beatiſſimum autem Patrum Patrem, ſummum Pontificem, Romæque veteris Papam, Domini noſtri JEſu Chriſti Vicarium eſſe.* 17. *Obit Patriarcha.*

Ex dictis hactenus, omnibúsque Actis Concilii patet, totam ferme diſputationem ac controverſiam Græcorum cum Latinis fuiſſe de proceſſione Spiritûs Sancti; de reliquis enim articulis facilè conventum. Et quidem de *Primatu* Pontificis peroravit idem Joannes Provincialis Longobardiæ, de *azymis* verò & verbis conſecrationis Joannes de *Turrecremata*, Doctor pariter celeberrimns ex Illuſtriſſimo Ordine Prædicatorum.

Circa *Euchariſtiam* declarârunt Græci, converſionem panis & vini in Corpus & Sanguinem JEſu Chriſti fieri vi verborum Domini. Quatuórque ad valorem Sacramenti iſtius Diviniſſimi eſſe neceſſaria, materiam ſeu panem triticeum, ſive *fermentatum*, ſive *Azymum*: Formam ſeu verba Chriſti: Miniſtrum, ritè ordinatum Sacerdotem: Et intentionem Miniſtri; 18. *Euchariſtia.*

ſtri ; hæc Græcos credere, ſemper credidiſſe, ſempérque credituros, additúmque, quamlibet Eccleſiam debere juxta conſuetudinem ſuam conſecrare ; Latinos in *Azymo* pane, Græcos verò in fermentato.

19. *Purgatorium.* Definitum inſuper, animas in gratia Dei decedentium, antequam pro peccatis per fructus dignos pœnitentiæ ſatisfaciant, purgari pœnis *purgatorii* (non tamen determinando, quales ſint pœnæ illæ, aut quis locus) quódque ſuffragiis fidelium, Miſſæ ſacrificiis, orationibus, eleemoſynis, aliíſque pietatis operibus juvari poſſint. Sin autem poſt baptiſmum homo decedat absque reatu culpæ & pœnæ, aut à reatu pœnæ ſive in corpore, ſive extra corpus fuerit ſufficienter expurgatus, animam illius illico recipi in Cœlum ad viſionem beatificam, & gloriam, diverſam tamen pro meritis ; in peccato mortali verò decedentes damnari ad æternas inferni pœnas, pariter diverſas.

20. *Primatus Pontificis.* Deciſum denique, quòd Sancta Sedes Apoſtolica & Romanus Pontifex primatu gaudeat in univerſo orbe ; ſitque Succeſſor S. Petri Apoſtolorum Principis, & verus JEſu Chriſti in terris Vicarius, Pater & Doctor omnium Chriſtianorum, eíque plena poteſtas paſcendi, regendíque Eccleſiam Univerſalem ſit collata in perſona S. Petri à Chriſto Domino. Secundum à ſummo Pontifice eſſe Patriarcham Conſtantinopolitanum, tertium Alexandrinum, quartum Antiochenum, quintum Jeroſolymitanum.

Articuli iſti 4. ſcilicet de proceſſione Spiritûs S. à Filio & rationabili additione in Symbolo ; de Azymis, de purgatorio, & de primatu Papæ, ſubſcripti ſunt à toto Concilio, non tantùm Patrum Latinorum, ſed etiam Græcorum, & ab ipſo Imperatore : ſolo Marco Epheſino in contumacia perſiſtente.

21. *Decretum Unionis.* Promulgatum deinde decretum unionis ab Eugenio Papa per Bullam, quæ incipit : *Lætentur Cœli & exultet terra : Sublatus eſt enim de medio paries, qui Occidentalem Orientalémque dividebat Eccleſiam, & pax atque concordia rediit.*

22. *Reditus Græcorum.* Tum verò Imperator cum Prælatis ſuis reditum in Orientem apparavit, multóque plura beneficia Eugenius eis præſtitit, quàm promiſerat. Nam præter ſumptus itineris & triremes ad eos devehendos, trecentos milites eiſdem dedit, ſervituros Imperatori, quamdiu Eugenius viveret, cum duabus triremibus probè inſtructis & armatis pro defenſione Conſtantinopolis : Naves item peregrinos in Terram Sanctam deportaturas Conſtantinopolim in tranſitu venturas promiſit, quibus uti poſſet : Si indigeret, ſe miſſurum 20. naves bellicas ad ſex menſes, vel 10. ad annum : Hortaturum etiam Chriſtianos Principes ad ferenda itinere terreſtri ſubſidia.

Qui-

Quibus recreatus Imperator comitantibus tribus Cardinalibus, magnóque Prælatorum numero anno 1439. finiente Venetias venit, ibíque paratas triremes conſcendens initio anni 1440. felici navigatione Conſtantinopolim attigit.

§. III.

Græcorum relapſus & ſuprema ruina.

Eugenius ante abitum Græcorum propoſuit, qua ratione agendum cum Marco Epheſino, qui ſolus frontem obduratam adverſus Concilii Oecumenici definitiones oſtentaret: Ejusmodi pertinaciam in nulla tolera- tam Synodo; in Nicæna Euſebium Nicomedienſem à Concilio depoſitum & à Conſtantino relegatum, quòd Arii condemnationi nollet ſubſcribere. Idem in aliis factitatum. Rem mali fore exempli, ſi unus, toties convictus, omnibus impunè inſultaret. 23. *Obſtinatio Marci Epheſini.*

Quibus Patres Græci permoti citârunt hominem, ut pervicaciæ ſuæ rationem reddat. At ille depoſitionem veritus, ad Imperatorem confugit, eúmque obſecravit, ne ſenectutem ſuam coram Latinis confundi patiatur: Se moram tantùm rogare, donec in Patriam rediiſſent.

Aſſenſit Imperatot verſipellis petitioni, at ſuo malo. Nam Conſtantinopolim redux obſtinatus querelis, mendaciiſque concitare populum non deſiit adverſus Concilium. Habuítque Monachos & Clericos præſertim faventes, qui Prælatos Græcos, ad Concilium profectos, tanquam Latinorum mancipia, apoſtatas, & fidei proditores inſectati, unum Marcum in Cœlum laudibus efferebant, tanquam Heroëm & Propugnatorem inviĉtiſſimum Græcæ Eccleſiæ. 24. *Concitat populum.*

Reſtitêre initio tumultui, qui Concilio ſubſcripſerant, Patres: Aliqui tamen ſenſim defecêre. Inter quos *Antonius Heracleæ* Metropolita, jam Florentiæ à Synodo alienior, *Michaël Balſamon*, & *Sylveſter Syropulus*, qui poſtea hiſtoriam ſcripſit Concilii Florentini, aut potiùs Satyram, mendaciis, impoſturis & calumniis plenam: Quam tamen Robertus Creigton Anglus dignam duxit verſione Latina & ſutelis ſuis.

Has equidem aliàsque calumnias ſcriptores Græci celeberrimi, qui Concilio interfuerant, refutabant, ùt *Beſſarion*, Gregorius *Protophilax*, & Georgius *Scholarius*, poſtea ſub nomine Gennadii Patriarcha: At prævaluit apud imperitum vulgus Marci favor, eò uſque clericos concitantis, ut eos, qui unioni ſubſcripſerant, tanquam excommunicatos vitarent.

Imperarator tamen Concilii decretis inſiſtens ut unionem ubique induceret, in Patriarcham eligi curavit *Theophanem* Metropolitanum Cyzici, virum apprimè Catholicum, qui Florentiæ ordine ſextus ſubſcripſerat. 25. *Theophanes Patriarcha.*

Hic igitur Patriarcha, munitus & sua & Imperatoris authoritate, ut omnes ad unionem reduceret, obstinatos Episcopos & Clericos loco movit, eisque Catholicos Pastores surrogavit.

At refrixit Imperatoris fervor; sive quòd suos subditos, aut Amurathem Sultanum timeret, qui obliquo oculo unionem illam cum Occidentalibus initam intuebatur, sive quòd mortuo Alberto Imperatore, qui bellum adversus Turcas inchoaverat, parùm subsidii à Christianis Principibus sperare posset. Quare lenioribus morbô usus remediis, ad disputationes rediit, commisso Batholomæo Florentino cum Marco Ephesino; non alio operæ pretio, quàm ut iste contentionis æstu sanguine effervescente paucos intra dies digno se fato obierit, quia Arii æmulo, cui vitam similem duxerat.

26. *Excommunicatus ab Orientalibus.* Verùm sicut Ariana perfidia cum Parente suo non potuit inferri tumulo, sic neque schisma cum Marci funere. Quin potiùs vehementiùs recruduit: Dum Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus & Jerosolymitanus, qui per Legatos suos unioni Florentiæ subscripserant, à Marco aliisque Schismaticis mendaciis, calumniisque decepti, coacto Jerosolymis Synedrio, Metrophanem Patriarcham tanquam hæresis Latinorum fautorum excommunicârunt, atque Synodum Florentinam velut execrandum Conciliabulum condemnârunt, intentata etiam Imperatori excommunicatione, nisi ab unione desisteret.

Quo metu, Imperatore adhuc magìs refrigescente, tam benè cœpta ubique redière in antiquum chaos, illa duntaxat Cleri Constantinopolitani parte excepta, quæ suum adhuc Patriarcham sequebatur.

27. *Turbæ in Russia.* At non contenti Græci Schismatici, populares suos pervertere, in Moscoviam etiam seditionem propagarunt. Russi etenim, ubi *Isidorus* Kiowiæ Arch-Episcopus, ac totius Russiæ Metropolita, creatus jam Cardinalis, ac Legatus Apostolicus Decretum unionis promulgare voluit, tanquam fidei proditor, qui Latinis eos vendiderit, à populo captus & in carcerem detrusus est: è quo tamen elapsus, ad majora servandus certamina.

28. *Cæso Ladislao.* Quin imò Græci missa etiam ad Hussitas in Bohemiam epistola, eos ad fœdus secum adversus Ecclesiam Romanam ineundum invitârunt. Habent hoc nempe hæreses; diversissimis viis iisque contrariis recedendo à centro veritatis, unionem tamen quærunt, non alio impellente, nisi quia & alii à centro deviant. Catholicorum pro unione stantium partes adhuc magìs sunt accisæ post infaustum illud ad Varnam prælium, in quo ab Amurathe cæsus occubuit Ladislaus Rex Hungariæ unacum Juliano Cæsarino Cardinale Legato Pontificio, strenuo illo veritatis Catholicæ in Concilio Florentino defensore: Anno 1444.

Tum

Tum enim Imperator, desperatis subsidiis Occidentalium, pacem cum Amurathe Sultano iniit. Et ne unio cum Latinis alienos Turcas redderet, dissimulavit deinceps omnia, & quoad Religionem Græcos arbitrio suo permisit. Ultimo tamen actu vitæ suæ, curas inter innumeras transactæ, Catholicum se probavit, dum paulò ante mortem Metrophani Patriarchæ pientissimè demortuo substituit *Gregorium Hiromonachum*, qui ipsi à Sacris fuerat confessionibus, virum Sanctitatis consummatæ, doctrinæ eminentis, ac pro veritate Catholica, ac decretis Concilii Florentini, quibus ipse etiam Florentiæ præsens subscripserat, adversus Schismaticos ac maximè Marcum Ephesinum, propugnandis zeli singularis. Qui tamen postea insolescente adversus eum Schismate, cùm majus cerneret malum remedio, more Apostolico excusso calcibus pulvere, Romam abiit, sanctè, ùt vixit, obiit. *Joannes tepescit.*

Devenimus jam ad ultimum Græcorum Imperatorem *Constantinum Palæologum*, Joannis sinè prole defuncti fratrem natu proximum. Cui negotium ac bellum domesticum facessivit *Demetrius* Peloponesi Princeps, frater ætate quidem minor, sed Jure *Porphirogenituræ*, quod nempe patre jam Imperatore natus esset, Imperium undique lacerum sibi vendicans. Hoc scilicet malum adhuc deerat fatiscentibus Græcorum rebus, ut certarent fratres, quis prior illas in scopulum fatalem impelleret & altiori ex apice dejectus ruinas cadentis Imperii cumularet. Quòdque adhuc calamitosum magìs, ad Amurathem deferendum erat arbitrium, quemnam ex duobus filiis ejus Mahometes Throno deturbaret. Pro Constantino Amurathes *Laudum* tulit: Anno 1449. 29. *Constantinus.*

At rapuit quinquennio pòst Filius, quod Pater dederat. Defuncto quippe Amurathe Filius ejus *Mahometes II.* Imperium Ottomannicum occupavit ingentium Spirituum Princeps; in quo natura, industria & fortuna collaborâsse sunt visæ, ut humani generis tyrannum formarent. Natura indolem dedit capacem magnarum rerum, audacem, & immensa gloriæ cupiditate tumidam, industria militem, Mathematicum, Historicum, & quinque linguarum peritum fecit. His juncta fortuna duo evertit Imperia, duodecim Regna & ultra ducentas urbes illi subjecit. 30. *Mahometes II.*

Vix solio admotus fuerat anno 1450. cùm oculos suos in Imperatoriam Urbem Constantinopolim convertit, hanc unam vastis suis consiliis præ reliquis dignam ratus. Et quamvis fœdus renovaret cum Constantino, non ita tamen perfidos apparatus tegere poterat, quin inter pacis fucata officia tralucerent.

Imparem se videbat tam immani tòto pondere incumbenti procellæ Imperator. Unde Sacram ad aram antecessorum suorum more confugiens, auxilia, à Christianis Principibus per Pontificem impetranda, implo-

ploravit, prolixè restaurationem unionis pollicitus, si à Turcarum jugo subtractus, sibi & Imperio relinqueretur.

Nicolaus V. qui Eugenio Papæ successerat, vatidico calamo rescripsit, post tot violato unionis pacísque fœdera, post tot perfidias, post tot labores, sumptus, culturas steriles, satìs esse illusum Numini, securim ad radicem positam, excidendam post triennium infructuosam ficulneam nisi toties speratos, totiésque promissos fructus proferat. Vaticinium eventus comprobavit.

31. *Pertinacia Græcorum* Nam velut olim infelices mortales infami vita orbis terrarum diluvio præluserant, & Judæi Jerosolymæ excidio, ita Græculi. Nunquam enim majori insolentia errori suo inhæserant, quàm fatali hoc triennio; quo Divina eos exspectabat indulgentia. Ex uno facinore discamus reliqua.

Venerat Constantinopolim Isidorus Cardinalis, Legatus Pontificis, deferens decretum unionis, quod Imperator recepit. At cùm deinde Isidorus in Templo S. Sophiæ Sacris operatus, Papæ & Gregorii Patriarchæ exulis memoriam insereret, instigante Gennadio Pseudo-Patriarcha, una voce civitas impia anathema in Latinos, eísque adhærentes fulminavit: Sophiæ templum profanum habitum: Liturgiæ præsentes communione moti, dirísque omnibus devoti: Facessere jussi *Azymitarum*, ùt vocabant ritus: Fæminis pariter in furoris partem non segniter venientibus. Accita igitur tanto scelere vindicta invenit urbem muturam excidio. Mahometes namque Sultanus, devicto in Asia Curamane, cum Joanne Hunniade in Hungaria pactus inducias, ad expugnandam Constantinopolim cum valido exercitu se accinxit, eóque gemino, terrestri uno, alterò navali, anno 1452.

32. *Obsidio Constantinopolis.* Longum esset, nec nostri instituti, urbis illius obsidionem, atque expugnationem describere. Biennio ferme illa tenuit, Venetis & Genuensibus Duce Justiniano torpentes Græcorum animos ad strenuam defensionem excitantibus, & fortitudinis memorandæ exemplo præeuntibus. Imperator ipse Princeps planè optimus, & melioribus subditis dignus, nihil omisit in suprema illa calamitate, quod aut ab Imperatore, aut milite posset requiri: Donec à Turcis in urbem irrumpentibus est occisus anno 1453. sícque cecidit in manus barbaras urbs Augustalis, nova Roma, tot Imperatorum per undecim & ultra Sæcula superba Sedes; à Constantino ædificata, in Constantino sepeliens Majestatem Orientalis Imperii; disponente ita vindice Numine, ut sicut ante annos sexcentos Græci propter Iconoclastarum hæresin amiserunt Occidentale Imperium, ita etiam, propter propudiosum ac pertinax Schisma, Orientale amitterent; suspiraturi deinceps sub jugo barbaræ tyrannidis; ad eum ferme modum, quo Judæi, excisa Jerosolyma, alienis sub Imperiis dispersi squalent.

Con-

Constantinopolis capta triduo direptioni data. Quo tempore nihil crudelitatis barbaræ, furoris, spurcitiæ, ac scelerum infandorum omissum est. Tum verò Sultanus, ut pro Imperatore Constantinopolitano se gereret, quietem imperavit, & incolas à laniena superstites, in domos suas redire jussit. Quin etiam Patriarcham more veteri constitui voluit: Oblatúsque est ei *Georgius Scholarius*, doctissimus Græcorum, ac pientissimus, qui magno fervore Florentiæ pro Unione laboraverat, atque in ea constanter perseveravit, assumpto *Gennadii* nomine, ut dedecus Pseudo Gennadii, qui antè Patriarchatum invaserat, aboleret. 33. Direptio.

Magnos illi Sultanus honores detulit: cúmque templum S. Sophiæ Turcæ in fanum Mahometanum jam commutâssent, assignatum ipsi est templum SS. Apostolorum. Postquam autem quinquennio gentis suæ, Turcico jugo pressæ, atque post tot inflicta verbera à Deo perfidiæ vindice, adhuc obduratæ, saluti & Unioni cum Sancta Christi Ecclesia, frustra insudâsset, abdicato Patriarchatu Monasterium ingressus sancto fine quievit.

§. IV.
De Decreto Eugenii IV. pro Armenis.

Græcis anno 1439. Florentia discedentibus, necdum finitum est Concilium Florentinum, sed Triennium adhuc tenuit: Nam paulò ante discessum Græcorum advenerunt Legati Patriarchæ *Armenorum*, petentes & ipsi unionem cum Romana Ecclesia. 34.

Cúmque fidem suam diligenter exposuissent, variis disputationibus, collationibus, mutuísque congressibus probati, decreta tandem est feliciter eorum unio. Atque ut firmi deinceps in ea persisterent, tradidit eis Eugenius, ut perennem haberent instructionem, fidei velut Synopsin, quam Armeno populo, latè per Orientem & Septentrionem diffuso exhiberent. Quod factum sub finem anni 1439. ut adeò illo ipso anno, quo Basileense conventiculum Eugenium Papam deponere attentans ab unione per Schisma se separavit, duæ vastissimæ Nationes, Græcorum & Armenorum ad unionem redierint.

Quanquam autem Instructio illa Armenis data appellari soleat *Decretum Eugenii pro Armenis:* Non tamen solus illud confecit, sed ut ipse in eodem Decreto testatur, *Sacro approbante Florentino Concilio.* Nam Græci quoque, qui abitum in Patriam urgebant, hanc unionem cum Armenis approbarunt.

Decreti autem hujus celeberrimi hæc sunt capita, dignissima omnino, quæ hìc inserantur, cùm clarissimè explicent Religionis nostræ, præsertim Sacramentorum, mysteria.

Summa. 1. Datur eis fidei Symbolum à 150. Patribus in Oecumenico Concilio Conſtantinopolitano I. editum, cum additione vocis *Filióque*, declarandæ veritatis gratia & urgente neceſſitate, rationabiliter appoſita. Juſsíque ſingulis ſaltem Dominicis & majoribus feſtivitatibus illud in Eccleſiis ſuis cantare vel legere.

2. Quia Armeni in Eutychianam hæreſin erant prolapſi, data fuit eis definitio Concilii Chalcedonenſis, in quinta & ſexta deinde Synodo renovata, de duabus naturis in una Chriſti perſona.

3. Definitio de duabus Chriſti voluntatibus, ac duabus operationibus, in ſexto Concilio adverſus Monothelitas promulgata.

4. Quia Armeni tanquam Eutychiani tantùm tres primas Synodos ſuſceperant, nempe Nicænam, Conſtantinopol. & Epheſinam, exiſtimantes, Chalcedonenſem Synodum cum ſequentibus in hæreſim Neſtorii incidiſſe, injunctum ipſis fuit, ut Chalcedonenſem Synodum, contra Neſtorii & Eutychis errores habitam, ſuſcipiant, ac reliquas omnes authoritate Romani Pontificis legitimè celebratas.

35. *Doctrina de Sacramentis.* 5. Traditur ipſis doctrina de Sacramentis: Videlicet, ſeptem eſſe novæ legis Sacramenta; quæ multùm differant à Sacramentis antiquæ legis. Illa enim non cauſâſſe gratiam, ſed eam ſolùm per Paſſionem Chriſti dandam figurâſſe: Hæc verò noſtra & continere gratiam, eámque dignè ſumentibus conferre. Prima quinque ad ſpiritualem cujusque perfectionem, ultima duo verè ad Eccleſiæ regimen, & multiplicationem ordinata eſſe.

Et quidem per baptiſmum ſpiritualiter nos renaſci; per confirmationem augeri in gratia, & roborari in fide; per Euchariſtiæ Divina alimonia nutriri: Per pœnitentiam ſanari ab ægritudine animæ per peccatum contracta: Spiritualiter etiam aut corporaliter, prout animæ expedit, per extremam unctionem: Per ordinem verò gubernari Eccleſiam, & ſpiritualiter multiplicari; & per matrimonium corporaliter.

Hæc omnia Sacramenta tribus perfici, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri, conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia. Quorum ſi aliquid deſit, Sacramentum non perfici.

Tria ex iſtis, nempe baptiſmum, confirmationem & ordinem, quia characterem ſeu ſignum quoddam diſtinctivum indelebile imprimunt animæ, non reiterari, bene verò reliqua quatuor, quæ characterem non imprimunt.

36. *Baptiſmus* Primum omnium eſſe baptiſmum, ad ſalutem neceſſarium, tanquam vitæ Spiritualis januam, per quem membra Chriſti, ac de corpore Eccleſiæ efficiamur. *Materiam* ejus eſſe aquam veram ac naturalem, nec inter-

interesse an frigida sit an calida: *Formam verò: Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.* Non tamen negatur, valere etiam istam: *Baptizetur Servus Christi in nomine Patris &c.* Cùm enim principalis causa, ex qua virtutem habet, sit SS. Trinitas, Instrumentalis autem Minister, sufficere, si is cum invocatione SS. Trinitatis exprimat actum, quem exercet. *Ministrum* autem Ordinarium esse Sacerdotem, in casu autem necessitatis quemlibet posse baptizare, dummodo servet formam, & facere intendat, quod facit Ecclesia. *Effectum* hujus Sacramenti esse remissionem omnis culpæ originalis & actualis, omnisque pœnæ. Propterea nullam Satisfactionem baptizatis imponi, eósque, antequam peccant, morientes, statim ad Regnum Cœlorum & visionem Dei pervenire.

Alterum esse *Confirmationem*, cujus *materia Chrysma,* ex Oleo & Balsamo confectum, & *ab Episcopo* benedictum. Forma: *Signo te Signó crucis, & confirmo te Chrysmate salutis, in Nomine Patris &c. Minister Ordinarius* Episcopus: Et cum cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat adhibere, hanc non nisi Episcopum debere conferre. Aliquando tamen per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili & urgente admodum causa simplicem Sacerdotem, Chrysmate per Episcopum confecto administrâsse confirmationis Sacramentum. *Effectum* illius esse robur Spiritûs S. ad confitendum Christi nomen.

§. V.

Observatio in hunc Cononum.

Nota, ex hac doctrina Eugenii ortam esse triplicem quæstionem. 1. An 37.
Chrysma sit materia necessaria confirmationis, an verò sufficeret et- ***Confirmatio.***
iam oleum simplex sine admixtione balsami? 2. An Chrysma aut oleum necessariò debeat esse benedictum ab Episcopo? 3. An hoc Sacramentum conferri etiam possit à simplici Sacerdote?

Ad 1. Respondent Suarez 3. p. D. 34. S. 1. Layman, Bonac. Pirhing, aliique magni nominis DD. admixtionem Balsami adeóque Chrysma esse omnino necessariam materiam confirmationis, consequenter non sufficere ad valorem simplex oleum. Rationem desumunt ex hoc ipso Decreto Eugenii, in quo dicit materiam confirmationis esse *Chrysma ex Balsamo & Oleo confectum:* Item ex forma: *Confirmo te Chrysmate salutis.* Addunt traditionem & usum Ecclesiæ, ab ipso Apostolorum tempore semper continuatum.

Oppositam tamen sententiam defendunt, Cajetanus *p.* 3. *q.* 72. *a.* 2. Navar. *Man. c.* 22. *n.* 8. Sotus *in* 4. *dist.* 7. *q.* 1. *a.* 2. *S. v. confirmatio.* Barbos. *De offic. Episc. alleg.* 3. *n.* 3. ac recentiores Canonistæ cum Schmalz-

grueber

grueber, Pichler &c. ad *tit. de Sacra unctione* communiùs. Probátque ex *c. Pastoralis* 1. *de Sacram. non iterand.* ubi Innoc. III. rescribit, in casu, quo
38. confirmandus non Chrysmate sed oleo tantùm inunctus est, *non esse aliquid* *Illius materia.* *iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum.* Atqui si admixtio balsami esset materia ad valorem necessaria, sícque ad essentiam Sacramenti pertineret, iterari hoc debuisset in dato casu. Sicut iterari, aut potiùs verè conferri deberet baptismus, si non fuisset adhibita aqua vera. Confirmant authoritate S. Cypriani epist. 70. S. Basilii de Spirit. S. epist. 27. S. August. l. 5. de bapt. c. 20. & aliorum PP. Chrysma appellantium oleum benedictum, sine balsami mentione.

Ad rationem allatam ex Decreto Eugenii respondent, in eo non tantùm contineri ea, quæ sunt de necessitate Sacramenti, sed etiam, (ad meliorem Armenorum instructionem) quæ sunt adhibenda ex præcepto. Nomine *Chrysmatis* autem intelligi à PP. etiam oleum benedictum; traditionem autem illam non arguere institutionem Divinam, sed præceptum tantùm Apostolicum.

Ad secundam quæstionem, an Chrysma necessariò debeat esse *ab Episcopo* benedictum, respondent affirmativè Laym. *l.* 5. *tr. c.* 2. *n.* 3. Conink. *D.* 2. *a.* 3. *dub.* 1. *Conclus.* 4. Barbos *alleg.* 30. *n.* 6. Henriq. *l.* 3. *c.* 2. Schmalzgrueber ad *tit. de Sacra Unct. n.* 5. aliíque. Moventur ex cit. Decreto Eugenii, quod dicit, materiam confirmationis esse Chrysma ab *Episcopo benedictum.* Confirmant ex usu & praxi Ecclesiæ: quæ nunquam simplici Sacerdoti commisit potestatem conficiendi Sacrum Chrysma, licèt dederit potestatem administrandi ipsum Sacramentum confirmationis, ùt Gregorius XIII. concessit Patribus Societatis JESU pro Indiis.

Contrariam tamen sententiam tenent, Cajetanus p. 3. q. 72. a. 2. Victoria in summ. de confirmat. §. 43. Gobat. *Experient. tr.* 2. *n.* 745. Pichler, ad tit. de Sacra unct. n. 7. aliíque. Probántque ex eo, quòd possit à Papa delegari simplici Sacerdoti benedictio olei pro extrema unctione, collatio ipsius Sacramenti confirmationis, collatio etiam Minorum Ordinum, quam potestatem multi habent Abbates mytrati, imò etiam Subdiaconatus, & Diaconatus; ùt concessum est Abbatibus Cistercienfibus. Schmalzgr. *ad tit. de temp. Ordin. n.* 35. quare ergo non etiam confectio Chrysmatis, quod videtur esse aliquid minus? Confirmant ex Concil. Tolet 1. n. 2. ubi prohibetur quidem simplici Sacerdoti confectio Chrysmatis, non tamen pronuntiatur irrita.

Ad rationem allatam ex Decreto Eugenii respondent eodem modo, illud scilicet non tantùm assignare ea, quæ pertinent ad valorem, sed etiam

etiam ea, quæ vi præcepti fieri debent. Ultro autem fatentur Authores isti, grave esse præceptum non adhibendi Chrysma, nisi ab Episcopo consecratum: Atque in eo præcepto neminem nisi summum Pontificem dispensare posse; nec mala est hîc observatio P. Pichler, adversus P. Schmalzgrueber; qui in quæstione priore, an necessario requiratur admixtio balsami, dicit, ex Decreto Eugenii id non probari, quia Eugenius ibi ea etiam enumerat, quæ ex præcepto tantùm sunt necessaria: in hac posteriore verò quæstione, an necessario debeat esse benedictum *ab Episcopo*, eam doctrinam paulò antè traditam subruere; cùm responsio ipsius eodem modo pro secunda quæstione pugnet.

Ad usum & praxin objectam respondent, hoc argumentum merè negativum bonum esse, si de facto sit quæstio, non si quæratur de Jure & possibilitate. Multa enim fieri possent, licèt non habeantur exempla factorum; certè plures dispensationes non leguntur esse datæ, non tamen sequitur, eas absolutè dari non posse. Deinde cùm Episcopi non tam facilè in remotissimas infidelium solitudines possint transferri, sicut Sacrum Chrysma, ab Episcopo benedictum, fuit necessitas dispensandi in eo, ut simplex etiam Sacerdos Sacramentum confirmationis possit conferre, non autem in eo, ut possit uti Chrysmate, ab Episcopo non consecrato.

Ad tertiam quæstionem ratio dubitandi est: Quia in Decreto Eugenii dicitur, cæteras unctiones simplicem etiam Sacerdotem posse exercere, hanc autem in confirmatione adhibendam, non nisi Episcopum debere conferre: *Quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quòd per manus impositionem Spiritum S. dabant. Loco autem illius manus impositionis in Ecclesia datur confirmatio* (hoc est, quod tunc dicebatur *manus impositio*, postea appellatum est *confirmatio*: ita, ut non alius fuerit ritus, sed alius modus loquendi.)

Sed respondetur. Decretum sufficienter se ipsum declarat, dum addidit: *legitur tamen, aliquando per Sedis Apostolicæ dispensationem ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrysmate, per Episcopum confecto hoc administrâsse confirmationis Sacramentum.* Unde quando dicit, quòd *hanc unctionem non nisi Episcopus debeat conferre*, id intelligitur de necessitate præcepti, non autem Sacramenti. 39. *An simplex Sacerdos Minister.*

§. VI.
Continuatio Decreti.

Pergit deinde Decretum Eugenii ad tertium Sacramentum, nempe Eucharistiæ, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet. (*Ecce! Hîc rursus* 40. *Eucharistia.*

rurſus Decretum aſſignat aliquid, quod non eſt neceſſarium ad valorem Sacramenti, nempe aquam, ſed tantùm præcepto præſcribitur; ut adeò ſine admixtione aquæ conſecratio ſit illicita, non tamen invalida) addit autem, aquam admiſceri, quia Chriſtus eam admiſcuiſſe creditur ex PP. Teſtimonio. Et quia convenit Paſſionis Dominicæ repræſentationi: quia Sanguis & aqua ex Chriſti latere profluxit: tum etiam ad oſtendendum effectum, nempe unionem populi Chriſtiani cum Chriſto: Nam per aquam populum intelligi, per Vinum Sanguinem Chriſti. Denique allegat uſum perpetuum Latinæ ac Græcæ Eccleſiæ, allato etiam teſtimonio S. Alexandri Papæ & Julii I. quare etiam Armenis Sacerdotibus deinceps hunc ritum obſervandum eſſe.

Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris: Sacerdos enim in perſona Chriſti hoc conficit Sacramentum. Nam ipſorum verborum virtute, ſubſtantia Panis in Corpus Chriſti, & ſubſtantia Vini in Sanguinem convertuntur: Ita tamen, quòd totus Chriſtus ſub ſpecie Panis, & totus ſub ſpecie Vini: ſub qualibet quoque parte Hoſtiæ conſecratæ, & Vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus. Nota: Chriſtus equidem jam ante ſeparationem partium eſt in qualibet parte Hoſtiæ conſecratæ, hoc tamen Eugenius noluit definire: Unde ait: *ſeparatione facta.*

Effectum hujus Sacramenti ait eſſe unionem cum Chriſto per augmentum gratiæ, omnémque effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, Divinum illum cibum animæ operari quoad vitam Spiritualem.

41. *Pœnitentia.* Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia: Cujus *quaſi materia* ſunt *tres Actus Pœnitentis, cordis* nempe *contritio*, qua doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero? deinde *oris confeſſio*, qua peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, Sacerdoti confiteatur integraliter. Denique *ſatisfactio* pro peccatis ſecundùm arbitrium Sacerdotis: Quæ præcipuè fit per Orationem, jejunium & eleemoſynam *(En iterum partem integralem Sacramenti aſſignatam, nempe Satisfactionem, quæ ad valorem non requiritur.)*

Forma hujus Sacramenti ſunt verba Abſolutionis: *Ego te abſolvo* &c. *Miniſter* eſt Sacerdos, habens auctoritatem abſolvendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione Superioris. *Effectus* abſolutio à peccatis.

42. *Extrema Unctio.* Quintum Sacramentum eſt *extrema unctio*, cujus *materia eſt oleum olivæ*, per Epiſcopum benedictum. Nulli tamen conferri debet, niſi infirmo, de cujus morte timetur; qui ungendus eſt in oculis, auribus, naribus, ore, manibus, pedibus & renibus. *(Neque hîc unctio omnium prædi-*

prædictarum partium pertinet ad substantiam Sacramenti. Imò renum inunctio in fœminis consultiùs omittitur.

Forma est hæc: *Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum* &c. *Minister* est Sacerdos. *Effectus* mentis sanatio, & in quantum expedit, etiam corporis. Prout promulgavit Jacobus c. 5.

Nota. *Etiam oleum infirmorum ex commissione Pontificis posse à simplici Sacerdote benedici.*

Sextum Sacramentum est *Ordinis*, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo: Sicut *Presbyteratus* traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. *Diaconatus* per dationem libri Evangeliorum. *Subdiaconatus* per traditionem calicis vacui, cum patena vacua superposita: Et sic alii Ordines per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. 43. *Ordo.*

„Nota. *Quæri hìc solet, an requiratur contactus physicus horum instrumentorum:* Certum autem est 1. Graviter peccari omittendo contactum physicum. 2. Non requiri, ut ordinandus tangat Hostiam aut Vinum immediatè. 3. Non requiri contactum eo momento, quo Episcopus ordinans profert formam: Quia sufficit, si moraliter conjungantur. 4. Non requiritur ad valorem contactus materiæ immediatus, sed sufficit mediatus, ut si quis calicem tangat, & sic mediatè tantùm patenam: Quia in æstimatione morali etiam hanc tangere censetur. 44. *De contactu physico.*

„Solùm igitur disputatur, an ad valorem Sacramenti requiratur; ut ordinandus physicè tangat ipsa instrumenta, quæ ipsi porriguntur ab ordinante? Respondent Laymann *Theol. Moral. l. 5. tr. 9. c. 5. n.* 4. Vasquez *disp.* 246. *cap.* 2. Albertus, Cajet. Sot. Zambr. Henriq. Armilla, apud P. Laym. l. c. & post eum Diana tract. 4. de Sacram. n. 185. Pichler ad tit. de temp. ordin. n. 8. aliique, contra S. Thomam & communiorem, probabiliùs non requiri ad valorem contactum physicum; Tum quòd talis necessitas non probetur, tum quòd potestas, Jurisdictio, ac Dominium rei traditæ acquiri possint sine physico contactu, per ostensionem rei factam præsenti & acceptanti. At hinc, ùt notat Laym. l. c. ne quidem ad ipsum matrimonium, quo traditur potestas in corpora, requiritur contactus physicus corporum, cùm per alia signa traditio illius juris & acceptatio fieri possit, quantò igitur magis traditio spiritualis potestatis fieri potest sine reali contactu per solam exhibitionem Symboli factam præsenti ordinando? Quo in sensu sufficienter videntur salvari verba formæ, *accipe potestatem* &c. Imò ad valorem ordinis ne quidem

„ requiritur ſemper acceptatio ordinandi, aliàs parvuli incapaces ejus-
„ modi acceptationis non poſſent validè ordinari.

„ Accedit, quòd, ùt teſtatur Sannig. *de temp. Ordin. c.* 2. *n.* 11. in Ec-
„ cleſia Græca tantùm ſoleat oſtendi & exhiberi calix cum vino, & pa-
„ tena cum Hoſtia ſine ullo contactu phyſico ordinandi. Taceo, quòd
„ juxta communem ſententiam non requiratur contactus phyſicus o-
„ mnium, quæ exhibentur, e. g. Vini, Hoſtiæ, &c.

„ Verùm licèt ſpeculativè hæc ſententia videatur probabilior, in
„ praxi tamen non licet ea uti: tum quia datur grave præceptum phy-
„ ſicè ac realiter tangendi inſtrumenta ab ordinante porrecta, tum quòd
„ non liceat Sacramentum exponere periculo nullitatis. Unde Cle-
„ mens VIII. dicitur juſſiſſe reordinari eos, ſub conditione, qui à Sa-
„ gienſi Epiſcopo, oſtenſa tantùm ſibi materia fuerant ordinati. Kö-
„ nig. de temp. ordin. n. 33. atque hinc eſt illa praxis & conſuetudo Ec-
„ cleſiæ, illa item Ordinandorum & Ordinantium ſolicitudo de contactu
„ phyſico præſtando. Licèt enim probabile ſit, illum contactum ad
„ valorem non requiri, non eſt tamen probabile, quòd liceat illum
„ omittere.

„ Nota 2. Licèt Papa ungatur Chryſmate in capite, Epiſcopus in
„ capite & manibus, Sacerdos vero oleo Catechumenorum in ambabus
„ manibus conjunctis. Nulla tamen ex iſtis unctionibus eſt de ſubſtan-
„ tia conſecrationis. De Papali eſt certum: Nam per illam non con-
„ fertur aliquis ordo, imò neque poteſtas, cùm illam jam antè habeat.
„ Videtur id etiam eſſe certum de unctione Sacerdotali; nam licèt hæc
„ cæremonia ſit antiquiſſima; materia tamen Ordinis presbyteratus
„ ſufficienter habetur quoad poteſtatem in Corpus Chriſti verum ſigni-
„ ficandam per traditionem patenæ cum Hoſtia, & calicis cum vino:
„ Quoad poteſtatem verò in Corpus Chriſti myſticum per impoſitionem
„ manuum Epiſcopi.

„ Sed neque in conſecratione Epiſcopali (in quo aliqui diſſentiunt
„ cum Medin. Sylvio &c.) unctio pertinet ad ſubſtantiam. Quia habe-
„ tur alia ſufficiens materia conſecrationis Epiſcopalis, nempe impoſitio
„ manuum Epiſcopalium: Quam ſolam cum impoſitione pallii adhibet
„ Orientalis Eccleſia; deinde, ùt habetur c. un. de Sacra unct. Inno-
„ cent. III. unctionem in conſecratione Epiſcopali omiſſam juſſit *ſup-*
„ *pleri*, non verò reiterari ipſam conſecrationem: Atqui non ſuffice-
„ ret, eam ſuppleri, ſi eſſet de ſubſtantia. Unde unctio illa in nova
„ lege eſt tantùm præcepta Jure Eccleſiaſtico, quamvis in veteri fuerit
„ Juris Divini.

Porro

Porro forma Ordinis Sacerdotalis secundùm Decretum Eugenii est: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis. In nomine Patris* &c. *Ordinarius Minister* hujus Sacramenti est Episcopus. *Effectus* augmentum gratiæ ad dignè exercenda Sacra ministeria.

Septimum est *Sacramentum Matrimonii*, quod est signum conjunctionis Christi & Ecclesiæ. Causa illius efficiens est mutuus consensus, regulariter per verba de præsenti expressus. Assignatur autem triplex bonum Matrimonii. Primum est proles suscipienda, & educanda ad cultum Dei; Secundum est fides, quam conjuges mutuam servare debent. Tertium indivisibilitas matrimonii, quia significat indivisibilem conjunctionem Christi & Ecclesiæ; quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere, cùm vinculum sit perpetuum. 45. *Matrimonium.*

„ Nota. Matrimonii materiam & formam determinatè non assignat „ Eugenius, sicut aliorum Sacramentorum, sed tantùm ait, causam efficientem esse mutuum consensum. Dici tamen potest, materiam illius „ remotam esse, ipsa corpora contrahentium, ad generationem habilia: „ Materiam proximam traditionem mutuam juris in corpora: Formam „ verò verba, vel alia signa, quibus hæc mutua traditio juris significatur. „ Sicut in reliquis Sacramentis plerisque materia remota est aliqua res, „ ùt in baptismo aqua, in confirmatione Chrysma, in extrema Unctione „ oleum, in ordine instrumentum aliquod significativum potestatis collatæ, e. g. calix &c. materia proxima verò applicatio materiæ remotæ, „ seu actio ministri, per quam materiam applicat: Puta ablutio, inunctio, „ traditio instrumenti: Forma verò verba Ministri, quæ actionem illam „ significant.

„ In Sacramento autem Eucharistiæ materia remota est panis & vinum, „ proxima verò Corpus & Sanguis Christi cum accidentibus eucharisticis. „ Sacramenti pœnitentiæ verò materia remota sunt peccata: proxima „ materia, vel quasi materia tres actus pœnitentis, ùt dictum.

6. Eugenius in suo decreto tradit Armenis compendiosam fidei regulam contentam in Symbolo S. Athanasii: *Quicunque vult salvus esse.*

7. Datur ipsis decretum unionis, cum Græcis initæ, cujus initium *Lætentur cæli &c.* in quo 5. supra memorata puncta continentur, de processione Spiritûs S. à Filio, de rationabili hujus vocis additione in Symbolo, de pane sive azymo sive fermentato tanquam materia valida, de purgatorio, & de Primatu Papæ.

8. Decernitur, ut Armeni festa eodem die celebrent, quo Ecclesia Romana & Orientalis ea celebrare consueverunt: Ut etiam in hoc sit conformitas.

Hoc Synodale Decretum, in publica Concilii Sessione datum, Armeni receperunt suo & Patriarchæ sui nomine: Séque in omnibus prorsus cum Romana Ecclesia univerunt anno 1439.

§. VII.

De Decreto Eugenii IV. pro Unione *Jacobitarum* promulgato.

46. *Summa Decreti.* Post initam cum Græcis & Armenis Unionem Florentiam ad Eugenium & Concilium adhuc continuatum anno 1441. venerunt Legati Patriarchæ Orientalium *Jacobitarum*, hoc nomine appellatorum à *Jacobo Zanselo*, Natione Syro, Eutychetis & Dioscori Sectatore. Petierunt etiam isti Le[illegible] suo & Jacobitarum omnium nomine Unionem cum Romana Eccl[illegible] traditis Patriarchæ sui ad Eugenium litteris, in quibus se scribit *Ministrum Sedis S. Marci, magnæ Alexandriæ, & totius Ægypti, Libyæ, Æthiopiæ, Pentapoleos Occidentalis, Africæ, totiúsque prædicationis Apostoli Marci* &c. Eugenium verò appellat *Omnium Ecclesiarum Christianarum Apostolicum Pastorem, Patrum ac Sacerdotum Principem.*

Edidit proin Eugenius Papa in Concilio Florentino Bullam, quæ incipit *Cantate Domino*, & communiter appellatur *Decretum Eugenii IV. pro Jacobitis.* In hoc imprimis DEum laudat, quòd *intra triennium in hac Sancta Oecumenica Synodo saluberrimam trium magnarum Nationum unionem ad commune totius Christianitatis gaudium tam copiosè effecerit: Ut adeò totus ferè Oriens, qui gloriosum Christi nomen adorat, ac non parva Septentrionis portio post longa dissidia cum Sancta Romana Ecclesia in eodem fidei & charitatis vinculo convenerit: Primùm quidem Græci, & qui subsunt quatuor Patriarchalibus Sedibus, multas gentes, nationésque & idiomata continentibus: Deinde Armeni, multorum populorum gens: Nunc verò Jacobiti, magni etiam per Ægyptum populi.*

Deinde exponit Christianam fidem. Damnat Sabellium, distinctionem Divinarum Personarum inficiantem. Arianos, Eunomianos, Macedonianos, Filium & Spiritum Sanctum in creaturarum ordine collocantes. Enumerat libros Veteris ac Novi Testamenti.

Damnat Ebionem, Cerinthum, Marcionem, Paulum Samosatenum, Photinum, qui Christum DEum esse negârunt: Item Manichæum, somniantem, Christum non verum, sed phantasticum tantùm corpus assumpsisse: Valentinum, qui dixit, Christum non esse natum de Maria, sed Corpus cœleste attulisse: *Aetium*, dicentem, Corpus ex Virgine assumptum anima caruisse, voluítque loco animæ fuisse Deitatem. *Apollinarem*, qui

qui Corpori ex Virgine nato ſolam animam ſenſitivam conceſſit, loco animæ rationalis autem fuiſſe Deitatem.

Theodorum Mopſveſtenum & *Neſtorium*, aſſerentes, humanitatem Filio Dei tantùm unitam eſſe per gratiam, ac propterea duas eſſe in Chriſto Perſonas. *Eutychem*, qui unam tantùm in Chriſto naturam adſtruxit. *Macarium Antiochenum*, qui unam tantùm duarum naturarum voluntatem & operationem admiſit.

Profitetur Romana Eccleſia, legalia veteris Teſtamenti, ùt cæremonias, Sacrificia, Sacramenta, (quia ſignificandi alicujus futuri gratia fuerant inſtituta) licèt Divino cultui illa ætate congruerent, ſignificato per illa Chriſto adveniente ceſſâſſe, & Novi Teſtamenti Sacramenta cœpiſſe: Atque illis (veteribus) velut ad ſalutem neceſſariis ſe ſubdentem peccare mortaliter. Per hoc tamen non negatur illa à Paſſione Chriſti uſque ad promulgationem potuiſſe ſervari: Modò non crederentur ad ſalutem neceſſaria. Poſt promulgatum verò Evangelium ſinè ſalutis æternæ diſpendio ſervari non poſſunt, ùt circumciſio, Sabbatum, ciborum mundorum & immundorum differentia, ceſſante etiam illa Apoſtolorum prohibitione abſtinendi ab immolatis ſimulacrorum, à ſanguine & ſuffocato, quia cauſa ceſſavit, nempe neceſſitas convivendi cum Judæis. Ex virtute tamen & obſervantia regularis diſciplinæ à multis poſſe abſtineri, dicente Apoſtolo, multa licere, ſed non omnia expedire.

Profitetur ac firmiter credit, neminem extra Eccleſiam Catholicam poſſe ſalvari: licèt pro Chriſti nomine ſanguinem funderet.

Recipit Concilium Nicænum 318. Patrum: Conſtantinopolitanum 150. Patrum: Primum Epheſinum 200. Patrum: Chalcedonenſe 630. Patrum: Conſtantinopolitanum II. Conſtantinopolitanum III. aliáque Romani Pontificis authoritate legitimè congregata, celebrata & confirmata, & præſertim hanc Sanctam Florentinam.

Inferuntur deinde per extenſum huic Jacobitarum inſtructioni decretum pro Græcis, & alterum pro Armenis promulgatum. Explicat formam Sacramenti Euchariſtiæ. Quartas & ulteriores etiam nuptias licitas eſſe declarat: Quamvis, ſicut Virginitas viduitati, ſic viduitas nuptiis ſit præferenda.

Tum verò Andreas Abbas S. Antonii in Ægypto Legatus Joannis Patriarchæ Jacobitarum, ſuo ſuorúmque nomine omnia in hoc Decreto contenta recepit, anno 1441.

Hoc eodem anno Nicodemus, Abbas Æthiopum, Jeroſolymis degentium, ad Eugenium Papam oratorem miſit cum litteris: Qui multùm deprædicat, quanta vigeat in Æthiopiæ Imperio ampliſſimo reverentia in Romanum Pontificem, impenſéque optare Imperatorem uniri Imperium ſuum 47.

Unio cum Abyſſinis.

ſuum cum Romana Eccleſia, à qua non receſſerint ex perfidia, ùt alii, ſed propter diſtantiam locorum, & negligentiam Romanorum Pontificum, nunquam de eis curantium.

Verùm non tantùm per ſuos Jeroſolymæ degentes egit Conſtantinus, Imperator Æthiopiæ, ſed ipſe etiam ſcripſit ad Eugenium Papam, & Unionem flagitavit, miſſo pariter Legato Petro Diacono, anno 1442.

48. *Concilium translatum Romam.* Interim Eugenius, ut Conciliabulo Baſileenſi, pervicaciter obluctanti reſiſteret, útque major rerum agendarum eſſet commoditas, Concilium Florentinum Romam tranſtulit, ibíque per plures adhuc Seſſiones continuavit.

In hoc igitur Concilio unionem perfecit Eugenius non tantùm cum Æthiopiæ Imperatore, ſed etiam cum Syriæ, & Meſopotamiæ populis, inter Tigrim & Euphratem habitantibus: Qui ſuos quoque Legatos miſerant, inter quos Abdala, Archi-Epiſcopus Edeſſenus. Anno 1444. & anno ſequenti Decretum Unionis in eodem Romano Concilio confectum eſt pro Unione cum Neſtorianis Orientalibus, qui *Chaldæi* vocabantur: Et cum *Maronitis*, qui Macarii Antiocheni hæreſin de una in Chriſto voluntate ſectabantur. Nam & hi per Legatos Unionem petiverant.

49. *Obitus Eugenii.* Poſt tantam denique rerum geſtarum immortalem gloriam anno 1447. ad capeſſendam Cœleſtem Coronam abiit Eugeniis Papa, ortus ex familia Veneta de Candelmeris, quæ poſt ejus electionem in Patritiorum ſeu Nobilium Venetorum dignitatem eſt relata.

ARTICULUS XI.

De Concilio Generali XVII. Lateranenſi V.

Sub

Julio II. & Leone X. ac Maximiliano I. Imp. ad tollendum Schiſma Piſanum, & reformandam Diſciplinam anno 1512.

SUMMARIUM.

§. 1.

Cauſæ Concilii ejúsque convocatio.

1. *Bella cruenta Italiæ ineunte Sæculo XVI.*
2. *Sunt Occaſio tetri Schiſmatis:*
3. *Et Piſani Conciliabuli.*
4. *Cui à Julio II. oppoſitum fuit Concilium Lateranenſe V.*

§. 2.

Acta Concilii.

5. *Cauſæ Concilii propoſitæ.*
6. *Irritata Acta Conciliabuli Piſani.*
7. *Maximilianus I. Cæſar favet & adhæret Synodo Lateranenſi.*
8. *Electio Papæ Simoniaca declaratur irrita: Quo ſenſu.*
9. *Julii II. obitus & geſta bellica.*
10. *Leo X. proſequitur Concilium.*
11. *Piſani Patres reſipiſcunt, uti etiam Rex Galliæ.*

12. *De-*

§. I.

Causa Concilii ejúsque convocatio.

Semper equidem cruentam Martis Scenam Italia aperuit, nunquam tamen forsan magis, quam sub initium Sæculi decimi sexti: Quo à Germanis, Gallis, Hispanis, Helvetis, ipsísque suis incolis fuit discerpta. Quanto partium studio certatum de Neapoli, Gallos inter & Hispanos distracta; hoc uno clades suas solantibus Francis, quòd à Gonsalvo M. Cordubensi sint victi: Quo majorem ætas illa heroëm non vidit! Quot procos potentes Insubria habuit, extincta Vice-Comitum familia! Quot alternantis fortunæ casus exercuerunt Sfortianos Duces! Quot exercitus sub Ludovico XII. & Francisco I. immissi in Mediolanensem Ducatum! Quoties victores! Quoties victi, ac tota ejecti Italia! Quot, & quanta cum Venetis bella, quanta Fortunæ rerúmque varietate! Maximilianus Germanus, Ferdinandus Hispanus, Ludovicus Gallus, Julius Italus, modò omnes in Venetos, modò in se ipsos conversi, hostes ex sociis! Veneti ipsi jam victores adversus Maximilianum Imperatorem animosi, jam ad Ghiaraddam à fœderatis cæsi, demissè eidem supplices, ut à ruina vindicetur respublica: Jam Julio & Ferdinando in partes suas pertractis, animum urbésque recipientes!

1. *Bella Italiæ.*

Julius II. Papa, qui pacem inter Filios conciliare debuerat, militaribus spiritibus ardens, accendere bellum magìs est visus: Dum modò Helvetos armat in Ludovicum, eorúmque opera Gallos Mediolano ejicit; modò Gallis junctus in Venetos irruit: Modò recepta Romandiola Venetis conciliatus, iterum in Ludovicum vires irásque colligit: Modò initio cum Venetis & Italis Principibus fœdere, de ipso etiam Maximiliano Cæsare Italia submovendo consilia agitat: modò cum Italicis Principibus collisus.

Turca interim ex discordiis Christianorum Principum increscente, pluresque semper Christianas Provincias depascente.

2. *Occasio Schismatis.* Quæ sanè res deploranda gravibus Ecclesiæ turbis ac Schismati pernicioso occasionem dedit. Cùm enim Julius, dum in pontificem eligeretur, juràsset, se intra biennium convocaturum Generale Concilium, ad reformandos Ecclesiæ mores, & conciliandam inter Principes Christianos pacem, armàque convertenda in communem hostem Christiani nominis: Fidem datam non liberavit: vel quia noluit, vel quia non potuit, bellis profanis implicitus.

3. *Et Pisani Conciliabuli.* Urgetur promissis stare, atque juramento satisfacere: At de anno in annum differt Concilium. Quare cùm aliunde Maximilianus Imperator non admodum amico esset in Julium animo, Ludovicus verò etiam hostili, anno 1511. primùm Turonem in Gallia, dein eodem anno Cardinales Ducibus Bernardino Caravalio, Guilielmo Brissoneto, Renato Priano, & Federico San-Severino, *Pisas* indixerunt Generale Concilium, contra voluntatem Julii; ex voluntate autem Ludovici XII. Galliæ Regis: Qui licèt parùm tribueret huic Synedrio, terrendum tamen per illud Julium dicebat, tanquam per larvam, ut mitiora ineat consilia.

Julius, ut Pisanum hoc Conciliabulum (quod postea Mediolanum, Taurinum, ac Lugdunum etiam fuerat translatum) efficaciùs dissolveret, & Schismati jam jam inundanti aggerem objiceret, indixit Concilium Generale *Lateranense V.* pro restauranda Ecclesiæ disciplina, armisque in Turcam convertendis, composita inter Christianos pace. Quam eò magis exoptabat Papa, quo majorem à Gallis ad Ravennam cladem acceperat: Ubi ipsius Julii ac Ferdinandi Catholici exercitus à Gallis ingenti prælio fusus est.

4. *Cui oppositum Lateranense.* Interfuerunt huic Concilio, præter Julium Pontificem, ac deinde Leonem X. 18. Cardinales. 2. Patriarchæ Alexandrinus nempe & Antiochenus: Episcopi fere 100. Abbates, & Generales Ordinum, Patres universim ad 114. inter duos *Thomas de Vio Cajetanus*, Generalis Prædicatorum, ac postea Cardinalis. *Angelus*, Sac. Ord. B M. V. Servorum Generalis: *Ægydius* Ord. Eremitarum S. Augustini, viri celeberrimi: cum Oratoribus Hispaniæ, & Venetiarum.

Inchoatum autem est Concilium anno 1512. finitum verò anno 1517. Constans 12. Sessionibus. Primis quatuor præsedit Julius II. quintæ Raphaël Cardinalis Ostiensis, reliquis septem Leo X. infrequens tamen fuit hæc Synodus, tum propter Schisma Conciliabulo Pisano adhærentium, qui potissimùm fuêre Galli: Tum quia Episcopi non satìs securè accedere poterant Romam, propter exercitum Gallicum, post victoriam Ravennatensem in Italia circumvolitantem.

§. 2.

§. II.

Acta Concilii.

In Sessione I. 10. Maii 1512. Julius Oratione ad Patres aperuit Concilium, 5.
ejúsque fines explicavit, nempe disciplinæ reformationem, Schisma- *Fines Concilii.*
tis extinctionem, pacem componendam, & arma in Turcas convertenda; refutat etiam Conciliabuli Pisani objectiones contra se promulgatas. Ostendit, se semper Concilii celebrandi fuisse cupidissimum, sed non potuisse, donec bella, jam sub Alexandro VI. cœpta, essent finita, & sua Ecclesiæ restituta.

Re ipsa maturandi nunc Concilium causa præcipua fuit clades Ravennatensis, ne illius occasione, ex longiori mora Conciliabulum Pisanum, cui Ludovicus XII. favebat, vires suas augeret: ùt satis indicat Ægydius Viterbiensis in pulcherrima Oratione, ante Concilii initium habita: In qua ait, Ecclesiam plus proficere Spiritualibus armis, Conciliorum nempe authoritate, quàm profanis.

In Sess. II. legitur Bulla, in qua damnatur Conciliabulum Pisanum 6.
(à quo Julius contumaciæ accusatus, & à Pontificatu fuerat suspensus) *Irrita Acta Pisani.*
omniáque in eo gesta declarantur irrita. Lateranense verò hoc Concilium definitur esse legitimè & in Spiritu Sancto congregatum. Habita Oratio à Thoma de Vio, Cajetano, Generali Prædicatorum: In qua explicans verba illa Apocalipsis: *Vidi civitatem, Sanctam, Jerusalem, novam, descendentem de Cœlo*, ostendit, quinque conditiones hîc insinuatas inveniri in Concilio Lateranensi Ecclesiam repræsentante, nullam verò earum in Conciliabulo Pisano.

In Sess. III. lectum est Mandatum Maximiliani I. Imperatoris, quo 7.
Episcopum Gurcensem Procuratorem suum cum pleno jure mittit ad Con- *Cæsar favet Lateranensi.*
cilium, data etiam potestate, nomine Cæsaris consentiendi in abolitionem concilii primùm à Gallis Turonibus, deinde Pisis coacti.

Igitur Procurator Cæsareus revocat quodcunque mandatum concessum Conciliabulo Pisano, omniáque illius acta irrita declarat. Amplectitur verò Synodum Lateranensem tanquam legitimè congregatam, & Universalem Ecclesiam repræsentantem. Denique declarat, Cæsarem nunquam dedisse mandatum ad Conciliabulum Pisanum,

Si hoc verum est impostores fuerunt, qui in illo Conciliabulo pro Cæsareis Procuratoribus se venditabant. Fuit quidem initio Cæsar non omnino alienus à Pisanis Patribus, utpote offensus à Julio, quòd is Societate sua deserta privatam cum Venetis pacem fœdúsque inierit, non sine magno Maximiliani damno:

At Princeps sanè optimus & apprimè Catholicus plus virtuti & Religioni, quàm iræ, ùt ùt justæ, dedit. Unde privatis offensionibus posthabitis, misso cum plena potestate Legato omnem operam impendit, ut Schisma tollatur, ac Romano Pontifici sua constet authoritas.

In eadem Seff. Julius Galliam ac præsertim Lugdunum, quò Conciliabulum Pisanum se receperat, interdicto subjicit: Damnátque rursus Acta.

Habita denique Oratio ab Episcopo Malfetano; in qua inter alia conqueritur, plures tanta contentione expetiisse Synodum, nunc verò ad illam invitatos non comparere.

In Seff. IV. lecta est epistola Ludovici XI. ad Pium II. data anno 1461. in qua revocavit, adhortante Pio, Sanctionem Pragmaticam Galliæ.

Quæ Sanctio, tanquam præjudiciosa Sedi Apostolicæ, à nullo Pontifice approbata, à nullo legitimo Concilio lata, sed tempore Schismatis fabricata, & per abusum in Gallia invalescens reprobanda decernitur, citatis Gallis, si qui vellent illam defendere.

8. *Electio Simoniaca irrita.* In Seff. V. habita anno 1513. præsedit Raphaël Cardinalis Episcopus Ostiensis, ægrotante Julio Pontifice. In hac recepta fuit Julii II. Bulla, qua irritavit electionem summi Pontificis per Simoniam obtentam: Cardinales verò sic eligentes omni dignitate, officio, & beneficio ipso facto privatos voluit. *Salubris equidem constitutio, sed in praxi difficilis, & majorum fortè turbarum ac Schismatum fomitem datura. Licèt igitur Ecclesia electionem Simoniacam irritet, censuit tamen non rarò, satius esse acceptare Pontificem, etiam illegitimè electum, imò etiam intrusum, quàm Schismati occasionem præbere. Est igitur tunc acceptatio populi altera quasi electio, supplens omnes defectus, qui sunt juris humani.*

9. *Julius II.* Quatriduo post Sessionem V. obiit *Julius II.* Pontifex anno 1513. postquam novem annis rexit Ecclesiam, Sacris & profanis tonans fulminibus. Cæsarem Borgia, (Alexandri VI. Filium, abjecta, quam Pater dederat, purpura, hominem nefarium, multarúmque tragœdiarum in Italia auctorem & actorem, à Rege Galliæ creatum Ducem Valentinum) quem Pius III. custodiæ mandaverat, ea conditione dimisit, ut Castrum Cæsenæ & Fori Livii Ecclesiæ restituat. Cum pluribus Principibus contra Venetos, Ravennam & Ariminum detinentes, fœdus iniit; receptáque Romandiola, fœderatos suos Maximilianum Cæsarem, & Ludovicum Galliæ Regem reliquit, ac novum fœdus cum Venetis iniit: Cæso ejus postea exercitu ad Ravennam, Ducem Ferrariæ propter occupatas Salinas excommunicatum armis profligavit. Mutinam ac Mirandolam Gallis eripuit. Indicto ea de causa ab his Pisano Conciliabulo, Cardinales Schismaticos cum Rege Ludovico & Florentinis anathemate perculit: implorato & obtento Hispa-

norum

norum & Anglorum auxilio; horum ac præcipuè Venetorum & Helvetiorum ope, fractus licèt Ravennensi clade, Gallos tota Italia ejecit, restitutô Mediolanô Maximiliano Sfortiæ per Helvetos, quos *Propugnatores & Defensores Pontificiæ Dignitatis* appellavit Julius, Leo X. verò *Ecclesiæ Defensores*, postquam iterato Gallos Italia expulerant. Porro Julius Bononiam à Bentivoliis occupatam recuperavit. Denique hoc Generali Concilio molitiones Schismaticorum fregit. Basilicam Vaticanam, orbis miraculum, ædificare aggressus.

Post ejus mortem pacificè & unanimiter electus est Joannes Medicæus, 10.
annorum 37. dictus Leo X. qui deinceps per Sessiones adhuc septem Concilium continuavit: Pontifex insigni virtute, fide, mansuetudine, Constantia: Litteratorum amator eximius; nam Doctos complures invitavit Romam, inter quos fuerunt *Bembus* & *Sadoletus*, qui humaniore litteratura conspicui ipsi erant ab Epistolis, à Paulo III. deinde creati Cardinales. *Leo X.*

In Sess. VI. deputati Patrum aliqui ad agendum de pace inter Christianos Principes componenda: alii de reformatione disciplinæ, alii de abroganda Sanctione Pragmatica: Alii de fide Catholica contra Turcas defendenda. Habita Oratio ab Episcopo Modrusiensi de Schismate & Turcarum immanitate.

In Sess. VII. comparuit etiam Legatus Regis Poloniæ, & Ducis Medio- 11.
lanensis. Bernardinus Carvalius & Fridericus de S. Severino Cardinales, oblato supplici libello, Concilio Pisano renuntiantes, veniam rogant, atque à Leone X. pristinæ dignitati restituuntur. *Pisani resipiscunt.*

In Sess. VIII. tres Oratores Ludovici XII. Regis Galliæ ad Concilium Lateranense missi, Pisano renuntiant Regis nomine, & Lateranense tanquam legitimum agnoscunt, utì etiam Legati Electoris Brandeburgici, & Marchionis Montisferrati, accusata Gallorum in Provincia contumacia. *Et Galli.*

Definitum hominis animam esse immortalem, atque in singulis homi- 12.
nibus existere singulas, non verò unam tantùm in omnibus. Mandatum insuper Philosophiæ Professoribus, ut gentilium errores diligenter confutent. *Anima immortalitas.*

Dicebant quidam animam aut esse mortalem aut unam tantùm in pluribus, saltem secundùm Philosophiam. Quos inter erant Pomponatius, Lætus, Phædrus, Politianus, Calderinus, mundana sapientia celebres.

Actum pariter de reducendis Bohemis.

In Sess. IX. anno 1514. præsente etiam oratore Regis Lusitaniæ, actum 13.
de Reformatione curiæ Romanæ, decretúmque. *Decreta reformationis.*

1. Tantùm idonei promoveantur.
2. Episcopus aut Abbas non judicetur, nisi auditus.
3. Monasteria deinceps nulla dentur in commendam.

4. Uniones perpetuæ ne fiant, extra casus in Jure expressos, & rationabilem causam.

5. Ne dispensetur in possidendis pluribus quàm duobus beneficiis incompatibilibus, nisi magna & urgens necessitas exigat.

6. Cardinales, (quos declarat Synodus summo Pontifici proximos esse dignitate) non resideant extra curiam Romanam.

7. Magistri pueros in virtute & doctrina diligenter instruant.

8. Renovantur Constitutiones contra Simoniacos.

9. Si quis post sex menses ab obtento beneficio Divinum officium non dixerit, non tantùm teneatur restituere fructus pro rata temporis, sed etiam, si contumaciter pergat omittere, monitione prævia, privetur beneficio. Pius V. postea hoc decretum adhuc magìs asperavit, restitutionem singulis diebus, imò etiam omissioni singularum horarum respondentium fructuum decernens.

In Sess. X. anno 1515. approbantur *Montes Pietatis*, & sub excommunicatione prohibentur impugnari. Nullus prodeat liber, nisi ab Ordinario vel Inquisitore approbatus. Causæ in prima instantia extra Romam decidantur.

14. *Papa supra Concilium.* In Sess. XI. anno 1516. promulgata celebris Bulla *Pastor æternus;* in qua abrogatur Sanctio Pragmatica Gallicana; assertúmque, quòd Pontifex super omnia Concilia potestatem habeat, ac plenum jus illa indicendi, transferendi, ac dissolvendi: Idque probatur multis exemplis.

Approbatum concordatum à Leone X. cum Francisco Galliæ Rege initum Bononiæ.

Edita constitutio de prædicatione verbi Divini. *Ad hanc Sessionem venit etiam Legatus Patriarchæ Maronitarum.*

In Sess. XII. anno 1517. celebrata excommunicantur, qui tempore electionis novi Pontificis Cardinalium domos invadunt.

Hæc Concilii Acta Leo X. speciali Bulla confirmavit.

§. III.

De Concordatis Gallicis à Concilio isto approbatis.

15. *Abrogata Pragmatica.* Quinam Ortus, progressus, & indoles fuerit Sanctionis Pragmaticæ Gallicanæ, dictum aliàs: Jam verò in hoc Concilio antiquata illa fuit & abrogata substitutis in illius locum *Concordatis*, cum Francisco I. initis Bononiæ à Leone X. per ista in Cathedralibus & Abbatialibus Ecclesiis adempta est Capitulis Galliæ potestas electionum. Nam

16. *Jus Patronatus.* 1. Conceditur Regi jus nominandi, seu præsentandi ad Ecclesias Cathedrales & Abbatiales intra sex menses idoneum, qui gradu Theologiæ vel Juris Canonici sit insignitus in celebri aliqua Academia, prævio rigoroso examine & saltem 27. annos ætatis habentem.

Quodsi

Quodsi autem Rex inidoneum Pontifici nominaret aut præsentaret instituendum, poterit Rex intra tres menses, à die recusationis numerandos nominare Pontifici alium. Quo tempore finito pertinet ad Sedem Apostolicam Ecclesiæ providere.

Reservantur etiam Pontifici vacantia apud S. Sedem.

Aliter factæ provisiones sunt irritæ: Exceptis tamen personis Regii Sanguinis & Religiosis mendicantibus, in quibus nominandis non requiruntur omnia prædicta.

2. Pariter in Monasteriis, & prioratibus conventualibus, & verè electivis secundùm formam Capituli *Quia propter*, deinceps nominatio Abbatis, Prioris, aut Prælati ad Regem pertineat. Qui intra sex menses Pontifici præsentabit idoneum ejusdem ordinis, ad minimum 23. annorum. Aliàs recusari poterit.

3. Salvis tamen Privilegiis, à Sede Apostolica specialiter concessis alicui Ecclesiæ eligendi proprium Prælatum.

4. Tolluntur gratiæ exspectativæ, & speciales vel generales reservationes ad vacatura beneficia. 17. *Articuli.*

5. Si Statuta requirant, ut obtenturus dignitatem, sit Canonicus, observandum est.

6. Unus Canonicatus detur Theologo docenti.

7. Tertia pars Beneficiorum detur graduatis ab Ordinariis Collatoribus & Patronis Ecclesiasticis. Unde statuuntur menses pro graduatis præsentandis, & alii menses pro aliis.

8. Decernuntur multa circa personas graduatas, tempus studii, Testimonia Academica, ordinem dignitatis &c.

9. Parochiæ Urbicæ solis conferantur graduatis ex Theologia vel Jure Canonico.

10. Quilibet Pontifex semel in vita sua possit litteras in forma mandati dare; ita, ut collatorem 10. beneficiorum in uno tantùm beneficio, collatorem verò 50. beneficiorum in duobus tantùm beneficiis gravare possit.

11. Causæ omnes (exceptis majoribus, in Jure expressè Pontifici reservatis) à Judicibus, qui de Jure, vel consuetudine, vel Privilegio, aut præscriptione cognitionem habent, terminari debent.

12. Appellationes justæ fiant ad immediatè Superiorem, ita, ut ne quidem ad S. Sedem fieri possint, præteritis Judicibus mediis. Ante Sententiam verò definitivam absolutè non potest appellari; nisi gravamen tale esset illatum, quod in definitiva sanari non posset; & tali etiam casu non nisi ad immediatum Superiorem potest appellari. 18. *Appellatio ad immediatè Superiorem.*

13. Si exempti à Jurisdictione Judicum Ordinariorum, seu immediatè subjecti Sedi Apostolicæ, ad eandem duxerint appellandum, per rescriptum

ptum Papa committat causam Judicibus delegatis in Gallia: à quibus appellari non possit, nisi in casu denegatæ Justitiæ, aut metus injustè incussi. Cardinales tamen & Officiales Pontificii in hoc non comprehenduntur.

14. Lites beneficiales intra biennium terminentur.

15. A duabus Sententiis interlocutoriis, & tribus definitivis conformibus ulteriùs non appelletur: Sed mox ad executionem procedatur.

16. Qui per triennium possedit Beneficium pacificè & cum titulo colorato, neque in petitorio neque possessorio ampliùs molestetur, ne quidem ratione instrumenti noviter reperti: Nisi violentus fuerit ingressus aut pars altera justum impedimentum reclamandi doceat. Nullum tamen tempus illum juvat, qui sinè titulo Beneficium possidet.

17. Concubinatus, tamquam Divino præcepto vetitus omnibus, ac præsertim Clericis, severè prohibetur.

18. Interdicta localia non ferantur propter culpam privatæ personæ.

19. Hæc concordata vim habeant veri Contractûs, utrimque obligantis. *Sintque voluntate Regis publicata, ac registrata in Senatu Parisino.*

Hæc concordata jam anno 1515. iniri cœpta sunt; sed cùm multæ difficultates occurrerent, & præsertim quia Prælati Ecclesiæ Gallicanæ, utpote quibus electionum potestas ablata fuerat, & in Regem translatum Jus Nominationis, consentire nolebant, præsertim in Delphinatu; tum etiam quia Pontifex in his concordatis *Annatas*, Cameræ Apostolicæ solvendas, sibi reservabat, ad annum usque 1518. multas hæc res turbas in Gallia excitavit.

19. *Crisis Brietii.* Acerba tamen nimiùm videtur esse Crisis *Philippi Brietii*: Qui in *Annalibus mundi* ad annum 1515. sic scribit: *Hic* (Bononiæ) *factum concordatum, abolita Pragmatica Sanctione, malæ matris Soboles pejor, quâ, ut pinguiores Annatas, & pecuniæ plus acciperet Pontifex, spirituale Francisco dedit, ejúsque Successoribus; videlicet ad Ecclesias Cathedrales, & Abbatias nominationem, Rege ipso sub initium repudiante gratiam, quasi nocituram conscientiæ suæ: Quam tamen deinceps & ipse, ejúsque Successores, sinè scrupulo concoxêre, potissimum ex quo Sessione XI. Concilii Lateranensis V. hoc concordatum probatum est; ad cujus tamen cogitationem boni hactenus omnes Theologi, ambitionis expertes, intremuerunt.*



CA-

CAPUT IV.

De Jure Novissimo Tridentino.

Nihil celebrius Canonibus & Decretis Tridentini Concilii, quod ex hactenus celebratis est Generale ultimum, omniúmque locupletissimum, sive doctrinam Fidei, sive Decreta Disciplinæ spectemus. Celebratum est circa medium Sæculi XVI. contra Lutheri, aliorúmque Novatorum errores sub Paulo III. Julio III. Pio IV. Summis Pontificibus, & Carolo V. ac Ferdinando I. Imperatoribus. Juvat materiam multò utilissimam & quotidiani usus partim historicè, partim dogmaticè proponere, ut, quæ per vastos tomos sunt dispersa, brevi Synopsi sub aspectum cadant. Inquiramus primò in Synodi causas.

SUMMARIUM.

§. I.

Origo Lutheranismi.

1. *Indulgentiarum salubris usus in Ecclesia,*
2. *Abusibus permixtus,*
3. *Sub Leone X. Tezelio prædicante,*
4. *Ingentium turbarum originem dedit.*
5. *Dum Lutherus, urente invidia, non tantùm contra abusus tonat, sed etiam contra ipsas Indulgentias.*
6. *Quas propugnant Tezelius, Eckius, Prieras.*
7. *Lutheri Congressus Augustæ cum Cardinale Cajetano.*
8. *Appellat ad Concilium, deluso Miltitio.*
9. *Disputatio Lipsiaca Eckii cum Carlstadio & Luthero.*
10. *Leo X. damnat 45. Propositiones. Quare furens Lutherus comburit libros Juris Canonici.*
11. *Fautores Lutheri Saxo, Palatinus, Huttenus, &c.*
12. *Erasmo modo amico, modo inimico.*
13. *Lutherus edicto Imperiali proscriptus Wormatiæ.*
14. *In Wartburgensi arce latet, emissis tamen pluribus libris pestiferis.*
15. *Damnatus ab Academiis, & à Rege Angliæ refutatus.*
16. *Insurgit contra Carlstadium propter Imagines. Carlstadii fata.*
17. *Lutherus corrumpit S. Scripturam.*
18. *Meliorem versionem opponunt Emserus, aliique.*
19. *Lutherani Norimbergæ centum Gravamina proponunt.*

§. 2.

Progreſſus Lutheraniſmi.

20. *Lutheraniſmus inductus in Sueciam: Spoliorum Eccleſiaſticorum cupiditate Rege perverſo:*
21. *Et in Daniam per Pomeranum.*
22. *Campegius in Comitiis Norimbergenſibus urget executionem edicti Wormatienſis; at fruſtra: Lutheranis appellantibus ad Concilium.*
23. *Catholici Ordines verò aliud decretum Ratisbonæ conficiunt.*
24. *Boreales Provinciæ paſſim pervertuntur.*
25. *Quomodo Pruſſia & Livonia.*

§. 3.

De bello Ruſtico, variis Comitiis, & Confeſſione Auguſtana.

26. *Lutherus accendit bellum Ruſticanum.*
27. *Poſtulata Inſolentia Rebellium Ruſticorum.*
28. *Et immanis furor.*
29 *Ubique ingenti clade cæſi, cum Münzero.*
30. *Sacrilegæ Lutheri nuptiæ in communi Germaniæ luctu.*
31. *Haſſum pervertit.*
32. *Hungariæ clades, negantibus Lutheranis auxilia.*
33. *Roma capta & direpta.*
34. Proteſtatio *Lutheranorum in Comitiis Spirenſibus contra Edictum Imperiale.*
35. *Unde* Proteſtantium *nomen.*
36. *Vienna liberata.*
37. *Marpurgenſe colloquium inter Lutherum & Zwinglium.*
38. *Initia fœderis Smalcaldici.*
39. *Cuſa Auguſtana confeſſio à Melanchthone,*
40. *Et Cæſari oblata in Comitiis Auguſtanis,*
41. *Confutata à Catholicis.*
42. *Receſſus Imperii Auguſtanus.*
43. *Cur Proteſtantes ad Concilium appellarint.*
44. *Fœdus Smalcaldicum.*
45. *Suſpenſio Edicti Wormatienſis & Auguſtani.*

§. 4.

Conſilium de convocanda Synodo.

46. *Conditiones celebrandi Concilii à Pontifice & Cæſare propoſitæ.*
47. *Rejectæ à Lutheranis.*
48. *Qui alias proponunt, in Eccleſia Dei inauditas.*
49. *Paulus III. tamen urget Concilium.*
50. *Illúdque indicit primò Mantuam, deinde Vicentiam.*
51. *Proteſtantibus Lutheranis.*
52. *Unio Catholicorum.*
53. *Papa Niceam uſque profectus, ut Reges conciliet.*
54. *Poſt obitum Georgii Saxonis, & Joachimi Brandeburgenſis Septemviri, Principum apprimè Catholicorum, res in deterius lapſæ.*
55. *Diſputatio Ratisbonenſis fruſtranea.*
56. *Tridentum pro Concilio propoſitum.*
57. *Amsdorffius intruſus dejecto Pflugio.*

58. Con-

58. *Concilium Tridentinum indictum.*
59. *Sed propter bella dilatum.*
60. *Hermanni Coloniensis lapsus.*
61. *Facilitas in Lutheranos.*
62. *Pax Crespiaca.*

§. 5.

Concilium Tridentinum inchoatum sub Paulo III.

63. Sessio I. *Propositæ causæ celebrandi Concilii.*
Sessio II. *Statutus modus vivendi in Concilio.*
Sessio III. *Lectum Symbolum Nicænum.*
64. Sessio IV. *De libris S. Scripturæ, versione vulgata, editione librorum.*
65. Sessio V. *De* peccato Originali.
66. *De Immaculata Conceptione B. V.*
67. *De prælectione S. Scripturæ, instructione & prædicatione.*
68. Sessio VI. *Doctrina de* Justificatione.
69. *Canones seu anathematismi de Justificatione.*
70. *Quinque Capita de Reformatione circa Residentiam Episcoporum, aliorúmque Beneficiatorum &c. &c.*
71. Sessio VII. *Canones de* Sacramentis in genere.
72. *Canones de* Baptismo.
73. *Canones de* Confirmatione.
74. *Decreta Reformationis de Clericis, Beneficiis Ecclesiasticis, Ordinationibus, &c.*
75. Sessio VIII. *Actum de Concilio transferendo Bononiam.*
76. Sessio IX. & X. *Decreta Bononiæ prorogatio Concilii ad opportuniora tempora.*

§. 6.

Bellum Smalcaldicum, translatio, & suspensio Concilii.

77. *Smalcaldorum apparatus bellici.*
78. *Disputatio in Comitiis Ratisbonensibus.*
79. *Mors Lutheri, & elogium.*
80. *Cæsar fœdus init contra Smalcaldos.*
81. *Publicat belli causas.*
82. *Smalcaldi frustra tentata Tyroli, haud procul Ingolstadio castra locant, ac bellum Cæsari denuntiant.*
83. *Cúmque frustra tormentis impetiissent Castra Cæsarea.*
84. *Arte & Virtute Cæsaris attriti.*
85. *Plerique ejus gratiam implorant.*
86. *Cæsar decernit bellum Saxonicum per se ipsum gerere.*
87. *Memorabilis trajectio Albis.*
88. *Mühlbergensis victoria, capto Electore;*
89. *Et Landgravio, indignantibus Mauritio & Brandeburgo.*
90. *Crisis de Landgravii captivitate.*
91. *Cæsar fidem non violavit, nec clementiam, aut æquitatem.*

92. *In Comitiis Augustanis etiam Lutherani decernunt, parendum esse Concilio Tridentino.*
93. *Dissidia circa translationem Concilii Bononiam.*
94. *Urget Cæsar, ut revocetur Tridentum.*
95. *At suspenditur Concilium tempore omnino importuno.*

§. 7.

De Constitutione *Interim* & Reductione Concilii Tridentum.

96. *Cùm disceptatur, an Tridenti, an verò Bononiæ continuandum sit Concilium, Cæsar Constitutionem* Interim *confici curat.*
97. *In qua, cæteroquin Catholica, concessa Protestantibus communio sub utraque specie, & presbyteris connubia.*
98. *Neutri parti satis placuit hoc* Interim.
99. *Urgente tamen ejus observationem Imperatore.*
100. *Unde nova Lutheranorum divisio in* Rigidos *&* Molles &c.
101. *Obitus Pauli III. & electio Montani, primi Concilii Præsidis, qui Julius III. est dictus.*
102. *Hic, quamvis mordicus Bononiensium partes priùs defenderit, jam facilè in reductionem Concilii Tridentum consentit, Crescentio nominato Præside.*
103. Sessio XI. & XII. *Decreta Reassumptio Concilii Tridentini, & Sessionis* 13. *dies.*

§. 8.

Continuatio Concilii Tridentini sub Julio III.

104. *Digresso in Belgium Cæsare Protestantes Fidem datam frangunt, & tam Constitutionem* Interim, *quàm Concilium spernunt.*
105. *Mittunt tamen ad Concilium quosdam, sed potiùs ad expostulandum.*
106. *Insolentia postulatorum.*
107. Sessio XIII. *Doctrina dogmatica de* Sacramento Eucharistiæ.
108. *Canones de eodem.*
109. *Decreta Reformationis, de Judiciis & Appellationibus &c.*
110. Sessio XIV. *Doctrina dogmatica de* Sacramento Pœnitentiæ.
111. *Observatio de Sacramento pœnitentiæ* valido & informi.
112. *De Contritione & attritione.*
113. *De Confessione peccatorum.*
114. *De Circumstantiis peccatorum.*
115. *De Jurisdictione Ministri, & Casuum Reservatione.*
116. *De Satisfactione.*
117. *Canones de Sacramento Pœnitentiæ.*
118. *Doctrina dogmatica de Sacramento* Extremæ Unctionis.
119. *Canones de eodem.*
120. *Decreta Reformationis, de Sacris Ordinationibus.*
121. *De pœna non gestantium habitum clericalem.*
122. *Observatio de Irregularitate ex homicidio &c.*

§. 9.

§. 9.

De Suspensione Concilii propter bellum *Mauritianum.*

§. 10.

Absolutio Concilii sub Pio IV.

196. *Con-*

Sessio XXV.

De Purgatorio, Veneratione Sanctorum, Sacris Reliquiis & Imaginibus.

De Reformatione Regularium.

Alia Capita de Reformatione. Ac finis Concilii.

§. II.

An Protestantes justam excusationem habeant, cur in Concilio non comparuerint, eíque obedire detrectârint?

229. Ne-

§. I.
Origo Lutheranismi.

1. *Indulgentiarum usus.* Res non minùs salutaris quàm antiqua in Christi Ecclesia est usus Sacrarum *Indulgentiarum*; quibus ex meritis Christi Sanctorúmque applicatis, remissa per Sacramentum pœnitentiæ culpa lethali, remittitur pœna adhuc residua culpæ debita.

Prout S. Paulus 2. *Cor.* 2. incestuoso illi Corinthio remisit pœnam sceleri debitam. Et Episcopi primitivæ Ecclesiæ ad intercessionem Martyrum temperabant pœnitentiæ Canonicæ spatium apostatis ad Ecclesiam reversis.

Hunc usum approbârunt non tantùm SS. Patres, Pontifices, & Concilia, sed semper in Ecclesia viguit, ùt Polemici nostri solent ostendere. Præcipuè verò ejusmodi Indulgentiæ publicè promulgatæ sunt, cùm Sacræ in Palæstinam expeditiones sunt adornatæ: ùt constat ex Concilio Claromontano, Lateranensibus, Lugdunensibus, &c.

2. *Et abusus.* Verùm nihil tam sanctum piúmque est, quod abusibus non possit esse obnoxium S. Cyprianus jam suo ævo est conquestus, quòd Martyres absque discrimine sceleratis dent libellos, & Episcopi nimis frequenter, aut nimis facilè indulgentias impertiantur.

Qua occasione arrepta Novatiani cum Tertulliano, jam à se ipso degenere, non tantùm abusus, sed ipsam doctrinam, sanctam, & puram impugnârunt. Idem evenit plura post Sæcula.

Nam

Nam Leo X. cum Basilicam S. Petri, ab antecessore suo Julio II. cœptam, ob pecuniæ penuriam non posset absolvere, per *Albertum Brandeburgicum*, Archi Episcopum Moguntinum & Brandeburgensem, Joachimi I. Electoris fratrem ac postea Cardinalem, in Germania Indulgentias promulgari jussit pro iis, qui ad fabricam illam aliquid contribuerent. 3. *Sub Leone X.*

Albertus hanc provinciam demandavit *Joanni Tezelio* ex Ordine Prædicatorum Inquisitori Fidei, qui jam antè prædicando Indulgentias non exiguam pecuniam pro bello adversus Moscos gerendo Equitibus Teutonicis comparaverat.

Verùm hæc res non sinè abusibus, & nimiis fortassis exaggerationibus acta est; satísque compertum est, pecuniarum collectores aliquos se immiscuisse, qui nullum mandatum habebant, vel certè illius limites fuerunt transgressi. Qui planè excessus ingentium deinde turbarum fontes erant. 4. *Turbarum occasio.*

Cùm enim aliàs Patribus Augustinianis munus ejusmodi prædicationis fuisset impositum, *Staupitius* eorum per Germaniam Generalis Vicarius, urente invidia, non solùm contra illos abusus, sed etiam contra prædicatores prædicare cœpit.

Adhibuit in hanc rem suos in Academia Wittembergensi Doctores, intérque eos primo loco *Martinum Lutherum*, hominem, quàm præclaris corporis ingeniíque dotibus instructum, tam malè iis abusum.

Natus is erat anno 1483. prope Islebiam in Saxonia obscuro genere. Litteras Humaniores didicit Isenaci, Philosophiam Erfordiæ, Magister artium creatus: Ac subin relicto Studio Juridico sanctissimum Ordinem Eremitarum S. Augustini ibidem ingressus anno 1505. alteróque post anno Sacerdos ordinatus: Ac dein Wittenbergæ ab Andrea Carlstadio Theologiæ Doctor inaugaratus.

Hunc ergo potissimùm hominem contra Indulgentiarum Prædicatores suscitandum Staupizius putavit, ætate, gutture, lacertis, eloquentia, ingenio, audaciâ, conspicuum. Nec ille segniter negotium aggressus, spem de se conceptam superavit. Nam magna contentione, non tantùm contra abusus, nec tantùm contra Prædicatores, sed etiam contra ipsas Indulgentias altùm tonare cœpit: Plus eas detrimenti in Ecclesia, quàm utilitatis afferre; ignaviæ illas blandiri, bonorúmque operum studium ac salutis curam enervare: Meliùs in pauperes quàm in superbam fabricam aurum distribui. Simúlque 97. propositiones, potissimùm erroneas, foribus templi Wittembergæ affixit. Docebat in illis, per Indulgentias pœnam non remitti; quidquid circa liberandas animas è purgatorio potest Pontifex, hoc etiam Parochum posse. Ecclesiæ thesaurum, ex quo Pontifex Indulgentias expromat, non constare ex meritis Christi ac Sanctorum, Pontificem non posse absolvere, sed tantùm declarare absolutionem. 5. *Lutherus contra Indulgentias*

6. *Quas Tezelius defendit.* His *Tezelius* Francofordiæ ad Oderam 106. alias Theses opposuit, eo ardore, ut alter alterius propositiones publicè comburi curaverit. Scripserúntque mox contra Lutheri propositiones *Joannes Eckius*, Professor Ingolstadii, & *Sylvester Prieras* Dominicanus Sacri palatii Magister. Quibus Lutherus respondit; atque ad Leonem X. misit litteras obsequii & obedientiæ, plenas quibus se doctrinam ejus velut oraculum recepturum promisit: Germanis verò potestatem Pontificiam invisam reddere omni conatu laboravit.

7. *Colloquium cum Cajetano.* Citatus proin anno 1518 Romam, ubi Theses ejus declaratæ fuerant hæreticæ, ad dicendam causam, per Fridericum Electorem Saxoniæ & Academiam Wittembergensem impetravit, ut causa sua Augustæ coram Thoma de Vio Cardinale Cajetano, Pontificio ad imperii comitia ibidem Legato, judicaretur. Hîc se rursus Romanæ submisit Ecclesiæ: Si quid ab illa alienum scripserit, dixerítve, nolle se illud ratum habere.

Cùm autem Cardinalis eum urgeret, ut citra disputationem propositiones suas absolutè retractet, affixa appellatione ad Pontificem noctu Augusta aufugit Wittembergam: Sparsis in Cardinalem probris, quòd argumentis suis nihil reposuerit, sed inhumaniter secum agens veritatem retractare imperârit. Unde audacior factus antiquis hæresibus novas addidit, detrectans Sedem Apostolicam pro Judice controversiarum agnoscere: Alium non esse Judicem nisi verbum Dei.

8. *Appellat ad Concilium.* Insolentiùs autem prorupit, cùm per Staupitium, & Georgium Spalatinum, Electoris Friderici Secretarium hujus favorem & protectionem sibi comparavit. Tum enim à Pontifice, qui errare posset, ùt S. Petrus, quando à S. Paulo fuit reprehensus, appellavit ad Generale Concilium, more omnium Novatorum Rebellium. Crevitque hominis insolentia, cùm anno 1519. Maximilianus I. Imperator, invictissimus Ecclesiæ Defensor, est mortuus, & Saxo Septemvir tempore interregni Vicarii munere fungeretur.

9. *Disputatio Lipsiensis.* Tum enim & *Miltitium* Apostolicum Nuntium, mitiùs ac blandiùs agentem Lutherus delusit, & pertinaciùs errores suos publicè disseminavit. Cúmque Carlstadius Lutheri Theses scripto propugnandas suscepisset, atque ad disputationem publicam provocâsset, condixit ad illam Eckius conventúmque, ut Lipsiæ, urbe ad Georgium Ducem, Electoris patruelem, spectante, institueretur. Quamvis autem Carlstadius ad eam provocâsset, diffidens tamen Lutherus & causæ & illius patrono, ipse interesse, ac personam agere suam voluit.

Disputatum de libero arbitrio, de hominis cooperatione ad bonum, de bonis operibus, & an homo in omni bono opere peccet (ùt Lutherus dicebat) de purgatorio, indulgentiis, remissione peccatorum &c. Constátque

que ex Actis authenticis, victoriam penes Eck'um apertè stetisse. Certè Georgius Dux, in cujus præsentia concertatio illa fuerat suscepta ingenti posthac zelo & invicto prorsus animo novella Lutheri commenta ab eo tempore profligavit, nullóque in ditione sua loco est passus consistere.

Interea Lutherus licèt â Superioribus Ordinis sui monitus, ut resipisceret, qua voce, qua scriptis pluribus libellis Sedem Apostolicam invisam reddere, plenámque vitæ licentiam invehere est conatus, Nobilitatem præcipuè Germanicam exstimulans, ut tandem evigilet, & tyrannidem intolerabilem excutiat.

Qui furor ac rabies in immensum augebatur, ubi anno 1520. Leo X. 45. propositiones, ex Lutheri libris collectas damnavit, intentato anathemate, nisi intra 60. dies easdem retractaret: Tum enim combusto Wittembergæ publicè Jure Canonico, Romanum Pontificem velut Anti-Christum, & Diabolis omnibus pejorem ore ac calamo maledico calumniabatur, ac proscindebat, plurésque in dies libertatis & effrænis licentiæ avidos sectatores est nactus. 10. *Lutheri furor.*

Tanto igitur hominis unius furori, animarúmque multarum damno ut occurreretur; Pontifex à Carolo V. electo nuper Imperatore per Hieronymum Aleandrum, Nuntium suum Apostolicum petiit, ut cremari Lutheri pestiferos libros edicto jubeat, eúmque ex Imperii finibus ejiciat, ne tabes ulteriùs serpat, malúmque morâ increscens superius evadat remedio. Primum obtentum facilè: Nam & in Belgio & in pluribus Germaniæ locis Lutheri libri sunt exusti: Alterum verò Cæsar ad Imperii comitia differendum censebat. Timendum siquidem fuerat, ne homo refractarius obsequium detrectet, confisus potentiæ suorum fautorum.

Non enim solum Electorem Saxoniæ sed etiam Palatinum cum grandi hominum multitudine in partes suas pertraxerat: Attamen alios inter studio & amore in Lutherum facilè eminebat Ulricus *Huttenus*, Nobilis Franco, tam expertus profanæ litteraturæ, quàm expers Sacræ, hostis Pontificis juratus. 11. *Huttenus.*

Quid multùm? Principibus ac Nobilitati dabat Lutherus opima Ecclesiarum spolia, plebi effrænem libertatem, Ecclesiasticis, jam aliàs corruptis, ac monachis connubia; sicque facilè Festentrionem, jam aliàs ad casum pronum, in ruinam præcipitavit.

Neque nihil initiò authoritati Lutheri addidit *Erasmus Roterodamus* homo ùt obscuri generis, sic ingenio, eruditione, Sermonis Latini Græcíque nitore clarus. Hic ingressus Gaudæ Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini, post novem Religionis annos elapsus, præcipuas Europæ Universitates percurrit, tantámque eruditionis famam sibi comparavit, ut præcipui ætatis illius viri, etiam Episcopi, Cardinales, ipsíque adeò summi Pontifices litterarum commercio eum honorârint. 12. *Erasmus.*

Sed quia in cœnobitas præcipuo quodam flagrabat odio, Lutherum initiò laudavit, interrogatúsque à Friderico Electore Saxoniæ, quid de libris Lutheri sentiret, respondit, bonos videri, stylum tamen nimis asperum esse & violentum. Postmodum tamen etiam ipse in Lutherum calamum strinxit, amicus modò, modò adversarius: Ut adeo hodiedum dubitent eruditi, plúsne Catholici sanguinis, an verò Lutherani habuerit.

13. *Lutherus proscriptus.* Anno 1521. indicta sunt Wormatiam Imperii comitia, in quibus Aleander contra Lutherum perorans ostendit, eum fidem Orthodoxam penitus niti convellere; everti potestatem Ecclesiasticam à Christo constitutam, liberum arbitrium, meritum bonorum operum, efficaciam Sacramentorum, Sacra profanáque omnia confundi: Eò jam provectum mali contagium, ut lenibus remediis irritetur potiùs quam consanetur: Efficacius nihil videri quàm edictum Imperiale Ordinum consensu firmatum, quo nova hæc hæresis cum authore suo funesto penitus proscribatur.

Magno consensu à Statibus itum in hanc sententiam, excipiente Electore Saxoniæ, audiendum ipsum etiam Lutherum, priusquam damnetur. Igitur Cæsar data securitatis cautione Lutherum Wormatiam deduci imperat, addito tamen interdicto, ne in itinere ad populum verba faciat, aut turbarum quidquam moliatur. Quo tamen mandato non stetit, sed Erfordiæ ad concionem dixit: Sicque jure salvi conductus excidisset.

Adductus ad comitia, atque interrogatus, an libros suos agnoscat pro suis, & an eos retractare velit, respondit, esse suos, retractare verò se eos non posse, nisi verbum Dei velit retractare. Cúmque pertinax huic responso insisteret, dimissus est, & post lapsum mensis edicto Imperiali ex toto Imperio proscriptus tanquam hæreticus.

14. *Ex Wartburgensi arce tonat.* Verùm Fridericus Elector, ut securitati Lutheri consuleret, eum clàm per larvatos equites interceptum, in arcem Wartburgensem abduci jussit; ubi novem menses moratus, consilium de Missa privata abolenda ab Alastore didicit: pluráque scripta emisit virulenta contra Doctores Lovanienses, & præcipuè contra *Latomum:* Quibus docebat, Missam non esse Sacrificium, non prodesse defunctis: Nullum esse purgatorium, nullam conversionem eucharisticam, sed corpus & sanguinem Christi unà cum pane & vino esse præsentia: Omnes Christianos posse consecrare, prædicare, administrare Sacramenta, absque status laicalis aut Ecclesiastici discrimine: Nullum Mandatum legémque nullam obligare, nisi exstet in Evangelio &c. Atque ut plenam in Ecclesiasticum ordinem licentiam inveheret, contra vota monastica, & cœlibatum Sacerdotum tonare cœpit. Quo factum est, ut multi desertis Monasteriis Sacrilegas nuptias contraherent, prout ipse etiam Lutherus postmodum fecit, eductis monialibus ex asceterio, unáque ex iis ad infandum concubinatum assumpta.

Hos

Hos inter insanos furores Lutheri non defuerunt, qui eidem sese opponerent; nam præter Universitates, Coloniensem, Lovaniensem, atque ipsam etiam Parisiensem, ad cujus judicium toties provocaverat, ipsius doctrinam tanquam hæreticam condemnantes, Henricus VIII. Rex Angliæ eruditum opus polemicum pro defensione Sacramentorum scripsit contra Lutheri librum de captivitate Babylonica, meritus propterea à Pontifice titulum *Defensoris Ecclesiæ:* quem utinam semper esset meritus, nec insanis amoribus æstuans à se ipso degenerâsset. 15. *Damnatus ab universitatibus. & rege Angliæ.*

Lutherus Academiis Regique Angliæ inhumana prorsus & planè scurrilia probra reposuit. Imó etiam in sectarios suos horrendùm detonuit, si qu d præter ejus intentionem procedebat.

Expertus id est *Carlstadius*, qui cùm primus Sacerdotum approbante Luthero uxorem duxisset, adversus sacras Imagines furorem exerens, atque cum globo insolentium juvenum in templum Wittembergæ irrumpens, Cruces, Imagines, atque Altaria subvertit. Quo audito Lutherus è latebris suis contra Electoris voluntatem prorumpens, in Carlstadium rabiem exprompsit, indignatus, Discipulum velle supra Magistrum sapere: retinendásque sacras in templis Imagines contendit. 16. *Lutherus in Carlstadium.*

Carlstadius interea, ut verbis illis S. Scripturæ *in sudore vultus tui vesceris pane,* satisfaceret, agricolam induit, pertracto in eandem ineptiam Melanchtone, qui pistorem agere cœpit.

Cùm autem Carlstadius novam induceret hæresim, inficiando realem præsentiam Christi in eucharistia, rupta omnino est hos inter hæresiarchas amicitia. Nunquam enim Lutherus adduci potuit, ut articulum illum fidei sicut reliquos extereret, dictitans, verba scripturæ nimiùm circa hoc esse clara. Unde Carlstadium primùm Wittemberga, deinde etiam Orlamunda exegit. Tota denique Saxonia proscriptus, Tigurum in Helvetiam ad Zwinglium se contulit, cúmque illo Sacramentariorum hæresin elaboravit: Quamvis, ùt Novatorum mos est, neque hi duo fabri convenire potuerint, quolibet systema ad phantasticam suam ideam procudente. Cúmque Zwinglius novi inventi gloriam solus deinde prensaret, Carlstadius omnium egenus Wittembergam rediit, ubi tantus Doctor & antea Archi-Diaconus, ab omnibus contemptus, & rustico labore se ægrè sustentans, tandem Basileam abiit, ubi præconis munere aliquamdiu perfunctus, miserè periit, suffocatus à Diabolo, si Lutheranis scriptoribus fides est. Filius verò ejus, sapientior Patre ad Ecclesiam rediit.

Ut verò Lutherus verbi Divini prætextu homines magìs deciperet, sacra Biblia, variè mutata, truncata & mutilata, in Germanicam Linguam transtulit; quo sanè effecit ut etiam fœminæ passim disputarent. 17. *Corrumpit S. Scripturam.*

18. *Emserus.* Hæc res complures viros Catholicos excitavit, ut ostensis Lutheri depravationibus, majori fide Biblia in linguam Germanicam verterent. Hos inter eminuit Hieronymus *Emserus*, Lipsiensis Doctor, Consiliarius Georgii Ducis Saxoniæ, insignis Lutheri oppugnator, cujus ostensis plurimis prævaricationibus Biblia vertit; ejus postea exemplum alii sunt secuti, ùt Ekius, Ulembergius, Dietembergius &c.

19. *Gravamina Norim.* Anno 1523. Legatus Adriani VI. Pontificis in comitiis Norimbergensibus urgebat executionem Bullæ Leonis X. & edicti Wormatiensis contra Lutherum. Verùm prævalente ibidem factione Lutherana, responsum est Legato, hoc postulatum jam non ampliùs esse de tempore. Reformandam priùs per Concilium Generale, in aliqua Germaniæ Civitate instituendum, curiam Romanam. Atque ut Lutherani eandem exosam redderent crepando abusus, *centum Gravamina* (quæ exinde *Norimbergensia* dicta sunt) confarcinabant.

§. II.
Progressus Lutheranismi.

20. *Lutheranismus in Sueciam.* Postquam lues Lutherana Saxoniam, aliásque nonnullas Germaniæ Provincias corripuerat, in extremum Septentrionem pervasit, anno 1523. nam Olaus quidam, postquam in Academia Wittembergensi pestem contraxerat, eandem in Sueciam Patriam suam intulit, afflato primùm Laurentio Archi-Diacono, ac ipso etiam Regis *Gustavi Erichsonis* Secretario.

Hic Regi de mediis inquirenti, qua ratione ærarium bellis exhaustum reparari, contractáque debita dilui possent, novæ Sectæ libertatem ostentabat; hanc Ecclesiasticorum bonorum copiam facere; ex iis fisco illatis Reipublicæ posse consuli: Plures Germaniæ Principes hanc viam jam iniisse, magno ærarii publicarúmque necessitatum levamine. Nec operosum fore ad novam Religionem Regnum pertrahere: Relinquendam conscientiæ libertatem, Lutheranis Ministris prædicationem, Sacerdotibus uxores, optimatibus portionem Ecclesiastici Spolii, maxima Regi reservata.

Rege perverso Spoliorum cupiditate. Hac esca illectus Rex liberum primò reliquit hæreseos exercitium; tum verò toto pectore venenum hauriens apertè ab Ecclesia descivit, pertracta exempli verborùmque vi majori parte Regni, ut adeò in comitiis abolita veteri Religione novella decerneretur, additúmque, bona Ecclesiarum inferenda esse Regni ærario. Sícque retentis plerísque externis ritibus ac cæremoniis quatuor ferme intra annos nobilissimum Sueciæ Regnum Lutheranæ hæresis procella raptum est.

Eadem lues incubuit Daniæ, in qua *Fridericus I.* tantùm libertatem docendi sentiendíque indulsit: Ejus verò Filius Christianus III. coronatus à *Joanne Bugenhagio* seu *Pomerano*, quem Lutherus ad eum ex integro pervertendum submiserat, stabilita Oldenburgica sua stirpe in Regno, decreto solenni Episcopatus abrogavit, plenóque alveo Lutherum admisit. 21. *Et in Daniam per Pomeranum.*

Interea etiam in Germania majores latiùs proserpendo vires accepit contagium, præsertim post altera comitia Norimbergensia, anno 1524. celebrata. Misit ad ista Clemens VII. qui Adriano VI. successerat, Legatum Cardinalem *Campegium:* Quem Principes magna quidem honoris significatione exceperunt: Sed cùm plures Lutherum animo jam imbibissent, frustra Campegius institit executioni edicti Wormatiensis, urgentibus Lutheranis, ut priùs tollantur centum Gravamina Norimbergensia contra curiam Romanam atque Ordinem Ecclesiasticum Superioribus comitiis proposita. Editum tamen urgentibus Lutheranis decretum de convocando Concilio, ut interea profundas hæresis radices possit agere. 22. *Compegius urget edictum Wormatiense.*

Catholici Principes cum Legato Pontificio hoc ipsum metuentes Ratisbonæ aliud decretum formârunt, ut videlicet edictum imperiale contra Lutherum editum exactè observetur: In ritibus Ecclesiæ nihil mutetur: Eclesiastici uxorati & Monachi Apostatæ severè puniantur: Evangelium prædicetur juxta interpretationem Patrum & Doctorum in Ecclesia receptorum: Subditi Catholicorum Wittembergæ studentes revocentur: Lutheranus proscriptus à Catholico Principe, ab altero in ditione sua non toleretur. Si quis ob hoc fœdus infestetur, cæteri sint auxilio. 23. *Decretum Ratisbonense Catholicorum.*

Lutherani ac præsertim urbes Imperiales, quarum jam multæ ad Lutheri castra desciverant, ægrè ferentes conventum illum Catholicorum Ratisbonæ, & ipsi talem indixerunt Spiram, ubi Confessio Fidei Lutheranæ cuderetur, cui omnes subscriberent. Intercessit Carolus Cæsar litteris ex Hispania missis, quibus severè vetabat Congressum Spirensem, edictúmque Wormatiense rursus imperavit quantociùs executioni dari.

Omissum quidem Spirense conventiculum, edictum verò observatum nunquam: Luthero sui securo Wittembergæ debachante, & inde novos Apostolos suos ad disseminandum novum Evangelium emittente. Quippe hoc tempore lues Wittembergica in Ducatum Luneburgicum, & Mechlenburgicum, in Pomeraniam, Holsatiam, in Prussiam & Livoniam est propagata. 24. *Provinciæ Boreales perversæ.*

Utraque hæc Provincia ad Ordinem Teutonicum pertinuerat. At *Albertus Brandeburgicus*, Ordinis Magister, Ecclesia Catholica, quam defendere voto fuerat obstrictus, deserta, Lutherum secutus est; útque alterum etiam votum Religiosum solenne frangeret, uxorem duxit Filiam 25. *Prussia.*

Regis

Regis Daniæ. Submisit se deinde Sigismundo I. Regi Poloniæ, à quo Prussiam Orientalem sub nomine *Prussiæ Ducalis* in feudum accepit.

Lutherus his adeò prosperè gestis monachalem habitum, quem hactenus gestaverat, abjecit, dicique voluit *Doctor Martinus Lutherus.* Tædium tamen aliquod sensit à pristino suo amico Erasmo: Qui anno 1524. Diatribam suam edidit de *libero Arbitrio* contra Lutherum; ab Emsero deinde in Germanicum versam. Opposuit tandem Lutherus tractatum de *servo Arbitrio*, more suo crassum & petulantem, omnia fato quodam & necessitate ineluctabili fieri dictitans.

§. III.

De Bello Rusticorum, variis comitiis, & Confessione Augustana.

26. *Origo Belli Rustici.* Anno 1525. Lutherus seditiosis scriptis classicum ad arma Rusticana cecinit, abusus verbis Domini, non venisse se, ut pacem mitteret, sed gladium. Doctrinam istam gnaviter sibi impresserant quidam ejus Discipuli, fortassis ultra Magistri votum dociles.

Hos inter eminebant *Thomas Mincerus* & *Nicolaus Storckius*, qui libertatem Christianam, toties à Luthero laudibus celebratam, per Germaniam discurrentes prædicabant; omnes inter se pares esse debere; nullas Leges, nulla Præcepta, onera nulla esse imponenda. Hæc erat illa tuba, quæ Martem plebejum accenderat, Rusticorum undique turba adversus Dominos suos insurgente, & ad arma confluente.

27. *Postulata Rusticorum.* Initium factum in Suevia: Ubi Rustici 12. Articulos Principibus & Magistratibus suis proposuerunt: Quibus postulabant, ut pro arbitrio liceat sibi Ministros eligere, qui prædicent purum verbum DEI, sinè mixtura humanarum inventionum. Ut ex solo frumento petantur decimæ; ut Sylvæ sint communes; ut in iis tantùm teneantur obedire, quæ ipsis justa & honesta videbuntur. Ut aboleantur omnia, quæ libertati pugnant.

28. *Ac furor.* Cùm autem Nobiles in has pactiones ire nollent, innumera Rusticorum examina per Sueviam, Franconiam, Alsatiam, Thuringiam ac Rhenanas Provincias direptionibus, rapinis, incendiis, arcium eversione, cædibúsque, furore inaudito sunt grassati, Helffensteinio Comite cum multis aliis de Nobilitate barbarè trucidatis.

29. *Rusticorum clades. & Minceri.* Quare Principes icto fœdere adversus Rebelles subditos arma corripere coacti sunt; atque in Suevia à Fürstenbergio & Truchsesio, ad Rhenum à Palatino & Trevirensi, in Lotharingia & Alsatia ab Antonio & Fratre ejus Duce Guisio multa Rusticorum millia cæsa sunt. In Thuringia adhuc restabat bellum, ubi *Mincerus* ipse Propheta Victoriæ Rusticos ducebat. At etiam ibidem à Joanne Electore Saxoniæ, qui Friderico

Fratri

fratri nuper successerat, à Georgio Duce, Philippo Hasso, & Henrico Brunsuicensi facilè fusi sunt, capto Mincero, & manu carnificis interfecto; attamen, ùt fertur, pœnitente. Atque sic finitum est Bellum Rusticum; in quo intra trimestre spatium ultra centena rusticorum millia occubuisse perhibetur.

Lutherus, cùm videret rusticos passim vinci, cædíque, contra eos calamum convertit; ne tot seditionum, cædium, atque ruinarum Author esse videretur. Quàm parùm tamen Germaniæ ingementis cladibus tangatur, satìs prodidit: dum hoc ipso luctuoso tempore Sacrilegas nuptias contraxit cùm Catharina Bore, una ex illis, quas biennio ante Leonardus Koppen è monasterio Wittembergam Luthero adduxerat. Valuítque perniciosum exemplum ad multorum ruinam. Frustra tamen Alberto Cardinali Brandeburgico has tædas admovere est conatus, quem sollicitare non erubuit proxeneta propudiosus, ut cognati sui Magni Prussiæ Magistri exemplum secutus, uxorem ducat, & Archi-Episcopatus Moguntinum & Magdeburgensem Filiis suis hæreditarios relinquat. At Cardinalis impudentem ac carnalem rabulam nec responso dignatus est. Rex Angliæ & Georgius Dux Saxoniæ responderunt quidem ad novas Lutheri incantationes, quibus in suas eos partes trahere nitebatur; sed quia solide ejus errores confutârant, nil nisi olida sputa & scurriles contumelias ab eo deinceps reportârunt. 30. *Lutheri Nuptiæ.*

Felicior autem fuit (quin infelicior) in pervertendo Philippo Hassiæ Landgravio, potenti deinceps Sectæ novellæ Patrono, qui primus in comitiis Spirensibus, anno 1526. habitis, rei Divinæ veteri more celebratæ interesse noluit: Cùm hactenus quoad externos ritus nihil admodum mutatum vellent heterodoxi Principes. 31. *Hassus seductus.*

Proposuit in his comitiis Ferdinandus Archi-Dux nomine Cæsaris Fratris sui executionem decreti Wormatiensis, & suppetias ferendas Ludovico Hungariæ Regi, adversus Solimannum eas ennixè flagitanti. Neutrum impetratum, Luthericolis ad mutua adversus Catholicos fœdera se jam parantibus. Sícque Ludovicus destitutus auxiliis ad Mohatium cæsus, vernanti in ætate occubuit, & cum eo flos exercitûs, omnísque fermè Hungaria, magnis deinceps adversus Turcas bellis, magnáque variantis fortunæ vicissitudine, reparanda ab Augustissima Domo Austriaca, perenni aggere, ne in Germaniam se effundant fluctus Ottomannici. 32. *Hungariæ clades.*

Sed neque intra Germaniam se continuit furor Lutheri; Romam usque, quod unicè concupierat, pervasit, cum incredibili urbis ruina anno 1527. cùm enim Clemens VII. consilio præcipiti adversus Carolum V. Cæsarem fœdus cum quibusdam iniisset, Carolus Borbonius Cæsarei Dux exercitus transitum per urbem Romanam copiis petebat: Quo ne- 33. *Ac Romæ.*

gato urbem oppugnavit, & expugnavit, in ipso tamen assultu globo trajectus occumbens, irrumpente in urbem, leviter defensam, Cæsareo milite. Tum verò dictu incredibile, qua rabie Lutherani, quorum multi erant in exercitu, urbem sint deprædati. Nulli parsum sexui aut ætati, ne quidem iis, qui Cæsarearum erant partium: Tam sanctum nihil, quod non pollutum, inhorrescente ipso Cæsare, cùm tristi nuntio barbaram crudelitatem accepit. Errant profectò, qui militum excessus Principi tribuunt, præsertim absenti: Sæpè nec Duces præsentes compescere possunt ferocientem licentiam. Per hæc Capitum nostrorum jurgia & Turcis & Lutheranis crescendi spatium est concessum: Quare remedium paraturus

34. *In comitiis Spirensibus protestantur Lutherani.* Anno 1528. Carolus Cæsar comitia Ratisbonam indixit, consultura de Religionis negotio, & bello adversus Turcas apparando. Verùm propter falsas Lutheranorum suspiciones in annum sequentem differri oportuit. Igitur anno 1529. comitia *Spiræ* sunt habita. Ubi miranda Pontificis nomine subsidia contra Turcas obtulit; licèt urbs à direptione necdum se collegisset. Circa Religionem decretum denique, nullum ampliùs Catholicum à Religione posse deficere, sed exspectandum usque ad decisionem Concilii: Ubi verò nova sit recepta, posse illam interim ibi persistere: non impedito tamen Catholicæ Religionis exercitio: Missam aboleri non posse: Sacramentarios ex Imperio proscribendos Anabaptistas verò morte plectendos: Evangelium prædicandum in sensu ab Ecclesia recepto.

35. *Unde Protestantium nomen.* Contra hoc Decretum protestati sunt sex Principes Lutherani, Saxo nempe, Onolsbacensis, duo Luneburgici, Hassus & Anhaltinus cum 14. Urbibus Imperialibus. Unde ortum famosum illud nomen *Protestantium*, quod subin alii etiam Novatores usurpârunt.

36. *Vienna liberata.* Circa subsidia adversus Turnas mittenda nihil à Protestantibus istis obtineri potuit, unde Solimannus direpta Hungaria ad ipsam Viennam ingentem admovit exercitum. Verùm strenuè illam propugnante Philippo Palatino Principe Catholico, Electoris Lutherani nepote, Turca amissis sexaginta suorum millibus, quà cæsis, quà fame, frigore, morbísque consumptis, turpi fuga Constantinopolim se recipere coactus est: ringente Luthero, Catholicos non fuisse protritos.

Hac tempestate missi à Lutheranis Legati Placentiam ad Carolum Cæsarem, qui protestationem suam contra Decretum Spirense apud eundem interponerent, ac liberum Religionis exercitium per Germaniam usque ad decisionem Concilii, in Germania celebrandi, deposcerent. Reposuit Augustus, pessimè factum, quod pauci Status contra Decretum sint protestati: In comitiis Imperii valere majorem partem suffragiorum: Hoc nisi observetur, bases ac fundamentales ejusdem leges subversum iri.

Philip-

Philippus interim Haſſus, ut majori numero adverſus Catholicos pugnaret, omnem operam intendit, ut Zwinglianos uniret cum Lutheranis; convenerunt proin Marpurgi, evocati cum Luthero Wittembergâ Melanchton, & Juſtus Jonas, Norimbergâ Oſiander, Brentius Hala Suevorum, & Stephanus Agricola Auguſta; cum Zwinglio, Sacramentariorum Duce, Oecolampadius, Bucerus, & Hedio. Diſputatum triduo de Euchariſtiæ Sacramento: at irrito conatu, Luthero veram ac realem præſentiam Chriſti ex Evangelio comprobante, Zwinglio ex eodem Evangelio probante oppoſitum: Ita videlicet novis his prophetis Spiritus contrarias omnino veritates inſpiravit: & Evangelium utrique clarum erat pro ſua ſententia. Unde factum, ut pars utraque triumphum caneret; cœptúmque Lutheranos inter & Zwinglianos bellum illud Sacramentarium, quo ſe mutuò accerbiſſimis ſcriptis tanquam teterrimos hæreticos proſciderunt. 37. *Marburgenſe colloquium.*

Haſſus in colloquio Marpurgenſi fine ſuo fruſtratus, aliò vertit conſilia, ut hæreſi jus civitatis in Imperio extorqueret. Unde jacta Smalcaldici fæderis ſemina, in ingentem bellorum ſegetem excretura. 38. *Initia fœderis Smalcaldici.*

Cæſar collato Bononiæ cum Pontifice conſilio, poſtquam bellum Gallicum & Italicum confecit, anno 1530. Comitia totius Imperii Auguſtam indixit, per ſe ipſum iisdem præfuturus.

Interea Proteſtantes cudebant famoſam ſuam *Confeſſionem Auguſtanam* 28. articulis comprehenſam: præerat huic novo operi *Philippus Melanchton*, quàm obſcuro in Palatinatu ad Rhenum genere, tam illuſtri ingenio, atque humaniore litteratura ac Philoſophicis diſciplinis egregiè exculto. Commotus fama Juvenis Fridericus Elector Saxoniæ ad Academiam ſuam Wittembergenſem eundem accivit. Ubi præcipua quadam cum Luthero, quamvis indole diſſimili, familiaritate & amicitia junctus, aſperos illius mores doctrinámque, licèt Diſcipulus, moderari ac temporare quandoque ſatagebat; homo ſcepticus, dubitans, varians, vacillans; de quo hodiedum diſceptatur, cujus fidei fuerit, Lutheranis illum ſibi vendicantibus, repoſcentibus Calviniſtis, Arianis ſuum eſſe dicentibus. 39. *Melanchton cudit Confeſſionem Auguſtanam.*

Imperator Carolus magnifica pompa ingreſſus Auguſtam die altero, in quem feſtum Corporis Chriſti incidebat, deductionem SS. Sacramenti ſolenniſſimo apparatu celebrari voluit; cui dein ipſe cum omnibus Principibus Catholicis interfuit: Lutheranis comparere detrectantibus. Inhibitæ iſtis à Cæſare ſunt conciones & Miſſæ; ac orationi, quam Campegius, Legatus Pontificius, habuerat, adeſſe compulſi ſunt. 40. *In Comitiis Auguſtanis Cæſari. Oblatam*

Oblata postea Imperatori à sex illis Principibus, quos antè memoravimus, & duabus civitatibus, Norimbergensi nimirum & Reutlingana, Confessio Augustana, ac publicè lecta. Cæsar illam Catholicis Doctoribus examinandam dedit: qui illam adeò solidè confutârunt, ut multo majori suffragiorum numero fuerit rejecta, confutatio autem illius approbatione roborata: Philippo Landgravio indignante, & ne quidem salutato Cæsare, discedente.

41. *ac solidè refutatam.*

Ad reliquos Principes Protestantes Joachimus I. Elector Brandeburgicus, apprimè Catholicus, facundam Orationem habuit, qua eos adhortabatur ad abjiciendam Confessionem suam, tam solidè S. Scripturæ Patrúmque Authoritate refutatam, deputati ex utraque parte, qui eandem rursus examini subjicerent, Præsidibus Eckio & Melanchtone. Et quamvis hic multa remitteret, temperaret, variaret, quia tamen Lutherus, ad quem in propinquo Coburgi hærentem omnia deferebantur, contumaciter resistebat, quin hoc ipso tempore complures seditiosos libellos adversus Imperatorem, & Episcopos spargebat, unio constitui non poterat.

42. *Decretum Cæsareum.*

Quare Imperator Decretum edidit, quo Protestantibus tempore ad deliberandum præfixo, an rejecta sua confessione sequi in omnibus velint doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, vetuit, ne interim scripta ederent, aut quenquam ad sectam suam pertraherent, aut Catholicos ab exercitio suæ religionis impedirent: Contra verò ad exterminandos Sacramentarios & Anabaptistas collaborent: se operam daturum, ut propediem à Pontifice generale indicatur Concilium.

Principes accepto hoc decreto, apologiam pro Confessione Augustana à Melanchtone compositam offerunt Cæsari: Qui eandem abjecit, ac decreto suo morem geri voluit. At illi parere recusantes discesserunt, nec quidquam in subsidium adversus Turcam conferre voluerant. Unde Cæsar ad finem comitiorum novum decretum publicavit, quo sanxit, solam religionem Catholicam in Imperio exercendam, omniáque in statum pristinum reducenda: Vetita severè omni contraria doctrina, consuetudine, ac ritu, usque ad decisionem Concilii.

43. *Cur petierint Concilium.*

Ubi notandum venit, Protestantes, licèt sæpiùs ad Concilium generale appellârint, nihil tamen minùs optâsse, quàm Concilium, ut postea etiam apparuit; cum ad illud invitati comparere noluerint. Sed petebant Concilium, quod videbant propter bellorum tumultus aliásque difficultates tam brevì haberi non posse, ut interea impunè sectam suam virésque augere possint.

44. *Fœdus Smalcaldicum.*

Nam paulò post Smalcaldiæ in Hassia convenerunt, ac fœdus inierunt in mutuam sui defensionem contra quoscunque, qui in religionis suæ exerci-

exercitio turbare eos vellent; pertractis etiam in fœderis societatem civitatibus Imperialibus.

Quin Reges etiam Galliæ & Angliæ, quibus invisam esse nôrant Caroli V. vastam potentiam, sollicitârunt: at illi negato novæ sectæ patrocinio, pro juribus tantùm imperii Ordinum conservandis, & libertate Germaniæ auxilia addixêre.

Cùm autem anno 1531. Solimannus cum innumerabili exercitu Germaniæ finibus immineret, atque Protestantes icto fædere Smalcaldico tumultuarentur, quin & Catholici etiam quidam Principes subsidia Turcica negarent, offensi, quòd Carolus Cæsar Ferdinandum fratrem suum Coloniæ eligi curârit in Regem Romanorum; ideò cedendum aliquantùm tempori ratus, missis Norimbergam, ubi Smalcaldici fœderis socii congregati erant, legatis, edictum Wormatiense & Augustanum suspendit usque ad futurum Concilium: Permisso interim Lutheranis religionis suæ exercitio, protestante licèt legato Apostolico. 45. *Suspensio Decreti Wormatiensis & Augustani.*

Facta hac Norimbergensi pace Cæsar magno cum exercitu Solimanno obviàm processit, anno 1532. at ille Caroli virtutem & fortunam nolens experiri, expilata Hungaria in Thraciam se retraxit.

§. IV.

Consilia de convocanda Synodo.

Cum Protestantes sæpiùs simulata Concilii spe illud expeterent, & Imperator etiam in memorato paulò antè tractatu Norimbergensi religionis libertatem illis indulsisset usque ad illius decisionem, convenerunt anno 1533. Pontifex & Imperator Bononiæ, de Concilio inituri Consilium. 46. *Conditiones celebrandi Concilii.*

Consensit facilè Pontifex, modò Protestantes his starent conditionibus: ut scilicet Concilium sit liberum & universale pro more omnium temporum: ut eligatur commodus pro eo locus, Bononia, vel Mantua, vel Placentia: ut Principes in eo vel per se vel per Legatos compareant: Ut omnes se subjiciant Concilii Decretis: aliàs frustra convocatum iri. Quod si non fieret, Cæsar ac Principes Ecclesiam defendere teneantur. Si articuli isti acceptentur, Pontifex intra sex menses Concilium indicat, post annum ab indictione celebrandum.

Hi articuli à Pontifice & Cæsare missi ad *Joannem Fridericum*, Electorem Saxoniæ, qui Joanni nuper mortuo successerat: ille communicato cum sociis Smalcaldicis consilio respondit: nullum admitti posse Concilium cum ejusmodi conditionibus: elucere ex illis Pontificis tyrannidem; everti libertatem. Postulari Concilium, in Germania celebrandum: in quo Pontifex neque præsideat, neque Judicem agat: cùm 47. *Rejectæ à Lutheranis.*

48. *qui alias proponant* pars sit, contra quam agendum: tale item Concilium, cujus sententiam nemo teneatur amplecti, nisi quæ Verbo Dei conformis reperitur.

Anno 1534. mortuo Clementi VII. successit Cardinalis Alexander Farnesius assumpto nomine Pauli III. qui illico magnopere urgebat Religionis & Concilii convocandi negotium. Atque ut prætextibus Lutheranorum obviaret, delegavit quosdam cum plena potestate corrigendi abusus, qui in curiam Romanam aut Ecclesiasticum Ordinem irrepsissent: creatis etiam ad hoc Cardinalibus, viris, doctrina & vita præstantibus, Simoneta, Contareno, Jacobatio, Montano, Sadoleto, Bembo, Fischero, Schombergio, Caraffa &c.

49. *Paulus III. urget Concilium.*

Anno igitur 1535. Paulus III. legatum ad omnes misit Principes Paulum Vergerium (qui postea factus Episcopus Justinopolitanus in Istria, cum fratre suo infelix apostata, ad Grisones profugit) Protestantes Smalcaldiæ erant congregati, ubi novum inter se fœdus in decennium inierunt, pertracto etiam (diversis licèt ex finibus) in societatem Regibus Galliæ & Angliæ. Hic ultimus, licèt à Romana Ecclesia schismate se absciderit, Lutheranos tamen in Anglia non est passus.

Smalcaldici dein fæderati Pontificio ad se Nuntio acerbè respondent, atque eas Concilii conditiones præscribunt, quas acceptari non posse satis nôrant. Constare debere synodum ex illis, quos Imperator, reges & Principes deligerent, laicos juxta & Ecclesiasticos, qui causam religionis ex verbo Dei definirent. Atque hoc erat, cur Clemens VII. quoad viveret, à Concilio alienior sit visus, satìs prospiciens, Protestantes in nullo legitimo comparituros; quod Paulus III. deinde expertus est.

50. *Illudque indicit Mantuam*

Is anno 1536. Concilium indixit, urgente Cæsare, à gloriosa expeditione Africana reduce, in qua expugnata Galatha & Tuneto Barbarossam Algerii Regem devicit, liberatis 20000. Christianorum mancipiorum.

Protestantes interea Wittembergæ congregati in cudenda Unione cum Zwinglianis rursus laborabant, ut per eorum accessum potentiam suam augerent. At frustra: Quia Lutherus immobilis erat in asserenda reali præsentia Christi in Eucharistiæ Sacramento. Solus Bucerus Præconum Argentinensium primipilus admissa tandem Christi præsentia in ipso usu Sacramenti, Lutheranis unitus est: Postquam errores Zwinglii ejuravit. Bucerum deinde secuta est ipsa Argentina, cum præcipuis Ministellis, uti Musculo, Capitone &c.

51. *Protestantibus Lutheranis.*

Anno 1537. crescente Smalcaldico fœdere ex accessione Regum Daniæ, & Sueciæ, Ducis Wirtembergici aliorúmque Principum, convocati sunt Lutherus, Melanchton, Pomeranus, Bucerus, Osiancer, aliique Luthe-

Lutheranorum Myſtagogi ad examinandam Bullam indictionis Concilii,
quam Proteſtantibus obtulerant Vorſius Legatus Pontificis & Heldenus
Orator Cæſaris. Sed viribus ſuis confiſi cum faſtidio reſponderunt, ſe nun-
quam conſenſuros in Concilium extra Germaniam celebrandum: indicen-
dum illud eſſe ab Imperatore, Regibus & Principibus, Pontifici verò com-
parendum tanquam parti litiganti & accuſatæ. Scriptum denique per om-
nem Europam vulgabant, in quo momenta ſua proponebant, cur Con-
cilium Mantuam indictum rejicerent. Rex Galliæ ab illis rurſus ſollicita-
tus, protectionem quidem ſuam adverſus Cæſarem, cum quo bellum rur-
ſus inſtauraverat, ipſis addixit, Concilium tamen celebrandum *ſecundùm
conſuetudinem antiquam* reſpondit.

Cùm autem Catholicos ex ditionibus ſuis expellerent, atque ad Se- 52.
ctam Lutheranam adigerent, Principes Catholici Norimbergæ congrega- *Unio Ca-*
ti, fœdus & ipſi inter ſe inierunt, adverſus omnes, qui exercitium Catholi- *tholico-*
cæ Religionis impedire præſumerent. *Unionis* iſtius Protectores ac Duces *rum.*
declarati Carolus Imperator, & Ferdinandus Rex. Pontifex autem cùm
Dux Mantuæ urbem ſuam Concilio cunctaretur concedere, Vicentiam
illud convocavit, ratus, urbem ditionis Venetæ gratiorem Germanis fu-
turam.

Igitur anno 1538. ùt ùt ſenio jam confectus Niceam uſque profectus 53.
eſt, ut ibidem pace inita Cæſarem inter & Regem Galliæ, (quorum uter- *Papa Ni-*
que Præſens erat) Concilium congregari poſſet. At ultra inducias in de- *ceam pro-*
cennium obtinere nil potuit. Principibus verò iſtis aliò diſtractis, cùm *fectus.*
pauci Vicentiæ comparerent, in aliud tempus Concilium prorogare coa-
ctus eſt, non ſinè magno ſuo dolore, quem in Bulla indictionis teſtatur.

Annus 1539. & 1540. inter varia colloquia utriusque fœderis, Fran- 54.
cofurti, Hagenoæ & Wormatiæ inſtituta, eſt transactus: At omnia incaſ- *Obitus Ge-*
ſum. Nec Concilio Generali locus, ſociis Smalcaldicis Concilium more *orgii Sa-*
veteri celebrari nolentibus; Galliæ verò Rege Mediolanum depoſcente, *xonis &*
bellúmque rurſus minitante, ac dein etiam inferente. Obiit hoc tempore *Brande-burgi.*
Georgius Dux Saxoniæ Catholicæ Religionis defenſor eximius, quem pro-
pterea Lutherus petulantiſſimis ſcriptis invaſit. Poſt ejus autem mortem
Lipſia, omnéſque aliæ ejusdem urbes & ditiones in Saxonia, Miſnia & Thu-
ringia à Luthero perverſæ ſunt. Idem contigit in Marchia Brandeburgi-
ca Anno 1535. poſt mortem Joachimi I. ferventiſſimi Electoris Catholici.
Imò ipſe etiam Cardinalis Albertus, Joachimi Frater, in Diœceſi Magde-
burgenſi & Halberſtadienſi novitiam Sectam tolerare coactus eſt.

Anno 1541. indictus eſt à Cæſare novus Conventus Ratisbonam: 55.
Cui præſens etiam fuit Cardinalis *Contarenus* Pontificis Legatus. Corre- *Diſputatio*
xit is 21. Articulos à Bucero, Apoſtata Dominicano, compoſitos. Delecti *Ratisbo-*
dein *nenſis.*

dein tres Theologi ex utraque parte à Cæſare, nempe ex parte Catholicorum Julius Pflugius, Joannes Gropperus, & Joannes Eckius: Ex Proteſtantibus Melanchton, Bucerus, & Piſtorius. Sed poſt menſem, diſputationi impenſum, nihil actum erat. Oſtendit profectò experientia, per ejusmodi tractatus circa Religionem malum irritari potiùs quàm ſanari: Sicut enim Zenonis Henoticon, Heraclii Ectesis & Conſtantis typus auxerunt potiùs diſcordiam, ita ejusmodi Tractatus cum Lutheranis.

56. *Negata Vicentia Tridentum propoſitum* Re igitur infecta Cæſar in Italiam diſceſſit; ubi de neceſſitate maturandi Concilium cum Pontifice collocutus, ad alteram Africanam expeditionem ſe accinxit. Quâ tempeſtatum injuriâ fruſtratâ in Hiſpaniam reverſus eſt. Pontifex autem, cùm Veneti, ne Solimanno ſuſpicionem aliquam moverent, Vicentiam ægrè concederent, *Tridentum* indicere Concilium ſtatuit: ídque per Nuntium ſuum *Moronum* Statibus Imperii Spiræ congregatis proponi curavit anno 1542.

57. *Pflugius* Acceptatus illico locus fuit à Ferdinando Rege, omnibúsque Catholicis, proteſtantibus rurſus Lutheranis: Tridentum urbem eſſe magìs Italicam, quàm Germanicam: Pontificem non debere convocare Concilium, imò ne nomen quidem ejus in litteris convocationis exſtare. Factíque conniventia audaciores, in dies magìs adverſus Catholicos inſoleſcebant. Sic dum Julius Pflugius a Capitulo Naumburgenſi electus eſſet Epiſcopus, Fridericus Elector Saxoniæ electionem illam irritam declaravit, eò quòd Pflugius non eſſet Confeſſionis Auguſtanæ, atque Nicolaum Amſdorffium, ex Lutheri triariis hominem, intruſit: Quem Lutherus manibus impoſitis conſecravit.

58. *Indictio Concilii Tridentini* Pontifex tamen Paulus incredibili ardens deſiderio uniendi Eccleſiam, Concilium indicit Tridentinum Bulla hac ſuper re edita: In qua narratis Eccleſiæ totiúsque Chriſtianæ Reipublicæ calamitatibus, à Turca illatis in Hungaria, Germania, atque Italia, dum interim Chriſtiani Principes inter ſe armis & animis diſſentirent. Quo factum, ut omnes conatus ſui hactenus fuerint fruſtranei, quos adhibuerit in convocando Concilio: Malum jam in dies ulteriùs ſerpens expoſcere, ut etiam non exſpectato Principum conſenſu medicina adhibeatur. Se proin Concilium Oecumenicum indicere in 1. Nov. anni 1542. invitatis ad id omnium nationum Epiſcopis.

29. *Dillatio illius* Verùm erumpente rurſus bello Carolum inter Cæſarem & Franciſcum Regem, ac Turca etiam Hungariam depopulante, advenire ad Concilium Prælati Nationum non poterant: Qua propter Legatis Pontificiis per ſex menſes Tridenti fruſtra exſpectantibus, in aliud iterum tempus Concilium differri debuit.

Ac-

Accidit hoc tempore *Hermanni* Comitis de Weiden, Archi-Episcopi & Electoris Coloniensis infelix lapsus. Is enim, rudis omnino doctrinæ-que expres à Lutheranis, in ejus aulam se insinuantibus, persuasus est, ut Martinum Bucerum, qui Ecclesiam Argentinensem reformâsset ac postmodum etiam Melanchtonem, & Pistorium advocaret, quibus se totum pervertendum obtulit: Opponente se Clero Coloniensi, præcipuè *Groppero*, Ecclesiæ illius Archi-Diacono, ac postmodum Cardinale à Paulo IV. creato: Cujus præstanti doctrinæ, cum insigni probitate & Religionis constanti zelo conjunctæ, Coloniensis Ecclesia à procella illa conservata plurimùm sanè debet. 60. *Hermanni lapsus.*

Cùm autem Hermannus, in Lutheranam hæresin prolapsus, contumaciter in ea perseveraret, à Pontifice excommunicatus est, atque depositus, surrogato in ejus locum Adolpho Schauenburgio: Qui provincia sua à fæcibus expurgata, exactis Novatoribus, rem Catholicam restituit. Infelix verò Hermannus, devictis à Cæsare atque dissipatis Smalcaldici fœderis sociis, ab Electoratu pariter depositus, in hæresi obstinatus in comitatu suo Weidensi octogenarius interiit.

Anno 1543. Franciscus Rex Galliæ Carolum Imperatorem suis & Turcarum viribus invasit, Cliviæ etiam Duce in partes suas pertracto; Quem Cæsar primò aggressus fœderi Gallico renuntiare coëgit. 61. *Facilitas in Lutheranos.*

Utque hosti ab Oriente & Occidente incumbenti unitis Germaniæ viribus occurreret Carolus, anno 1544. Spiræ Imperii Comitia sunt habita. In quibus, excluso Legato Pontificis, multa Lutheranis concessa, reductáque ferme ad æqualitatem Jurium Catholica & Lutherana Religio.

Ingemuêre Catholici, summos Ecclesiæ Catholicæ Principes pertinacibus adeò bellis se mutuò ad ea consilia impellere, quæ ipsismet ingrata, & Religioni Orthodoxæ, utrique communi, plurimum detrimenti afferant. Quare Pontifex prolixam ad Cæsarem dedit epistolam, in qua adversus decretum Spirense conquestus est. Respondit Carolus, meliora expectanda esse tempora.

Et profectò meliora affulserunt, cùm hoc eodem anno 1544. pacem *Crespiacam* Carolus & Franciscus inierunt, à toto Orbe Catholico & præsertim à Pontifice tantopere exoptatam. Majus adhuc gaudium allatum est, ubi innotuit, utrumque Principem se obligâsse ad agendam communi concilio & opera causam Religionis, curandúmque, ut quamprimùm Concilium Tridentinum convocetur à Pontifice. 62. *Pax Crespiaca.*

Anno igitur 1545. in Comitiis Wormatiensibus Ferdinandus Rex, & Cardinalis Otho Truchsesius, Episcopus Augustanus, indicabant, Cæsarem ac Regem Galliæ procurâsse convocationem Concilii, toties desiderati: Standúmque illius decretis. Deinde urgenda subsidia pro bello Turcico,

ad quod etiam Rex Galliæ promiſerit auxilia. Proteſtantes inhærebant ſuo reſponſo, in Germania celebrandum Concilium, cui Pontifex nec per ſe nec per Legatos præſit. Aliàs nulla ab ipſis ſperari poſſe adverſus Turcam ſubſidia.

Cernens igitur Imperator Proteſtantes ſpreta authoritate ſua adverſus omnia edicta obſtinatos, neque aliter, niſi armis, compeſci poſſe, diſſolutis comitiis Wormatienſibus, aliaRatisbonam indixit. Quod ægrè ferebant Catholici, ignari taciti Imperatoris conſilii.

§. V.

Concilium Tridentinum inchoatum ſub Paulo III. Primæ IV. *Seſſiones.*

63. *Seſſio I.* Interea Pontifex Legatos ſuos, Cardinalem *de Monte* & *Cervinum*, *cum Reginaldo Polo* Tridentum miſit ad inchoandum Concilium. Habitáque prima Seſſio 13. Decembris: in qua propoſitæ cauſæ celebrandi Concilii, videlicet extirpatio hæreſum, pax & unio Eccleſiæ, reformatio Cleri & populi Chriſtiani, ac depreſſio hoſtium Chriſtiani nominis; præſentibus duntaxat præter Legatos quatuor Archi-Epiſcopis, 22. Epiſcopis, & 6. Generalibus Ordinum cum Legato Ferdinandi Regis. Legati autem Galliæ propter dilationem Concilii revocati fuerant.

Seſſio II. Anno 1546. die 7. Jan. celebrata eſt altera Seſſio, in qua ſtatutus eſt modus piè, & modeſtè ſe gerendi in Concilio. Addita proteſtatio, quòd ordo ſedendi in Concilio nemini debeat præjudicare, aut novum Jus tribuere.

Seſſio III. In tertia 4. Febr. lectum eſt Symbolum Nicænum.

64. *Seſſio IV. de libris S. Scripturæ Verſione vulgata &c.* In quarta 8. April. præſentibus jam 5. Cardinalibus, 9. Archi-Epiſcopis, & 41. Epiſcopis, ſtatutus numerus *librorum S. Scripturæ* ſecundùm antiqua Concilia, & perpetuam Eccleſiæ traditionem. Tenendam *verſionem vulgatam* pro authentica: Eóque ſenſu intelligendam, quem tenuit & tenet S. Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione SS. Scripturarum: Libros non eſſe edendos ſinè approbatione & Facultate debita; nec ſinè addito nomine Auctoris. Verba Scripturæ non adhibenda ad facetias, jocos, incantationes &c.

Seſſio V.
De Peccato originali.

In quinta 17. Junii editum decretum de peccato Originali: Adamum per peccatum amiſiſſe Juſtitiam, & ſecundùm corpus & animam in deterius eſſe mutatum: Origine unicum propagatione transfuſum omnibus ineſſe cuilibet proprium: Atque ſolùm tolli per merita Chriſti nobis applica-

plicata per baptismum: per quem adimitur, etiam parvulis, quidquid propriam rationem peccati habet: remanente concupiscentia, quæ non est verum peccatum: quamvis aliquando peccatum vocetur, quia est ex peccato & ad peccatum inclinat. *Lutherus docebat, peccatum non tolli per baptismum, sed tantùm non imputari: Et concupiscentiam esse peccatum.*

Ubi autem definit Concilium, peccatum Originale omnibus inesse, addit, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto *Beatam & Immaculatam Virginem Mariam:* Sed observandas Constitutiones Sixti IV. quæ habentur in *extravag. commun. c.* 1. *&* 2. *de Reliquiis & venerat. Sanct.* 66. *De Immaculata Conceptione.*

In his Capitulis Sixtus IV. Missam & Officium de Conceptione Immaculatæ Virginis instituit, insignésque Indulgentias hoc festum & Officium devotè celebrantibus impertitur: Statuítque, eos ipso facto incurrere excommunicationem, qui alterutram sententiam de Immaculata Conceptione hæresis aut peccati mortalis condemnant.

Postmodum verò Paulus V. Gregorius XV. & Alexander VII. adhuc pressiùs prohibuerunt sententiam de Immaculata Conceptione quovis modo improbare, aut refutare.

Addita fuerunt duo decreta de *Reformatione.* Primum est de constituendo Theologiæ Professore in Cathedralibus Ecclesiis & insignibus collegiatis pro lectione S. Scripturæ, eíque comparando congruo stipendio: Item de constituendo Magistro inferiorum Scholarum in minoribus Ecclesiis, qui gratìs doceat Clericor & pauperes Grammaticam. 67. *De prælectione S. Scripturæ & prædicatione.*

Alterum Caput declarat, omnes Episcopos, Archi Episcopos & Ecclesiarum Prælatos teneri per se ipsos, si non sint impediti, prædicare Evangelium: si verò impediti fuerint, viros idoneos adhoc munus eligere.

In Monasteriis quoque habeatur lectio S. Scripturæ: Nec possint Regulares extra suas Ecclesias prædicare sinè facultate Episcopi. Si scandala aut hæreses disseminent, poterit Epscopus tanquam delegatus Sedis Apostolicæ contrà eos procedere secundùm Juris dispositionem.

Sessio VI.
De Justificatione.

In sexta Sessione celebrata 13. Jan. 1547. editum est decretum de *Justificatione:* Quo statuitur 68.

1. Perveniri non posse ad Justificationem per vires naturæ, aut Legem Mosaicam,

2. Propterea misit Pater Divinus Filium suum.

3. Per cujus merita tribuitur nobis gratia, qua justi efficimur. Licèt autem Christus pro omnibus sit mortuus, tamen illi solùm mortis ejus beneficium recipiunt, quibus passionis ejus meritum applicatur.

4. Justificatio autem fieri non potest sine baptismo, aut ejus voto.

5. In adultis præparatio ad Justificationem fit per gratiam excitantem & adjuvantem, eidem liberè assentiendo & cooperando, cùm illam abjicere possent.

6. Unde disponimur per fidem, timorem Divinæ Justitiæ, & spem, incipiendo Deum diligere tanquam omnis Justitiæ fontem.

7. Dispositionem sequitur ipsa Justificatio, quæ non est sola peccatorum remissio, sed sanctificatio per susceptionem gratiæ. Justificationis autem causæ sunt: *Finalis* gloria Dei & Christi, ac vita æterna. *Efficiens* Deus. *Meritoria* Christus. *Instrumentalis* Baptismus. *Formalis* Justitia Dei: Non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, Justitiam in nobis recipientes secundùm propriam dispositionem. Simúlque infunditur Fides, Spes & Charitas: Sinè quibus Fides mortua est.

8. Dicimur tamen *per Fidem* justificari: Quia Fides est humanæ salutis initium, fundamentem & radix omnis Justificationis, sinè qua impossibile placere Deo. *Gratis* autem justificamur, quia gratiam justificationis non meremur per nostram præparationem.

9. Nemo autem scire valet certitudine Fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

10. Augetur autem gratia justificans per bona opera, & observantiam Mandatorum:

11. Quæ non sunt impossibilia, & quamvis etiam justi in levia & quotidiana peccata quandoque cadant, non desinunt tamen esse justi. Neque justus in quolibet opere peccat.

12. Citra specialem revelationem nemo pro certo scire potest, an sit prædestinatus.

13. Similiter de perseverantiæ munere nemo certò aliquid sibi polliceatur absoluta certitudine: Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare omnes debeant.

14. Justificatio post baptismum lapsi fit per Sacramentum Pœnitentiæ, distinctum omnino à baptismo. Neque tantùm est cessatio à peccatis, aut peccatorum detestatio, sed insuper continet etiam eorum confessionem, saltem in voto, & absolutionem, item satisfactionem per jejunia, eleemosinas, Orationes, & alia bona opera, pro pœna temporali, quæ non tota semper, ut in baptismo, statim remittitur Justificatis per Sacramentum Pœnitentiæ.

15. Per

15. Per omne peccatum mortale amittitur gratia Justificationis, non tamen Fides, nisi sit peccatum infidelitatis.

16. Justificato exercenda sunt bona opera, quæ per gratiam Christi peracta sunt meritoria vitæ æternæ, quæ tanquam merces & corona Justitiæ à Deo promissa est operibus bonis. Nemo tamen in se ipso confidat aut glorietur, sed in Domino, cujus erga nos tanta est bonitas, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.

Canones de Justificatione.

Post 16. ista Capita de Justificatione editi sunt de eadem 33. Canones contra Lutherum & Calvinum. In quibus dicitur anathema. 69.

1. Illi, qui dixerit, absque gratia Christi posse hominem justificari.

2. Per gratiam tantùm faciliùs posse hominem justè vivere, & mereri vitam æternam.

3. Sinè gratia posse hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere, prout oportet.

4. Liberum hominis arbitrium nihil cooperari, neque posse dissentire, si velit: Sed nihil omnino agere, meréque passivè se habere.

5. Post Adæ peccatum esse extinctum.

6. Proditionem Judæ non minùs esse opus Dei, quàm vocationem Pauli.

7. Omnia opera, ante Justificationem facta, verè esse peccata.

8. Gehennæ metum, propter quem peccata detestamur, esse peccatum.

9. Sola Fide impium justificari.

10. Nos sinè Christi Justitia justificari, aut per eam ipsam formaliter justificari.

11. Nos justificari vel sola imputatione Justitiæ, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia inhærente.

12. Per solam fiduciam nos justificari.

13. Ad obtinendam remissionem peccatorum opus esse, ut quis credat, ea sibi esse remissa.

14. Justificationem consistere in fide, qua quis credat, se esse justum.

15. Justum teneri ad certò credendum, se esse in numero prædestinatorum.

16. Si quis finalem perseverantiam absoluta & infallibili certitudine sibi promittat, citra specialem revelationem.

17. Justificationis gratiam tantùm prædestinatis conferri.

18. Dei præcepta homini gratia instructo esse impossibilia.

19. Nihil esse præceptum in Evangelio præter Fidem.

20. Evangelium esse nudam promissionem vitæ æternæ, sinè conditione observationis Mandatorum.

21. Christum non esse legislatorem.

22. Justum sinè speciali gratia posse perseverare, vel cum ea non posse.

23. Justificatum non posse ampliùs peccare, aut gratiam amittere, aut posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, sinè speciali Dei Privilegio, ùt de B. V. tenet Ecclesia.

24. Justitiam non augeri per bona opera: Sed hæc tantùm fructus esse aut signa Justificationis acceptæ.

25. In quolibet bono opere peccari.

26. Justum non debere expectare aut sperare æternam retributionem pro bonis operibus.

27. Nullum peccatum esse mortale, nisi sit infidelitas.

28. Amissa gratia semper etiam amitti Fidem.

29. Post baptismum lapsum sola Fide sinè Sacramento Pœnitentiæ justificari: aut per gratiam non posse resurgere.

30. Cuilibet peccatori post acceptam gratiam Justificationis ita culpam remitti & reatum pœnæ æternæ, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis, vel in hoc Sæculo vel in purgatorio exsolvendæ.

31. Justùm peccare, si intuitu æternæ mercedis operetur bene.

32. Bona opera justi ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justi merita: Aut justam per ea non mereri augmentum gratiæ, ac vitam æternam.

33. Per doctrinam de Justificatione derogari meritis Christi.

70. *Quinque Capita Reformationis circa Residentiam &c.*

Addita sunt 5. Capita de Reformatione. In primo obligantur Episcopi ad *Residentiam:* Ut, si per 6. continuos menses fuerint absentes, absque legitima causa, à suis Ecclesiis, mulctentur quarta fructuum parte unius anni, Ecclesiæ & pauperibus loci applicanda.

Hæc pœna *Sess.* 23. *Cap.* 1. adhuc magìs asperata fuit: Ut Episcopus, ultra tres menses, sive continuos sive interpolatos absque urgente causa absens, præter reatum peccati mortalis, pro rata absentiæ fructus non faciat suos, sed teneatur eos fabricæ, aut pauperibus erogare.

Alterum Caput Beneficiatorum etiam inferiorum *Residentiam* decernit: Si eam beneficia requirant. Sess. verò 23. c. 1. fructibus privat etiam.

Cap. 3. Regulares extra Monasterium degentes quoad crimina Ordinariis subjiciuntur, tanquam Apostolicæ Sedis delegatis.

Cap. 4. Visitare possunt Episcopi, quoties opus fore videtur.

Cap. 5. Episcopi in aliena Diœcesi Pontificalia non exerceant, sine expressa Ordinarii licentia: Neque ordines conferant.

Sessio

Sessio VII.

De Sacramentis.

In Sessione VII. celebrata 3. Martii 1547. actum primò de Sacramentis 71.
in genere, editique contra Novatores 13. Canones: Ac

1. Anathema dicitur illi, qui dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Christo instituta, aut esse plura vel pauciora, quàm septem.

2. Illa non differre à Sacramentis antiquæ legis, nisi quatenus sint aliæ cæremoniæ, ac ritus.

3. Nullum esse altero dignius.

4. Illa esse superflua.

5. Propter solam fidem nutriendam esse instituta.

6. Ea non conferre gratiam, sed signa tantùm esse externa acceptæ gratiæ, & notas Christianæ professionis.

7. Non semper per illa conferri gratiam, licèt ritè & sinê obice suscipiantur.

8. Non conferri per ea gratiam ex opere operato: Sed sufficere solam fidem Divinæ promissionis ad gratiam consequendam.

9. In Baptismo, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem, unde iterari non possint.

10. Christianos omnes habere potestatem Sacramenta administrandi.

11. In Ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia.

12. Ministrum in mortali constitutum non conficere aut conferre Sacramentum, licèt omnia faciat, quæ ad rationem Sacramenti pertinent.

13. Ecclesiæ ritus in solenni Sacramentorum administratione à quocunque Pastore posse omitti aut mutari.

De Baptismo & Confirmatione.

Post istos in eadem Sessione conditi sunt 14. Canones de Baptismo, 72.
seu potiùs totidem anathematismi. Nam

1. Dicitur anathema illi, qui dixerit, Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi.

2. Aquam veram & naturalem non esse de necessitate baptismi.

3. In Ecclesia Romana non esse veram de Baptismo doctrinam.

4. Baptismum collatum ab hæreticis non esse verum Baptismum.

5. Eum non esse necessarium ad salutem.

6. Baptizatum non posse gratiam amittere.

7. Per Baptismum solius Fidei debitores fieri, non autem totius Legis Christi servandæ.

8. Baptizatos liberos esse ab omnibus Ecclesiæ Præceptis.

9. Vota omnia post Baptismum facta esse irrita.

10. Peccata omnia, post Baptismum commissa, sola recordatione & Fide suscepti baptismi dimitti, aut fieri venialia.

11. Baptismum ritè susceptum iterandum esse ab eo, qui ab apostasia ad pœnitentiam convertitur.

12. Neminem esse baptizandum, nisi in ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo.

13. Parvulos, qui actum Fidei non eliciunt, suscepto baptismo, non esse inter fideles computandos, ac proin rebaptizandos, cùm ad annos discretionis pervenerint: Aut præstare omittere Baptismum, quàm baptizare actu non credentes.

14. Parvulos baptizatos, si postea ratum habere nolint, quod patrini nomine illorum promiserunt, suo arbitrio esse relinquendos.

73. *De Confirmatione.* Denique additi sunt tres Canones de Confirmatione. In quibus anathematizantur, qui dixerint,

1. Confirmationem otiosam esse cæremoniam, aut olim non fuisse aliud quàm catechesin quandam, qua Fidei suæ rationem exponebant.

2. Injurios esse Spiritui S. qui confirmationis Chrysmati virtutem aliquam tribuunt.

3. Confirmationis Ordinarium Ministrum non esse Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem.

Decreta Reformationis.

74. *De Clericis, Beneficiis Ecclesiasticis.* Adjuncta fuerunt 15. Capita de Reformatione.

1. Ad Regimem Cathedralium Ecclesiarum assumantur legitimè nati, probi ac docti.

2. Tenentes plures Episcopatus omnes dimittant, uno excepto. Aliàs ipso jure omnes vacant, excepto ultimo.

3. Inferiora Beneficia, præsertim curata, conferantur dignis, & qui per se ipsos residere & curam exercere possint.

4. Plurium Beneficiorum contra SS. Canones detentor, ipso jure illis privatus existat,

5. Nisi dispensationem Ordinario exhibeat. Et tunc de idoneo Vicario provideatur.

6. Uniones Beneficiorum examinentur ab Ordinariis.

7. Unita visitentur ab Ordinario singulis annis. Constituantur Vicarii cum tertia parte fructuum.

8. Reparandæ Ecclesiæ: Et cura animarum sollicitè exercenda.

9. Ad

9. Ad majores Ecclesias promoti ultra 6. menses consecrationem non differant.

10. Sede vacante Capitulum intra annum à die vacationis nulli concedat licentiam ordinandi, aut litteras dimissoriales, nisi occasione beneficii obtinendi, vel jam obtenti arctato. Si Capitulum contraveniat, subjaceat interdicto: Et sic ordinati ab executione Ordinum Jure ipso sint suspensi, ad beneplacitum futuri Prælati. *Ordinationibus.*

11 In litteris dimissoriis exprimenda causa, ob quam à proprio Episcopo ordinari non possint. Nec ordinandi sinè prævio examine.

12. Facultas de non promovendo annum non excedat.

13. Electi, præsentati, aut nominati ad beneficium non instituantur sinè prævio examine: Exceptis iis, qui præsentantur ab Academia.

14. Causæ civiles exemptorum extra locum exemptum ab Episcopo cognoscantur.

15. Curent Ordinarii, ut hospitalia accuratè administrentur.

Sessio VIII.

De Concilio transferendo Bononiam.

In Sessione VIII. habita XI. Martii 1547. à majori parte Prælatorum decreta est translatio Concilii Bononiam, propter morbum quendam Tridenti grassantem. Jam aliàs sæpiùs de hac translatione actum est, urgentibus etiam Legatis Apostolicis, tum propter tumultus Belli Smalcaldici, in propinquo tonantis, tum fortassis ex privatis rationibus, ut sint Romæ propiores, si Pontificem Octogenarium mori contingeret. 75.

Evicit tandem major numerus migrationem, protestantibus ex voluntate Cæsaris Hispanis Episcopis, atque Tridenti remanentibus cum Cardinale Pacieco.

Cùm Bononiæ 21. Aprilis in Sessione IX. pauci Prælati convenissent, prorogata est Sessio in secundam Junii. Et quia idem contigit in Sessione X. dies 15. Septembris Sessioni XI. est destinata: Ubi materia Sacramentorum tractaretur. Verùm propter varia impedimenta Concilium per quatuor annos suspendi, atque ad annum usque 1551. differri debuit, ùt nunc breviter exponemus. 76. *Prorogatæ Sessiones Bononiæ.*

§. VI.

Bellum Smalcaldicum: Translatio, & suspensio Concilii.

Cum Smalcaldici fæderati cernerent Concilium Tridentinum inchoatum, veriti, ne Cæsar eos ad illud amplectendum cogeret, Francofurti ad Mænum convenerunt anno 1546. renovaturi fædus Smalcaldicum, ut unitis viribus Concilio Tridentino se opponerent, plenam Reli- 77. *Smalcaldorum Conatus.*

gionis suæ libertatem extorquerent, atque ex contribulibus suis aliquos Judices in Cameram Imperialem intruderent.

78. *Disputatio Ratisbonensis.* Indixit interea Cæsar colloquium Ratisbonam; ad quod delecti ex utraque parte rursus Theologi, qui de Religionis Controversiis disceptarent: Et quidem ex Catholicis Petrus Malvenda Dominicanus, Erardus Bilichius Carmelita, Joannes Hoffmeisterus Augustinianus cum celeberrimo Doctore & Antagonista Lutheri Joanne Cochlæo: Ex protestantibus Martinus Bucerus, Joannes Brentius, Georgius Major, & Erardus Schneppius. Cúmque in Disputatione de Justificatione Bucerus varia concedere coactus esset contra voluntatem Protestantium, quatuor illi disputatores ignominiosa fuga ex campo contentionis se subtraxerunt.

79. *Mors Lutheri, & elogium.* Territi fortassis etiam sunt morte Lutheri, quæ in hoc tempus incidit: Quia sinè illius consilio ab ejus Sectatoribus nihil agebatur. Is ultima vitæ ætate, cùm audiret, congregatum esse Tridenti Concilium, furorem, rabiem, & apparatum omnem, quo probè erat instructus, maledicæ eloquentiæ exprompsit adversus illud atque Romanum Pontificem, edito libro, quem inscripsit: *Contra Pontificatum à Satana institutum:* Additis etiam picturis se auctore dignis, quibus propudiose proponebat Pontificem, auribus asininis horrentem, atque à dœmonibus coronatum. Vindicare fortasse sic voluit ignominiam, quam incurrit, dum ex puella diabolum niteretur expellere, ab illo foribus occlusis in olidas redactus angustias. Obiit autem Islebii, quo à Comitibus Mansfeldicis ad Controversias quasdam componendas Wittembergâ evocatus fuerat: Ubi 17. Februarii anno 1546. postquam lauto convivio inter solitos jocos & facetias benè pastus & potus ad quietem se composuisset, die altero mortuus inventus est anno ætatis clymacterico 63.

Orbi inclaruit, ùt Herostratus quondam incenso Dianæ templo: Homo levis, spurcus, petulans, & inauditæ maledicentiæ: qua scripta sua vitámque implevit. Dignum tamen censuêre Wittembergenses Mausolæo marmoreo 12. Apostolorum statuis coronato.

Venerat inter hæc Ratisbonam ad Comitia Cæsar, in quibus nullum ex Principibus fœderatis invenit: Nec iteratò citati comparuerunt, in privatos inter se conventus abstracti. Habita nihilominus comitia, statutúmque, ut omnes Tridentini Decretis morem gerant: protestantibus more suo legatis Lutheranis.

80. *Fœdus Cæsaris contra Smalcaldicum.* Tum verò cernens Cæsar, omnia Comitia, edicta, omnésque amicè componendæ pacis vias eludi à Lutheranis, fœderi suo Smalcaldico mordicus inhærentibus ac confisis, armis ad officium revocandos existimans, cum Pontifice, Principibus Catholicis, & nonnullis etiam Lutheranis, ùt Mauritio & Augusto Saxoniæ Ducibus, item Alberto & Joanne Marchio-

nibus

nibus Brandeburgensibus, fœdus iniit. Cúmque Smalcaldici per Legatos quærerent, quò armorum ille apparatus pertineret? Ad compescendos Rebelles subditos, respondit Cæsar.

Non enim Bellum Religionis causa paratum videri voluit, ut quosdam ex Lutheranis etiam ad se pertraheret: Sed in læsa Majestatis Divinæ & humanæ reos se moturum, qui falso Religionis prætextu incisis nervis ac nexibus Rempublicam, totámque Imperii molem conentur evertere, despecta potestate Cæsarea, omnibúsque viis pacem in Germania per tot Comitia stabiliendi protervè abjectis: Contra Imperatorem Conventus cogi, & cum exteris Principibus pangi fœdera: Relicto judiciorum ordine privata illa atque truculenta diffidationum Jura suscitari denuo, in perniciem quietis & tranquillitatis publicæ. Subditos Imperii impunè jam toties armis invasos, atque vi injusta Principes etiam Provinciis suis dejectos: Henricum Brunsuicensem à Landgravio urbibus suis spoliatum adhucdum vinctum teneri, & in carcere squalescere: Ipsas Imperii bases propediem eversum iri, nî Caput invigilet, & turbulentis conatibus obviàm eat. 81. *Cæsar publicat Belli causas.*

His Belli causis ad urbes Imperii liberas dimissis, sola Argentina Cæsaris scriptum refutare est ausa.

Joannes Fridericus Septemvir, & Philippus Landgravius, Smalcaldici fœderis Duces, responderunt Cæsari (editis dein etiam litteris publicis) non aliâ quàm Religionis causâ Bellum in se parari, ut vis inferatur conscientiis, & sub jugum Pontificis ac Concilii mittantur. Simúlque non tantùm principes & civitates socias, sed Regem etiam Galliæ ac Angliæ in Imperatorem suum concitant. At illi, pace nuper cum eodem composita, domesticis Germaniæ turbis immiscere se nolebant. Cúmque initæ cum Solimanno induciæ etiam tenerent, liberum Cæsar nactus est spatium, cùm pace non posset, armorum virtute constituendi Rempublicam.

Cùm autem Legiones suas ex dissitis Provinciis, Hispania, Italia, Belgio, Hungaria accire deberet, fœderati autem Smalcaldici suas in propinqua haberent, multò hi viribus superiores erant. Octo enim tantùm millia Cæsar Ratisbonæ collegerat.

Primi autem Wirtembergici cum civitatibus Sueviæ Lutheranis, collectò viginti millium exercitu doctore Sebastiano *Schertelio* Augustano in campum armati prodeunt, atque ut copias, quas Pontifex ex fœdere Cæsari mittebat, transitu prohiberent, expugnato Ehrenbergensi propugnaculo, Oeniponto imminebant. Verùm Schertelius, ubi comperit, duodecim millia Tyrolensium Duce Castelato Comite ad arma confluxisse, territus, viam, qua venerat, repetiit, & fœderatorum copiis, 82. *Smalcaldi frustra tentata Tyroli.*

 ad

ad Ulmam collectis, se conjunxit. Atque inde fœderatus iste exercitus Donawerdam movit, ubi se Elector & Landgravius cum copiis, quas per Franconiam adduxerant, junxit.

Octoginta millibus peditum & decem millibus equitum constabat istæ exercitus, centum & triginta tormentis bellicis instructus. Opprimi multitudine Cæsarem facilè potuisse creditur, si rectâ Ratisbonam movissent, ubi illius exercitus, nec decimam hostium partem æquans, stabat: Atque inde digressus prope Landishutum castra communiit.

Prope Ingolstadium castra locant. *Ac Bellum Cæsari denuntiant.* Verùm Smalcaldici, dum lentè Rainam ac Neoburgum intercipiunt, atque inde progressi Ingolstadium inter & Monachium castra locant, spatium Imperatori dederunt suas operiendi copias. Ne autem fœderati nihil egisse videantur, misso tubicine Bellum *Carolo Gandavensi*, ùt loquebantur, denuntiat. Dux Albanus supremus post Cæsarem copiarum Dux, remisso tubicine, proscriptionem Imperialem eis promulgat.

Venerant interea, Smalcaldico tam grandi exercitu in castris otiosè desidente, memorabiles Cæsari suppetiæ, nemine se opponente; duodecim nimirum millia peditum & sex millia Equitum, quæ Pontifex miserat, duce Octavio Farnesio Parmensi Duce, Cæsaris genero, ac patre Alexandri Farnesii, incomparabilis postea herois, ac Belgii Salvatoris. Italicis hisce copiis accêssere tria Hispanorum millia, à Principe Sulmensi Neapoli adducta: Quatuor item Germanorum millia, ex Brisgoia à Schaumburgio Tribuno collecta.

83. *Frustra Cæsaris castra tormentis impetunt.* Cum his copiis, quamvis adhuc multò inferioribus hostium numero, Carolus Cæsar Neostadii trajecto Danubio ad Ingolstadium castra posuit: Cùmque necdum ea satìs muniisset, fœderati omnibus tormentis explosis ingenti vi Cæsareos impetebant. Tenuítque ad novem omnino horas illa globorum grando, mira Cæsaris ejúsque copiarum constantia. Nam cernens Landgravius ordines ubique servari integros, hostem aggredi non ausus, retrocessit Neoburgum atque inde Donawerdam, intercepturus Comitem Burensem 12000. peditum & 3000. equitum ex Belgio adducentem. At ille declinatis cautè insidiis felici itinere ad Imperatorem pervenit.

84. *Arte & virtute Cæsaris atriti.* His ille copiis auctus hostem aggredi statuit. Egressus igitur Ingolstadianis castris, occupatísque in transitu Neoburgo, Donawerda, Nordlinga, aliísque civitatibus, mira bellandi arte hostilem exercitum ita circumduxit, pressit, attrivítque, ut in rerum omnium penuriam ac desperationem eundem conjecerit. Crevítque calamitas, cùm Elector, accepto tristi nuntio, Saxoniam ferme omnem à propinquo suo Mauritio, Albertinæ stirpis Principe, esse occupatam, à Landgravio se separavit, & ad restinguendum domi incendium accurrit.

Tum

Tum enim etiam Landgravius re desperata campo excessit, cúmque paucis suis residuis copiis in Hassiam rediit, fœderatis se passim dedentibus & Imperatoris gratiam implorantibus. Horum primus erat Fridericus Elector Palatinus, quamdiu fuerat Catholicus Cæsari fidissimus; durioribus conditionibus gratiam impetravit Ulricus Dux Wirtembergicus. 85.

Secutæ sunt urbes; quibus imperatâ pecuniâ, & Tormentis bellicis, Augustam, Ulmam, Memingam, Campidunum, Lindavium, Biberacum, Ravenspurgum, Francofurtum & Argentoratum in deditionem accepit: Adeptus hoc pacto Subsidia ad solvenda militi stipendia & bellum porro prosequendum. *Plerique ejus gratiam implorant.*

Reliquum hyemis ordinandæ Germaniæ impensum. Cùm autem Imperator Ulmæ anno 1547. moraretur, nuntium accepit, Electorem Saxoniæ non tantùm sua recuperâsse, sed etiam Mauritio pleraque ademisse, cæso Alberto Brandeburgico, quem Cæsar ei auxilio miserat. Quare Saxonicum bellum, licèt laboraret arthritide, per se ipsum gerere statuens, sub initium Martii Ulmâ discessit Nordlingam, ubi Albanus exercitum, quamvis multùm accisum, collegerat. Cum hoc Egram processit, Ferdinando Fratri & Duci Mauritio se conjuncturus. 86. *Decernit Bellum Saxonicum.*

Inde movens in Misniam, perruptis claustris transitum impedientibus, ad Albim castra metatus est, Electore trans Albim ad Mühlbergam cum exercitu stante, ac transitum fluvii prohibente. Ardua profectò erat trajectio tam lati támque profundi fluminis, obstante in adversa ripa armato exercito cum tormentis bellicis, undique in Cæsareanos dispositis. 87. *Trajectio Albis.*

At aperuit illa dies, quantùm virtus cordata possit; dum Carolus heroica vetustatis supergressus facinora, incomparabili fortitudine & fluvium vicit & hostem. Nam elector territus recessit, Wittembergam, munitam urbem, se recepturus. Verùm cùm levioris armaturæ Equites ac dein etiam Albanus cum Equitum turma eundem assecuti, prælio initium dederant, superveniens Cæsar insignem ad posteritatis memoriam victoriam reportavit, deleto ferme ad internecionem Saxonico exercitu, & quod rei caput est, Electore ipso Joanne Friderico per Albanum capto. 88. *Muhlbergensis victoria.*

Imperator mortis sententiam tulit in captivum: Verùm deprecanti bus ei vitæ veniam pluribus Principibus, consensit Imperator, cum his tamen conditionibus, ut Wittemberga se dedat Cæsari: Electoratus Duci Mauritio cedat: Elector verò exauthoratus ad arbitrium Cæsaris captivus maneat. *Capto Electore.*

Præcipuo hoc Smalcaldici fœderis authore bellíque Principe debellato, trepidi per Germaniam Protestantes accurrerunt, Cæsarísque arbitrio se permisêre.

89. *Et Landgravio indignante Mauritio.* Solus supererat Philippus Landgravius, qui, licèt ferocia esset inflexibili, tamen cùm Dux Mauritius ejus gener & Elector Brandeburgicus, vitæ, libertatis ac bonorum ipsi spem fecissent, si Cæsaris se permitteret arbitrio, Halæ Saxonum Cæsari Throno insidenti supplex accidit. Qui ei per Consiliarium quendam respondit, quamvis læsæ Majestatis reus necem esset commeritus, quia tamen crimen fateretur, veniámque supplex peteret, atque Principes etiam pro eo intercederent, vitam ei donari, nec bonis omnibus spoliandum, neque *perpetuo carcere* plectendum.

90. *Causa Landgravii.* Cùm autem abduceretur captivus, Dux Mauritius & Elector Brandeburgicus apud Cæsarem vehementer conquesti sunt: Infringi sic pactionem cum Landgravio à se initam: Nunquam eum compariturum fuisse, nisi fidem dedissent, libertatem ac ditiones ei servatum iri: Neque se unquam suasuros fuisse, ut compareret, si carceris oriri potuisset suspicio; Agi de fide sua publicè data: Obtestari se, ut Cæsar fidem ipsorum liberet ac honori consulat, nec patiatur, ut proclamentur per orbem tanquam perfidi proditores, qui turpissimè decepissent Principem amicum & cognatum, eúmque falsis promissis in carcerem conjecissent.

Respondit Imperator, ex genio Albani Ducis ad asperitatem semper declinantis, vera quidem, sed fortasse temporum rationi non omnino consentanea: exstare Articulos Landgravio proponendos, ac dein propositos: id unum in iis contineri, eum non esse mulctandum carcere *perpetuo:* Si quid ultrà ipsi promisissent, excessisse limites suæ potestatis. En originem perniciosi deinceps belli, & cladis rei Catholicæ! Nam responso hoc Cæsaris irritati Principes jam tum ad ultionem animum intenderunt, quamvis tunc res eorum necdum ferrent, ut eandem expromerent, erupturam, ubi opportunior occasio tulerit.

Aucta fuit indignatio, cùm geminos Principes captos velut in Triumpho per Germaniam duci cernerent, magnámque tormentorum vim ex Saxonia, Hassia, & Civitatibus Imperii liberis aliò avectam. Aversum tamen à Cæsare animum dissimulantes, iram interim corde tegebant.

91. *Cæsar Fidem non violavit, nec clementiam.* Quamvis autem sint, qui magnanimam Cæsaris clementiam hîc requirant; nihil tamen ille egit, quo Fidem datam læserit, aut limites Justitiæ fuerit transgressus. Nullum enim Mauritius aut Brandeburgus mandatum habebant, ut Landgravio libertatem ac ditionum securitatem adpromitterent: Suo id sensu ac voluntate fecerunt, quam ratam habere Imperator non tenebatur. Considerare etiam oportet, quanta à viginti jam annis à Principibus istis, Smalcaldici contra se fœderis Ducibus, fuerit perpessus; quanto ardore Principes, civitates & Germaniam ferme omnem adversus eum concitârint; quo fastu atque ferocia adjudicata ei Imperatoria dignitate, *Caroli Gandavensis* nomine obscurare, & contemnere eum præ-

præſumpſerint: Quantum denique in diſcrimen bello graviſſimo eundem conjecerint. Hæc enim aliáque qui animo limato atque à præjudiciis libero perpenderit, non multùm, credo, Cæſaris iram accuſabit, ſed juſtam omnino dicet. Accedit prudens ac providus timor, ne Principes iſti, ſi dimitterentur liberi, turbarent rurſus Imperium. Sunt enim beneficia quædam, quorum haud æquo animo recordantur Principes, præſertim ubi iræ, ad tempus preſſæ, potentes habent ſocios. Expertus fuit ipſe Carolus Cæſar, quàm noxium ſibi fuerit beneficium, quo Franciſcum I. Regem Galliæ liberum dimiſit, ruptis dein pactis bello ab eodem impesitus.

Imò tantùm abeſt, ut Imperator inclementiæ arguendus videatur, ut haud pauci ſint Scriptores, qui Mühlbergenſi victoria mitiùs uſum exiſtiment, totúmque Lutheraniſmum exſcindi potuiſſe, ſi ſeveritatem prahabuiſſet clementiæ. Vix enim fuiſſe putant qui debellatis Principibus, ſociíſque eorum diſſipatis, tanto Victori Victoriam proſequenti reſiſtere voluiſſet aut potuiſſet.

Interim ille, ut laceram Rempublicam per pacem conſtituat, lenibúſ- 92.
que remediis ejusdem morbos ſanet, Comitia Imperii Auguſtam indixit. *Comitia*
In his Ordinibus propoſuit, quantopere ſemper optârit quietem & tran *Auguſtana.*
quillitatem Germaniæ; eam conſtantem eſſe non poſſe, niſi Religionis diſcordiæ per Concilium generale, cui omnes ſe ſubjiciant, radice evulſa, extirpentur. Convocatum ſuperioribus jam annis eſſe Tridenti, urbe ad Germaniam ſpectante, Concilium, pluréſque ibidem jam celebratas Seſſiones: Decernendum jam eſſe à Statibus, illius decretis omnibus eſſe parendum.

Aſſensêre Cæſari tres Electores Eccleſiaſtici: Palatinus, Saxo, & Bran- *Parendum*
deburgus recipiendum quidem cenſebant Concilium, ſed cum conditioni- *eſſe Conci-*
bus, quas Lutherani eſſent adjecturi: Alii Principes omnes ſtatuerunt, *lio Triden-*
parendum eſſe Concilio, poſtquam etiam Proteſtantes in eo fuerint auditi. *tino etiam*
Cùm autem Imperator petiiſſet, hoc negotium curæ ſuæ ac fidei committi, *Lutherani decernunt*
omnes aſſenſerunt, ſolo excepto captivo Duce Saxoniæ. Urbes Imperiales Cæſarem veritæ, pariter iverunt in Principum ſententiam. Sancitúmque denique fuit, parendum omnibus eſſe Concilii Tridentini decretis.

Hoc durante Bello Smalcaldico continuatum fuerat; non tamen 93.
ſinè moleſtis controverſiis. Nam cùm Schertelius per clauſtra Tyroleos *Diſſidium*
irrupiſſet, trepidi Patres quidam cum ipſis Præſidibus, Montano, & Cer *circa*
vino, de transferendo Concilio cogitabant: Opponentibus ſe Legatis Cæ- *translationem Con-*
ſareis, & Epiſcopis Hiſpanis. Neque Pontifex adduci tunc potuit, ut in *cilii.*
translationem conſentiret. At poſtea morbo quodam Tridenti aliquantùm graſſante in Seſſione VIII. majori Suffragiorum numero decretum eſt, ùt

Con-

Concilium transferatur Bononiam, consentiente etiam Pontifice. Illuc se major pars contulit, 14. Prælatis cum Cardinale Pacieco Tridenti remanentibus, ex voluntate Cæsaris; Qui tunc ad Bellum Saxonicum se accingebat.

Ex hac divisione Schisma timendum erat, quale Basileæ contigit, nisi providus Cæsar prohibuisset Tridenti celebrari Sessiones, quod idem Pontifex Bononiensibus inhibuit, cùm cerneret, ferme non nisi Italos eò convenire. Unde meræ prorogationes Concilii ibi Seff. 9. & 10. fuerunt decretæ.

94. *Urget Cæsar ut revocetur Tridentum* Cùm dein Cæsar confecto Bello Saxonico in Augustanis Comitiis impetrâsset, ut Status decernerent, se parituros Tridentino Concilio, non dubitavit, se apud Pontificem facilè effecturum, ut Concilium Tridentum revocetur, ne fructus tanto labore partus intereat.

Aliter præparatum invenit Pontificem à Bononiensibus jam præventum. Quare summopere commotus Cæsar, per Legatos suos Bononiæ & Romæ publicè est protestatus contra omnia, quæ in Bononiensi Conciliabulo, ùt loquebantur, essent agenda. Concilium Tridentum esse indictum: Promisisse Patres, cùm Bononiam secederent, sublato morborum periculo se redituros Protestantes in aliam urbem non venturos: Facilem iis fore excusationem, cùm tantùm Concilio Tridentino obedientiam promiserint: Si Ecclesiæ paci consulere negligant, se pro Officio Advocati Ecclesiæ provisurum.

95. *Suspensio Concilii inopportuna.* Pontifex accepta hac protestatione, in neutram partem decidit: Suspensúmque fuit Concilium per quatuor annos, quo tempore quàm maximè expediisset, illud Tridenti prosequi, ut florenti illo rerum Cæsarearum statu Protestantes efficaciter potuissent adigi ad standum promissis & decretis Concilii Tridentini. Cùm econtra ex illa Concilii translatione & suspensione, mutato Germaniæ statu non exigua Ecclesiæ mala emanàrint: ùt nunc narratum imus.

§. VII.

De Constitutione *Interim* & reductione Concilii Tridentum.

96. *Cùm viget disceptatio, an Tridenti, vel Bononiæ continuandum esset Concilium.* Cum Cæsar Pontificem & Bononienses Pàtres persuadere non posset, ùt Concilium tunc Tridentum reducerent, neque Generali Concilio necdum dissoluto, Nationale in Germania posset institui, Theologis committendum censuit, ut formulam aliquam confessionis communi opera conciperent, quæ *Interim* ab omnibus observaretur, donec à Concilio Generali dogmata Fidei definita fuerint.

Selecti ex Catholicis ad hanc formulam conscribendam, Julius Pflugius, Episcopatui Naumburgensi postea restitutus, & Michaël Haldingus Pro-Episcopus Moguntinus, ab Merseburgensis postea Episcopus: Ex

Pro-

Protestantibus Joannes Agricola, Concionator Joachimi II. Electoris Brandeburgici. Petiítque Imperator, ut etiam Pontifex suum Legatum mittat, qui cum tribus istis Theologis formam Confessionis, ab omnibus interim acceptandam, componat.

Verùm quò minùs hoc fieret, præter alia, obstabat Henricus II. Rex Galliæ, qui Parenti suo Francisco I. nuper successerat. Hic enim Princeps, veritus magnam Caroli V. potentiam, in animum suum induxerat, quacunque posset via eidem sese opponere. Quare Concilium Bononiæ, non autem Tridenti continuari voluit, missis eò suis Episcopis, Cardinalibus autem Gallis ad Pontificem, cauturis, ne Pontifex Cæsaris pòstulatis annuat: Eò tendere istius consilia, ùt non tantùm in politicis Italiæ atque Europæ se Dominum constituat, sed etiam in Sacris & Religionis negotio supremum arbitrum. *Cæsar constitutionem Interim confici curat.*

At Cæsar cognita Romanæ curiæ cunctatione tam in decernendo loco Concilii, quàm mittendo legato ad Augustana comitia, instituendámque in iis Theologos inter conventionem, Anno 1548. formulam à tribus illis Theologis conceptam Statibus approbandam obtulit, atque dein Imperiali edicto sanxit. Et quia tantùm interim servanda erat, donec conclusio fieret generalis Concilii; dicta est hæc constitutio vulgari vocabulo *Interim.*

In hoc Schemate Fidei 26. visebantur Articuli, circa statum Adami ante & post peccatum, redemptionem per Christum & Justificationem peccatoris, bona opera, Ecclesiam ejúsque notas, potestatem, Pontificem, Episcopos, Sacramenta, Missam, Invocationem Sanctorum, preces pro defunctis, ritus in administrandis Sacramentis. Omniáque in iis erant Orthodoxa, præsertim si bono sensu acciperentur, quæ ad Fidei doctrinam pertinent. Duo tamen Lutheranis concessa sunt interim capita, matrimonium nempe Presbyterorum & Communio sub utraque specie: Quæ capita non ad Fidem, sed disciplinam spectant. 97. *In qua cæteroquin Catholica concessa Lutheranis communio sub utraque specie & matrimonium Presbyteris.*

Neutri parti hæc confessio ex integro placuit. Pontifex eam à Cæsare submissam tum ipse examinavit Romæ tum etiam Bononiensibus examinandam dedit. Hæreticum in ea inventum nihil: Jussit tamen Imperatori per Cardinalem Sfondratum nuntiari: Neque pertinere ad Cæsarem negotia Religionis disponere, neque permittenda esse duo illa capita: matrimonium Presbyterorum pugnare cum traditione Apostolica, usum calicis cum more jam dudum recepto. Persuasus tamen Pontifex à Cardinale Morono fuit, ne apertiùs constitutioni *Interim* se opponat; tolerari duntaxat ab eo interim ex necessitate minimam particulam Lutheranismi, qui aliàs ex integro tolerandus foret. Quare etiam Cæsar ad evitanda majora mala interim toleranda illa duo existimavit in Lutheranis, mo- 98. *Neutri parti satis placuit.*

dò in reliquis omnibus, ac præſertim quæ ad Fidem pertinent, cum Eccleſia Catholica conveniant.

Varia deinde ſcripta tum pro tum contra conſtitutionem iſtam prodierunt. Nimíſque acerbè ſcripſerunt, qui eandem cum Henotico Zenonis, Ecthesi Heraclii, & Conſtantis Typo comparârunt. Certè Nicolaus Bobadilla, cùm ob dicta ſcriptáque contra illam formulam à Cæſare in Italiam fuiſſet remiſſus, ne quidem in conſpectum à S. Ignatio fuit admiſſus.

Præſertim verò eidem ſe oppoſuerunt complures Præcones Proteſtantici. Bucerus, cum ab Electore Brandeburgico, ut ſubſcribat, urgeretur, Argentinam profugit, aſſerens, conſtitutione illa firmari poteſtatem Pontificiam. Ita etiam Muſculus Auguſtanus Præco, Brentius Halenſis, Oſiander Norimbergenſis, Calvinus Genevenſis, & præſertim Joannes Fridericus exauthoratus Elector Saxoniæ contra eandem tonabant: Confutante Cochlæo libellos Proteſtanticos.

99. *An Cæſar illam urget.* Efficaciùs autem Cæſar ipſe conſtitutionem ſuam executioni dabat; cúmque Magdeburgum, & Conſtantia reliquis pertinaciùs ſe ſe opponerent, Imperiali *banno* ſeu publicæ proſcriptioni ſunt ſubjectæ.

100. *Diviſo Lutheranorum.* Orta etiam eſt occaſione conſtitutionis Cæſareæ nova Lutheranorum diviſio: Alii enim, qui contumaciùs cum Illyrico & Amsdorffio eidem obluctabantur, nullam admittentes in doctrina Lutheri mutationem, Lutherani *rigidi* dicebantur: Alii vero, qui cum Melanchtone tempore ſerviendum putabant, Lutherani *molles*, *Adiaphoriſtæ*, & *Indifferentes* ſunt appellati; Alii rurſus *Interimiſtæ Imperiales*, alii *Interimiſtæ Lipſienſes*: Ut adeò Lutheraniſmus, qui tempore conditoris ſui in 34. Sectas jam fuerat diviſus, poſt ejus mortem in plures quàm centenas ſit diſſectus.

Imperator compoſitis hoc pacto utcumque Germaniæ rebus in Belgium diſceſſit, Ducem Saxoniæ & Landgravium captivos ſecum abducens. Epiſcopi verò, prout deſiderabat Imperator, Diœceſanos conventus celebrabant pro inſtauranda ſecundùm SS. Canones Eccleſiaſtica diſciplina, declaratúmque, conjugium Presbyterorum & uſum calicis per Conſtitutionem *Interim* nemini permitti, niſi illis, qui ex Lutheraniſmo convertuntur ad Eccleſiam. Pontifex pariter requiſitus Epiſcopis Germaniæ poteſtatem dedit concedendi uſum calicis humiliter diſpenſationem petentibus, & fatentibus, Eccleſiam poſſe uſum calicis interdicere.

101. *Obitus Pauli III. electio Julii III.* Anno 1459. obiit Paulus III. electúsque Cardinalis *de Monte*, primus in Concilio Tridentino Legatus Pontificius, aſſumpto Julii III. nomine. Et quidem, quod mirum, etiam Cardinales Cæſarearum partium cum Farneſianis juncti, eidem dederunt ſuffragium, licèt offenderit Cæſarem, quòd tranſlationem Concilii Tridento Bononiam ſummopere promoverit, noluerítque illud Bononia amoveri. Cardinalis Polus, vir integerrimus, in ſuſpicio-

nem

nem neſcio cujus propenſionis in Lutheraniſmum vocatus, rejectus eſt. At reſtituendo poſtmodum in Anglia Religionem Catholicam ſatis oſtendit, qua Fide eſſet.

Julius, qui antea Legatus pro Concilio Bononiæ continuando mordicus ſteterat, jam ex altiori proſpiciens ſpecula facilè conſenſit, ut Tridentum reduceretur, obtento conſenſu non tantùm Cardinalium Patrúmque Bononienſium, ſed etiam Regis Galliæ, modò in illa urbe, Imperatori obnoxia, nihil concluderetur contra Jura Galliæ, & immunitatem Eccleſiæ Gallicanæ. 102. *Reſtauratio Tridentini decreta.*

Igitur Pontifex edita Bulla reaſſumptionis Concilii Præſides nominavit Cardinalem *Creſcentium* cum duobus Epiſcopis. Atque die prima Maii anno 1551. celebrata eſt Seſſio XI. in qua decreta eſt reſumptio Concilii Tridentini. *Seſſio XI.*

In Seſſione XII. prima Septembris habita præciſè decretum eſt, ut Seſſio XIII. celebretur die undecima Octobris; quia ſcilicet, paucis adhuc præſentibus, exſpectabatur major Prælatorum, præſertim, ex Germania numerus. 103. *Seſſ. XII. indicta Seſſio proxima.*

§. VIII.

Continuatio Concilii Tridentini ſub Julio III.

Poſtquam Imperator cum pleriſque copiis militaribus ex Germania diſceſſerat, ceſſante timore, non diuturno Officii Magiſtro, plerique Proteſtantes conſtitutionem *Interim* rejecerunt. Cúmque Cæſar certior de hoc factus anno 1550. in Comitiis Auguſtanis conquereretur, reſponderunt Principes, non poſſe populos tam citò adduci ad Fidem priori contrariam: Vi verò eos velle compellere periculoſum eſſe. 104. *Proteſtantes nec Interim nec Concilium acceptant.*

Legati autem Mauritii apertè declarârunt, intentionis ſuæ non fuiſſe, ſubjicere ſe Concilio Tridentino, niſi ſub conditione, quòd Theologi Confeſſionis Auguſtanæ gaudeant ibi Jure ſuffragii, Pontifex non præſideat, omniáque hactenus Acta tanquam irrita declarentur, ac Concilium denovo inchoëtur.

Quia tamen per majorem Suffragiorum numerum concluſa fuerat ſubjectio, præſtanda Concilio Tridentino, & Imperator urgebat Proteſtantes, ut ſuos ad illud mittant Theologos, doctrinæ ſuæ rationes propoſituros, advenerunt tandem Tridentum deputati præcipuorum Principum & aliquarum Civitatum: nempe initio Octobris 1551. Joachimi II. Electoris Brandeburgici, Ducis inde Wirtembergici, ac nomine Argentinæ aliarúmque civitatum Joannes *Sleidanus*, famoſus ille ac mendax Hiſtoriæ Lutheranæ ſcriptor, cum nonnullis Miniſtris: ac demum etiam Legati Mauritiani. 105. *Mittunt tamen aliqui Legatos.*

Brandeburgici per Slavium Juris Conſultum obedientiam deferebant Concilio, ac Julium III. appellant *Summum Pontificem Sanctæ Eccleſiæ Romanæ & Uni-* 106. *Inſolentia poſtulata.*

& Universalis. Aliter multò se gesserunt reliquorum Legati, præsertim Saxones. Auditi illi sunt 24. Jan. 1552. petebant autem, contra promissa & conclusa in binis Comitiis Augustanis, ut statim declaretur, an Pontifex sit supra Concilium, ut Pontifex, contra quem graves habeant accusationes, non ùt Judex, sed ùt reus adsit in Concilio, ut episcopi à Juramento Pontifici præstito absolvantur. Ut Theologi Protestantium Jure Suffragii gaudeant, atque ut omnia hactenus in Concilio acta irritentur. Spiritus credo tantos arrogantiæ eis suggesserant Mauritii, novi Saxoniæ Electoris, turbulenta consilia, hactenus pressa, sed brevì in apertum eruptura: ùt §. sequenti referemus: Postquam ea, quæ Sessione 13. & 14. gesta sunt, exposita fuerint.

Sessio XIII.

Decreta de SS. Eucharistia.

107. In Sessione XIII. Præsidente nomine Julii III. Cardinale Crescentio, cum Pighio Archi Episcopo Sipontino Aloysio Lipomano Episcopo Veronensi, & Cardinale Madrucio Episcopo Tridentino, præsentibus etiam tribus Electoribus Ecclesiasticis, & Oratoribus Cæsaris & Regis Romanorum, celebrata 11. Oct. 1551. editum fuit decretum de SS. Eucharistiæ Sacramento, octo Capitibus comprehensum.

In 1. decernit, Christum verè, realiter & substantialiter sub specie earum rerum sensibilium contineri.

2. Institutum esse hoc Sacramentum à Christo in sui memoriam, in Spiritualem animarum cibum, in antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur: Atque in pignus futuræ gloriæ, & in Symbolum unitatis.

3. Christum statim post consecrationem etiam ante usum esse præsentem; Corpus quidem sub specie panis, Sanguinem verò sub specie vini, *vi verborum:* Corpus autem sub specie vini, & Sanguinem sub specie panis, animámque sub utraque vi naturalis illius connexionis, qua partes Christi inter se copulantur: Divinitatem autem propter unionem hypostaticam cum Corpore & anima. Unde tantundem esse sub una specie, quantum sub utraque: Cùm totus & integer Christus sub qualibet specie, & sub quavis illius parte existat.

3. Per consecrationem fieri conversionem totius substantiæ panis in Corpus Christi & vini in Sanguinem: Quam conversionem Catholica Ecclesia *transsubstantiationem* appellat.

5. Cultum latriæ huic SS. Sacramento esse exhibendum, cùm Deus ipse sit præsens. Ideóque convenienter institutum Festum solenne.

6. Consuetudinem antiquissimam Eucharistiam in Sacrario asservandi, & ad ægros deportandi retinendam.

7. Eam

7. Eam probationem esse necessariam, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione accedat; ídque de Sacerdotibus etiam intelligendum, si adsit copia confessarii. Si autem necessitate urgente absque prævia confessione celebraverit, quàm primùm confiteatur.

8. Triplici modo posse sumi: *Sacramentaliter tantùm*, à peccatoribus. *Spiritualiter tantum*, per votum seu desiderium. *Sacramentaliter & Spiritualiter simul*, cùm scilicet Sacramentum verè & cum augmento gratiæ suscipitur. Communionem à Sacerdote accipiendam.

Canones de Eucharistia.

Undecim dein editi sunt Canones seu anathematismi contra hæreticos, 108.
hoc Sanctissimum Sacramentum impugnantes. Nam anathema dicitur illi, qui dixerit:

1. In SS. Eucharistiæ Sacramento non contineri verè, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem cum anima & Divinitate Christi, ac proinde totum Christum, sed tantùm esse in eo tanquam signo vel figura aut virtute.

2. Qui dixerit remanere substantiam panis & vini, negaverítque conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini.

3. Qui negaverit, sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri.

4. Qui dixerit, Christum tantùm in ipso actuali usu esse præsentem, non autem antè vel pòst.

5. Qui dixerit, unicum aut præcipuum fructum esse remissionem peccatorum.

6. Christum in hoc Sacramento non esse adorandum cultu latriæ vel solenni processione circum gestandum.

7. Non licere Eucharistiam in Sacrario asservare, sed statim post consecrationem esse distribuendam, aut: Non licere illam ad ægros deferre.

8. Christum Spiritualiter tantùm manducari, & non etiam Sacramentaliter & realiter.

9. Si quis negaverit obligationem Communionis Paschalis.

10. Qui dixerit, non licere Sacerdoti celebranti se ipsum comunicare.

11. Qui dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendam Eucharistiam.

Subjuncta denique sunt octo Capita de reformatione.

In 1. præscribitur forma, qua Episcopi subditos regere & corrigere debeant; prohibetur appellatio à sententia interlocutoria Episcopi aut Vicarii ante sententiam definitivam. 109. *Decreta Reformationis.*

De Judiciis & appellationibus. 2. Quando appellatur à sententia Episcopi ad Papam, isque causam appellationis alicui in partibus vult committere seu delegare, Metropolitano committatur, aut, si is suspectus, vel ultra duas diætas distet, vicinioribus Episcopis, aut illorum Vicariis, non verò inferioribus judicibus.

3. Acta primæ instantiæ intra 30. dies dentur gratis appellanti; aliàs absque illis Judex *ad quem* potest procedere.

4. Si determinatus à SS. Canonibus Episcoporum numerus non potest depositioni ac degradationi Clerici assistere, assistant Abbates, aut his deficientibus aliæ personæ in dignitate constitutæ.

5. Gratia remissionis pœnæ, ob-vel subreptitiè obtenta revocetur à concedente.

6. Episcopus non citetur personaliter, nisi depositionis causa.

7. Testes contra Episcopum non admittantur, nisi idonei & graves.

8 Graves Episcoporum causæ à summo Pontifice cognoscantur.

Data deinde cautio seu Fides publica, quam *Salvum Conductum* appellant, Protestantibus.

Sessio XIV.

Doctrina de Sacramento Pœnitentiæ.

110. In Sessione XIV. celebrata 25. Nov. 1551. tractatum est de Sacramento Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis. De illo novem Capita sunt proposita.

1. Pœnitentiam semper peccatoribus fuisse necessariam: Elevatam autem ad rationem Sacramenti à Christo, dum post resurrectionem insufflavit in Discipulos dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.*

2. Differre Pœnitentiam à baptismo, quoad materiam, formam, Ministrum, effectum: Omnibúsque post baptismum lapsis esse necessariam, sicut nondum regeneratis ipse Baptismus.

De materia & forma. 3. *Formam,* in qua præcipua vis sita est, esse verba Ministri: *Ego te absolvo &c.* quibus ex more preces addantur, non tamen pertinere ad essentiam formæ, neque esse necessarias. *Quasi-materiam* esse actus ipsius pœnitentis, nempe contritionem, confessionem & satisfactionem: Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenámque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes Pœnitentiæ dicuntur.

111. *Observatio de Sacramento Pœnitentiæ valido & informi* *Videtur hîc Concilium tantùm definiisse, quænam sint partes integrales, requisitæ ad fructum Sacramenti, abstrahendo, quænam ex iis sint essentiales, adeóque pertineant ad valorem: Relinquendo scilicet disputationi Theologorum, an universalitas doloris, quatenus cadit etiam in peccata, quorum non ampliùs exstat memoria, pertineat ad valorem, vel tantùm ad fructum. Ex quo principio præstantissimi Theologi, etiam post Tridentinum defenderunt, Sacramentum quoque Pœnitentiæ posse esse validum & informe: Quia scilicet universalitas doloris, ùt cadens etiam in peccata memoriæ non occurren-*

currentia, juxta Tridentinum tantùm videtur requiri ad integritatem & fructum, non autem ad essentiam & valorem, sicut satisfactio: De qua eodem modo loquitur.

4. Agitur de *Contritione:* Quæ est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero: Fuítque omni tempore necessaria ad veniam peccatorum. Quare non solùm est cessatio à peccatis, sed etiam veteris vitæ odium ac detestatio. Et quamvis ista contritio aliquando charitate sit perfecta, adeò ut peccatorem justificet ante actualem confessionem: Hoc tamen non contingit sinè voto seu desiderio & proposito serio suscipiendi ipsum Sacramentum: Cùm hoc votum sit inclusum contritioni perfectæ. Contritio verò imperfecta, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccati excludat, cum spe veniæ, non solùm non facit hominem hypocritam & magìs peccatorem, verùm etiam Dei donum est, & Spiritûs S. monentis impulsus: Et quamvis sinè Sacramento Pœnitentiæ ad Justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. 112. *De Contritione.*

Non obscurè hîc Concilium declarat, attritionem cum Sacramento conjunctam sufficere ad Justificationem.

5. Tractatur de *Confessione,* à Domino instituta, omnibúsque post baptismum lapsis Jure Divino necessaria: Quia Christus Sacerdotes sui ipsius Vicarios constituit, tanquam Præsides & Judices, ad quos omnia peccata mortalia deferantur: Non enim possunt Judicium hoc incognita causa exercere, neque æquitatem in pœnis injungendis observare, si tantùm in genere, & non potiùs in specie ac singillatim sua ipsi peccata declarâssent. Unde oportet à pœnitentibus omnia mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint. Venialia autem, licèt rectè & utiliter exponantur, taceri tamen possunt, multísque aliis remediis expiari. 113. *De Confessione.*

Circumstantiæ autem eæ sunt exponendæ, quæ speciem peccati mutant: Quia sinè illis peccata non possunt integrè exponi, nec de peccatorum gravitate Confessarius rectum Judicium ferre potest, nec Pœnitentiam proportionatam injungere. 114. *De Circumstantiis.*

Hîc Concilium tantùm exigit, ut Confessarius habeat notitiam de numero & specie peccatorum, possitque imponere Pœnitentiam proportionatam numero peccatorum & gravitati specificæ. Unde non exigit, ut exponantur circumstantiæ intra eandem speciem aggravantes.

Porro peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur.

Nempe

Nempe in Confeſſione fructuoſa, ad quam requiritur dolor univerſalis, qui ratione motivi univerſalis, cadat etiam ſupra peccata gravia, memoriæ non occurentia. Vel ſi Concilium loquatur etiam de Confeſſione valida, poſſunt eſſe incluſa in propoſito univerſali non peccanti de cætero.

6. *Miniſter* hujus Sacramenti eſt ſolus Sacerdos; qui non tantùm declarat, peccata eſſe remiſſa, ſed tanquam Judex pronuntiat ſententiam abſolutionis.

115. *De Juriſdictione, & caſuum Reſervatione.* 7. Quæ tamen ferri debet in ſubditum: Cùm omnis Judicii ratio & natura id expoſcat. Unde nullius momenti eſt illa abſolutio, quam Sacerdos profert in eum, in quem ordinariam aut delegatam non habet Juriſdictionem. Quia autem ad diſciplinam magnoperè confert, ut atrociora quædam crimina non à quibusvis, ſed ſummis tantùm Sacerdotibus remittantur, locum habet *Caſuum Reſervatio*: Non tamen in Articulo mortis, in quo quilibet Sacerdos quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & cenſuris poteſt abſolvere.

116. *De Satisfactione.* 8. Quia falſum omnino eſt, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remittti, quin univerſa etiam pœna condonetur, imponenda pœnitenti à Confeſſario eſt *Satisfactio*, quæ medeatur peccatorum reliquiis, & quaſi fræno à peccato coërceantur cautioréſque efficiantur pœnitentes. Quare Sacerdotes, quantùm Spiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones debent injungere.

9. Non autem ſolùm pœnis, ſponte à nobis in vindictam & caſtigationem peccatorum ſuſceptis, aut à Sacerdote pro delicti menſura impoſitis, ſed etiam temporalibus flagellis, à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Jeſum Chriſtum ſatisfacere valemus. Additi ſunt deinde 15.

Canones de Sacramento Pœnitentiæ.

117. 1. Anathema ſit, qui dixerit, Pœnitentiam non eſſe verè & propriè Sacramentum reconciliationis à Chriſto inſtitutum.

2. Pœnitentiam non eſſe diſtinctam à baptiſmo: Nec rectè appellari ſecundam poſt naufragium tabulam.

3. Verba Chriſti: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata &c.* non eſſe intelligenda de Sacramento Pœnitentiæ, ſed de authoritate prædicandi Evangelium.

4. Ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem non requiri tres actus Pœnitentis, Contritionem, Confeſſionem & Satisfactionem.

5. Attritionem non eſſe verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, aut, eſſe dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium.

6. Confeſſionem Sacramentalem non eſſe inſtitutam à Chriſto: Nec ad ſalutem neceſſariam Jure Divino, aut, modum confitendi ſecretè ab initio Eccleſiæ

Ecclesiæ constanter observatum, alienum esse ab institutione & mandato Christi, aut inventum humanum.

7. Non esse necessarium Jure Divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria habetur, etiam occulta, & quæ sunt contra ultima duo præcepta Decalogi, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant

8. Aut qui dixerit, Confessionem esse impossibilem, & traditionem humanam, aut non esse obligationem semel in anno confitendi.

9. Aut, Absolutionem Sacerdotis non esse Actum Judicialem, sed nudum Ministerium declarandi, remissa esse peccata: modò tantùm credat, se esse absolutum, aut Sacerdos joco absolvat.

10. Vel, Sacerdotem, qui est in peccato mortali, non haberi solvendi ac ligandi potestatem: Aut, non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis.

11. Aut, Episcopos non habere jus reservandi sibi peccata, nisi quoad externam politiam.

12. Aut, totam pœnam semper simul cum culpa remitti à Deo: Neque Satisfactionem esse aliam, quàm Fidem de Satisfactione Christi.

13. Aut, quoad pœnam temporalem Deo non satisfieri, per Christi merita, pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, aut sponte susceptis, ùt jejuniis, orationibus & eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus.

14. Satisfactiones pro peccatis non esse cultum Dei, sed traditiones hominum, quæ doctrinam de gratia obscurent, ipsúmque beneficium mortis Christi.

15. Aut, claves Ecclesiæ tantùm datas ad solvendum, non autem ad ligandum: Et propterea impositionem pœnæ esse contra finem clavium, & institutionem Christi.

Doctrina de extrema Unctione.

In eadem Sessione XIV. edita sunt tria Capita, & quatuor Canones de Sacramento *Extremæ Unctionis*. 118.

In 1. Cap. Concilium declarat hoc Sacramentum à Christo *Marc. 6.* insinuatum, per Jacobum autem Apostolum fidelibus commendatum ac promulgatum, dum dixit: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros &c.* Ex quibus intellexit Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum; formam verò illa verba: *Per istam Unctionem &c.*

In 2. effectum hujus Sacramenti esse gratiam ad peccati ejúsque reliquias abstergendas: Utque infirmus morbum leviùs ferat, & tentationibus dæmonis fortiùs resistat, & sanitatem corporis, si saluti animæ expedierit, interdum consequatur.

In 3. Ministrum esse Sacerdotem, qui tunc illud debet administrare quando infirmus ita periculosè decumbit, ut in exitu vitæ constitutus videatur: Quotiésque in simile vitæ discrimen devenerit.

119. *Canones.* In Canone autem 1. dicitur anathema illi, qui dixerit, Extremam Unctionem non esse verè ac propriè Sacramentum, à Christo institutum, & à Jacobo promulgatum.

In 2. dicenti, illam non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessâsse.

In 3. dicenti, hunc ritum repugnare S. Jacobo, ideóque mutandum, ac posse sinè peccato contemni.

In 4. dicenti, Presbyteros Ecclesiæ, quos S. Jacobus ad infirmum adducendos esse monet, non esse Sacerdotes, sed Seniores in quavis communitate; adeóque proprium extremæ unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem.

Decreta 14. de Reformatione.

120. *Decreta Reformationis.* 1. Prohibiti, interdicti, aut suspensi ascendentes ad Sacros Ordines, puniantur.

2. Episcopus ordinans alienum subditum sinè proprii Prælati consensu, ipso Jure uno anno ab exercitio Pontificalium sit suspensus, ordinatus verò ab executione ordinũ sic susceptorum, quamdiu proprio Prælato placuerit.

De Sacris ordinationibus. 3. Episcopus ab alio ordinatos, absque suo examine prævio & litteris dimissoriis, potest ab exercitio ordinũ suspendere, si minùs idoneos invenerit.

4. Episopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati possunt corrigere quoscunque Clericos sæculares, quantumcumque exemptos, etiam extra visitationem.

5. Conservatorum potestas ad certos limites restringitur.

121. *Pœna non gestantium habitum.* 6. Clerici, qui sunt in sacris aut beneficium possident, condecentem gestent habitum clericalem, si autem moniti ab Episcopo non pareant, suspendantur ab ordinibus, officio & beneficio: Si necdum se emendent, beneficiis & Officiis priventur.

122. *De irregularitate ex homicidio.* 7. Homicida voluntarius, licèt occultus, est irregularis. Casualis autem, aut vim vi repellens, cognita & probata causa dispensetur.

Nota. *Congregatio Cardinalium anno 1588. & 1599. declaravit: Concilium loqui de eo, qui fuit in aliqua culpa, & ideo indigeat aliqua dispensatione. Eum verò, qui casu merè fortuito, aut vim injustam cum moderamine inculpatæ tutelæ repellendo, alterum occiderit, non esse irregularem, adeóque non indigere dispensatione.*

8. Episcopus, cui ex Privilegio licet alienos subditos punire, Clericos tamen alienos non puniat, nisi interventu eorum Episcopi, aut personæ ab eo deputatæ.

9. Beneficia unius Diœcesis sub nullo prætextu uniantur Beneficiis alterius Diœcesis.

10. Regularia Beneficia conferantur Regularibus.

11. Regulares translati ad alium ordinem in claustro sub obedientia vivant, & Beneficiorum sæcularium incapaces existant.

12. Jus Patronatus nemo obtineat, nisi ex fundatione aut dotatione: Institutione præsentati reservata Episcopo.

Hoc intelligendum de tempore post Concilium, seu de Jure Patronatûs post illud acquirendo: Nam circa anteriora Jura quoad hoc nihil mutatum est.

13 Præsentatio fiat Ordinario, aliàs Institutio sit nulla.

14. Indicitur Sessio proxima, in qua tractandum de Missa, Ordine & Reformatione.

§ IX.

De suspensione Concilii propter Bellum Mauritianum.

Sessio XV. celebrata est 25. Jan. 1552. in hac duo Decreta fuerunt condita; alterum de prorogatione Sessionis usque ad diem 19. Martii, quod tempus deinde usque ad 1. Maji est extensum, propter Protestantes, quorum Theologi semper exspectabantur: Unde alterum etiam editum Decretum, de Salvo Conductu in uberiori forma, prout Hussitis à Concilio Basileensi datus fuerat, iisdem impertiendo. Verùm, surgentibus novis iisque improvisis omnino turbis atque Belli tumultibus, Concilium suspendendum rursus fuit, & quidem in integrum decennium, usque ad annum videlicet 1562. quod qua ratione contigerit, haud abs re erit, breviter enarrare. 123. *Sessio XV. Prorogatio Sessionis. Salvus Conductus.*

Carolo V. Imperatori anno 1552. Bellum subitò gravissimum illatum est ab eo, quem inter primos amicos suos censebat, grandibus & recentibus adhuc Beneficiis sibi devinctum: à Mauritio videlicet, quem post confectum Bellum Smalcaldicum, capto & exauthorato Joanne Friderico, Saxoniæ Electorem constituerat, translata ab Ernestina stirpe ad Albertinam dignitate, cum potissimis Saxoniæ ditionibus. 124. *Cur Mauritius à Cæsare Patrono defecerit.*

Hic Princeps, fidus in Bello Smalcaldico Cæsari, quin & Socius, Protestantium odium incurrerat, non obscuro murmure perstrepentium, quòd Joannem Fridericum captivum in Cæsaris manibus relinquat, ut spoliis ejus impinguescat. Ut igitur eorum in se amorem ac studium transferret, ducem adversùs Cæsarem constituere se jam pridem tacitè meditabatur, ut Lutheranos ab obedientia, Concilio Tridentino præstanda, vi illata exsolveret, sectámque Novatorum in Romano Imperio donaret civitate; quod votis omnibus exoptabant.

Causa altera defectionis erat Philippus Landgravius Hassiæ ipsius socer, quem libertati restitui frustra sæpiùs à Cæsare petierat: Jam ab eo tempore ultionem tacitè excoquens, quo Cæsar eundem captivum abduxit.

Opportunum consiliis locum dedit ipsa provincia, quam Imperator ei demandaverat, compellendi videlicet armis ad deditionem, & obsequium *Magdeburgum*, quòd acceptandæ Constitutioni *Interim* pertinaciter repugnaret, & Sacerdotium juribus suis vi dejiceret. Validas ad hunc finem à Carolo acceperat copias; quas hoc fuco tectas identidem auxit, protracta 125. *Magdeburgum occasio apparatus Bellici.*

de industria in annum obsidione. Quo tempore Protestantium Principes, Brandeburgum, Palatinum, Wirtembergicum, Bipontinum, Mechlenburgos, Badensem cum Guilielmo Hasso, captivi Filio, tacito fœdere in partes suas pertraxit.

126. *Fœdera Mauritii.* Utque illas magis adhuc firmaret, externa etiam respexit auxilia, pertracto in armorum societatem Henrico II. Rege Galliæ: Qui ad vindicandam, ùt ferebat, Germaniæ libertatem, numeroso cum exercitu vere ingruente venturum se promisit, Cammeracum, Tullum, Metas, Virodunum pro se pactus. Hæcque tanta fœdera tam secretò fuerant conflata, ut Cæsar priùs viderit Bellum, quàm crediderit. Adeò namque fidebat Mauritio, tot nominibus, ùt rebatur, suo, ut Moguntini aliorúmqne sincera monita tanquam vana & importuna abjiceret: Etiam tunc, cùm Mauritianæ copiæ Electorum Ecclesiasticorum terras jam devastarent, ipsíque Tridento ad

127. *Bellum infert Cæsari imparato.* propria defendenda recedendi facultatem à Cæsare frustra peterent. Mauritius rebus suis cum Protestantibus & Galliæ Rege clàm compositis, dedito per collusionem velut in Cæsaris potestatem Magdeburgo, adjectóque copiis suis, qui urbi præsidio impositus fuerat, milite, scripto publico se vindicem obtulit libertatis conscientiæ, ac Lutheranismi in Imperio stabiliendi, atque sub finem Martii exercitum Augustæ admovet, intra quatriduum ad deditionem vel compulsæ, vel compelli se simulanti. Inde verò ad Ulmam obsidendam progreditur.

Carolus Imperator Bello Parmensi implicitus, præter eas legiones, quæ sub signis Mauritii militabant, vix aliquas in Germania, quam undique pacatam crediderat, habebat copias. Quare cùm se proditum ab amico, & inermem Oeniponti, ubi tunc degebat, videret, per Ferdinandum Fratrem pacis conditiones iniri posse sperabat.

128. *Irrumpit in Tyrolim.* Convenerunt proin Lincii Ferdinandus Rex & Mauritius, qui fœderatos suos consulendos dicebat, ut Passavii deinde pax iniri possit: Pactúsque 15. dierum inducias, ad suum ad Ulmam exercitum accurrit. Atque ut Cæsarem inermem Oeniponti interciperet, cum toto suo exercitu movit Abudiacum, urbem ad Licum amnem & alpium pedem sitam, eáque intra biduum occupata, depulsísque, qui claustrorum aditus obsidebant, Ehrenbergensem arcem, & situ & opere munitam, cepit.

Carolus Imperator, percepto tristi hoc nuntio, cum Ferdinando Fratre, qui expositurus, quid cum Mauritio Lincii egisset, quídque ulteriùs agendum, cum Cæsare consulturus, Oenipontum advenerat, Villacum in Carinthiam profugit, comitante eum etiam Joanne Friderico Saxone, licèt

129. ab Imperatore liber esset dimissus.

Transactio Passaviensis. Mauritius autem Oenipontum ingressus, ea, quæ Cæsaris erant, militum licentiæ permisit, intactis iis, quæ ad Regem Ferdinandum aut cives pertinebant. Cúmque induciæ Lincii sancitæ pro ineunda pace appropinquarent,

quarent, Paſſavium ſe recepit. Ubi famoſa illa *Transactio Paſſaviens* (quam *Pacem Religioſam* appellant) eſt inita, anno 1555. Auguſtæ poſtea confirmata.

In hac pactione vi armata extorta, & 12. Articulis comprehenſa decernitur libertas Landgravii, & Religionis Lutheranæ ſecundùm Confeſſionem Auguſtanam, cum Jure Emigrandi cum ſuis bonis, ſi cui lubeat; & quamvis bona Eccleſiaſtica, eò uſque à Lutheranis direpta, iis ſint permiſſa, ſi tamen Epiſcopus aut alius Prælatus à Religione Catholica deinceps deficeret, bona Epiſcopatûs Capitulo extradenda fore, ſtatutum eſt.

Hic quartus Articulus (qui *Reſervatum Eccleſiaſticum* dicitur) magnos deinde motus excitavit, Lutheranis eum expunctum volentibus, & pinguiſſimos Epiſcopatus ad ſe rapientibus. Quod Bello poſtea Suecico occaſionem dedit. 130. *Reſervatum Eccleſiaſticum.*

Henricus II. Galliæ Rex interea Tullum, Virodunum, & Metas in Lotharingia occupaverat: adversùs quem, facta Paſſavienſi pace; Carolus Imperator proceſſit, & Metas, quas propugnavit Franciſcus Guiſius, Lotharingiæ Dux, obſedit. Sed quia annus in hyemem jam inclinaverat, imbribus, nive, frigore ac morbis acciſo exercitu, ſoluta obſidione, in Belgium abſceſſit. 131. *Gallus in Lotharingiam.*

Albertus Brandeburgicus transactioni Paſſavienſi nolens acquieſcere, viginti millium circumtulit prædonem exercitum, ut alienas Provincias, præſertim Moguntini & Trevirenſis poſſet depaſcere, permiſſa omni licentia militi. Atque primò Gallorum partes ſecutus, deinde Cæſaris, poſt obſidionem Metenſem, ſe ipſo non melior, in obvios quosque, præſertim Eccleſiaſticos irruit, immani ubique graſſatus latrocinio. 132. *Albertus Brandeburgicus proſcriptus.*

Quare Imperialis Camera tanquam hoſtem Imperii, & turbatorem quietis publicæ, Mauritio Saxoni, veteri ejus amico, eundem debellandum ac compeſcendum dedit. Qui felici pugna ad Viſurgim in ditione Luneburgica cum eo commiſſa, totum fermè ejusdem delevit exercitum, ut adeò in exilium ejectus, & ab omnibus deſertus, tertiò pòſt anno apud Badenſem obſcuro fine quieverit. *Ac victus à Mauritio.*

Mauritius verò, Bellidux memorabilis, at Cæſari, à quo ſumma acceperat beneficia, perfidus, allata Germaniæ miſerrima pereundi facultate, jam antè ex vulnere, quod in pugna, cum Alberto conſerta acceperat, improlis obiit. Et quanquam Joannes Fridericus poſt ejus mortem conſequi rurſus Electoratum Saxoniæ omni ope allaboraret, ceſſit tamen ille Fratri Mauritii *Auguſto*, in cujus glorioſo ſanguine hodiedum floret, emendaturis poſteris nimia in Lutherum ſtudia. *Cadente victore.*

Cæterùm hos inter Bellorum tumultus, cùm Mauritius perfractis alpium clauſtris in Tyrolim irrumperet, vehementer perculſi Tridentini Patres diffugêre, *Marcello Creſcentio* Cardinale, primo Pontificis Legato, quòd æger decumberet, Veronam deportato, ibíque intra triduum demortuo.

Quare Julius Papa ex Cardinalium consilio 15. Aprilis suspensionem Concilii decrevit.

133. *Sessio XVI. suspensi Concilii In decennium ob varias causas.* Eadem suspensio decreta est à Concilio Sess. 16. celebrata 28. Aprilis 1552. protestantibus contra illam duodecim Prælatis Hispanis, qui Concilium continuari volebant.

Opinione diutius tenuit hæc Concilii suspensio, propter Bellum Cæsarem inter Carolum & Henricum II. continuatum tum in Italia, tum etiam inBelgio. Interveniente quoque anno 1555. morte Julii III. successit Marcellus Cervinus, Pauli III. Legatus ad Concilium Tridentinum, retento proprio nomine *Marcelli II.* quem laude omni superiorem terris tantùm ostenderunt fata, ùt loquitur de eo Brietius, post 22. dies illatum tumulo. Cui Cardinales successorem dederunt Petrum Caraffa, Neapolitanum Episcopum Theatinum, Confundatorem Ordinis Theatini, sub nomine *Pauli IV.* austerioris animi virum,& ab Austriacis alieni. Quare cum Henrico II. fœdus iniit, ac consilia contulit de occupando Regno Neapolitano.

134. *Abdicatio Caroli V.* Hæc inter Carolus V. post signatum orbem terrarum victoriis, ut ad ultimam expeditionem se ritè præpararet, séque ipsum solum regeret, Bruxellis in Belgio totRegnis suis se ultrò abdicavit, relicto Imperio terrísque Austriacis Ferdinando Fratri, Hispania, Italia, Belgio & Transmarinis Provinciis Philippo Filio. Profectúsque in extremam Hispaniam in Monasterio S. Justi vivum quodammodo se ipsum sepelivit, per biennium adhuc pientissimæ huic morti suæ superstes. Sicque in terræ angulum se collegit immensus ille gigas, cujus vastitatem mundus capere non poterat: Heros profectò, cui parem nulla ætas vidit: Nulla re tamen major, quàm quòd post devictas quatuor mundi plagas se ipsum vicerit: Quia majus nihil erat, quod vinceret.

135. *Pax Camaracensis.* Post hujus Principum Principis mortem, terra marique continuatum est bellum Philippum inter II. & Henricnm II. transeuntibus in Filios parentum animis. Verùm Galli Sanquintino & Gravelingano prælio fracti anno 1559. pacem iniêre *Cameraci*, sibi acerbam, gloriosam Philippo, sequestro Monmorantio, ut liberetur carcere Hispano. Accessit complementum pacis, matrimonium Philippi Regis cum Elisabetha Henrici II. Filia.
136. *Mors Henrici II in nuptiali lætitia.* Qua in solennitate hastiludio se exercens Henricus Rex à Mongomerio Comite hasta transfixus occubuit. Relicto Regno sub pupillis, ab Hugonotis deinceps per 40. annos dilacerando, præsertim à Coliniis Fratribus, Gaspare, Andelotto, & Odetto Cardinale, à Diana Pictaviensi vipera in sinu Henrici malè antea protectis.

Francofordiæ interea Ferdinandus agnitus tandem Imperator ab Ordinibus,
137. *Ferdinandus Imperator.* nunquam tamen à Paulo IV. quòd favere nimiùm crederetur Lutheranis; at falsò. Nam Tractatum Passaviensem inire necessitas compulit. De cætero in omnem erat occasionem intentus, qua sublatis diffidiis Religioni consuleret. Et quamquam experientia docente comperisset, partis utriusque Theologorum Congressu ac Disputatione animos potiùs incalescere

ac irritari, quàm malo remedium parari, ne tamen quidquam intentatum relinqueret, anno 1557. *Wormatiæ* novum colloquium instituit, 12. Catholicis Theologis (quos inter Petrus Canisius) totidémque Protestantibus ad hoc delectis, Julio Pflugio Præside. 138. *Colloquium Wormatiense*

Quo in conventu id ridiculum & Lutheranis probrosum accidit, ut potiùs inter se, quàm cum Catholicis decertarent. Quinque enim ex illis Confessioni Augustanæ præcisè inhærendum putabant: Sex alii, quos inter Illyricus, Brentius, Bullingerus, ac tres Saxones, magna contentione illis se opponebant, Melanchtone more suo partem inter utramque medio. Dúmque sic tanquam hæreticos & Augustanæ Confessionis desertores ac corruptores se mutuò proclamarent, ultra clamores nihil est actum. *Cum Lutheranorum dedecore.*

Et profectò ubi deserto controversiarum Judice à Christo constituto quilibet S. Scripturæ verba pro arbitrio suo interpretatur atque in privatum phantasiæ suæ sensum detorquet: quæ doctrinæ ac Fidei unitas atque concordia sperari poterit? Quot sunt capita, tot ferme Religionis Systemata prodire necesse est. Hinc tot illæ in Palatinatu, Saxonia, Wirtembergia, alíisque Provinciis & civitatibus Protestanticis Fidei mutationes: Hinc *liber concordiæ* tot discordiarum fomes: Hinc ipsa Confessio Augustana toties mutata ac reformata. 139. *Desperata apud Lutheranos unitas Fidei.*

Remedium tot discordiis certum fuisset, si Concilio Oecumenico, eo modo, qui semper in Ecclesia viguit, celebrato voluissent acquiescere. Verùm quàm importunè illud antè expetierant, dum celebrari non posse cernebant, ita contumaciter celebrato restitêre: Nec celebrari illud volebant, nisi inaudita methodo, contra morem totius antiquitatis.

Novem jam annis propter Bella erat suspensum Concilium Tridentinum, nec tempore, quo Marcellus II. & Paulus IV. erant Pontifices, reassumi poterat. At hoc anno 1559. mortuo, eíque suffecto Pio IV. major spes affulsit. Nam per pacem Cameracensem composita erant Europæ jurgia, & Ferdinandus Imperator cum Galliæ & Hispaniæ Regibus resumptionem Concilii expetebant. Accedebat, quòd Galli post conspirationem Ambosianum in Guisios & Regiam Familiam detectam in Comitiis Bellaqueensibus statuerint, ut, si Concilium Generale obtineri non posset, institueretur in Gallia Concilium Nationale pro turbis Calvinistarum sedandis. 140. *Pius IV. Pontifex jubet continuari Concilium Tridentinum.*

Publicavit proin anno 1560. Pius IV. Pontifex Bullam continuationis Concilii Tridentini, contra quod, ut se præmunirent Protestantes, vulgare cœperunt Magdeburgi Historiam suam Ecclesiasticam, innumeris refertam erroribus ac mendaciis, in *Centurias* distributam; unde quatuor ejus Authores (plures alii fabri postmodum accesserunt) dicti *Centuriatores Magdeburgici.* His postea Cardinalis Baronius opposuit 12. suos tomos Annalium Ecclesiasticorum. Ipséque Schlüsselburgius, famosus Præco Luthericus, Matthiam Illyricum Principem centuriarum Architectum tanquam hæreticum catalogo suo inseruit. 141. *Centuriæ Magdeburgicæ*

An-

142. *Conventus Naumburgensis Protestantium* Anno 1561. Principes Protestantes Naumburgi in Saxonia convenerant, consulturi, quid agendum, si Concilium Tridentinum reassumendum foret. Erant aliqui in ea sententia, ut Confessioni Augustanæ, prout ea an. 1530. Carolo V. erat porrecta, omnes subscriberent, ne propter suas dissensiones contemptui Catholicorum se ulteriùs exponerent. At opponentibus se aliis, in Calvinismum declinantibus, concludi nihil poterat.

Pontificis ad eundem Legati invitant ad Concilium Misit tamen Pontifex ad conventum illum Naumburgensem duos Legatos, Delphinum & Commendonum, cum Legatis Ferdinandi Cæsaris: Ut omnes ad Concilium Generale invitarent. At Nuntii præter reverentiam in prima exceptione nihil obtinuerunt. Singulas deinde Principum Protestantium aulas accesserunt, humaniter excepti, præsertim ab Augusto Electore Saxoniæ, & Joachimo II. Electore Brandeburgico.

143. *Errores Baji.* Commendonus ex Germania in Belgium se contulit, ubi comperit, periculosas quasdam & in Lutheranismum declinantes propositiones doceri à Michaële *Bajo*, celebri Professore Lovaniensi, de gratia & libero arbitrio. Pontifex à Commendono certior factus Cardinalem Granvellanum monuit, ut disputationes illas inhiberet. Cùm autem post absolutum Tridentinum Concilium propositiones Baji adhuc publicè propugnarentur, Pius V. 79. ex illis condemnavit per Bullam, quam Gregorius XIII. deinde promulgavit per Franciscum Toletum, Postea Cardinalem, qui doctrina ac prudentia Bajum ad retractationem & saniorem mentem reduxit. Sed propositiones illas postmodum Jansenius Iprensis periculosiùs instauravit, sub ficta S. Augustini doctrina incautis mentibus propinatas.

Pergere deinde Commendonus volebat in Daniam & Sueciam, sed non admissus, sperante Dano, se in Regem Romanorum à Protestantibus Electoribus eligendum, prout spem ipsi fecerant. At unanimi suffragio electus est Maximilianus Ferdinandi Cæsaris Filius.

144. *Præsides Concilii.* Pontifex munere suo se functum ratus, ad Concilium Tridentinum continuandum præstantissimos doctissimósque quatuor Cardinales, suos Legatos, misit, *Herculem Gonzagam*, Episcopum Mantuanum, *Hieronymum Seripandum*, ex Generali Eremitarum S. Augustini factum Episcopum Salernitanum & Cardinalem: *Stanislaum Hosium*, Episcopum Warmiensem, à præclaris libris suis gestisque orbi notissimum: Et *Ludovicum Simonetam*.

§. X.

Absolutio Concilii Tridentini sub Pio IV.

Anno 1561. pauci tantùm Episcopi Tridentum venerant; unde Sessio prima sub Pio IV. quæ ab inchoato Concilio erat decima septima, in 18. Januarii anni 1662. differenda erat.

145. *Sessio XVII. de-* In Sessione XVII. igitur lectum decretum, quo declaratum fuit, sublata esse impedimenta, celebrandúmque Concilium ad componendas Religionis con-

controversias, reformandam disciplinam morum, firmandámque Ecclesiæ pacem; surgente interim etiam Calvini hæresi magìs perturbatam. *creta Concilii celebratio.*

146. *Sessio XVIII. decretus Index librorum probibitorum.*

Sessio XVIII. celebrata est 26. Februarii an. 1562. in qua lectum decretum, à deputatis conficiendum esse *Indicem librorum probibitorum:* Qui tamen tempore Concilii publicatus non fuit, ne irritentur Protestantes: Qui hoc eodem decreto rursus ad Concilium invitabantur, datis eis plenæ securitatis litteris.

147. *Sessio XIX. prorogatio Sessionis. Postulata Cæsareorum & Gallorum.*

Sessio XIX. habita 14. Maji, in qua decreta prorogatio Sessionis ad diem 4. Junii. Utì per litteras petierant Legati Gallici. Cúmque hi advenissent, petierunt, non esse *continuandum*, sed de novo inchoandum Concilium. Quod idem etiam Cæsareani Oratores postulabant: Ne Lutherani voce illa *continuationis* offendantur, & absterreantur à Concilio. Contrarium censuêre Itali, & Hispani præcipuè; abstrahendum interim ab ea voce censebat Pontifex, ac nihilominus inde incipiendum tractari, ubi Sessiones sub Julio III. desierant.

148. *Sessio XX. Decreta iterum prorogatio, propter varias molestias factas ab Oratoribus.*

In Sessione XX. decreta est prorogatio ad 16. Julii, propter diversas difficultates, & impedimenta, ab Oratoribus præsertim Principum objecta; in quibus componendis magnæ Legatis Pontificiis molestiæ fuerunt perferendæ. Ut enim taceam varias lites de ceremoniis & honoris sessionísque prærogativa, instanter ab Oratoribus Cæsareis, Bohemicis, Bavaris, & Gallicis petitum est, ut communio sub utraque specie concederetur: Hoc enim reducendis hæreticis fore opportunum: Benignam matrem oportere esse Ecclesiam, quæ condescendat infirmitati filiorum, quantum potest: Posse autem; & aliàs jam variis temporibus in hac parte condescendisse: Aliquibus saltem populis ad solatium hanc gratiam indulgendam, ne inflexibilis severitas objici possit Concilio.

149 *Postulatum circa communionem sub utraque specie.*

Facilè conventum est in eo, usum calicis non esse necessarium iis, qui non consecrant, cùm utraque species pro sacrificio, non autem pro Sacramento requiratur: Ac proin Ecclesiam justis de causis posse Laicis calicis usum prohibere: Cùm certum omnino sit, totum Christum sub singulis speciebus contineri. In eo igitur solùm est disceptatum, an pro statu rerum præsenti videretur, aliquibus saltem populis id indulgendum, cùm instanter adeò petant.

Plerisque, præsertim Hispanis ea stabat sententia, nihil in hac parte esse permittendum: Pugnare adhuc rationes, propter quas ritus ille sit interdictus: Non alia de causa illius restitutionem peti à Protestantibus, quàm ut Ecclesiam arguere possint erroris, in illius prohibitione commissi; nec tamen ideo reversuros, sed alia quoque mutari, abrogari, everti petituros: Adeóque ex concessione illa boni nihil, mali autem quàm plurimum oriturum.

Sessio XXI. *Doctrina dogmatica de communione sub utraque specie.*

150. In Sessione igitur XXI. 16. Julii celebrata frequenti Patrum senatu conventum est in 4. hæc de communione sub utraque specie & parvulorum capita.

1. Decernitur, illos, qui non conficiunt, nullo Divino præcepto urgeri ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum, nec dubitari posse, quin sumptio sub una specie ad salutem sufficiat.

2. Eam perpetuò in Ecclesia fuisse potestatem, ut in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, & Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magìs expedire judicaret. Hinc licèt sub initium Ecclesiæ non infrequens fuerit usus utriusque speciei, progressu tamen temporis gravibus & justis de causis mutatam illam consuetudinem, háncque sub una tantùm specie communicandi approbatam & pro lege habendam decrevisse: Quam mutare sinè authoritate Ecclesiæ non liceat.

3. Quamvis autem Christus in ultima cœna hoc Sacramentum sub utraque specie instituerit & Apostolis tradiderit, fatendum tamen, totum & integrum Christum sub altera tantùm specie contineri, verúmque Sacramentum sumi: Ac proin nulla eos gratia ad salutem necessaria defraudari, qui speciem unam solam accipiunt.

4. Parvulos usu rationis carentes non obligari hoc Sacramentum sumere: nec tamen damnandam antiquitatem, quæ aliquando morem illum servârit.

151. Additi sunt 4. Canones, quibus anathematizantur.

Canones. 1. Si quis dixerit, ex Dei præcepto seu necessitate salutis omnes fideles utramque speciem sumere debere.

2. Aut Ecclesiam non justis de causis communicare Laicos sub una tantùm specie.

3. Qui negaverit, sub una specie totum & integrum Christum sumi.

4. Qui dixerit, parvulis, antequam ad usum rationis perveniant, necessariam esse communionem.

152. *An concedendus, remissum ad Pontificem.* An autem re ipsa usus calicis aliquando sit permittendus Laicis, & quales causæ hunc concedendi sint justæ, Concilium in aliud tempus decidendum reservavit, *Quod tamen in hoc Concilio fieri non potuit, eò quòd multi illud absolvi citiùs desiderârint. Remissum igitur est hoc negotium ad Pontificem: Qui aliquibus Episcopis indulsit facultatem eum usum concedendi. At absque fructu, ùt postea patuit. Quare personalem tantùm esse eam facultatem declaravit; consequenter non transire ad Successores.*

153. Decretum de Reformatione.

Decreta Reforma- 1. Episcopi, eorúmque Ministri nihil accipiant, quocunque prætextu, & etiam sponte oblatum, pro collatione ordinum, litteris dimissoriis, aut sigil-

gillo, sed gratìs ista omnia fiant. Omnésque contrariæ consuetudines, ac statuta, tanquam simoniacæ pravitati faventia, penitus cassantur & interdicuntur. Notarii verò, ubi viget consuetudo pro dimissoriis, aut testimonialibus litteris aliquid accipiendi, decimam tantùm unius aurei partem possunt accipere: Dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro Officio exercendo. *tionis de ordinationibus & Ecclesiis.*

2. Nullus, licèt aliàs idoneus ad majores Ordines admittatur, nisi habeat beneficium, ad congruam sustentationem sufficiens. Nec illud resignare possit, nisi constet, eum ad illius titulum esse ordinatum, & aliunde vivere possit. Patrimonium verò vel pensionem etiam sufficientem pro sustentatione possidentes ordinari non possint, nisi, quos Episcopus pro necessitate vel utilitate Ecclesiarum suarum ordinandos esse judicaverit; neque illa deinceps sinè licentia Episcopi alienari possint.

3. Pars tertia proventuum & fructuum in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis separetur in distributiones quotidianas, (ubi tales vel nullæ vel tenues sunt) solísque præsentibus in Divinis Officiis distribuatur proportionaliter juxta divisionem Episcopi. Salva tamen consuetudine Ecclesiarum, in quibus non residentes, vel non interessentes nihil vel minus tertia parte accipiunt. 154. *Distributiones quotidianæ.*

4. Ubi unus Rector non sufficit, cogatur ab Episcopo plures Sacerdotes assumere. Ubi verò ob locorum distantiam, aut difficultatem Parochiani sinè magno incomodo ad percipienda Sacramenta, & Divina officia audienda accedere non possunt, novas Parochias, etiam invitis Rectoribus Episcopi possunt constituere, assignata pro arbitrio Episcopi portione ex matrici Ecclesia. Hac autem non sufficiente compellendus populus ad suppeditanda necessaria. 155. *Novæ parochiæ.*

5. Propter paupertatem Ecclesiarum, & in cæteris casibus à Jure expressis, possunt Episcopi facere Uniones quarumcunque Ecclesiarum parochialium, & aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum cum curatis. 156. *Unio Beneficiorum.*

6. Imperitis Rectoribus, honestè tamen viventibus, Vicarii aut Coadjutores pro tempore deputentur, cum parte fructuum assignanda. In malitia autem & scandalo pertinaciter viventes, priventur beneficiis, juxta SS. Canonum constitutiones, exemptione & appellatione remota.

7. Ecclesiæ, vetustate vel aliàs collapsæ, restaurentur ex fructibus ad eas pertinentibus: qui si non fuerint sufficientes, Patroni, & alii, qui fructus aliquos ex Ecclesiis illis percipiunt, & in horum defectum Parochiani contribuant. Si nimia egestate omnes laborent, ad matrices, aut viciniores Ecclesias transferantur beneficia. Ecclesia verò diruta in profanos usus (non tamen sordidos) convertatur, erecta ibidem cruce. 157. *Ecclesiæ collapsæ.*

8. Monasteria commendata, in quibus non viget regularis disciplina,& beneficia, qualitercunque commendata, singulis annis visitent Episcopi.

158. *Quæstores sublati.* 9. Quæstorum eleemosynarum nomen & usus penitus tollitur. Indulgentias verò & Spirituales gratias Ordinarius publicet adhibitis duobus de Capitulo, qui eleemosynas recipiant absque omni mercede, ut tandem cœlestes hos Ecclesiæ thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri omnes verè intelligant.

Sessio XXII. *Doctrina de Sacrificio Missæ.*

159. *Dogmata.* Celebrata est hæc Sessio 17. Sept. 1562. editáque novem Capita de Sacrificio Missæ: De quo per tres horas ex sublimiori suggestu peroravit P. Jacobus Laynez Societatis Jesu Generalis.

de potestate. 1. Christus in cæna Apostolis, quos tunc Sacerdotes constituit, dedit *potestatem & præceptum* offerendi Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis,& vini, tanquam juge sacrificium visibile relinquens Ecclesiæ suæ, per quod virtus sacrificii in cruce peracti, nobis applicatur in remissionem peccatorum.

Fructu. 2. Et quoniam in hoc sacrificio Christus incruentè immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruentè obtulit, verè est *propitiatorium* pro vivis & defunctis.

Latria. 3. Licèt autem in Missa fiat commemoratio Sanctorum, ipsum tamen sacrificium *Soli DEO* offertur, non autem Sanctis, quorum duntaxat patrocinia imploramus.

Canone. 4. *Canon Missæ*, cùm constet verbis Domini, Apostolorum traditionibus,& Sanctorum Pontificum institutis, nihil omnino vitiosum continet.

Ceremoniis. 5. Per *Ceremonias* externas, vestes, lumina &c. mens erigitur & præparatur ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, æstimationem & contemplationem.

Missa privata. 6. Licèt optaret sacra Synodus, ut in Missa præsentes Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent: Missæ tamen illæ, in quibus solus Sacerdos communicat, verè communes censeri debent, tum quòd in eis populus spiritualiter communicet, tum quod à publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur.

Aqua miscenda. 7. Vinum aqua miscendum, tum quòd Christus ita fecisse credatur, tum quòd è latere Christi exierit sanguis & aqua, quod hac mixtione recolitur: tum etiam quòd aqua populum cum Christo capite unitum significet.

8. Missa non est equidem dicenda lingua vulgari, sed more antiquo, in Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Matre & Magistra usitato, ejus tamen mysteria frequenter populo sunt explananda.

9. Demum Synodus errores sequentibus 9. Canonibus damnat.

Cano-

Canones de ſacrificio Miſſæ.

1. Dicitur anathema illi, qui dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum & proprium ſacrificium. 160. Canones.

2. Verbis illis: *Hoc facite in meam commemorationem,* Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes.

3. Non eſſe ſacrificium propitiatorium, vel ſoli prodeſſe ſumenti: Neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus & aliis neceſſitatibus offerri debere.

4. Derogari ſacrificio Chriſti in cruce peracto.

5. Non eſſe licitum Miſſas celebrare in honorem Sanctorum, ad impetrandam eorum interceſſionem.

6. Canonem Miſſæ continere errores.

7. Ceremonias, veſtes, & externa ſigna, irritabula potiùs eſſe impietatis, quàm officia pietatis.

8. Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos communicat, eſſe illicitas.

9. Ritum, quo ſummiſſa voce pars Canonis, & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe. Aut lingua tantùm vulgari Miſſam dicendam eſſe. Aut aquam non miſcendam.

Conditum dein decretum de Miſſa reverenter celebranda. Quare prohibetur omnis ſimonia & turpis quæſtus. Vagi & ignoti ne ſinantur celebrare. Neque in privatis domibus, aut extra Eccleſiam, & Oratoria, ad Divinum tantùm cultum dedicata, à quoquam celebretur. Moneatur populus, ut frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis & Feſtis majoribus accedant. 161. *De Miſſæ reverentia*

Decreta Reformationis.

1. Clerici modeſtè, graviter ac ſanctè ſe gerant, ut aliis ſint exemplo. 162. *De Canonicis.*

2. Ad Eccleſiam Cathedralem aſſumendus natalibus, ætate, moribus, doctrina, à SS. Canonibus requiſitis, ſit præditus, Doctor aut Licentiatus Theologiæ vel Juris Canonici, aut publico Academiæ teſtimonio inſtructus, & ſaltem ſex menſium ſpatio antea in ſacro ordine conſtitutus.

3. Diſtributiones quotidianæ conſtituendæ ex tertia parte quorumcunque fructuum. Abſentium portio cedat fabricæ, aut alteri pio loco arbitrio Epiſcopi. Qui tamen extra civitatem in Eccleſia curata miniſtrat, habeatur pro præſente. *Diſtributionibus.*

4. In Cathedrali vel collegiata, etiam Regulari vocem in Capitulo non habeat, qui non eſt Subdiaconus. Intra annum ſuſcipiendi ordines ad Miniſterium requiſiti. Proviſio fiat ſolùm iis, qui habent ætatem aliáque requiſita. *Promovendis.*

5. Diſpenſationes extra curiam Romanam committantur Ordinariis eorum, qui eas impetrârunt. Nec reſcripta gratiæ ſortiantur effectum, niſi ab iiſdem, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis ſummariè, & extrajudicialiter fuerint cognita, nulli illa ſub- vel obreptionis vitio ſubjacere. *Reſcriptis.*

Commutationibus. 6. In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non nisi ex justa & necessaria causa fieri debent, Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati, summariè & extrajudicialiter cognoscant, preces nec sub- nec obreptionis vitio esse obnoxias.

7. In appellationibus servetur *cap. Romana de appellat. in 6.*

Visitationibus. 8. Omnium piarum dispositionum executores sint Episcopi: Habeantque Jus visitandi Hospitalia, Collegia, ac confraternitates Laicorum, ac Scholas, iis exceptis, quæ sunt sub immediata protectione Regum.

Rationibus. 9 Administratores piorum locorum singulis annis reddant rationem Ordinario, nisi aliter in fundatione sit cautum.

Notariis. 10. Notariorum sufficientiam scrutentur Ordinarii, & non sufficientes aut delinquentes à Causis Ecclesiasticis arceant.

Usurpatoribus. 11. Bonorum Ecclesiasticorum aut proventuum occupatores, & usurpatores anathemati subjaceant, quamdiu ea detinent vel impediunt, quò minùs ab iis percipiantur, ad quos pertinent, & absolutionem à summo Pontifice obtineant, quodsi usurpator ejusdem Ecclesiæ Patronus sit, etiam Jure patronatûs privetur: Utì etiam Clericus beneficiis Ecclesiasticis, cum inhabilitate ad alia, & suspensione ab executione ordinum, si ejusmodi usurpationum fuerit particeps.

Denique Synodus resumens quæstionem, an aliquibus Provinciis petentibus usus calicis sit permittendus, ad summum Pontificem refert negotium. Ut suprà memoratum est.

Sessio XXIII. *De Sacramento Ordinis.*

163. *De Reformanda Romana curia.* Sessionem hanc ultra decem menses differre oportuit, propter duas controversias molestissimas. Nam Imperator Ferdinandus & Rex Galliæ cernentes, Lutheranos & Calvinistas sub prætextu Romanæ tyrannidis nunquam Concilio acquieturos, nisi reformarentur abusus Romanæ curiæ, in id maximè incumbebant. At Pontifex constanter respondit, ad se pertinere, ea, quæ Romæ corrigenda viderentur, emendare: Atque abundè se id jam præstitisse, constitutione novissimè edita, qua omnia, quæ jure objici possent, emendârit in omnibus tribunalibus Romanis, Cancellaria, Rota, Palatio Apostolico, circa distributiones gratiarum, Privilegiorum, Indulgentiarum: Facturúmque se porro omnia, quæ possint desiderari: Ut proin nullum omnino ex iis prætextum pertinaciæ protestantes possint objicere.

164. *Lis inter Oratores.* Altera controversia quæ non parùm rerum cursum morabatur, erat de loci prærogativa *Lunensem* inter comitem Legatum Hispanum, & Galliæ Oratores, minitantibus istis, se cum omnibus Gallis abituros, si Hispanus præponeretur. Ad litem sopiendam datus huic locus extra ordinem Legatorum.

His compositis celebrata est Sessio 23. 15. Julii anno 1563. præsidibus Legatis Sedis Apostolicæ, Hosio, Simonetta, Morono, & Navaguero, Cardina-

dinalibus (nam Cardinalis Mantuanus, Legatorum primus, & Seripandus Tridenti interea obierant, Altempsius verò Cardinalis, Pontificis nepos, qui quintus Legatus advenerat, Constantiam ad Episcopatum suum jam discesserat) advenítque etiam cum Gallis Episcopis ad Sessionem istam Carolus Guisius Cardinalis Lotharingus.

Edita 4. capita de *Sacramento Ordinis.* 165.

1. Christus Apostolis, eorúmque in Sacerdotio successoribus dedit potestatem consecrandi & offerendi visibile sacrificium, atque remittendi & retinendi peccata. *Doctrina de Sacramento Ordinis.*

2. Ad venerationem tanti sacrificii ab ipso Ecclesiæ initio fuerunt in usu septem odines, tres majores seu sacri, & quatuor minores.

3. Ordo est verè ac propriè Sacramentum, cùm conferat gratiam, ùt habetur 2. *Tim.* 1.

4. Soli illi sunt Sacerdotes, qui legitimè sunt ordinati ab Episcopis. Hi sunt majores Presbyteris, & confirmationis ac ordinis Sacramentum conferunt: Neque ad hoc requiritur Magistratus aut populi consensus. Ordinatis imprimitur character indelebilis, propter quem nunquam ampliùs effici possunt Laici.

Contraria autem his capitibus doctrina damnata est pro more octo Canonibus.

1. Damnatur, qui dixerit, in Novo Testamento non esse Sacerdotium visibile, aut potestatem consecrandi & peccata remittendi, sed Officium tantùm & nudum Ministerium prædicandi Evangelium. 166. *Canones de eodem.*

2. Præter Sacerdotium nullos alios esse ordines, per quos velut per gradus ascendatur ad Sacerdotium.

3. Ordinationem non esse verè ac propriè Sacramentum, à Christo institutum, sed tantùm esse ritum eligendi Ministros verbi Dei.

4. Per eam non imprimi characterem, vel eum, qui Sacerdos semel fuit, Laicum rursus fieri posse.

5. Sacram unctionem in ordinatione usitatam non requiri.

6. In Ecclesia non esse Hierarchiam, Divina ordinatione institutam, quæ constet ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris.

7. Episcopos non esse Presbyteris Superiores, vel non habere potestatem confirmandi, ordinandi &c. vel eam ipsis esse cum Presbyteris communem: Vel ordines absque populi, vel potestatis sæcularis consensu esse irritos: Aut eos, qui ab Ecclesiastica potestate non sunt ordinati & missi, legitimos esse verbi & Sacramentorum Ministros.

8. Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos & veros Episcopos. *Hic multùm disputabatur, an Episcopi potestatem Jurisdictionis immediatè habeant à Christo, an verò mediante Pontifice. Placuit tandem ab ea quæstione controversa abstrahere.*

His

His Capitibus & Canonibus in eadem Sessione subjuncta sunt 18. Decreta De Reformatione.

167. *Decreta circa Residentiam Episcoporum.* 1. Quia jure Divino Rectoribus Ecclesiarum præceptum est, gregem suum pascere ac regere, Episcopus ac superiores Prælati nunquam absint à sua Diœcesi, nisi ad summum per tres menses, continuos vel interruptos: Si urgente causa ultra abesse velint, causam eam Pontifici aut Metropolitano in scriptis approbandam offerant. Nisi incidat peragendum officium tamen Reipublicæ aut Episcopatui annexum, atque notorium, aut repentinum. Ita pro tempore absentiæ Ecclesiæ suæ provideant, ut nullum inde detrimentum patiatur. Aliàs fructus non faciunt suos, sed tenentur eos pro rata absentiæ aut fabricæ, aut pauperibus loci erogare, etiam alia monitione non secuta.

Et aliorum Curatorum. Idem decernitur de inferioribus Curatis: In quorum absentia constituendi idonei Vicarii, ab Ordinario approbandi. Discedendi autem licentiam, in scriptis ac gratìs concedendam, ultra bimestre, nisi ex gravi causa non obtineant.

168. *Consecratio Episcoporum.* 2. Episcopi, ultra tres menses consecrationem differentes, fructus teneantur restituere. Si rursus per tres menses consecrationem negligant, Ecclesiis ipso Jure sint privati. Consecratio autem fiat in Ecclesia, ad quam sunt promoti, aut in Provincia, si commodè fieri potest.

3. Episcopi per semet ipsos ordines conferant. Si ægritudine impediti fuerint, subditos suos non aliter, quàm jam examinatos & probatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant.

169. *De ordinandis.* 4. Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum confirmationis necdum receperunt, aut Fidei rudimenta, item legere & scribere nesciunt: Et de quibus non sit probabilis conjectura, eos non ad subterfugiendum sæculare judicium id genus vitæ elegisse.

Qualitatis. 5. Ad minores ordines promovendi bonum testimonium habeant à Parocho & Magistro Scholæ. Omniáque ante ordinationem circa natales, ætatem, mores &c. diligenter inquirantur.

6. Nullus prima licèt tonsura aut etiam minoribus initiatus, obtineat Beneficium ante 14. ætatis annum. Neque privilegio feri gaudeat, nisi habeat Beneficium, aut clericalem habitum ac tonsuram gestet, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviens, aut in Seminario Clericorum vel Academia de licentia Episcopi versetur.

7. Episcopus ordinandorum omnes qualitates diligenter investiget & examinet, ascitis viris peritis.

8. A proprio Episcopo quilibet ordinandus: Vel ab alio cum proprii licentia & testimoniis, & in Cathedrali Ecclesia, vel si Episcopus sit in alio loco suæ Diœcesis, in digniore Ecclesia loci, quantùm fieri potest, instituatur ordinatio, ac publicè, præsente Clero.

9. Episcopus familiarem suum ordinare non potest, nisi per trieñium fuerit

rit cum eo commoratus: Tunc autem statim ei Beneficium conferre debet.

10. Abbates nulli sæculari, vel Regulari, sibi non subdito, tonsuram aut ordines minores conferant, aut dimissorias quæcunque Capitula concedant: Ne quidem Sede vacante.

11. Etiam minores Ordines per interstitia conferantur, nisi Episcopo aliter videatur. Tum verò nonnisi post annum ad sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas aut utilitas Ecclesiæ Judicio Episcopi aliud exigat. Tempore autem interstitiorum diligenter se exerceant in virtute & doctrina, ac munere ab Episcopo sibi commisso, ut digni inveniantur ascensu ad altiores ordines.

12. Nullus promoveatur ad Subdiaconatum ante ætatis annum 22. Diaconatus 23. & Presbyteratus 25. Regulares quoque nec in minori ætate, nec sinè diligenti examine Episcopi ordinentur, quibuscunque Privilegiis quoad hoc penitus exclusis. (*Intelligendum de Privilegiis ante Concilium Tridentinum acquisitis.*)

13. Subdiaconi & Diaconi ordinentur in minoribus jam probati, ac scientia, quæ ad officium exercendum requiritur, probè instructi, continentes &c. diebus Festis solennibus & Dominicis maximè decet, ut communicent. Per annum interstitia servent, nisi aliter visum Episcopo, ob Ecclesiæ necessitatem vel utilitatem. Duo sacri ordines nulli eodem die conferantur.

14. Qui piè & fideliter in prioribus ordinibus ac Ministeriis se gesserint, ad Presbyteratum ascensuri, iis sint imbuti litteris, ut populum docere possint ea, quæ scire omnibus ad salutem necessarium est, & ad ministranda Sacramenta. Vitæ bono exemplo præluceant. Diebus saltem Dominicis & Festis solennibus celebrent: Et, si curam animarum habuerint, quoties hoc munus exigit. Cum promotis per saltum potest Episcopus dispensare, si non ministraverint.

15. Quamvis Presbyteri absolvendi potestatem in ipsa ordinatione 170. accipiant, ut tamen sæcularium, etiam Sacerdotum, Confessiones audire *Approba-* possint, debent omnes, etiam Regulares, (nisi Parochiale Beneficium ha- *tio Confes-* beant) ab Episcopo *approbari*, seu idonei judicari, prævio examine, nisi *sariorum.* aliunde constet. Approbatio autem gratìs fiat.

16. Singuli ordinandi adscribantur illi Ecclesiæ, pro cujus necessitate aut utilitate assumuntur, ubi suo munere fungantur, nec vagentur incertis Sedibus. Qui inconsulto Episcopo locum deseruerit, ei sacrorum exercitio interdicatur. Nullus peregrinus sinè litteris commendatitiis sui Ordinarii ad celebrandum, aut ministranda Sacramenta admittatur.

17. Functiones minorum ordinum restituendæ, assignatione facta fructuum ex simplicibus Beneficiis vel fabrica; ne ab hæreticis tanquam otiosi traducantur. Deficientibus tamen minoristis cælibatum colentibus, sufficiantur conjugati, monogami tamen, tonsurati, & induti clericaliter in Ecclesia.

171. *Erigenda Seminaria & Scholæ.* 18. In Cathedralibus pro ratione facultatum erigantur ſeminaria Clericorum, in quæ præcipuè pauperes aſſumendi, & ad ſacra Miniſteria præparandi, itémque Scholæ erigantur communibus Eccleſiaſticorum ſumptibus &c.

Seſſio XXIV. *De Sacramento Matrimonii.*

172. Indicta fuerat Seſſio in diem 16. Sept. ſed proroganda fuit in 11. Nov. 1563. in qua expoſita fuit doctrina de matrimonio, quòd Chriſtus in novo Teſtamento ad rationem Sacramenti elevavit, teſtante ipſo Apoſtolo, Sacramentum hoc magnum eſſe in Chriſto & Eccleſia. Quia autem Novatores hæretici etiam in hoc Sacramentum ſunt graſſati, Synodus ſequentibus 12. Canonibus eorum errores condemnavit.

173. *Canones.* 1. Anathema ſit, qui dixerit, Matrimonium non eſſe vere ac propriè Sacramentum, à Chriſto inſtitutum, neque gratiam conferre.

2. Licere Chriſtianis plures habere uxores ſimul: Hoc nulla lege Divina eſſe prohibitum.

3. Eos tantùm conſanguinitatis & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, impedire poſſe Matrimonium contrahendum & dirimere contractum; nec poſſe Eccleſiam in nonnullis eorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant & dirimant.

4. Eccleſiam non potuiſſe ſtatuere impedimenta, Matrimonium dirimentia.

5. Propter hæreſin, aut moleſtam cohabitationem, aut abſentiam conjugis, diſſolvi poſſe Matrimonii vinculum.

6. Matrimonium ratum tantùm, per ſolennem Religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi.

7. Errare Eccleſiam, dum docet, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non diſſolvi: Nec poſſe, etiam innocentem aliud Matrimonium contrahere, quamdiu vivit alter conjugum, mæcharíque eum, qui dimiſſa adultera aliam ducit.

8. Errare Eccleſiam, dum decernit, ob multas cauſas fieri poſſe ſeparationem conjugum quoad thorum, ſeu cohabitationem, ad certum tempus, aut incertum.

9. Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolenniter profeſſos poſſe Matrimonium contrahere: contractúmque validum eſſe non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto.

10. Statum conjugalem præponendum eſſe virginali, vel cœlibi, húncque non eſſe meliorem illo.

11. Prohibitionem ſolennitatis nuptiarum certis temporibus, benedictionem, aliáſque ceremonias, eſſe ſuperſtitionem.

12. Cauſas Matrimoniales non ſpectare ad Judices Eccleſiaſticos.

Edita dein ſunt decem Capita.

De Reformatione Matrimonii.

1. Quamvis Matrimonia *clandestina* fuerint valida, quamdiu Ecclesia ea non irritavit, síntque damnandi, qui affirmant, sinè Parentum consensu contracta esse invalida, aut Parentes ea rata vel irrita reddere posse; Ecclesia tamen ea semper prohibuit. Quia autem sola prohibitio non sufficit ad coërcenda scelera & abusus, præsertim eorum, qui ad alias nuptias transeunt vivente priori conjuge, & sic in adulterio vivunt, ideo Synodus præcipit, ut antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia, inter Missarum solennia publicè *denuntietur*, inter quos Matrimonium sit contrahendum. Tum, si nullum impedimentum opponatur, Matrimonium in facie Ecclesiæ celebretur, Parocho intellecto consensu eos conjugente. 174. *Decreta de Reformatione Matrimonii.* 175. *Trina Denuntiatio.*

Si probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiosè impediendum propter tot denuntiationes, tunc vel una tantùm fiat, vel saltem Parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur. Qui verò aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: Atque hujusmodi contractus irritos facit, & annullat: Gravibus insuper pœnis ab ordinario mulctandi, qui aliter fecerint. 176. *Statuitur Impedimentum clandestineitatis.*

Ante Benedictionem autem Sacerdotalem, à proprio Parocho in templo impertiendam (nisi alius Sacerdos à Parocho vel Ordinario licentiam habeat) in eadem domo non cohabitent conjuges.

Si autem Parochus, vel alius Sacerdos, alterius Parochiæ Sponsos, sinè illorum Parochi licentia, Matrimonio jungeret, aut benediceret, ipso tamdiu suspensus maneat, donec absolvatur ab Ordinario ejus Parochi, ad quem pertinebat Sponsos conjungere & benedicere. 177. *Benedictio nuptialis.*

Habeat Parochus librum, in quo conjugum & testium nomina, diémque & locum contracti Matrimonii describat.

Monendi etiam Sponsi, ut ante Matrimonium *confiteantur*, & Eucharistiam sumant. Aliis etiam piis consuetudinibus in suo vigore permansuris.

Hoc Decretum promulgetur sæpiùs in singulis Parochiis, præsertim primo anno: Post 30. autem dies à promulgatione facta robur suum habeat.

2. Unus tantùm patrinus, vel una, aut ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant. Impedimentum autem *cognationis Spiritualis* solùm contrahunt patrinus & baptizans cum baptizato, ejúsque Patre & Matre. Unde horum nomina diligenter scribenda sunt à Parocho in libro Baptismali. Si alii, præter designatos infantem tetigerint, non contrahitur cognatio. Similiter ex Confirmationis Sacramento eadem tantùm contrahitur à Patrino cum confirmato ejúsque Patre & Matre. 178. *Patrini cognatio Spiritualis.*

3. Impedimentum *publicæ honestatis* non oritur ex sponsalibus, quacunque, 179. *Publica honestas.*

que ratione invalidis. Si autem valida fuerint, primum gradum non excedat.

180. *Affinitas.* 4. Impedimentum *affinitatis*, ortum ex fornicatione, ad primum tantùm & ſecundum gradum reſtringitur.

5. Si quis ſcienter intra gradus prohibitos Matrimonium contrahit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis careat. Idem ſtatuitur, ſi neglectis ſolennitatibus ignoranter cum impedimento contraxerit. In contrahendis Matrimoniis vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel rarò, ídque ex cauſa, & gratìs concedatur. In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & publicam ob cauſam.

181. *Raptus.* 6. Inter *raptorem* & raptam, quamdiu rapta in poteſtate raptoris manſerit, non poteſt conſiſtere Matrimonium. Raptor & omnes adjutores ſint ipſo jure excommunicati, & perpetuò infames: Et ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Si rapta â raptore ſeparata, & in loco tuto ac libero conſtituta, in Matrimonium cum illo liberè, conſenſerit, poteſt eam raptor ducere. Tenetur tamen eam dotare, ſive duxerit, ſive non.

182. *Vagabundi.* 7. *Vagabundi* non facilè ad Matrimonium admittendi. Magiſtratus ſæcularis eos ſeverè coërceat. Parochi non interſint eorum Matrimoniis, niſi priùs diligenter inquiſierint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam obtinuerint.

183. *Concubinarii.* 8. *Concubinarii* poſt trinam Ordinarii monitionem excommunicentur. Si contumaces ultra annum permanſerint, ſeveriùs puniantur. Concubinæ poſt trinam monitionem graviter puniantur & extra Diœceſim ejiciantur, invocato etiam, ſi opus, brachio ſæculari. Aliis pœnis in ſuo robore permanentibus.

184. *Cogentes.* 9. Domini ac Magiſtratus directè vel indirectè *cogentes* ſubditos ſuos contrahere Matrimonium cum certis perſonis ipſo facto incurrunt excommunicationem.

10. Ab Adventu uſque ad Epiphaniam, & à feria quarta cinerum uſque ad octavam Paſchatis incluſivè, antiquæ prohibitiones ſolennium nuptiarum diligenter obſerventur.

Superaddita ſunt deinde alia viginti Capita.

Alia Decreta de Reformatione.

185. 1. Traditur norma creandi Epiſcopum & Cardinales. Nempe ut poſt mortem Epiſcopi indicantur publicæ preces ad impetrandum à Deo bonum Paſtorem. Declarátque Synodus, eos mortaliter peccare, qui non promoverint eos, quos digniores, & Eccleſiæ magís utiles ipſi judicaverint, ſepo-

186. *De Electione Epiſcoporum.* ſito omni humano affectu, legitimè natos, vita, ætate, doctrina, atque omnibus aliis qualitatibus, à SS. Canonibus requiſitis, præditos. Hæcque omnia in publicum inſtrumentum redacta, unà cum forma electionis, & profeſſione Fidei, à promovendo facta, quàm primùm ad ſummum Pontificem mittantur. Ubi per quatuor Cardinales omnia diligenter examinentur; tum

pe

per unum ex ipſis in Conſiſtorio referantur: Ac deinde Judicium feratur.

Eædem qualitates exigendæ in creatione Cardinalium, qui ex omni bus Chriſtianis Nationibus, quantùm commodè fieri poteſt, aſſumentur à ſummo Pontifice, qui lectiſſimos tantùm ſibi aſciſcet, & bonos maximè atque idoneos Paſtores ſingulis Eccleſiis præficiet. *Et Cardinalium.*

2. Quolibet triennio celebrentur Concilia Provincialia per Metropolitanum, aut, eo impedito, per Coëpiſcopum antiquiorem. Ad ea conveniant, quicunque de jure vel conſuetudine intereſſe debent. Epiſcopi autem, qui nulli Archi-Epiſcopo ſunt ſubjecti, ad Synodum Provincialem alicujus vicini Metropolitani accedant; & quæ ibi ordinata fuerint, obſervent: In reliquis omnibus eorum Privilegiis & exemptione ſalvis. Synodi verò Diœceſanæ quot annis celebrentur. 187. *Synodi Provinciales &c.*

3. Epiſcopi &c. per ſe ipſos, aut, ſi legitimè impediti fuerint, per ſuum Generalem Vicarium, aut Viſitatorem, ſi quot annis totam Diœceſin, propter ejus latitudinem, viſitare nequeunt, ſaltem majorem ejus partem viſitent, ita, ut intra biennium viſitationem abſolvant. Metropolitani verò non viſitent Diœceſes ſuorum Comprovincialium, niſi cauſa cognita & probata in Concilio Provinciali. Viſitatores inutilibus ſumptibus non ſint moleſti, nec quidquam accipiant, niſi quod jure debetur, nempe victualia neceſſaria. Patroni verò adminiſtrationi Sacramentorum ſe non immiſceant, neque proventuum viſitationi, niſi quatenus eis ex inſtitutione & fundatione competat. 188. *Viſitatio.*

4. Prædicationis munus in Eccleſia ſua Epiſcopi diligenter exerceant, vel per ſe, vel ſi impediti fuerint, per eos, quos ad id aſſumunt: In aliis autem Eccleſiis per Parochos, vel iis impeditis, per alios, ab Epiſcopo deputandos, ſaltem omnibus Dominicis & Feſtis ſolennibus. Epiſcopus populum moneat, teneri quemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commodè id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei. Nullus autem ſæcularis aut Regularis etiam in Eccleſia ſuorum ordinum contradicente Epiſcopo prædicare præſumat. Curent Epiſcopi pueros ſaltem Dominicis & Feſtis in Fidei rudimentis inſtrui. 189. *Prædicatio.*

5. Cauſæ criminales graviores Epiſcoporum à ſolo ſummo Pontifice cognoſcantur & terminentur. Si autem cauſa ſit talis, ut extra curiam Romanam ſit committenda, nemini committatur, niſi Metropolitanis, aut Epiſcopis, & quidem propria manu Pontificis, atque quoad ſolam facti cognitionem, definitiva ſententia Pontifici reſervata. Minoris verò cauſæ criminales Epiſcoporum in Concilio tantùm Provinciale cognoſcantur & terminentur. 190. *Cauſæ criminales Epiſcoporum.*

6. Poſſunt Epiſcopi diſpenſare in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus (excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis, ad forum contentioſum deductis) 191. *Poteſtas Epiſcopo-*

rum dispensandi. possunt etiam in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut per Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratìs absolvere. Idem possunt in crimine hæresis in eodem foro conscientiæ, non autem eorum Vicarii.

7. Explicanda diligenter populo doctrina de Sacramentis etiam lingua vernacula; item salutis monita singulis festis explananda, omissis inutilibus quæstionibus.

192. *Pœnitentiarius.* 8. Publicis & scandalosis sceleribus publica injungenda pœnitentia, nisi Episcopo aliter fuerit visum. Pœnitentiarius in qualibet Cathedrali collocandus; qui sit Doctor Theologiæ aut Juris Canonici, vel Licentiatus, & annorum 40. Vel qui alias aptior pro loci qualitate reperitur.

9. Ecclesia sæcularis, quæ nullius est Diœcesis, ab Episcopo proximiore visitetur.

10. Subditi Episcoporum suspendere non possunt per appellationem executionem eorum, quæ in visitatione sunt decreta circa morum emendationem &c.

11. Honorarii tituli, aliquibus concessi, non derogant Juri Episcorum.

193. *De ætate & qualitatibus Præficiendorum.* 12. Nemo ad dignitatem, cui animarum cura est annexa, promoveatur, nisi, saltem 25. ætatis annum attigerit. In clericali munere versatus, doctrina & moribus conspicuus. Archi-Diaconi, qui oculi dicuntur Episcopi, sint Doctores aut Licentiati in Theologia aut Jure Canonico. Ad cæteras dignitates aut personatus, nullam curam habentes annexam, requiruntur saltem 22. anni ætatis. Provisus beneficio curato tenetur intra duos Menses ab adepta possessione professionem Fidei emittere in manibus Episcopi, vel, eo impedito, coram Vicario Generali. Provisi de Canonicatu vel dignitate tenentur idem facere etiam in Capitulo. Aliàs prædicti omnes fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. Canonici sint Presbyteri, vel Diaconi vel Subdiaconi: Ita tamen, ut dimidia saltem pars sint Presbyteri. Si commodè fieri potest, dignitates omnes, & saltem dimidia pars Canonicatuum conferantur tantùm Doctoribus vel Licentiatis Theologiæ vel Juris Canonici. Non absint Canonici &c. ultra tres menses, aliàs primo anno priventur dimidia parte fructuum: Altero omnibus. Tenentur autem omnes Divina per se ipsos, & non per substitutos, obire officia. Ab illicitis venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, lusibus abstineant.

13. Ecclesiis Cathedralibus tenuibus succurrendum unione Ecclesiarum, aut aliis proventibus. Providendum etiam paupertati Parochialium Ecclesiarum. Beneficia tenuia non graventur pensionibus aut aliis oneribus. Omnes pertineant ad aliquam Parochiam, cujus Rectorem suum Pastorem agnoscant.

14. In provisionibus, aut admissione in possessionem beneficii, nulli fructus detrahantur, aut convertantur in usus non pios.

15.

15. Tenuitati Ecclesiarum & beneficiorum subveniatur vel unitione plurium simplicium, vel aliquorum suppressione, de consensu patronorum.

16. Sede vacante Capitulum constituat Oeconomum, qui rerum ac proventuum curam gerat: Item Vicarium infra octo dies à morte Episcopi. Qui saltem in Jure Canonico sit Doctor vel Licentiatus, vel aliàs idoneus. Uterque Episcopo dein electo gestorum rationem reddat. 194. *Sede vacante.*

17. Unum tantùm beneficium uni conferatur. Si unum non sufficiat sustentationi, addatur aliud simplex, dummodo non utrumque requirat personalem residentiam. Qui vero plures habet Parochiales Ecclesias, vel unam Parochialem & alteram Cathedralem, cogatur, retenta una, alteram intra sex menses dimittere. Aliàs utraque vacare censeatur ipso jure, & aliis conferantur. 195. *Unum Beneficium uni.*

18. Dum vacat Parochia, Episcopus statim constituat Vicarium, cum portione congrua. Tum concursu publicato, venientes gratìs examinentur ab Episcopo vel Vicario, & tribus aliis, Magistris aut Licentiatis, vel aliis, Clericis aut Regularibus. Peracto examine, qui idonei sunt inventi, renuntientur Episcopo, qui eum debet ex his eligere, quem cæteris digniorem judicaverit: Illique conferri debet Ecclesia. 196. *Concursus in collativis & electivis.*

Si verò sit Juris patronatus Ecclesiastici, & institutio pertineat ad Episcopum, à patrono ex approbatis ab examinatoribus is præsentandus est, quem ipse digniorem judicaverit. Si verò institutio non pertinet ad Episcopum, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus præsentare debet ei, cujus est instituere. Quodsi Ecclesia sit Juris patronatus Laici, debet is, qui præsentatus fuerit à deputatis examinari, & non nisi idoneus inventus fuerit, institui. *Quid in patronatis?*

1. Mandatis provisionis & gratiis exspectativis, hactenus concessis, nulli fas sit uti; sed nec reservationes mentales, nec ullæ gratiæ ad vacatura, aut indulta ad alienas Ecclesias vel Monasteria ulli concedantur, & hactenus concessa abrogata esse censeantur. 197. *Gratiæ exspectativæ tolluntur.*

20. Causæ omnes ad forum Ecclesiasticum pertinentes in prima instantia coram Ordinario loci cognoscantur, & saltem intra biennium à die motæ litis terminentur; ultra quod tempus lite protracta integrum est partibus superiores Judices adire, qui causam in eo statu, in quo fuerat, assumant, & quam primùm terminari curent: Nec antea aliis committantur, aut avocentur, neque appellationes ab eisdem interpositæ per superiores quoscunque recipiantur, nisi appellatum fuerit à definitiva aut definitivæ vim habente, & cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat. 198. *Prima instantia coram Ordinario.*

Excipiuntur causæ juxta SS. Canones coram sede Apostolica specialiter tractandæ vel quas ex urgenti & rationabili causa Pontifex per speciale scriptum suæ signaturæ, manu propria subscriptum, judicaverit committendas aut avocandas. *Limitatio.*

Cau-

Causæ Matrimoniales & criminales, non inferiorum Judicum, sed Episcopi jurisdictioni relinquantur: Neque à Nuntiis Apostolicis, impediantur, aut turbentur. Qui neque contra Clericos debent procedere, nisi Episcopo priùs requisito & negligente. Aliàs eorum processus sint irriti.

199. *Appellatio.* Appellans ab Episcopo tenetur acta omnia primæ instantiæ ad Judicem appellationis suis impensis deferre, admonito priùs eodem Episcopo. Copiam actorum autem tenetur Notarius intra mensem appellanti extradere. Secus puniendus una cum Judice à quo, si is tergiversationis particeps fuerit.

Subjunxit denique Synodus protestationem, quòd per verba illa: *Quæ proponentibus Legatis ac præsidentibus &c.* nolit, ut solita ratio tractandi negotia in Generalibus Conciliis ulla ex parte mutetur. Tum indicta Sessio in nonam Decembris.

Sessio XXV. *De Purgatorio, veneratione Sanctorum &c.*

200. *Doctrina dogmatica de Purgatorio,* Celebrata est hæc Sessio ultima 4. Dec. 1563. editúmque primò decretum de *Purgatorio;* esse videlicet Purgatorium, animásque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum verò sacrificio Missæ, juvari. Doctrinam de Purgatorio populo diligenter explicandam, omissis subtilioribus, incertis, curiosísque quæstionibus, iisque omnibus, quæ superstitionem aut turpe lucrum sapiunt.

201. *Invocatione Sanctorum,* Lectum deinde Decretum de *Invocatione, veneratione & Reliquiis Sanctorum, & sacris Imaginibus;* mandátque S. Synodus fideles circa ista diligenter instrui: Sanctos orationes pro hominibus Deo offerre: Bonum atque utile esse suppliciter eos invocare; contrariúmque dicentes impiè sentire.

Et Reliquiis. Sanctorum quoque *corpora* veneranda esse, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur: Damnandos proin, qui dicunt, Sanctorum *Reliquiis* non deberi venerationem.

202. *De cultu Imaginum.* *Imagines* porro Christi, Dei paræ, & Sanctorum in templis præsertim habendas & retinendas, eísque debitum honorem impertiendum: Non quòd credatur inesse iis aliqua Divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ: Vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia in Imaginibus sit figenda, ùt olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem collocabant: Sed quia honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ ab Imaginibus repræsentantur, ita, ut per Imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus & Sanctos veneremur.

Insuper per picturas populum erudiri & confirmari in Articulis Fidei commemorandis & recolendis: Monerique intuentes Beneficiorum, acceptorum à Christo, Miraculorum, & exemplorum, ad imitationem propositorum. Qui autem his contraria docuerit, sit anathema.

203. *Abusus tollantur.* Abusus autem omnes aboleantur, si qui irrepeserint, omnisque superstitio,

tio, quæstus, lascivia tollatur. Unde nulla insolita proponatur Imago, nisi ab Episcopo approbata fuerit. Sicut nec nova Miracula, aut novæ Reliquiæ recipiendæ, nisi eodem recognoscente & approbante. Si gravior quæstio incidat, Provincialis Synodus de ea cognoscat: Nihil tamen novum aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur inconsulto Pontifice.

Quodsi aliquando historias aut narrationes S. Scripturæ figurari contigerit, doceatur populus, non propterea Divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit.

Dogmaticæ huic doctrinæ addita sunt 22. Capita.

De Reformatione Regularium.

1. Regulares vivant secundùm regulam, servantes exactam disciplinam. 204.

2. Regulares nulla re tanquam propria utantur. Acquisita statim superiori tradantur & incorporentur Conventui. *De paupertate.*

3. Omnia Monasteria ac domus Regularium possidere possint bona immobilia, exceptis Franciscanis de Observantia & Capucinis. Non recipiantur plures, quàm honestè sustentari possint ex reditibus vel eleemosynis consuetis. Deinceps Monasteria non erigantur sinè Episcopi licentia. *Bonis immobilibus.*

4. Non licet à Monasterio recedere, etiam prætextu pii operis aut accedendi ad superiores, nisi ab eis missi aut vocati fuerint. Qui sinè prædicto mandato, in scriptis obtento, reperitur, tanquam desertor puniatur ab Episcopo. Studentes in Universitate, in Conventibus tantùm habitent, aliàs subjacent Ordinario. *Recessu.*

5. Curent Episcopi, servari exactè clausuram. Moniali ne quidem ad breve tempus licet egredi sinè rationabili causa, ab Episcopo approbanda. Ingredi autem intra septa nemini omnino est licitum, sinè Episcopi aut Superioris licentia, in scriptis obtenta, sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrenda: licentia autem tantùm danda in casibus necessariis. *Clausura.*

6. Omnes Superiores virorum & mulierum eligantur votis secretis, nunquam publicandis. Absentium vota non suppleantur. Aliàs electio erit nulla. *Electione.*

7. Abbatissa, vel quæcunquæ Præfecta eligenda, 40. annos habere, & octo saltem annis post professionem laudabiliter vixisse debet. Aliàs eligatur ex alio Monasterio ejusdem Ordinis. Si hoc incommodum præsidi electionis videatur, 30. saltem annos habeat, & 5. annos professionis. Duobus verò Monasteriis nulla præficiatur. Episcopus autem vel alius Præses electionis non ingrediatur claustra Monasterii, sed ante cancellorum fenestellam singularum vota excipiat. In reliquis serventur constitutiones Ordinis vel Monasterii.

8. Monasteria, quæ non habent ordinarios Visitatores Regulares, neque subdita sunt Episcopo, sed immediatè sub protectione Sedis Apostolicæ, Congregationem ex una vel pluribus Provinciis constituant, singulis 205. *De Visitationibus.*

trienniis convocandam: Si deputati non visitent, Monasteria Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Legato Jus esto visitandi.

De Monialibus. 9. Monasteria Monialium, immediatè subjecta Sedi Apostolicæ, gubernentur ab Episcopis.

10. Moniales singulis mensibus confiteantur & communicent. Bis aut ter in anno confessarius extraordinarius iis dandus, qui omnium confessiones audire debeat. Eucharistia tantùm in publica Ecclesia asservetur.

206. *Jura Episcopi in Regulares.* 11. Etiam Regulares quoad curam animarum in sæculares exercendam & administrationem Sacramentorum subsint visitationi & correctioni Episcopi. Excepta cura in eos, qui sunt de familia Monasteriorum, exercenda. Excipiuntur etiam loca, in quibus Abbates, Generales, & capita Ordinum Sedem Ordinariam Principalem habent: Item, in quibus Regulares jurisdictionem Episcopalem & temporalem in Parochos & Parochianos exercent.

12. Censuræ etiam Episcopales à Regularibus serventur; item festa Diœcesana.

13. Controversias de præcedentia illico componat Episcopus. Etiam exempti in publicis processionibus compareant: iis tantùm exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò vivunt.

14. Regularis extra Monasterium dans scandalum à Superiore suo puniatur; aliàs puniendus ab Episcopo.

207. *Ætas 16. annorum.* 15. Professio non fiat ante annum 16. expletum: Et postquam à suscepto habitu per annum in probatione stetit. Professio autem antea facta sit nulla.

208. *Abdicatio bonorum.* 16. Renuntiatio etiam jurata & in favorem piæ causæ factæ ante duos ultimos menses Novitiatûs est nulla. Neque est efficax, si professio re ipsa non sequatur. Finito Novitiatu admittantur aut ejiciantur. Per hæc tamen nihil derogatur pio instituto Clericorum Societatis Jesu.

17. Virgines non assumant habitum Religiosum ante annum ætatis 12. nec Professionem emittant, nisi priùs Episcopus earum voluntatem &c. exploraverit.

18. Excommunicantur omnes, qui cogunt fœminam ad ingressum Monasterii: Item, qui sinè justa causa ab ingressu impediunt.

209. *Quinquennium.* 19. Post quinquennium ab emissa professione non ampliùs audiendus volens agere de nullitate suæ professionis. Nullus transferatur ad laxiorem Religionem.

20. Superiores diligenter visitent Monasteria sibi subjecta.

21. Monasteria reformentur: iisque non nisi regulares Superiores ejusdem ordinis præficiantur.

22. Hæc Decreta diligenter serventur.

210. Alia 21. Capita de Reformatione.

1. Episcopi exemplo bono præluceant. Ex reditibus Ecclesiasticis ne ditent consanguineos aut familiares suos.

2. Epi-

2. Episcopi emittant Professionem Fidei in prima Synodo Provinciali: Item obtinentes Beneficium Ecclesiasticum, & docentes in Universitate, singulis annis. *Professio Fidei.*

3. Censuræ non facilè ferendæ: Præsertim si aliàs executio realis vel personalis fieri potest: Nec nisi bina saltem monitione præmissa, qui per annum insorduerit, tanquam de hæresi suspectus tractandus. *Temperandæ censuræ.*

4. Episcopi, Abbates & Generales Ordinum possunt Missas nimis numerosas reducere. *Reductio Missarum.*

5. Onera Beneficiis annexa diligenter præstentur. 211.

6. Episcopo adjungatur duo Canonici in judiciabilibus. Si ambo discordent ab Episcopo, eligatur tertius &c. *De Beneficiis & Judiciis.*

7. Prohibetur regressus ad Beneficia. Coadjutor cum jure successionis Prælato non detur, nisi causa priùs à Papa fuerit cognita.

8. Commendatur hospitalitas &c.

9. Jus patronatûs probandum &c.

10. Præter locorum Ordinarios aliæ quædam personæ idoneæ deputentur tanquam Judices, quibus causæ delegentur, ac breviter terminentur.

11. Bona & Jura Ecclesiastica non elocentur.

12. Jubentur solvi decimæ, etiam sub censura.

13. Quarta funeralium solvatur Parochiali Ecclesiæ.

14. Statuuntur pœnæ in concubinarios.

15. Filius Clerici non habeat Beneficium in Ecclesia, in qua Pater aliquod habet aut habuit.

16. Beneficia curata non convertenda in simplicia. Vicario assignetur congrua portio.

17. Episcopi vivant secundùm statum suum tanquam Patres & Pastores: Nec indecorè se demittant coram sæcularibus.

18. SS. Canones ab omnibus servandi. Si urgens ac gravis ratio postulet dispensari, id causa cognita atque gratis fiat. 212. *In duellantes.*

19. Qui locum concedunt duellantibus, sunt excommunicati: Uti etiam ipsi duellantes eorúmque patrini. Et si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant Ecclesiastica sepultura. Item suadentes & spectatores excommunicationis vinculo teneantur. 213. *Immunitas Ecclesiastica.*

20. Nemo violet Ecclesiasticarum personarum immunitatem; Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam.

21. S. Synodus omnia Decreta de Reformatione ita facta esse declarat, ut in his semper salva sit & esse intelligatur auctoritas Sedis Apostolicæ. 214. *Nihil derogatum potestati Pontificis*

Absolutio Concilii.

Continuata dein est Sessio hæc ultima eadem die 4. Decembris: Promulgatúmque Decretum de *Indulgentiis*, potestatem nempe illas concedendi à Christo esse collatam Ecclesiæ, & ab antiquissimis temporibus earum usum, 215. *De Indulgentiis.*

Christiano populo maximè salutarem viguisse, conciliorum auctoritate probatum, atque retinendum in Ecclesia, moderationem tamen adhibendam, ne disciplina enervetur. Abusus omnes, pravos quæstus &c. omnino abolendos.

Servandi delectus ciborum, jejunia, dies Festi.

216. *De Indice librorum prohibitorum.* Synodus quosdam ex Patribus deputaverat ad conficiendum *Indicem librorum* noxiorum: Quia tamen non potuit distinctè & commodè de singulis dijudicari, præcipit, ut deputati illi, quidquid ab iis in hac re est præstititum, summo Pontifici exhibeant, ut ejus judicio & auctoritate terminetur & evulgetur. Idémque Synodus mandat deputatis de Catechismo, Missali, & Breviario.

217. *Decretum petendi confirmationem Concilii à Pontifice.* Quoniam spes nulla affulgebat, comparituros hæreticos, & Patres ad Ecclesias suas properabant, decretum est, finem esse imponendum Concilio, ejúsque confirmationem petendam à summo Pontifice. Póstque acclamationes, præeunte Cardinale Lotharingo, factas subscripserunt 255. nempe 4. Legati Pontificis, 2. alii Cardinales, 3. Patriarchæ, 25. Archi-Episcopi. 168. Episcopi, 7. Abbates, 7. Generales Ordinum, 39. Procuratores absen-

218. *Numerus subscribentium.* tium; qui ultimi tamen non subscripserunt definiendo, cùm illis nunquam suffragii Jus fuerit concessum.

219. *Pius IV. approbat Concilium: Prohibétque interpretationes.* Pius IV. Pontifex edita dein Bulla *Benedictus Deus* Concilium Tridentinum confirmavit, & observari præcepit, prohibuítque, ne quis audeat commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullúmve omnino interpretationis genus super ipsius Concilii decretis quocunque modo edere. Si quid verò obscuriùs dictum & statutum, eámque ob causam interpretatione aut decisione egere cuipiam visum fuerit, Sedem Apostolicam, omnium fidelium Magistram, consulat, cujus authoritatem etiam ipsa sancta Synodus tam reverenter agnovit.

220. *De initio obligationis.* Alia dein Bulla idem Pontifex statuit, ut Decreta Tridentini, quæ sunt Juris merè positivi, licèt in secreto Consistorio jam mense Januario anni 1564. sint confirmata, tamen primùm à Calendis Maii ejusdem anni observari debeant: Eò quòd non parùm temporis impendendum fuerit iis emendatè imprimendis. Præcipit insuper, ut officiales sui Romani Concilium Tridentinum, & reformationem à se factam diligenter observent.

Speciali etiam Bulla derogavit omnibus Privilegiis, gratiis & immunitatibus, quomodocunque concessis, quæ sunt contraria Concilii Decretis.

221. *Promulgatio Concilii.* Porro Concilium Tridentinum promulgatum ac receptum mox fuit in tota Italia, atque in omnibus Regnis & Provinciis Hispaniarum Regis, uti etiam in Lusitania, Polonia, & multis Germaniæ locis, ac successu temporis in aliis etiam Regionibus Catholicis cum variis tamen limitationibus quoad Decreta reformationis, disciplinam spectantia. Nam quoad Dogmata ab omnibus Catholicis cum summa veneratione statim ubique est receptum.

Anno

Anno deinde post absolutum Concilium altero, nempe 1564. Pius IV. juxta mentem Tridentini edidit formam Professionis Fidei, quam hodiedum emittimus, & quia frequens est illius usus, ac velut Synopsin Dogmaticam continet, eam hîc subjungendam duxi. 222. *Pius IV. edit formulam Professionis Fidei.*

§. XI.

Forma Professionis Fidei.

„ Ego N. firma fide credo, & confiteor omnia & singula, quæ continen-„ tur in symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: „ Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, vi-„ sibilium omnium & invisibilium, & in unum Dominum Jesum Christum, „ Filium Dei Unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de „ Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non fa-„ ctum, Consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter „ nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis: & incarna-„ tus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus „ etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est, & Resurrexit „ tertia die secundum scripturas, & ascendit in cœlum, sedet ad Dexteram „ Patris, & iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos, cu-„ jus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum & Vivi-„ ficantem, qui ex Patre Filióque procedit; qui cum Patre & Filio simul „ adoratur, & conglorificatur; qui locutus est per Prophetas: Et Unam, „ Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum „ Baptisma in remissionem peccatorum; & exspecto Resurrectionem mor-„ tuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

„ Apostolicas & Ecclesiasticas Traditiones, reliquasque ejusdem Ec-„ clesiæ Observationes, & Constitutiones firmissimè admitto & amplector. „ Item sacram scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta „ Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sa-„ crarum scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unani-„ mem consensum Patrum accipiam, & interpretabor.

„ Profiteor quoque, septem esse verè & propriè Sacramenta novæ le-„ gis, à Jesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani „ generis, licèt non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confir-„ mationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordi-„ nem, & Matrimonium; Illáque gratiam conferre, & ex his Baptismum, „ Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Rece-„ ptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supra dictorum „ omnium Sacramentorum solenni Administratione recipio, & admitto: „ Omnia & singula, quæ de peccato originali, & de Justificatione in Sacro-„ sancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector & re-„ cipio. Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium, & pro-

„ pitiatorium Sacrificium pro vivis & defunctis, atque in sanctissimo „ Eucharistiæ Sacramento esse verè realiter & substantialiter Corpus & „ Sanguinem, unà cum anima & Divinitate Domini Nostri Jesu Christi, „ fieríque conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius sub- „ stantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia „ Trans-Substantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantùm „ specie totum atque integrum Christum, verúmque Sacramentum sumi. „ Constanter teneo, Purgatorium esse, animásque ibi detentas Fidelium „ Suffragiis juvari. Similiter & Sanctos unà cum Christo regnantes, ve- „ nerandos atque invocandos esse, eósque orationes Deo pro nobis „ offerre, atque eorem Reliquias esse venerandas. Firmissimè assero, „ Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum San- „ ctorum, habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem ac „ venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à „ Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarúmque usum Christiano popu- „ lo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, & Apo- „ stolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem & Ma- „ gistram agnosco: Romanóque Pontifici; Beati Petri, Apostolorum „ Principis, Successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam „ spondeo ac juro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & Oecu- „ menicis Conciliis, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo „ tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque pro- „ fiteor; simúlque contraria omnia, atque hæreses quascunque, ab „ Ecclesia damnatas, rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, „ rejicio, & anathematizo.

„ Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse po- „ test, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem „ integram, & inviolatam, usque ad extremum vitæ Spiritum constan- „ tissimè (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel „ illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & „ prædicari, quantùm in me erit, curaturum. Ita spondeo, voveo ac „ juro: sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia.

Si plures sint, qui simul Professionem fidei emittunt, tunc unus ex illis prædictam formulam devotè prælegit, reliquis simul genu flectentibus, ac post illam singuli accedunt, & tactis duobus digitis, (Indice & medio) sacris Evangeliis, subjungunt:

„ Ego N. idem spondeo, voveo, ac juro: sic me Deus adjuvet, & „ hæc sancta Dei Evangelia.

Hanc autem Professionem fidei tenentur emittere 1. omnes provisi de Beneficio curato, coram Episcopo vel Vicario Generali, & quidem intra duos menses à die adeptæ possessionis. *Trid. s. 24. c. 12. de Ref.*

2. Provisi

2. Provisi de Canonicatu aut Dignitate in Ecclesia Cathedrali, pariter intra duos menses, coram Episcopo & Capitulo. *Trid. ibid.*

3. Promoti ad Episcopatum vel Archi-Episcopatum, in prima Synodo Provinciali. *Trid. s. 25. c. 2. de Ref.* quia autem ejusmodi Synodi Provinciales his temporibus rariùs celebrantur, solent Episcopi Professionem emittere in manibus Nuntii Apostolici, aut alicujus Episcopi. Illa autem Romam mittitur scripta, ac Instrumento Electionis inserta.

4, Promoti ad Prælaturam Monasterii, Conventus, aut alterius Domus Religiosæ. Uti statuit Pius IV. *Const. Injunctum.* Quæ tamen Constitutio non ubique in usum est deducta.

5, Professores, ac Magistri, quamcunque liberalem Disciplinam publicè docentes, & quidem initio cujuslibet anni. *Trid. s. 25. c. 2. de Ref.*

6. Promovendi ad Gradus Litterarios in Academiis. *Pius IV. in Constit. Sacrosancta* 1564.

Cæterùm ne tam salubris instituti neglectus irrepat, Tridentinum S. 24. c. 12. statuit, ut si provisi de Beneficio curato, Dignitate, aut Canonicatu Cathedrali, intra duos menses à die adeptæ possessionis, Professionem fidei non emittant, postea *fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.*

Unde probabiliùs fructus postea perceptos tenentur restituere, seu ad Ecclesiæ fabricam vel in pauperes expendere, ante omnem sententiam Judicis. Ratio est: quia fructus, post bimestre percepti, non sunt in dominio Beneficiati, sed sunt res aliena: cùm Tridentinum noluerit, ut fructus faciant suos pro casu, quo Professionem culpabiliter omittunt. At verò res aliena ante omnem sententiam debet restitui.

Neque obstat, quòd lex Tridentini, utpote privans Beneficiatum jure jam quæsito, sit pœnalis. Nam hæc lex, quomodocunque appelletur, re ipsa impedit, ne fructus faciat suos. Ergo hoc ipso Beneficiatus tenetur jure naturali illos, tanquam rem non suam, sed alienam, restituere Ecclesiæ, ad causas pias applicandam.

Deinde hæc pœna videtur esse merè negativa, quæ non privat jure jam quæsito, (cùm Beneficiatus ad illos fructus nunquam jus absolutum habuerit) pœnam autem merè negativa, quæ non aufert jus jam priùs habitum, sed tantùm impedit acquisitionem juris, incurritur ante omnem sententiam Judicis; ùt parte prima de lege pœnali diximus.

Unde non obstat lex 19. *de Hæreticis in 6.* ubi bona Hæreticorum ipso jure decernuntur confiscata, nihilominus tamen executionem hujus pœnæ præcedere debet sententia Judicis Ecclesiastici, criminis declaratoria. Nam hæc pœna non est merè *negativa*, sed *privativa* juris jam quæsiti, & dominii bonorum, jam priùs habiti. Ad quam incurrendam requiritur sententia declaratoria criminis. In nostro verò casu, ùt dictum, pœna est merè negativa, non privans jure aut dominio, jam priùs habito. Nam

Bene-

Beneficiatus curatus (idem de Canonico) qui per duos menses neglexit professionem fidei, nunquam habuit jus ad illos fructus, quos post lapsum duorum mensium percepit, multò minùs illorum dominium. Adeoque lex tantùm impedit acquisitionem juris & dominii.

Disputari hîc etiam solet, an quis per Procuratorem possit emittere professionem fidei? videtur autem probabilius, id fieri posse, nisi statutum speciale professionem personalem exigat. Nam, quod quis facere potest per se ipsum, facere etiam potest per alium. A qua regula Juris hic casus non videtur excipiendus.

§. XII.

Dissertatio: An Protestantes justam excusationem habeant, cur in Concilio Tridentino non comparuerint, eíque obedire detrectârint?

223. *Sæpiùs appellantes ad Concilium.* Protestantes Germaniæ frequenter ad Generale Concilium appellaverant, non, quòd illud celebrari cuperent, sed quòd moram interea quærerent, qua errores ipsorum possint radices agere. Cùm enim illud tandem, magnis superatis difficultatibus, esset congregatum, & quidem præcipuè in eorum gratiam, ne ullam contumaciæ suæ possint excusationem prætexere, comparere in illo detrectârunt, licèt à Pontifice & Synodo sæpiùs invitati, ab Imperatoribus jussi, ipsíque Carolo V. in Augustanis Comitiis promiserint accessum, & obsequium. *Comparere detrectant.* Dico, detrectâsse eos comparere; nam quòd Mauritius, Cæsaris favore Septemvir, alíique pauci Legatos aliquando miserint, non ad veritatem quærendam, sed ad expostulandum, protestandum, & tegenda Belli seditiosi consilia factum constat. Quæstio igitur magni momenti hîc se offert, an Jure negârint concilio præsentiam & obsequium?

224. *At sine causa.* Dico absolutè & cum omni veritate, nullam excusationem idoneam eos contumaciæ suæ posse prætendere. Nam Concilium fuit *Generale & legitimum*, cui omnes Christianæ mentes debent obsequium. Vel quid tandem illi deesse potuit? Indictum fuit per totum orbem Christianum, & quidem ab eo, ad quem de Jure & consuetudine perpetua id muneris pertinet, nempe à Romano Pontifice, cui in persona Petri Christus Oves suas tanquam supremo in terris Pastori pascendas tradidit, cum potestate solvendi & ligandi, ac clavibus, evidentibus potestatis argumentis. Neque alia in Ecclesia Dei consuetudo unquam fuit, ùt *Cap. 1. quæst. 2.* demonstratum dedimus: Ubi decisum, *Ad quem pertineat convocare Concilia generalia.* 225. *Convocatum legitimè.* Et, si requirant Novatores, ut ab Imperatore indicatur, (quod tamen ibidem ostendimus non requiri) summa voluntate Imperatorum est indictum continuatúmque.

Vocati sunt omnes, qui vocari debent cum jure suffragii, omnes videlicet per orbem Christianum Episcopi, quos tanquam majores Pastores Apostolus monet attendere universo gregi, quósque Spiritus S. posuit tanquam Præsides regere Ecclesiam Dei. Vide hanc quæstionem decisam atque probatam

cap.

cap. 1. *quæst.* 4. ubi expensum, *quinam sint vocandi ad Concilium Generale.*

Et, si protestantes prætendant, etiam se debuisse vocari, vocati sunt: Et quidem sæpè, missis tot litteris, tot quaquaversum Legatis, data fide publica plenæ securitatis & libertatis, eo modo & tenore, quo ipsi voluerant.

At suffragium etiam decisivum dandum fuerat Doctoribus Protestanticis. Quo Jure? Nunquam id datum Parochis & Doctoribus privatis. An non omnes hæretici; à primis etiam Conciliis damnati, potuissent istud objicere? An propterea non fuerunt legitima Concilia? Jure Divino, more & instituto Majorum Concilium Episcoporum est, horum nemini negatum suffragium. An novum & in Ecclesia Dei inaudium Concilium celebrandum fuit? Quid hoc aliud est, quàm formam omnium Conciliorum tollere? *Vide Cap.* 1. *quæst.* 4. 226. *Lutheranis nullum debebatur suffragium.*

SedPontifex, inquiunt, præsidere non debuit, cùm ipse deEcclesiæ corruptela fuerit accusatus. Sedere neminem oportet ùt partem litigantem simul & ùt Judicem. Subsistamus paulisper. Hoc idem dicere potuisset Arius, cùm in ConcilioNicæno sederetAlexanderEpiscopus Alexandrinus,& quidem ùt Judex, cum quo de fide litigabat. Hoc dicere posset Nestorius contra SynodumEphesinam, cui præseditCyrillus, licèt altera litigantium pars esset. Hoc dicere potuissent eodem jure Eutyches & Dioscorus contra Synodum Chalcedonensem, cui per Legatos præsedit Leo I. Pontifex: Cùm tota causa inter Leonem & Dioscorum versaretur. An non hoc idem dicere possunt omnes ab omni retro ætate inConciliis, quibus semper vel per se vel per alios præsederunt summi Pontifices, damnati hæretici, qui semper Ecclesiam ejúsque antistites postulârunt corruptelæ? An propterea nullum legitimum celebratum Concilium? An à possessione sua, & sacris asserta litteris, & tot sæculorum usu firmata, Papa deturbandus? Neque verum est, agendum tunc fuisse de privata Pontificis causa. De Fide, de Religione & publica Ecclesiæ causa tractandum fuit. Quod verò dicunt, non debere eundemJudicem esse & partem locum habet in privatis hominibus, non verò in Principe supremo; quamdiu non declaratur vel legitimè judicatur potestate sua excidisse. Hic enim non desinit esse Judex, quamvis cum ipso litigetur. Et hinc à Principe malè informato ad eundem melius informandum appellari quandoque solet. Certè cùm Sixtus III. de adulterio fuisset accusatus, in Concilio, quod Imperator indixerat, nemo ausus est ipsius causam discutere, donec ipse Pontifex jussit. In Concilio verò Romano sub Symmacho omnes Episcopi dixerunt, Concilium non potuisse indici, nisi à Pontifice, licèt ipse sit accusatus. Deinde orbe toto notæ erant Protestantium accusationes, totPræconum clamoribus, tot famosis libellis in publicum sparsæ. Judicavit de his non tantùm Papa sed senatus universæ Ecclesiæ, & quidem omnino liberè. 227. *Præsidere debuit Papa.*

Liberè, inquam; falsum quippe prorsus est, Concilium non fuisse liberum. 228. *Libertas Concilii.*

rum. Quisquis Historiam Concilii legerit, quam Pallavicinus edidit, fide summa, & eruditione singulari, passim oculis subjiciet, quanta libertate Patres sint locuti, quæcunque visa sunt, ac sententias suas atque suffragia tulerint, ne quidem aulæ Romanæ parcentes, sed Pontificum gratias restringentes: Data à Paulo III. Concilio libertate, tribunalia etiam Romana curiámque reformandi, statuendíque, quæ ad communem Ecclesiæ statum opportuna viderentur. Certè nec unicum dogma, neque unica lex disciplinæ in privatam rem Pontificum est firmata. Argumento vel illud sit, quòd, licèt ex decem Patrum partibus novem convenirent in statuenda prærogativa Romani Pontificis supra Concilium, quia tamen pauci Galli cum asseclarum modicissimo numero reclamârunt, Pontifex minimè institerit, ut ea decisio firmaretur. Ipsa urbs, qua Concilium est celebratum, non Pontifici, sed Imperatori erat obnoxia, oratoribus omnium Nationum Orthodoxarum, quæcunque libuit, proponentibus & objicientibus.

229. *Dissidia non obsunt Concilio.* Orta quidem est ex hac ipsa tot Legatorum Nationúmque frequentia & libertate non raro dissensio, non quidem quoad Fidei dogmata, sed quoad sedendi prærogativas, titulos, ac etiam disciplinæ reformationes, quas Principes sæpiùs juribus suis atque Privilegiis pugnantes crediderant. Sed qui ejusmodi dissidia à tanto orbis senatu exclusa voluerit, mundo exeat necesse est, ut Angelorum intersit Synodo. Síque, propter incidentes in tanta loquendi proponendíque libertate discordias, quis hoc Concilium minùs æstimandum existimet, prima etiam Oecumenica Ecclesiæ Concilia abjiciat; cùm erudito cuivis sit exploratum, ne sextam quidem discordiarum rixarúmque partem contigisse in Concil. Trid. quæ vel in sola Synodo Ephesina aut Chalcedonensi exarserant. Dissidia illa sunt testimonia plenæ libertatis.

Sed ex sola Sacra Scriptura, inquiunt, ferendæ erant sententiæ, non ex traditionibus & Canonibus, neque ad pluralitatem suffragiorum. *Resp.* Concilium, antequam ad alia progrederetur, definivit, quænam Scripturæ pro verbo Dei sint habendæ: Atque ex iis conclusiones suas deduxit dogmaticas. Ut verò *Traditiones* Divinæ, Apostolicæ & Ecclesiasticæ, etiam antiquissimæ, abjiciantur, postulatum est iniquissimum, & planè impium, atque ipsi etiam Sacræ Scripturæ, veteris ac novi Testamenti contrarium: Utpote quæ patentibus adeò verbis nobis præcipit, tenere traditiones. An totam antiquitatem, Concilia, Patres, ipsúmque Divinissimum Domini verbum abjiciamus? Audiant sectarii, qui sacra spernunt oracula, quid Jus civile *Leg. nemo 4. C. de summa Trinit. & Fide Cathol.* Imperiali edicto sanciat: *Injuriam facit Reverentissimæ Synodi judicio, si quis semel judicata, ac rectè disposita revolvere & publicè disputare contenderit.* Constat autem, Concilia Oecumenica frequenter usa esse sacris traditionibus, & in Synodo Generali VII. definitum esse, traditiones non scriptas esse recipiendas. Idem dicendum de Sacris Canonibus. Cur enim veneranda Patrum decreta repudiemus? Quòd verò

exigant

exigant non ad pluralitatem suffragiorum ferri sententias, non tantùm est contra morem Majorum & consuetudinem totius antiquitatis, omniúmque Conciliorum, sed etiam contra finem eorundem. Quomodo enim fieri potest, ut deveniatur aliquando ad finem controversiarum (qui est finis Conciliorum) nisi valeant plura suffragia? Cùm enim utraque pars proferat scripturarum testimonia, quomodo potest cognosci, quæ sit Concilii sententia, nisi colligantur suffragia, & plurium sententia valeat?

At in Germania oportuit cogi Synodum, *ut*, docente Cypriano, *illic lites judicentur, ubi exortæ sunt.* Audio: Et audio vocem toti antiquitati peregrinam. Erravit vetustas: Errârunt prima Ecclesiæ Orthodoxæ Concilia. Alexandriæ in Ægypto enata est Ariana hæresis; cur Nicææ in Bithynia est damnata? Constantinopoli prorupit Nestoriana impietas: Cur Ephesi proscripta? In Europa exorta est causa Eutychis: Cur in Asia judicata? Africam afflavit Donati virus: Ut quid Romæ à Melchiade quæsitum remedium? In Thracia exortus Iconoclastarum furor: Cur non ibidem, sed Romæ & Nicææ profligatus? Ipsi errârunt Apostoli, dum controversiam de legalibus, Antiochiæ exortam, non Antiochiæ, sed in Concilio Jerosolymis congregato, judicârunt. Deinde Tridentum, Nationum commeatui opportunum, urbs est Germaniæ, Germani Juris, pars Tyrolis, quæ utique Provincia est Germaniæ. Nunquid? Wittembergæ celebrari debuit Concilium, cui Lutherus præsideret? Quod idem fuisset, ac, si Ariani postulâssent, Synodum congregari Alexandriæ, cui Arius præsideret. Voluit Cyprianus, ut *privatæ* lites judicentur, ubi exortæ sunt, non verò publicæ, ad Fidem pertinentes, & Ecclesiam totam concernentes. 230. *Neque propter locum possunt Concilium rejicere.*

Sed neque dici potest, ex hominibus ignorantibus Concilium illud esse conflatum, aut causam leviter duntaxat, minùs perpensis rerum momentis, discussam. Nam viri erant, doctrina, eruditione, prudentia, judicio, toto orbe clarissimi, ex omnibus Nationibus Orthodoxis selecti. Neque leviter duntaxat librata sunt rerum pondera, sed summa accuratione, industria, studio: Adeò quidem, ut sæpè de uno vel altero vocabulo addendo, demendo, immutando, tempore haud modico fuerit deliberatum. Neque quis dixerit, decisiones non esse conformes Verbo Dei. Nam hoc gratìs omnino & absque omni probatione objicitur. Quæ tandem, quæso! cum Verbo Dei contrarietas? An non hoc ipsum eodem jure, hoc est, nullo, dicere potuissent omnes Hæretici, ab omnibus retro Conciliis damnati? Nullum dogma definitum, quod Verbo Dei non sit revelatum, assistente illo ipso Spiritu, qui secundùm promissiones Evangelicas Ecclesiæ suæ suggerit omnia, omnémque docet veritatem. Venissent Protestantes (ùt ter invitati fuerant à Concilio cum plenissima Fide publica omnis securitatis, nominatim Sessione 13. 15. & 18.) venissent, inquam, & proposuissent sua, si quæ habent, scripturæ testimonia. Cur lucem fugerunt? Cur Legati illi, qui 231. *Neque propter viros congregatos.*

ante Bellum Mauritianum Tridentinum advenerant, non produxerunt textus Scripturæ? Cur tantùm ad exprobrandum & expostulandum accesserunt? Non est, non est profectò hæc indoles mentis, veritatem quærentis, sed aversantis, turbulenti, pervicaciam suam, ex malignis præjudiciis conceptam nimiùm amantis.

232. *Quoad dogmata ubique à Catholicis receptum.* Opponent fortassis adhuc, Conc. Trid. nequidem in omnibus Catholicis Regnis ac Provinciis esse receptum, ùt in Gallia, Helvetia &c. Quis ergo vitio vertet Lutheranæ aut Calvinianæ professionis hominibus, si nihil sibi cum illo commune esse velint? ℞. Tridentinum quoad doctrinam & dogmata Fidei ab omnibus Catholicis ubique gentium esse receptum. Protestantes verò quoad ista potissimùm eidem contradicunt. Deinde etiam quoad reformationem disciplinæ plerisque in provinciis Catholicis est receptum, ùt suprà memoravimus: Deberétque (seclusa speciali ac gravi causa) ab omnibus recipi & observari, si Legislator absolutè urgeret: Neque enim in potestate est subditorum, legem acceptare vel recusare pro arbitrio. Sed indulgendum quandoque aliquid infirmitati Filiorum prudenter censet pia Mater Ecclesia, ne, quod remedium esse debuerat, magìs irritet morbum, stomacho debili non concoquente solidiorem cibum.

233. *An & quo modo receptum in Gallia.* Ex Gallia cum Cardinale Lotharingo & Oratoribus Regis successive Concilio interfuerunt Prælati 26. omnésque, qui sub finem aderant, subscripsêre. Neque ullus ex Catholicis Gallis ullum unquam dogma, in Tridentino assertum, vocavit in dubium. Ut autem quoad correctionem etiam disciplinæ universim induceretur, à Catharina Medicæa Caroli IX. tutelam tunc gerente, impetrari non potuit: Tum quòd Hugonottos metueret, nollétque irritare: Tum quòd vetuisset Concilium, ne Regularium Sacerdotia in commendas traderentur: Qua ratione Rex plurimos viros primarios sibi devinciebat, quorum operâ in illis maximè Hugonotticis procellis indigebat. Quam ob causam Cacellarius non est veritus Pontificis Nuntio dicere, Cardinalem Lotharingum, postquam sibi ventrem oppleverat, velle aliis jejunium præscribere. Querebatur etiam Ferrerius Galliæ ad Concilium Legatus, in Sessione XXIV. sancitum fuisse, ut Episcoporum causæ cognoscerentur Romæ; quod pugnare dicebat cum Privilegiis Galliæ de non evocandis causis è Regno. Certum nihilominus est, magnam etiam in Gallia de Concilio conceptam æstimationem. Audiri hac super re meretur Sfortia Pallavicinus, scriptorum Historia Conc. Trid. facilè Princeps.

234. *Pallavicini testimonium.* *Satìs in comperto mihi est*, ait ille *lib.* 24. *Cap.* 10. *n.* 15. *per universam Christianam Rempublicam, per Galliam præsertim, summam de illo* (Concilio) *existimationem fuisse diffusam: Et primò quidem Decreta doctrinæ adorata illic fuére tanquam Sacra sancta ab universis Catholicis: Dein, quanquam disciplinæ Decreta in difficultatem offenderent, propterea quòd aliqui ex consilio & ex Senatu ea quasi detrimentosa Privilegiis Regis & Ecclesiæ Gallicanæ depinxerant, tamen Episcopi in Synodis Provin-*

vincialibus illa pro virili sunt imitati; & per hanc imitationem Ecclesia in Gallia ultra modum meliorem in formam redacta est. Et multis post Concilium annis elapsis magnus Galliæ Rex Henricus IV. jure jurando spopondit Clementi VIII. Pont. Max. omnem à se operam navatum iri, ut Concilium suis in Regnis integrè reciperetur: Ad quod animum non induxisset generosus & tunc victor Princeps, si eas Synodi sanctiones injustas, aut noxias existimâsset. Addit deinde, Ossatum Cardinalem Galliarum Regis Ministrum scripsisse eidem Regi, Tridentinam Synodum displicere in Gallia duobus hominum generibus, ac primò quidem cunctis hæreticis, qui ab omni Concilio abhorreant, deinde iis, quibus grave accidebat, interdici sibi Sacerdotia, natura sua insociabilia, cum abusibus vetitis à Concilio: Nihil à se repertum, quod authoritati Regiæ adversaretur; plurimum in eo esse, quod faveret, nihil, quod officeret Ecclesiæ Gallicanæ: *Nisi quis fortâsse crederet, simonias, aliáque vitia & corruptelas esse Ecclesiæ Gallicanæ Privilegia.* Eundémque sensum fuisse Cardinalium Perronii & Richelii, acceptationem Concilii in publicis Galliæ conventibus urgentium.

At sit, quædam disciplinæ Decreta visa fuisse severa nimiùm infirmioribus quibusdam animis, quid inde aliud conficitur, nisi validè os obstrui Protestantibus, de disciplinæ laxitate & corruptela non rarò querelantibus? Non quòd severiorem ipsi ament disciplinam, aut eandem exoptent, sed ut Catholicis exprobrent. Cæterùm, ùt sæpiùs memoratum, nullus Orthodoxorum in toto orbe fuit, qui doctrinam dogmaticam, à Tridentino traditam, non illico cum summa veneratione exceperit. Cur non idem consilium inîere Acatholici? Quam tantæ contumaciæ excusationem possunt obtendere?

Dicere non possunt, tractatas non fuisse in Concilio illas materias, 235.
quas tractari oportuit, aut quæ cum illis fuerant controversæ. Nam *Epitome*
more Majorum edita principio à Synodo professione Fidei, tanquam *actorum*
basis & fundamen agendorum proposita est Sacra Scriptura: Enumerati, *in Concilio.*
profundæ vetustatis exemplo, libri veteris ac Novi Testamenti singuli. Atque ut ne quidem de verbis, propter varias editiones, posset esse contentio, approbata, communi usu jam priùs receptâ, & Græcis & Hebraicis translatio. Tum de originali peccato, & naturæ corruptæ miseriis demonstrata Orthodoxa veritas. Ad justificationis naturam, causas, effectus ac proprietates exponendas promota Divina prorsus doctrina, ad confusionem veterum recentiúmque hæresum.

De SS Sacramentis tractatum deinceps, ac primò quidem de omnibus, tum verò de singulis, distinctè, ordinatè, Christianè, divinissimè. Ostensa institutio, indoles, materia, forma, vis atque efficacia SS.horum Mysteriorum, cœlestiúmque charismatum. De SS. Missæ sacrificio, & communione sub utraque specie, parvulorúmque, proposita dein opportunè doctrina, discussa diligenter, definita orthodoxè. Subjuncta denique saluberrima dogma-

gmata de Indulgentiis, Purgatorio, veneratione & invocatione Sanctorum, sacris Imaginibus & reliquis. Hæcque omnia tam sapienter, dilucidè, sanctéque ad verbi Divini amussim sunt acta, ut ex Divino promisso à Spiritu S. omnem docente veritatem, suggesta atque dictata esse nemini sapientum possit esse dubium.

Sed non tantùm digito Dei demonstrata sunt dogmata sanctæ Fidei, cultúsque Divini Religio, sed abusus etiam sublati: Eliminata omnis superstitio, quæstus turpis irreverentia. Sacratissimum Missæ sacrificium à privatis, profanísque domibus ad Domini sacraria revocatum, interdictúmque vagis ac criminosis Mystis. Exesse jussi è domo Domini molliores cantus, garritus, profana commercia, abolitis quibusdam, quæ scandalo potiùs erant, Matrimonii impedimentis; novum sancitum saluberrimum, maximéque ad tollendos gravissimos abusus necessarium, quo videlicet clandestina connubia sunt irritata.

Quot alia ad vindicandam revocandámque disciplinam concepta decreta! Eligendi ad Ecclesiastica Officia, non ambitione aut avaritia turgidi, sed probitate, virtute, doctrina præstantes, prodesse magìs dilectis oviculis, quàm præesse satagentes, præbito iisdem frequentiùs & curatiùs verbi Divini salubri pabulo. Episcopi aliíque animarum Pastores, interdicta evagandi licentia, gregi suo adesse atque cura vigili jussi attendere. Quid salubrius? Quid æquius? Quid Pastorum muneri, quid Ovium securitati, integritati, saluti convenientius?

Circumscripta Privilegia, quæ in abusum aut malè vivendi, aut malè docendi alicubi degeneraverant. Ab avaritiæ ac Simoniæ sordibus expurgatum Sacerdotium: Sacramenta gratìs conferri jussa: omnis sacrorum nundinatio severè damnata: Propulsati penitus ab Ecclesia circulatores, injussi Indulgentiarum diribitores, & sordidi eleemosynarum quæstores; Ut proin nihil ampliùs sit, quòd in hac parte Protestantes possint conqueri, aut desiderare ab Ecclesia.

Et quot alia ad Divini Numinis cultum, ad animarum proventum, ad nitorem sacrorum, ad immortale Ecclesiæ decus decreta sunt condita? Divino prope consilio proscripta perniciosa illa Beneficiorum coacervatio, ut & avaritia coërceatur, & suis Pastores Ovibus adesse queant. Provinciales in stata tempora restitutæ Synodi; Visitatorum dilatata diligentia, & restricta cupiditas. Vel invito etiam Rectore matricis Ecclesiæ erigi jussa curata sacerdotia, ubi populi exposcit salus. Traditæ Ministris Ecclesiæ vivendi, pascendíque leges. Atque ut à prima mox ætate virtute imbuantur & doctrina, qui in sortem Domini vocantur, comendata Episcopis virtutum scientiarúmque seminaria, in florentes satus, amplámque sementem surrectura.

236. *Nihil ultra desiderare.* Quid ampliùs? desiderare quid ampliùs potestis, quicunque supremo huic sanctissimóque Ecclesiæ Senatui negatis obsequium? Censuris Ecclesiasticis,

sticis, ac præsertim excommunicationibus modum poni? Est positus. Primæ Judicorum instantiæ eum locum designari, ubi lites sunt ortæ? Est designatus. Reformari Clerum, tolli concubinatus, quæsturas, negotiationes, profana commercia, scandala? Sunt sublata. Dirimi controversias Fidei, recens exortas? Sunt diremptæ, Judicio maturo, diligentia magna, Fide integerrima: Et à quot quantísque viris ex omni genere & natione! à Germanis, Italis, Gallis, Hispanis, Hungaris, Bohemis, Anglis, Hibernis, Lusitanis, Polonis, Suecis, Belgis, Moravis, Croatis, Illyricis, Græcis; à Cardinalibus, Patriarchis, Archi Episcopis, Episcopis, Oratoribus, Abbatibus, Generalibus Ordinum, Procuratoribus, Theologis, Jurisconsultis ac Doctoribus, doctrina eruditissimis, ingenio perspicacissimis, pietate religiosissimis, vita integerrimis, usu rerum & experientia peritissimis. *possunt Protestantes.*

Quid ergo desideratis ampliùs? Concilium indixit, eíque per Legatos præsedit, qui, suffragante sacra pagina, atque ex usu & instituto Majorum indicere ac præsidere debuit. Convocati sunt, cum jure suffragii, ex omni orbe Christiano, quos *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, omnium etiam vetustissimarum in Ecclesia Synodorum exemplo. Discussa omnia summa industria, librata Protestantium argumenta, dictæ sententiæ maxima libertate, nihil dissimulatum, singula omnium vulnera detecta, summa contentione certatum, ut robustiores veritatis nervi studiosiùs atque accuratiùs explorarentur. Quid igitur concludendum aliud, nisi inanes omnino & frivolas esse excusationes illas, quas obtendunt Protestantes, quòd ad Concilium venire noluerint, ejúsque saluberrimis Sanctionibus parere adhucdum detrectent?

§. XIII.

De Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum.

Pius IV. Pont. Max. severè, ùt suprà memoratum, prohibuerat, ne quis glossas, aut interpretationes Concilii Trrdentini facere præsumat, sibi 237.
soli reservata interpretationis potestate. Postea tamen, cùm varia dubia inciderent, idem Pontifex instituit Congregationem octo Cardinalium, quibus eam curam comittebat, ut observantiæ decretorum intenderent, & si 238.
dubium aliquod aut difficultas ocurreret, ad Pontificem referrent. Pius V. deinde Sixtúsque V. eidem congregationi potestatem fecerant, decidendi controversias, Synodúmque interpretandi quoad decreta morum, sibi reservatis iis, quæ spectant ad dogmata. *Instituta Congregatio.*

Quæri autem hîc solet, quam authoritatem habeant. *Declarationes* Congregationis Cardinalium, an scilicet sint interpretationes *authenticæ*, & sic habeant vim legis Ecclesiasticæ? Negant auctores non pauci, cum Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 2. *n.* 10. Layman *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 7. Diana, Bonacinna, Vega, Pelliz &c. Affirmant verò Barbosa *l.* 1. *Jur. Eccles. c.* 4. *n.* 8. Pignatelli *tom.* 1. *consult.* 86. *n.* 19. Fagnanus, Lezana, Salas, multíque alii.

Ter-

239. *Declarationes Cardinalium Comprehensivæ habent vim legis.* Tertia ac melior ſententia, inter utramque quaſi media, diſcrimen facit inter Declarationes *Comprehenſivas* & *Extenſivas*. Comprehenſivæ dicuntur, quæ comprehenduntur in verbis Concilii propriè intellectis, ſeu, ſunt ſecundùm propriam & communi uſu receptam ſignificationem, quam habent verba Concilii. Et de his declarationibus docent cum Card. de Luca *in annot. ad Concil. Trid. diſc.* 1. *n.* 17. Gobat, Engel, Wieſtner, Reiffenſtuel, Schmalzgrueber, Pichler &c. quòd ſint interpretationes authenticæ, adeóque habeant vim legis.

Probatur. Ratio eſt 1. Quia ab ipſo Papa Congregationi data eſt poteſtas interpretandi Concilium. Quod autem quis facit per alium, perinde eſt, acſi faciat per ſe ipſum. 2. Quia juxta Conſtitutionem Sixti V. declarationes iſtæ in rebus dubiis non fiunt, niſi conſulto priùs Pontifice, &, ùt Gregorius XIV. ſtatuit, litteris expreſſo nomine Pontificis. Ergo non minùs habent authoritatem Legalem, quam reſponſa Juriſconſultorum, quibus Juſtinianus dedit olim authoritatem interpretandi Leges. Atque hinc Rota Romana has declarationes accuratè obſervat, relictis etiam propriis Rotæ deciſionibus, ſi ſint contrariæ, ùt teſtantur Barboſa *l.* 1. *Jur. Eccleſ. c.* 4. *n.* 8. Fagnanus, de Luca &c. & planè per ſe patere videtur, Cardinalibus illis majorem poteſtatem eſſe conceſſam, quàm privatis tantùm Doctoribus, quorum interpretatio non eſt authentica, ſed doctrinalis tantùm.

240. *Solvuntur objectiones.* Neque dicas, quòd illæ declarationes non fiant modo præceptivo vel prohibitivo, neque debito modo promulgentur. Nam verbum *cenſendi*, quo Cardinales uti ſolent, *(cenſuit congregatio)* juridicè hìc idem ſignificat, ac authenticè declarare. Neque opus eſt, ut interpretationes ſpecialiter promulgentur: Cùm enim non faciant Jus novum, ſed tantùm declarent Jus antiquum Concilii Tridentini, retrotrahuntur ad tempus latæ legis, ſeu habiti Concilii: Unde decreta Concilii ſic accipiuntur, ac ſi jam initiò cum hac declaratione eſſent lata & promulgata. Unde neque requiritur, ut tem-
241. *Tria requiſita, ut ſint authenticæ.* pus & locus factæ declarationis exprimatur. Sed tantùm opus eſt, ut ſint *comprehenſivæ*, & in *forma debita* exhibeantur, hoc eſt Sigillo Congregationis munitæ, & à Cardinale Præfecto ac Secretario ſubſcriptæ, ùt ordinavit Urbanus VIII. ac inſuper *nomen Pontificis* exprimentis, ùt voluit Gregorius XIV. *Card. de Luca l. c.* propter defectum harum trium conditionum multæ non ſunt authenticæ, adeóque vim legalem non habent.

242. *Extenſivæ ſunt tantùm doctrinales.* Sic declarationes *Fxtenſivæ*, quæ nempe ultra id, quod verba Concilii propriè & ſecundùm ſenſum communem accepta ſignificant, egrediuntur, aliquid concedendo, diſpenſando, diſponendo, non ſunt *authenticæ*, ſed tantùm *doctrinales* quæ vim legis non habent; Quia non ad extenſionem inſtituta eſt Congregatio, ſed ad interpretationem. Aliud eſſet, ſi fierent ex ſpeciali mandato Papæ, & legitimè promulgarentur: ùt quandoque factum eſt.

Ex quo cadit etiam objectio, quam hìc aliqui formant, quòd ſcilicet Ec-

cleſia

clesia perturbaretur nimia legum multitudine, si declarationes illæ, sæpè inter se contrariæ, aut revocatæ, vim legis haberent. Nam *comprehensivæ*, *in forma debita consulto priùs Pontifice* emanantes, non sunt nimis multæ, neque inter se re ipsa contrariæ, aut revocatæ. Si tamen aliquando re ipsa ita essent contrariæ, ut combinari non possent, posteriores derogarent prioribus, sicut in aliis legibus contrariis aut revocatis contingit.

Cæterùm ista Congregatio, quæ ex meris constat Cardinalibus, excepto Secretario, qui est Prælatus inferior, ùt olim fuit Fagnanus, habetur singulis hebdomadis, aut saltem bis in mense prout negotia exigunt, & quidem die Sabbati in palatio Apostolico, & aliquando etiam coram ipso Pontifice.

APPENDIX.

De Conciliis Generalibus Reprobatis, & partim Approbatis, partim Reprobatis.

SUMMARIUM.

Generalia Reprobata.

1. *Antiochenum Arianorum.*
2. *Mediolanense Arianorum.*
3. *Ariminense Arianorum.*
4. *Ephesinum II. Eutychianorum.*
5. *Constantinopolitanum sub Leone Isaurico Iconoclastarum.*
6. *Constantinop. sub Copronymo Iconoclastarum.*
7. *Pisanum II. Schismaticorum.*
8. *Wittembergense Lutheranorum, cui addi potest Dordracense Calvinistarum.*

Generalia partim Approbata partim Reprobata.

9. *Sardicense, Catholicorum & Arianorum.*
10. *Sirmiense Arianorum. Exhibita duplex formula, quarum uni subscripsit Liberius.*
11. *Trullanum Græcorum.*
12. *Francofordiense Germanorum & Gallorum.*
13. *Constantiense.*
14. *Basileense.*
15. *Pisanum I. nec manifestè probatum, nec manifestè improbatum.*

De his equidem sparsim jam tractatum est, & de aliquibus, ùt Constantiensi, Basileensi &c. ex professo; non ingratum tamen lectori fore existimo, si hìc illa brevissimè sub unum velut aspectum ponam; licèt aliqua aliàs jam dicta sit necesse repetere.

Igitur Cardinalis Bellarminus *de Concil. & Eccles. l.* 1. Concilia Generalia dividit in *approbata*, *reprobata*, *partim approbata*, *partim reprobata*. 1. *Generalia Reprobata.*

Inter *reprobata* ponit octo: Nempe *Antiochenum*, in quo tempore Constantii Imperatoris Ariani anno 345. damnatus & depositus est ab Episcopatu Alexandrino S. Athanasius, & via patefacta ad eversionem Concilii Nicæni. In Editione Veneta Coleti ponitur hoc Conciliabulum ad annum 341. *Antiochenum.*

2. *Mediolanense.* Alterum est *Mediolanense* plùs quàm 300. Episcoporum sub eodem Imperatore Constantio, in quo omnia per vim Arianorum, ac præsertim Ursacii & Valentis, relapsorum, ipsiúsque Constantii, præsentis, acta sunt; damnatúsque rursus Athanasius. Cui damnationi cùm subscribere nollet Liberius Papa, in Exilium pulsus est, anno 355. una cum Eusebio Vercellensi, Lucifero Calaritano, aliísque Episcopis.

3. *Ariminense.* Tertium ejusdem tempore anno 363. *Ariminense:* in quo 600. Episcopi ex Oriente & Occidente convenerant. Ac vox ὁμοούσιος seu *consubstantialis* ex Symbolo Nicæno expuncta fuit, stupente mundo & ingemiscente, ùt ait S. Hieronymus, se Arianum esse. Reprobatum autem est hoc Conciliabulum à Damaso, summo Pontifice. Benè autem distinguendum est hoc Secundum Ariminense Concilium à Primo Ariminensi, quatuor annis priùs habito à 400. Episcopis, quod Catholicum fuit, & explosa Sirmiensis Ariani Conciliabuli confessione, Arianos cum Ursacio & Valente præsentibus condemnavit. Hoc tamen Ariminense Concilium Catholicum fraude Arianorum obscuratum est, dum Conciliabulum suum hæreticum sub nomine Ariminensis Concilii ubique divulgârunt; sicut antè cum Sardicensi fecerant.

4. *Ephesinum II.* Quartum *Ephesinum Secundum* anno 449. tempore Theodosii Junioris: In quo dominabatur impius Dioscorus Patriarcha Alexandrinus, hæresis Eutychianæ Patronus. Et quia Eutychianorum factione in hac Synodo occisus est S. Flavianus Patriarcha Constantinopolitanus, Legati Romani Pontificis pulsi, omniáque perturbatè ac per vim agebantur: veteres hanc Synodum *prædatoriam* appellârunt.

5. *Constantinopol. sub Leone Isaurico.* Quintum est Concilium Constantinopolitanum, sub *Leone Isaurico* contra sacras Imagines anno 730. habitum, nullo præsente Patriarcha, excepto S. Germano, qui sede Constantinopolitana pulsus est, quia impiis Iconomachorum decretis consentire noluit.

6. *Sub Copronymo.* Sextum est Constantinopolitanum, sub *Constantino Copronymo*, Leonis Filio, anno 755. in quo 338. Episcopi statuerunt, abolendas esse sacras Christi & Sanctorum Imagines. Ex Patriarchis autem nullus aderat, excepto Pseudo Episcopo Constantinopolitano. Hoc Synedrion sub nomine Concilii Generalis sæpe citant hodierni hæretici, quando contra sacras Imagines insurgunt, illúdque multùm dilaudant; non attendentes, in pluribus aliis ipsis esse contrarium: Dum e. g. anathema dicit omnibus, qui rejecerint intercessionem B. V. & aliorum Sanctorum.

7. *Pisanum II.* Septimum Generale, sed reprobatum à Concilio Lateranensi sub Julio II. Bellarminus ponit *Concilium Pisanum II.* an. 1511. congregatum ab Imperatore & Rege Galliæ ac aliquot Cardinalibus.

8. *Wittembergense.* Octavum denique in hac classe ponit *Wittembergense*, in quo 300. Pastores Præside Luthero convenerant, anno 1536. cui addi posset Synodus *Dordracena* an. 1618. à Calvinistis celebrata, ad componenda dissidia inter Gomaristas & Arminianos in Hollandia exorta. Ve-

Verùm hæc non ſunt nominanda Concilia, ſed Conciliabula: utpote quæ à Sede Apoſtolica neque indicta, neque congregata, neque gubernata neque approbata,ſed ex integro reprobata fuerunt. Neque propriè dici poſſunt *Generalia*, utpote quibus, præter alia, Caput deerat.

Partim approbata, partim reprobata, numerantur à Bellarmino ſex. Primum eſt *Sardicenſe* anno 351. tempore Julii I. & Conſtantii celebratum: In quo 300. Epiſcopi Occidentales Fidem Catholicam & Concilium Nicænum confirmârunt (unde hoc Concilium Sardicenſe tanquam complementum Nicæni eſt conſideratum, & etiam aliquando ſub Nicæni nomine citabatur) Epiſcopi verò Orientales 76. cùm nollent communicare cum Athanaſio, Sardica digreſſi Fidei formulam Semi-Arianam conſcripſerunt: In qua Chriſtum Deum, ante omnia ſæcula ex Patre genitum profeſſi ſunt, non tamen *conſubſtantialem*. Quia autem Arianum hoc Concilabulum non Sardicæ, ſed Philippis in Thracia eſt habitum, ideo fortè meliùs ab aliis Concilium Sardicenſe inter Generalia ex integro approbata collocatur, nempe ùt omnino diſtinctum ab illo Semi-Ariano, quod falſò Sardicenſis Concilii nomen aſſumpſit. 9. *Partim approbata, partim reprobata. Sardicenſe.*

Alterum eſt *Sirmienſe*, Sirmii nempe in Pannonia celebratum, quinquennio poſt Sardicenſe. In illo ab Arianis Epiſcopis duplex Fidei formula eſt conſcripta: Una, quæ poſitivè nihil contra Fidem continebat. Et huic ſubſcripſit Liberius Papa, ærumnis & calamitatibus Exilii preſſus, atque cum aliquibus Arianis Epiſcopis, Catholicos ſe ſimulantibus, communicavit, conſensítque etiam in depoſitionem Athanaſii, gravium criminum accuſati. Altera formula planè Ariana fuit, aſſerens, Patrem Majorem eſſe Filio, honore, dignitate ac Deitate: à voce verò *Conſubſtantialis* abſtinendum eſſe, eò quòd de illa nihil ſcriptum ſit in ſacris litteris (*Ecce dogma Arianum, nihil credendum, quòd non ſit expreſſum in S. Scriptura*) In hoc Conciliabulo Sirmienſi ſuccubuit ille tot palmarum heros, tótque Conciliorum Præſes fortiſſimus, magnus Oſius, Cordubenſis in Hiſpania Epiſcopus, prope jam centenarius, dum infelix, per vim & tormenta ab Arianis impulſus, ſecundæ eorum formulæ, planè impiæ, ſubſcripſit, & Arianis Epiſcopis Sacrorum communione ſociatus eſt. Reſipuit tamen ante mortem, damnata Ariana hæreſi, de plagis ac vi ſibi illata conqueſtus. Ut tamen Athanaſium damnaret, neque in lapſu illo ſuo adduci potuit. 10. *Sirmienſe*

Tertium eſt Concilium *Trullanum*, quod Balſamon *quini ſextum* appellat: Quia nec eſt quintum nec ſextum, ſed ex utroque Canones (ante non editos) collegit, & plures ex ſuo addidit; ut adeò 102. Canones Trullani prodirent. Dictum eſt autem *Trullanum*: quia aliquot annis poſt ſextam Synodum Generalem aliqui Epiſcopi in palatio, quod *Trullum* vocabatur, Conſtantinopoli convenerant, & dictos Canones ediderunt, nec Pontifice nec ejus Legatis præſentibus. Unde etiam Sergius Papa tanquam erraticam 11. *Trullanum.*

ticam Synodum reprobavit. Quare Canones isti per se non habent vim legis. Aliqui tamen postea approbati & recepti sunt à Pontifice aut legitimis Conciliis: Sic Canon 82. de pingendis sacris Imaginibus receptus est ab Adriano I. & Synodo VII.

Quartum est *Francofordiense* anno 794. celebratum sub Carolo M. hoc
12. *Francofordiense.* Concilium, in quantùm ex errore damnavit septimam Synodum reprobavit Adrianus I. in quantùm verò definivit, Christum non esse Filium Dei adoptivum, illud approbavit.

Quintum in hac Classe Bellarminus collocat *Constantiense*, Patrum ferme 1000, & inter eos Episcoporum ultra 300. frequentia celebratum ab anno 1414. usque ad 1418. adnitente maximè Sigismundo Imperatore, ad tollendum Schisma inter Gregorium XII. Benedictum XIII. & Joannem XXIII. eorúmque adhærentes exortum. Unde, his abdicantibus aut abdicatis, à Concilio electus est Martinus V. hoc igitur Concilium recipitur à tota Ecclesia quoad Sessiones ultimas, quibus præfuit Martinus V. & quoad ea decreta, quibus damnati sunt Wiclephitæ & Hussitæ. Quoad ea verò, quibus Concilii authoritatem supra Pontificem extollere visum est, reprobatum fuit à Concilio Lateranensi ultimo.

13. *Constantiense.*

Ultimum in hac Classe à Bellarmino ponitur *Basileense*, ab anno 1431.
14. *Basileense.* usque ad 1449. tum Basileæ, tum Lausannæ continuatum, magnas inter turbas & discordias. Nam, ùt suprà dictum, legitimè quidem cœptum est, sed cùm in Eugenium IV. summum Pontificem insurgeret, transtulit hic Concilium primùm Ferrariam, deinde Florentiam, septem Episcopis cum uno Cardinale pertinaciter Basileæ ac Lausannæ hærentibus, imò Eugenium deponentibus, ac Amadæum Sabaudiæ Ducem, sub nomine Felicis V. eligentibus. Tandem Nicolao V. Eugenii Successori, tam Concilium illud, quàm ipsius Pseudo Papa, se subjecerunt. Conciliabulum hoc reprobatum fuit in Concilio Lateranensi sub Leone X. Sess. XI. exceptis quibusdam dispositionibus circa Beneficia Ecclesiastica, quas Nicolaus V. approbavit.

15. *Pisanum dubium.*

De Concilio *Pisano I.* in quo anno 1409. depositi sunt Gregorius XII. & Petrus de Luna (qui sub nomine Benedicti XIII. Pontificatum invaserat) electúsque Alexander V. dubium est, an sit Generale approbatum, an verò reprobatum. Ratio dubitandi est, quia ex una parte communis fermè est opinio Alexandrum V. in hoc Concilio electum, & Joannem XXIII. qui Alexandro successit (viventibus adhuc Gregorio XII. & Benedicto XIII. in hoc Concilio depositis) fuisse veros Pontifices: Aliàs Borgia non Alexandrum *Sextum*, sed, Quintum se nominâsset. Contrà verò S. Antoninus cum aliis Concilium Pisanum pro illegitimo habet: In quo non sublatum Schisma, sed auctum est. Propter quas causas Bellarminus hoc Concilium vocat, *nec manifestè probatum, nec manifestè improbatum.*

(o)

APPARATUS ERUDITIONIS AD JURISPRUDENTIAM PRÆSERTIM ECCLESIASTICAM,

in quo reviſo, auctoque
Præter Juris Univerſalis Principia,
JUS NATURÆ, GENTIUM, DIVINUM,
APOSTOLICUM, & PONTIFICIUM, JUS SYNODALE
OECUMENICUM, NATIONALE AC PROVINCIALE,
Unacum
Provinciarum ac Regnorum Eccleſiaſtico & Politico
Statu, Diſciplina Eccleſiæ, Hæreſibus exortis &c. continua Sæculorum
ſerie ad præſens usque tempus deductum, inſertísque in hac præſertim
nova editione pro re nata multis obſervationibus criticis, ac
controverſiis Juridicis, Publicis, ac Polemicis

METHODO HISTORICO-DOGMATICA


colliguntur, & brevi ac clara Idea delineantur.
In Utilitatem eruditionis amantium, quibus vaſta Conciliorum, Decretorum
Hiſtoriarum &c. volumina perlegendi aut occaſio aut tempus deficit,

AUTHORE
P. JOSEPHO BINER, S. J.
SS. Theol. & SS. Canonum Doctore, horúmque in alma Cæſareo Leopoldina
Univerſitate Oenipontana, nunc in celeberrima Epiſcopali Academia Dilingana,
Profeſſore Ordinario ac Publico.

PARS IV.

De Jure Synodali Univerſali.


CUM FACULTATE SUPERIORUM AC PRIVILEGIO CÆSAREO.



Auguſtæ Vindelicorum & Friburgi Briſgojæ,
Sumptibus Fratrum IGNATII & ANT. WAGNER Bibliop. MDCCLIV.

Facultas R. P. Provincialis
cum Privilegio Cæſareo.

Cum *D. Ignatius Wagner* Bibliopola Auguſtanus denuo vulgare typis deſideret ſex primas partes Apparatus Eruditionis à P. JOSEPHO BINER S. J. conſcripti, ego ADAMUS DICHEL ejusdem Societatis per Germaniam Superiorem Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi facta ab A. R. P. noſtro IGNATIO Vicecomite, univerſæ Societatis Præpoſito Generali, eidem ad tertiam duntaxat hanc editionem facultatem impertio, ſimúlque communico Privilegium Cæſareum, quo aliis Bibliopolis, Typographis &c. interdicitur, ne dictum Librum citra conſenſum Superiorum recudere, aut intra fines R. I. inferre præſumant. In cujus rei fidem has ei manu propria ſubſcriptas, & conſueto Officii ſigillo munitas dedi. Monachii 3. Septembris 1753.



ADAMUS DICHEL.



CONCILIA NATIONALIA PROVINCIALIA Et DIOECESANA

Per singula sæcula Distributa: cum synopsi Historica & Observationibus Dogmaticis ac Criticis.

Primo Christianæ Religionis sæculo pauca admodum celebrata sunt Concilia; eáque sola ad nos devenerunt, quæ ab ipsis Apostolis sunt congregata. Et quamquam de illis in tertia jam operis hujus parte, ubi de Jure Apostolico *tractandum suscepimus, aliqua sint commemorata, supervacaneum tamen non fuerit, hîc de illis, ordinis saltem melioris gratiâ, aliquid addere: ut hoc pacto suscepta tractatio per singula æræ Christianæ sæcula decurrat.*

CAPUT I.
De Conciliis SÆCULI I.

SUMMARIUM.

1. *Sex Concilia ab Apostolis celebrata.*
2. *Quæstiones circa ista Concilia attinguntur remissivè.*
3. *An Nicolaus, unus è septem primis Diaconis, fuerit auctor nefariæ hæresis Nicolaitarum?*
4. *Argumenta pro Nicolao.*
5. *Argumenta contra Nicolaum.*
6. *Conciliantur distinctione ac limitatione.*

I.

1. *Sex Concilia Apostolorum.*



Primum Concilium, Præside S. Petro, celebratum est Jerosolymis paulò post Ascensionem Domini. Interfuêre fermè centum viginti homines. Postquam S. Petrus causam synodi exposuit, sufficiendum videlicet aliquem in locum Judæ proditoris Apostolum, statuerunt duos ex 72. Christi Discipulis, Barsabam & Mathiam, dignitate & meritis adeò æquales, ut humanitus sciri non posset, uter esset dignior. Electio proin commissa est *sorti*, quæ cecidit super Mathiam.

Alterum Concilium Apostoli Jerosolymis congregârunt, propter dissensionem Græcorum & Hebræorum. Conquesti siquidem fuerant Græci, quòd viduæ eorum despicerentur in ministerio quotidiano. Electi proin & ordinati ab Apostolis sunt septem Diaconi, ut mensis non tantùm profanis, sed etiam sacris ministrarent. Testem habemus S Ignatium Martyrem, Apostolorum Discipulum, qui in Epistola ad Trallianos scribit: *Oportet & Diaconos mysteriorum Christi ministros per omnia placere, nec enim ciborum & potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei administratores. Quid verò Diaconi, quàm imitatores Angelicarum virtutum, qui purum & inculpatum ministerium illis* (Sacerdotibus) *exhibent?*

Tertium Concilium Apostolorum Petrum & Joannem misit in Samariam, ut conversis ibidem à Philippo Diacono & baptizatis Confirmationis Sacramentum impertirent.

In

In quarto Concilio editum est *Symbolum Apostolorum*, divisæque inter Apostolos Provinciæ ad prædicandum Evangelium.

In quinto composita Antiochena de Legalibus controversia.

Sextum S. Paulus congregavit Mileti, in quo Episcopos, Ephesinum nempe & finitimos hortatus est, ut intendant curam suam pastoralem universo gregi, & solicitè regant Ecclesiam Dei.

II.
OBSERVATIO
In Concilia Apostolica primi Sæculi.

Circa Concilum primum, in quo per sortem electus est Mathias, 2.
quæri potest, an ergo licitum sit per sortes Ecclesiæ Ministros eligere ? *Quæstiones circa Concilia Sæculi I.*

Circa secundum quæritur, an Diaconi tantùm fuerint destinati ad ministrandum mensis profanis, & necessitatibus temporalibus, an verò etiam ad res sacras ?

Quoad tertium disputatur, an Petrus & Paulus verè administrârint Samaritanis Sacramentum Confirmationis, & quidem cum usu Chrismatis ?

Occasione quarti Apostolici Concilii disputatur, an symbolum, quod dicitur Apostolicum, re vera ab ipsis Apostolis fuerit confectum ?

In causa quinti discutitur, cur non ampliùs observetur abstinentia à sanguine & suffocato : quæ tamen in Concilio illo fuerat statuta ?

Circa sextum quæritur, quid intelligatur nomine Episcoporum, quos allocutus est Mileti S. Paulus, cùm unicus adfuisse videatur Episcopus ? Verùm has omnes quæstiones decisas invenies *parte* 3. *bujus operis cap.* 2. *quæst.* 3. quo loco disputatum est de Jure Apostolico.

Ex occasione tamen secundi Concilii, in quo electi sunt septem Diaconi, quæri adhuc potest, an *Nicolaus*, advena Antiochenus, qui septimus fuit inter electos ab Apostolis Diaconos, auctor fuerit ne- 3.
fandæ hæresis Nicolaitarum ? Natalis Alexander *Dissert.* 9. *in Hist. Eccles. sæc.* 1. Du Mesnil doctr. & discip. Eccles lib. 2. n. 98 Baronius ad annum 68. cum pluribus aliis censent, falsò id nefas Nicolao imputari. Argumenta hujus opinionis sunt : *An Nicolaus fuerit auctor hæresis.*

1. Quia sacra Scriptura hunc Nicolaum annumerat viris boni testimonii, plenis Spiritu S. & sapientia : nusquam verò sordidam

illam hæresin eidem adscribit. 2. Quia S. Ignatius Martyr in Epist. ad Trallianos scribit: *fugite quoque impuros Nicolaitas, falsum sibi nomen sumentes.* 3. Quia S. Clemens Alexandrinus *lib.* 2. *strom.* asserit impuros illos homines Nicolai nomine abusos, ejúsque verba in falsum sensum detorsisse, ut tanto nomine sectæ impurissimæ authoritatem conciliarent. 4. Quia Eusebius *lib.* 3. *Hist. Eccles. cap.* 29. citans Clementis Alex testimonium, ait Nicolaitas sectæ suæ Authorem Nicolaum jactâsse. Idem asserit Theodoretus *lib* 3 *Hæret. fabularum cap.* 23. nempe falsò eos sibi de Nicolai appellatione nomen arrogare Consentit Victorinus Petabionensis *comment. in Apocalyp.* 5. Quia Nicolaus iste postea ab Apostolis inauguratus est Samaritanorum Episcopus; quod fidem ejus integram fuisse demonstrat.

4. Argumenta pro Nicolao.

His tamen non obstantibus, videtur probabilius, Nicolaum illum lapsum esse, & hæresis nefandæ aut Authorem fuisse, *aut saltem eidem occasionem dedisse.* Hoc enim plurimi testantur antiqui Patres. Sic S. Irenæus *lib.* 1. *c.* 27. ait: *Nicolaitæ Magistrum habent Nicolaum, unum ex septem qui primi ad Diaconatum ab Apostolis ordinati sunt.* Ecce! non dicit Irenæus, Nicolaitas jactare, se Nicolaum habere magistrum, ùt textum torquet Natalis, sed absolutè ait, eos magistrum habere Nicolaum. Idem adhuc clarius testatur S. Epiphanius, dum hæres. 25. scribit: *Nicolaum, cùm uxorem haberet eleganti specie, ab ea aliquamdiu sibi temperâsse, ut eos imitaretur, quos Deo addictos, cerneret, sed non intemperantiam suam perpetuò coërcere potuisse - - cum uxore sua rursus consuetudinem habuisse, & jactare illud ausum, neminem salutem æternam consequi posse, nisi singulis diebus luxuriæ vacet.* Similiter S. Hilarius ad illud Matthæi, *& falsi prophetæ erunt,* addit: *ùt Nicolaus unus ex septem Diaconis fuit.* Et S. Hieronymus Epist. 1. scribit: *Stephanum suspicis, sed & Nicolaum respice, quem Dominus in Apocalypsi sua damnat sententia; qui tam turpia & nefanda commentus est, ut Nicolaitarum hæresis ex illa radice nascatur.*

5. Argumenta contra Nicolaum.

Quibus accedit Nicephorus Calistus, qui *Eccles. Hist. lib.* 3. *cap.* 15. scribit: *Auctor ejus* (hæresis) *fuit Nicolaus, eorum unus, qui unà cum Stephano ad pauperum curam & ministerium in Actis Apostolicis, sunt delecti.* Eandem sententiam tenent Philastrius *lib. de hæresib. cap.* 5. Cassianus *collat.* 18 *cap.* 16. S. Isidorus Hispalensis *lib* 8. *originum cap.* 5. Constantinus Roncaglia, qui notas Historiæ Natalis addidit, citat etiam S. Gregorium Nyssænum, S. Gregorium M. S Hipplitum. Plures superaddit Cotelerius in notis ad *cap.* 8. *l.* 6. *Constit. Apostol.*

Baronius verò, quamvis contrariæ sententiæ patronus, citat etiam

etiam antiquissimum Tertullianum *lib. de præscript. cap.* 46. ibi: *alter Hæreticus Nicolaus emersit. Hic de septem Diaconis, qui in Actis Apostolorum allecti sunt, fuit.* Tot autem testes sufficienter videntur probare quæstionem facti, multúmque superare testes, pro opposita sententia à Natali allatos.

Addidi tamen in conclusione mea, Nicolaum aut auctorem fuisse illius hæresis, *aut saltem eidem occasionem dedisse.* Probabile siquidem est Nicolaum non malitiâ, sed imprudentiâ lapsum esse: atque per id occasionem dedisse, ut libidinosi homines eum impuræ illius doctrinæ, qua promiscuus mulierum usus conceditur, auctorem allegârint. Res ita se habet. Nicolaus, cùm de zelotypia pulcherrimæ uxoris culparetur ab Apostolis, eam in medium productam, cui vellet, nubere permisit, adjiciens, *sua quemque carne abuti oportere.* Hoc igitur factum imprudens, dictúmque ambiguum pro exemplo temerè sibi proponentes illi Hæretici, licenter in promiscuos concubitus, & omne genus spurcitiarum ferebantur; & quia asserebant, Nicolaum uxorem suam omnibus communem fecisse, *Nicolaitæ* dicti sunt, tanquam ejus doctrinæ sectatores. Ita rem describit Clemens Alexandrinus *lib.* 2. & 3. *strom.* & ex eo Nicephorus *lib.* 3. *cap.* 15. qui addunt, Nicolaum cum nulla, præter uxorem suam, muliere concubisse, & susceptas ex ea filias permansisse virgines, filium quoque continentem vixisse. Dum verò dixit, *sua quemque carne abuti oportere*, in bono sensu ab ipso dictum, frænandam videlicet & coërcendam carnem; ac propterea, ut ostenderet, se carni dominari posse, uxorem suam in medium productam quasi abdicâsse, aliísque obtulisse.

6. *Solvuntur limitatione.*

In hanc sententiam loquitur etiam S. Augustinus lib. de hæres. *Nicolaitæ,* inquit, *à Nicolao nominati sunt, uno ex septem, quos Apostoli Diaconos ordinavèrunt. Iste, cùm de zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, velut purgandi se causa permisisse fertur, ut eâ, qui vellet, uteretur. Quod ejus factum in sectam turpissimam versum est, quâ placet usus indifferens fœminarum.* Et Theodoretus *loc. cit.* ait: *non hoc lege aliqua decernentem* (promiscuas posse haberi uxores) *sed ut accusatorum calumniam redargueret. Inde nonnulli id, quod ab eo prædicta de causa gestum fuerat, pessimè accipientes, communes habere uxores sanxerunt.* Licèt autem hæc vera essent, non tamen vel ab imprudentia, vel simplicitate, vel levitate factum ejus excusari potest (licèt fortè à malitia formali & hæresi excusari possit) & hinc nihilominus verum est, eum, uxorem suam ad adulterium offerendo, Nicolaitarum hæresi *occasionem* dedisse, atque in hoc sensu ejus auctorem fuisse.

Unde etiam ſententia noſtra, ita limitata, facilè ſolvit ea, quæ à Natali aliíſque ſunt objecta. Nam Reſp.

Ad 1. licèt Scriptura ſeptem Diaconos plenos Spiritu ſancto & ſapientia dilaudet, non tamen ſequitur, ſemper omnes tales manſiſſe. Salomonis, Judæ, Tertulliani, Origenis, Oſii, aliorúmque triſtia exempla identidem nobis inclamant: *qui ſtat, videat, ne cadat.*

Ad 2. dici poteſt, S. Ignatium, dum ait, Nicolaitas falſum ſibi nomen aſſumpſiſſe, non intellexiſſe nomen Nicolai, ſed nomen *Gnoſticorum*, nam Nicolaitæ *Gnoſticos* ſe appellabant poſtea, hoc eſt, *intelligentes* & *ſapientes*. Si hæc reſponſio non ſufficiat, dici poteſt; falſum eos nomen aſſumpſiſſe, eò quòd factum imprudens & dictum Nicolai falsè acceperint.

Ad 3. Clementi Alexandrino opponi poſſunt multi alii Patres, quorum complures citavimus. Deinde licèt omnia eſſent vera, quæ dicit Clemens, tamen ſimul verum eſſet, quòd imprudente illa uxoris ſuæ oblatione dictóque inconſulto, aliis fuerit ſcandalo, & impuræ hæreſi occaſionem dederit. Unde

Ad 4. eadem eſt reſponſio. Nam præterquam quòd Euſebius & Theodoretus multos habeant ſibi contrarios, illi non negant, quòd Nicolaus anſam dederit hæreſi.

Ad 5. Nicolaum factum eſſe Epiſcopum ex authenticis documentis non conſtat. Deinde non ſequitur, quòd imprudentia non dederit occaſionem hæreſi. Imò licèt verè illius auctor fuiſſet, potuit poſtea mutari & converti.

CAPUT II.

De Conciliis SÆCULI II.

Præſertim contra quartodecimanos & Montaniſtas.

Historiam Eccleſiaſticam ſecundi ſæculi celebrem fecit duplex controverſia: altera Victorem inter Papam & Polycratem flagrans, de tempore celebrandi Paſchatis: altera cum Montaniſtis, in rigorem nimiùm deflectentibus.

SUMMARIUM.

§. I.

1. *Concilium* Siculum *contra Heracleonem.*
2. Romanum *contra Theodotum.*
3. *Paſchalis controverſia.*

4. *Ce-*

§. I.
Synopsis Historica.

Primum, quod in novissima Coleti editione Veneta exstat, est Concilium quoddam *Siculum*, anno 125. celebratum, contra *Heracleonem*, qui varios in Sicilia errores de baptismo disseminaverat, ac præsertim baptizatis peccata non esse noxia. 1. *Siculum.*

Alterum est *Romanum* circa annum 140. contra *Theodotum coriarium* Byzantium, qui cùm in persecutione Christum negâsset, exprobrantibus id scelus Christianis respondit, se non negâsse Deum, sed nudum hominem. Sub finem sæculi II. Victore I. Pontifice vehementer agitari cœpit controversia *Paschalis*. Complures siquidem Orientales Episcopi cum *Polycrate* Ephesino Episcopo, existimantes se Evangelio mori, & instituto majorum inhærere, contendebant, pascha 2. *Romanum.* 3. *Paschalis Controversia.*

pascha celebrandum esse cum Judæis decima quarta luna primi mensis. *Victor* autem Papa cum Occidentalibus & multis Orientalibus volebat, Pascha juxta traditionem Apostolicam celebrandum esse die Dominica sequente. Complura igitur hac super re sunt instituta Concilia præcipiente Victore Papa, præsertim anno 198.

4. *Romanum.* Primò *Romanum*, ipso Victore Præside. Decretum in eo, Pascha non cum Judæis, sed Dominica proximè sequente celebrandum, qui contumaciter reluctarentur, communione sua privatis. Hæc pœna non nihil asperior visa est *S. Irenæo* Lugdunensi Episcopo, datis super ea re ad Victorem litteris: quibus decenter monuit, propter diversos ritus non esse solvendam unionem inter Ecclesias. Nihilominus decretum obtinuit, dictíque, qui pergebant obsistere, Quartodecimani. Idem eodem tempore decretum in Concilio *Pa-*
Palæstin. *læstino* seu *Cæsariensi* Præside Theophylo Cæsariensi Episcopo, in
Ponticum. Concilio *Pontico*, ac *Gallico*, cui præsedit S. Irenæus: qui eandem
Gallicum. cum Victore tenuit sententiam, renitentes tamen ab Ecclesia non
5. esse segregandos censuit. Contrà verò *Polycrates* Episcopus Ephe-
Polycrat. sinus collegit Concilium ex Asiæ minoris Episcopis: in quo decretum, pascha celebrandum semper 14. luna, sive sit dies Dominica sive alia: scripsítque hoc synodale decretum Victori, exponens simul traditionem Ecclesiarum in Asia: hunc morem se habere à Philippo Diacono, & Joanne Apostolo, atque à Polycarpo Smyrnensi Episcopo. Victor Papa de hoc Concilii decreto certior factus à Polycrate, reprobavit Concilium, atque pertinaces excommunicavit. Hanc Victoris sententiam innovavit postea *Synodus Nicæna, Ephesina, Chalcedonensis, Arelatensis I. Antiochena I.*

6. *Primatus Papæ.* Notent hîc Protestantes, quàm apertè in primis etiam Ecclesiæ sæculis se manifestet *primatus* Romani Pontificis. In Europa & in Asia Concilia indicit; speciale mandatum dirigit ad Theophilum, Cæsareæ in Palæstina Episcopum, ut vicinos Episcopos congreget; parent illi Victori Pontifici, conveniunt. Eorum Metropolitani non conqueruntur. Ut Judex supremus fert sententiam; renitentes excommunicat, nemine protestante, jus aliquod novum usurpari. In sententiam Pontificis eunt concilia generalia ac particularia, imò omnis postea orbis Christianus, qui rejecta Asianorum traditione, ùtùt speciosa, pascha secundùm Victoris Papæ mandatum in hodiernam usque diem celebrat. Agnovit nimirum profundissima etiam Ecclesiæ antiquitas, jure ipso divino concessum primatum, Jurisdictionísque universalis potestatem Romano Pontifici, S. Petri Apostolorum Principis successori. Sub finem sæculi

culi II. ſerpere cœpit *Cataphrygum* infelix hæreſis, *Montano* præcipuè Auctore, homine evnucho & neophyto, qui velut prophetam ſe efferens, ſimulato quodam auſterioris diſciplinæ rigore, multos primùm in Myſia & Phrygia, deinde in aliis etiam orbis provinciis decepit: adhibita in hanc fraudem muliercularum quarundam opera, præſertim Priſcillæ & Maximillæ, quas tanquam prophetiſſas ſecum ducebat. Tres in anno præcepit quadrageſimas: non tantùm lapſos à fide, ſed ferme omnes, graviorum criminum reos, negata ſpe veniæ, arcebat à pœnitentia; negavítque, licitum eſſe perſecutionis tempore fugere. Addebat varia deliria, ut mirum omnino ſit, potuiſſe viros alioquin Doctos, ipſúmque adeò Tertullianum in turpem illam inſaniam abripi. 7. *Montaniſtarum hæreſis.*

8. *Tertulliani effigies.* Fuit autem *Septimius Tertullianus* Chartaginenſis, primùm gentilis, tum Chriſtianus, dein Presbyter, poſtea odio Romani cleri ſchiſmaticus, denique hæreticus Montaniſta; vir omni litteratura, & ſtudiorum genere eximiè cultus, ſed utì acris & vehementis ingenii, ita aſperi ſermonis. Complures ſcripſit libros apprimè Catholicos: alios verò cum ſenectute ſua vitiatos, ùt *de exhortatione caſtitatis, de pudicitia, de fuga in perſecutione, de monogamia, de jejuniis.*

9. *Hierapolinum.* Damnati ſunt Montani errores in pluribus Aſiæ Conciliis, teſte Euſebio *lib.* 5. *Hiſt. Eccl. cap.* 16. præſertim verò in *Concilio Hierapolitano* circa annum 173. ab Apollinare, aliíſque 26. Epiſcopis.

Addit Euſebius, Montanum & Maximillam, ab inſano ſpiritu incitatos, laqueo ſibi gulam fregiſſe, atque ita inſtar proditoris Judæ vitam finiiſſe.

10. *Praxeas damnatus.* Montani ſectam profeſſus inter alios fuerat *Praxeas*, natione Phryx, illa tamen poſtea deſerta, Divinarum Perſonarum Trinitatem negavit, formâ etiam Baptiſmi corruptâ. Damnatus à Zophyrino Papa. Exſtat Tertulliani *liber adversùs Praxeam.*

§. II.

QUÆSTIO I.

Hiſtorico - Critica,

An Victor Papa Aſianos Epiſcopos excommunicaverit propter controverſiam Paſchalem?

11. *Lis de Paſchate ſub Aniceto.* Celeberrima ſæculi II. ùt ex dictis patet, fuit controverſia de tempore celebrandi paſchatis. Cœpit hæc ſub medium ſecundi ſæculi: quo tempore *S. Polycarpus* Romam profectus eſt ad *S. Anicetum* Papam, diſſidium iſtud componendi gratia. At neuter cedere

voluit. *Polycarpus* ſiquidem ſe morem & conſuetudinem decima quarta luna cum Judæis celebrandi paſcha hauſiſſe à Joanne Apoſtolo & Philippo Diacono dicebat. Anicetus verò inſiſtebat traditioni Eccleſiæ Romanæ, à SS. Apoſtolis Petro & Paulo acceptæ. Atque ſic Polycarpus more ſuo retento, Româ diſceſſit, ſervato tamen cum Aniceto & Eccleſia Romana vinculo pacis.

12. *Sub Victore I.* Acriùs deinde exarſit contentio ſub *Victore* Papa. Qui plura in Oriente & Occidente hac ſuper re Concilia celebrari præcepit. Omnia illa definierunt, ad normam Eccleſiæ Romanæ paſcha celebrandum, juxta veterem conſuetudinem, poſt æquinoctium die Dominica, (in honorem Chriſti reſurgentis) decimam quartam lunam proximè ſubſequente. Unus *Polycrates* Epheſinus Epiſcopus, cum aliquot aliis Epiſcopis minoris Aſiæ, indicto *Epheſi Concilio* contrarium ſtatuit, mori ſuæ Eccleſiæ contumaciter inhærens: ut adeò totus ferme mundus Chriſtianus, excepta minore Aſia, Romanæ diſciplinæ ſubſcriberet. Quare Victor Papa, dehortante licèt per Epiſtolas S. Irenæo, Polycrati ejúsque aſſeclis Epiſcopis excommunicationem eſt minitatus. Hæc certa. An autem ad excommunicationem ipſam devenerit, acriter diſceptant eruditi. Placet quæſtionem iſtam, ex qua elucet Romani Pontificis prima jam ætate primatus, & in totam Eccleſiam Jurisdictio, examinare. Ludovicus Du Meſnil, *Doctrin. & Diſcipl. Eccleſ. lib.* 4. *num.* 42. Sandinus *in diſputationibus Hiſtoricis ad vitas Pontificum diſp.* 5. & præſertim Alexander Natalis *Diſſert.* 5. *in Hiſt. Eccleſ. ſæculi* 2. mordicus conatur eam perſuadere ſententiam, Polycratem, eíque adhærentes Epiſcopos Aſiæ non fuiſſe excommunicatos.

13. *Argumenta Natalis.* 1. Quia Firmilianus (dum controverſia de baptiſmo hæreticorum ferveret) in Epiſtola ad S. Cyprianum ait, propter controverſiam de paſchate non fuiſſe diſceſſum ab Eccleſiæ Catholicæ pace & unitate.

2. Quia Euſebius *l.* 5. *c.* 24. ſcribit, edixiſſe Victorem, Aſianos à communione ſecludendos eſſe. Idem teſtantur S. Hieronymus & Photius; adeóque res intra minas ſtetit: cohibente vibrationem fulminis S. Irenæo.

3. Quia certum eſt, S. Irenæum, Lugdunenſem in Gallia Epiſcopum, alióſque Victorem dehortatos eſſe, ne Eccleſias Aſiæ propter iſtam diverſitatem moris anathemate percellat. Atqui fruſtra fuiſſent dehortati, ſi eos jam antea excommunicaviſſet. Quis enim roget aliquem, ne malum inferat, quod jam intulit.

4. Quia

4. Quia Pontifices, Victoris antecessores, Asiaticos non præciderunt ab unione Ecclesiæ propter illam disciplinæ diversitatem. Ergo neque Victorem id fecisse censendum est. Præsertim cùm hæc diversitas, in disciplina duntaxat, non fuerit causa sufficiens tam severæ censuræ.

Verùm probabilius videtur, Victorem Papam, cùm consentientis totius ferme Ecclesiæ unitatem ex celebratis in Oriente & Occidente Conciliis vidisset, Polycratem aliósque contumaciter renitentes Asiæ Episcopos excommunicasse. Hanc sententiam propugnant cum Pagio *Crit. in Baron. ad ann.* 196. Schelestrato *Artic. Illustr. p.* 2. Roncaglia in animadvers. in Natalem loc. cit. &c. 14. *Victor Asianos excommunicavit.*

Probatur 1. ex Eusebio, qui lib. 5. cap. 24. postquam dixisset, Victorem anathematis minas intentasse, hæc subjungit: *Datisque litteris universos, qui illic erant, fratres proscribit, & ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos esse pronuntiat.* Quæ planè verba excommunicationem significant. Ut adeò mirùm videatur, quòd Natalis hunc authorem pro se citet.

Prob. 2. ex S. Epiphanio, qui hæresi 72. quæ est Audianorum, scribit, Polycratis & Victoris ætate Orientales ab Occidentalibus *divulsos, pacificas à se invicem litteras nullas accepisse.* Quæ rursus verba satìs indicant, Victorem ultra minas processisse, & actu communione privâsse.

Prob. 3. ex Nicephoro *Hist. Eccles. cap.* 38. ubi hæc habet: *Quam ob causam & subitò litteras conscripsit* (Victor) *omnésque simul à communione prohibebat.* Quid autem hoc aliud est, quàm eos excommunicationis censurâ perstringere?

Prob. 4. ex Socrate, qui *lib.* 5. *Hist. Eccles. cap.* 21. sic ait: *Victor Episcopus Romanus, supra modum irâ inflammatus, omnes in Asia, qui* 14. *die mensis Pascha celebrabant, excommunicavit.*

Respondet Natalis, Socratis viri Novatiani in hac causa meritò suspectam esse fidem. Eum in rebus Historicis gravissimos in errores esse prolapsum, & putidissima mendacia. Mentiri illum manifestè, dum *lib.* 5. *cap.* 21. scribit, in Ecclesia Romana trium duntaxat hebdomadum jejunium observari ante pascha, & quidem etiam in illis sabbato non jejunari. Plura alia adducit Socratis mendacia. 15. *Crisis in Natalem.*

Verùm erit fortasse, qui hac in re Natalis crisin requirat. Dum Socrates narrat, & quidem post centum annos primus, Paphnutium in Concilio Nicæno intercessisse decreto, quo Ecclesiasticis interdiceretur usus uxorum, ibi Socrates Historicus est veracissimus:

ibi non obſtat, quod fuerit Novatianus: ibi non obſtat, quòd in multis aliis ſit mendax: ibi laudatur, vindicatur, abſolvitur. Hîc verò, dum narrat id, quod jam plures ante ipſum ſcripſerant, ex quo Romani Pontificis Primatus, atque ſuprema Juriſdictio in omnes, etiam Aſiaticas, Eccleſias ſecundo jam ſæculo exercita, manifeſtè colligitur, hîc, inquam, eſt Novatianus, ſuſpectæ fidei, mendax. Hîc obſtant alia mendacia, ne fides ei adhibeatur. Eſto: modicam eſſe Socratis auctoritatem, cùm primus aliquid narrat, ùt circa interceſſionem Paphnutii contigit. At ubi Euſebium, Epiphanium, aliósque bonos Scriptores, antiquiores ſe teſtes habet, momentum aliquod addere poteſt.

Neque propterea hîc contra eum excipere Natalis poteſt, quòd fuerit Novatianus; nam multi Novatiani in hac re conveniebant cum Romana Eccleſia: ùt patet ex teſtimonio Aceſii Novatiani Epiſcopi, quem ſub finem Concilii Nicæni ad Imperatorem Conſtantinum, ſic loquentem introducit ipſe Socrates lib. 1. cap. 10. *Nihil novi, ó Imperator, Concilium decrevit: nam antiquitus à primis Eccleſiæ jactis fundamentis, & ab Apoſtolorum temporibus idem tempus paſchâtis celebrandi accepi.* Non erat proin, cur Socrates in gratiam Novatianorum fingeret.

Probatur denique 5. ex S. Nicolao I. ſummo Pontifice, qui Epiſtola nona ad Michaëlem Imperatorem ſic ſcribit: *cùm Aſiani omnes inter cæteros, Evangeliſta Joanne Auctore, quartodecima luna cum Judæis putarent paſcha celebrandum: hos Præſul, meritis & nomine Victor, à communione collegii ſeparavit.*

At contra hunc etiam teſtem excipit Natalis, aítque, eum quævis laudare monumenta, quibus majeſtatem ſedis Apoſtolicæ tueatur. Citari ab ipſo quædam Apocrypha, ùt Synodum Romanam ſub Sylveſtro, actáque ipſa Sylveſtri, nec non acta Synodi Sinueſſanæ: quædam verò in contrarium omnino ſenſum ab eo intorqueri. Sicque, diſputationis æſtu abreptum, in Epiſtola, quæ contentioſa magìs ſit, quàm dogmatica, ſcripſiſſe, Aſianos à Victore excommunicatos fuiſſe, ut ſupremam ſedis Apoſtolicæ authoritatem demonſtret.

Verùm acerbior videtur hæc criſis, quàm mereatur Pontifex doctus ac ſanctus. Sit, Nicolaum citâſſe aliqua, quæ ſeveriore deinde criſi magìs eliquata, inter apocrypha hodie à pluribus reponantur. At tamen certè ex teſtimonio tanti viri habetur, ipſius etiamnum ætate viguiſſe traditionem, fundatam in antiquis ſcriptoribus de excommunicatione à Victore Aſianis intorta. Credibile planè non

non eſt, doctum adeò Pontificem, allegando falſum factum epiſtolam ſuam irriſioni & contemptui Græcorum objicere voluiſſe. Notandum etiam, quod Natalis alibi obſervat: ſi ex eo, quòd ſcriptor falſi aliquid admiſceat, nihil ampliùs ipſi credendum, omnes (exceptis Biblicis) hiſtorias delendas fore. Sed neque reliqua, quæ Natalis objecit, operoſum videtur ſolvere. Nam

Ad 1. Firmilianus non ſcripſit, propter controverſiam de paſchate non fuiſſe diſceſſum à pace, ſed non fuiſſe diſceſſum à pace *propter diverſitatem morum in aliis provinciis.* Sic enim habet: *in cæteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum & hominum diverſitate variantur, nec tamen propter hoc ab Eccleſiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando diſceſſum eſt.* Ecce! ultima verba non refert ad controverſiam de Paſchate, inter Romanos & Aſianos exortam, ſed ad varias alias diverſitates *in cæteris plurimis provinciis.* Accedit, quòd cùm pax inter Victorem & Aſianos brevi fuerit reducta, vix ab ea diſceſſum dici poſſit.

16. *Solvuntur ejus argumenta.*

Ad 2. Ex Euſebio, Hieronymo, & Photio habetur quidem, Victorem Aſianos à communione ſecludendos cenſuiſſe, ipsíſque cenſuram eſſe comminatum. Verùm non ſequitur, rem intra minas ſtetiſſe. Nam primò quidem excommunicationem eſt comminatus, cùm autem contumaciter reſiſterent, eandem re ipſa in illos vibravit. Ut apertè teſtatur Euſebius loc. cit. *univerſos proſcribit, & ab unitate Eccleſiæ alienos eſſe pronuntiat.*

Ad 3. veriſſimum eſt, quòd S. Irenæus, licèt ipſe cum tota fere Eccleſia Romanam conſuetudinem celebrandi Paſcha obſervaret, atque ſic Aſianorum morem reprobaret, Victorem Papam fuerit dehortatus, ne tot Eccleſias propter illam diverſitatem excommunicet. At nihilominus Victorem ad cenſuram proceſſiſſe, conſtat ex iis, quæ diximus. Mirum, quòd Natalis hìc abſurdum aliquod velit eruere; quaſi ex noſtra ſententia ſequeretur, quòd Irenæus poſt latam jam excommunicationis ſententiam Victorem dehortatus fuiſſet, ab ea ferenda. Quis enim adeò ineptit, ut hoc dicat. Antequam lata fuerat ſententia, Irenæus non eſt dehortatus. Et poſtquam lata fuerat, ut Aſianos rurſus abſolveret, eſt cohortatus. Sícque pacem Eccleſiæ conciliavit ſua interceſſione.

Ad 4. complures Pontifices, Victoris anteceſſores, conati fuerant Aſianis perſuadere, ut & ipſi legem Apoſtolorum Petri & Pauli, per conſtantem traditionem propagatam obſervarent, atque hac in re ſe conformarent Romanæ Eccleſiæ, omnium Eccleſiarum Matri & Magiſtræ (in qua, ùt ſcribit Irenæus *lib.* 3. *adverſ. hæres. cap.* 3.

cap. 3. perpetuo conſervata eſt integra, quæ ab Apoſtolis eſt, traditio. Et *ad quam Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam hoc eſt, eos, qui ſunt undique fideles.*)

In hac proin cauſa jam Anicetus laboraverat: Et Eleutherius Blaſtum, Romanæ Eccleſiæ Presbyterum, excommunicaverat, quòd doceret, paſchatis diem ſecundùm legem Moyſis determinandam. Victor verò Papa, cùm plurium conciliorum, in Oriente & Occidente ipſius juſſu eam ob cauſam celebratorum, unanime decretum accepiſſet, ſecundùm traditionem Romanam Petri & Pauli ab omnibus celebrandum eſſe paſcha, non diſſimulandum ampliùs duxit, ut ſoli Aſiæ minoris Epiſcopi ab univerſalis Eccleſiæ diſciplina in re tanti momenti diſſentirent. Quare ſæpiùs commonitos, minísque impulſos, cùm contumaces experiretur, tandem ex poteſtate, ſibi à Deo commiſſa, excommunicationis ſententia, ordinario adversùs Eccleſiæ rebelles remedio perculit.

Neque hanc non ſufficientem fuiſſe tantæ pœnæ cauſam quisquam dixerit, niſi ipſum etiam Oecumenicum Nicænum Concilium aut injuſtitiæ aut nimiæ ſeveritatis velit arguere. Illud enim pariter definivit illam quæſtionem: dum, approbata Eccleſiæ Romanæ traditione, ſecundùm ejus morem Paſcha celebrandum definivit, damnatis, qui contra niterentur: Verùm inde exurgit

§. III.

QUÆSTIO II.

Dogmatico-Critica.

An controverſia de tempore paſchatis ad fidem vel ad ſolam diſciplinam pertinuerit?

17. *Argumenta Natalis.* Natalis *loc. cit. art.* 5. docet, eam ad meram ſpectâſſe diſciplinam; 1. Quia quæſtio iſta erat de re, quæ in variis Eccleſiis variè obſervabatur. Ergo ſolam diſciplinam ſpectabat. Nam fides neceſſariò eadem eſt in omnibus Eccleſiis, nec poteſt mutari. 2 Niſi ad ſolam diſciplinam ſpectâſſet, S. Irenæus non fuiſſet dehortatus Victorem Papam à ferenda excommunicationis ſententia in Aſianos. 3. Addi poteſt, ea, quæ pertinent ad fidei dogmata, eſſe à Deo revelata. At, quo tempore Chriſtianis celebrandum ſit Paſcha, non eſt revelatum.

18. *Solvuntur diſtinctione.* Diſtinguendum ego cenſeo, dicendúmque, quæſtionem eam primitus ad ſolam diſciplinam ſpectâſſe, ex Apoſtolica traditione propagatam: poſtea verò etiam circa fidei dogma verſatam eſſe.

Pri-

Primam partem probant ea, quæ ex Natali retulimus. Eam verò disciplinam ab Apostolis promanâsse non tantùm Occidentales Ecclesiæ semper docuerunt, sed etiam multæ Orientales. Certè Concilium Palæstinum sub Theophilo Cæsareensi & Narcisso Jerosolymitano Episcopo congregatum asseruit, traditionem de Paschate die Dominico post 14. lunam celebrando ab Apostolis ad se gradatim esse deductam. Atque hinc Anicetus & Victor, Romani Pontifices tantopere urgebant, ut hanc disciplinam, ab Apostolorum Principe derivatam, omnes fideles amplecterentur. Eandémque postea Nicæni Patres lege lata confirmârunt.

Neque obstat, quòd Polycarpus, Polycrates, aliique Asiæ Episcopi contrariam traditionem à S. Joanne Apostolo acceperint. Nam licèt ille Pascha adhuc cum Judæis, secundùm legis Mosaicæ præscriptum celebrârit (sicut initio Christianæ Religionis plura alia illius antiquæ legis præcepta adhuc observabantur, ut faciliùs ad Christum converterentur Hebræi) nullam tamen circa hoc legem tulit, aut mandatum dedit: sed Asiani merum ejus exemplum sunt secuti. Contra verò S. Petrus legem tulisse traditur, non nisi Dominica, 14. lunam proximè sequente celebrandi Pascha. Licèt enim tale mandatum, ab Apostolis scriptum non habeatur, ùt ait Socrates l. 5. c. 21. non tamen est dubitandum voce, prædicatione, ac doctrina non scripta, ùt multa alia, illud datum esse.

Probanda jam altera pars, videlicet, postea etiam quæstionem fidei involutam esse. Nam postquam Romani Pontifices ac Nicænum deinde Concilium lege expressa præceperant, ut ab omnibus fidelibus Pascha celebretur eodem die secundùm traditionem Apostolicam Romanæ Ecclesiæ, quidam pertinaciter adhuc reluctabantur, asserentes, non esse in hac parte obediendum decretis Romani Episcopi, aut Nicæni Concilii, sed potiùs morem gerendum legi Mosaicæ, quam cum lege Evangelica conjungere volebant; dictique sunt isti *Quartodecimani*, quòd contenderent 14. luna cum Judæis agendum Pascha. 19. *Post definitionem involuta quæstio fidei.*

Hos autem Quartodecimanos hæreticis accensent S. Augustinus *lib. de hæres. cap.* 29. S. Epiphanius *hæres.* 50. Theodoretus *lib.* 3. *hæret. fabul. cap.* 4.

Et certè hæreticum est dicere, in rebus Ecclesiasticis ac spiritualibus non esse obediendum Summo Pontifici, & generali Concilio: Christianis observandas leges ceremoniales legis Mosaicæ (qualis erat lex de Paschate) ergo post Ecclesiæ definitionem, latámque legem universalem controversia illa non ampliùs versabatur circa

meram

meram disciplinam; sed involvebat etiam quæstionem dogmaticam, an in causa celebrandi paschatis obediendum Summo Pontifici & generali Concilio? an leges ceremoniales veteris Testamenti præferendæ legibus Ecclesiæ Christianæ? quæ planè sunt quæstiones, ad fidem pertinentes.

Atque ex his facilè solvuntur ea, quæ Natalis contra hanc propositionis nostræ partem objecit. Nam

20. *Ad argumentum Natalis.* Ad 1. post Ecclesiæ definitionem à fidelibus in hac re non ampliùs variabatur. Sed qui obedire detrectaverant, alieni ab Ecclesia sunt habiti. Variabatur autem, quamdiu res ista solam disciplinam spectabat.

Ad 2. Polycrates, ejúsque asseclæ consuetudinem suam non fundabant in lege ceremoniali Mosaica, sed in exemplo S. Joannis. Neque dicebant (sicut postea quartodecimani) non esse obediendum Ecclesiæ. Neque damnabant morem Romanæ Ecclesiæ, sed tantùm putabant, ritum istum, ad solam disciplinam spectantem, relinquendum secundùm cujuslibet Ecclesiæ consuetudinem. Unde non erant hæretici.

Atque hinc neque est, quòd ex hac Asianorum renitentia arguant hæretici, eos non agnovisse *Primatum* & infallibilitatem summi Pontificis: aliàs, cùm essent viri probi, haud dubiè eidem promptе fuisse gesturos morem. Nam cum reliquis Orientalibus agnoscebant Primatum Romani Pontificis; & hinc ipsi etiam ad mandatum ejusdem congregârunt Synodum. Agnoscebant etiam illius infallibilitatem in quæstionibus dogmaticis fidei. Sed quia existimabant, hanc de paschate controversiam ad solam disciplinam spectare: ultrà, quàm fas erat, moris sui antiqui retinentes, se opponebant: adeò quidem, ut peccaminosa sua inobedientia & pertinacia excommunicari sint meriti. Aliud est, obediendum esse agnoscere, aliud obedire. Obediendum Divinis præceptis omnes fatemur, non tamen omnes obedimus.

Ad 2. Irenæus, quamvis eorum contumaciam improbaret, putabat tamen, ad evitanda majora, quæ timebat mala, non cum tanto rigore esse plectendos.

Ad 3. Quamvis non habeamus revelationem Divinam de tempore celebrandi Paschatis, & hinc ea res secundùm se spectata, tantùm ad Ecclesiæ disciplinam pertineat; tamen cùm posteà quidam *Nazaræorum* hæresin excitare vellent, dicerént que, observandam legem Mosaicam, Ecclesiæ verò legibus non esse obediendum, contra veritates à Deo revelatas insurgebant, erantque hæretici. Atque

que hanc ob causam controversia cum Quartodecimanis non amplius meram disciplinam spectabat, sed etiam doctrinam fidei.

Quæres, quid sentiendum de Scotis & Britonibus, qui ab anno 566. ad annum 716. in eo versati sunt errore, ut semper quidem die Dominica celebrarent pascha, sed tamen etiam ea die Dominica, quæ inciderat in 14. lunam. Quod ultimum erat contra Decretum Nicænum: an etiam isti Quartodecimanis hæreticis sunt accensendi? 22. *Quid de Scotis & Britonibus?*

Respondetur. Multi ex illa gente videntur potiùs ex ignorantia & simplicitate tunc aberrâsse, quam ex malitia, ac pertinacia: ùt testatur venerabilis Beda *lib.* 3. *Hist. Eccles. Anglorum cap.* 25. ubi ita scribit: *Unde & illos Dei famulos, ac Deo dilectos esse non nego, qui simplicitate rustica, sed intentione pia, Deum dilexerunt. Neque illis multùm obesse paschæ talem reor observantiam, quamdiu nullus advenerat, qui eis instituti perfectioris decreta, quæ sequerentur, ostenderet. Quos utique credo, si quis tunc ad eos Catholicus calculator adveniret, sic ejus monita fuisse secuturos, quomoda ea, quæ noverant, ac didicerant, Dei mandata, probantur fuisse secuti.*

Et cap. 4. scribit: *Sciebant enim ùt Christiani, resurrectionem Dominicam, quæ prima Sabbati facta est, prima Sabbati semper esse celebrandam, sed ùt barbari & rustici, quando eadem prima Sabbati, quæ nunc Dominica dies cognominatur, veniret, minimè didicerant.* Cùm igitur multorum error ex simplicitate & ignorantia computi Ecclesiastici profluxerit, non erant hæretici: quia neque resistebant agnitæ veritati, neque pertinaces dici possunt.

Dixi autem, multos ex ea gente fuisse innocentes; nam aliquos fuisse culpæ obnoxios & contumaces, non est dubitandum: præsertim ubi eorum Doctores & Episcopi S. Augustino Anglorum Apostolo, ipsos ad communem Ecclesiæ disciplinam reducere conanti, adeò pertinaciter restiterunt, ut nec miraculis ab erroneo suo ritu avocari potuerint. Et hinc Joannes IV. Papa, ùt refert Beda lib. 2. cap. 19. ad Scotos scripsit: *Reperimus quosdam, contra orthodoxam fidem, novam ex veteri hæresin renovare conantes, pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, nebulosa caligine, refutantes, & quarta decima luna cum Hebræis celebrare nitentes.*

CAPUT III.

De Conciliis SÆCULI III.

Præsertim de Iteratione Baptismi & Pœnitentia Lapsorum.

Pressa adhuc immanibus tyrannorum persecutionibus Ecclesia, pauca admodum Concilia congregari poterant. Duæ tamen & hanc Ecclesiæ ætatem gravissimæ controversiæ memorabilem faciunt. Altera sanctos inter magnósque viros Stephanum I. summum Pontificem, & Cyprianum, Carthaginensem Archiepiscopum, totiúsque Africæ Primatem, gloriosum deinde utrumque pro Christi fide Martyrem, exorta, *an Baptismus, ab hæreticis collatus, ratus esse debeat*, an verò eo invalido declarato, Baptismus reiterari, aut potiùs de novo conferri debeat. Altera circa usum *Pœnitentiæ Publicæ*, hoc sæculo, occasione eorum, qui in persecutionibus lapsi fuerant, solenniter introductum, versabatur. Utraque ad Jurisprudentiam Ecclesiasticam, quæ peculiares habet titulus *de Baptismo non iterando*, atque *de pœnitentiis & remissionibus*, quàm maximè spectat, pluribúsque Conciliis causam dedit.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I.

Concilia de Iteratione Baptismi.

1. *Error Tertulliani, Agrippini, ac præsertim Cypriani circa iterationem Baptismi.*
2. *Tria* Carthaginensia Cypriani Concilia *ad hunc errorem stabiliendum, contra S. Stephanum I. Romanum Pontificem.*
3. *Concilium* Iconiense & Synodense *in Asia ad eundem finem.*
4. *Observatio de auctoritate & infallibilitate summi Pontificis, cujus sententia contra tot Concilia obtinuit veritatem & orbis assensum.*

ARTICULUS II.

Concilia de pœnitentiis & remissionibus.

5. *Lapsi* Thurificati, Sacrificati, Libellatici, Traditores.
6. *Descriptio Pœnitentiæ Publicæ solennis.*

7. Li-

ARTICULUS III.

De Concilio Eliberitano.

ARTICULUS IV.

De rigore pœnitentiæ sæculo tertio.

§. I.

20. An pœnitentiam ad mortem differentibus fuerit negata absolutio ?

§. II.

An absolutio data fuerit post satisfactionem?

tam fuisse primùm post satisfactionem.

32. *Solvuntur.*

33. *Data, Canonicorum criminum reis, gemina absolutio: prima Sacramentalis, etiam ante satisfactionem: altera Canonica pro foro externo post peractam satisfactionem seu pœnitentiam publicam.*

34. *Probatur ex Sozomeno, Conciliis.*

35. *Quibus neganda vel differenda absolutio Sacramentalis?*

§. III.

36. An peccata occulta necessariò expiari debuerint pœnitentia publica?

37. *Conclusio negativa, contra Natalem &c.*

38. *Probatur ex Conciliis, & Patribus.*

39. *Argumenta Albaspinæi pro affirmativa solvuntur.*

§. IV.

Quo tempore in Ecclesia cœptus finitúsque ritus pœnitentiæ publicæ?

40. *Benignitas sæculi primi & medii secundi.*

41. *Rigor temporatus post Montanistas.*

42. *Major post Novatianos.*

43. *Officium Pœnitentiarii Constantinopolitani.*

44. *Finis pœnitentiæ publicæ in Oriente.*

45. *In Occidente.*

§. V.

46. An relapsi rursus fuerint admissi ad pœnitentiam?

47. *Pœnitentia publica tantùm semel peracta.*

48. *Relapsis negata communio usque ad mortem.*

49. *Concessa tamen pœnitentia privata Sacramentalis.*

50. *Natalis Argumenta.*

51. *Solvuntur.*

52. *Probarent nimium.*

53. *Mens Patrum expenditur.*

ARTICULUS V.

Resolvuntur quæstiones aliquot criticæ circa controversiam de Baptismo hæreticorum.

54. *An Cyprianus & Firmilianus à Stephano Papa fuerint excommunicati?*

55. *Proponitur sententia Natalis negativa.*

56. *Baronii affirmativa.*

57. Eli-

ARTICULUS I.

De Iteratione Baptismi.

Sæculum tertium exercuit duplex magna in Ecclesia controversia: an iterandum sit baptisma ab hæreticis collatum, & quomodo recipiendi sint lapsi ad Ecclesiam redeuntes? prior initium sumpsit in Africa à *Tertulliano:* qui cùm adhuc esset Catholicus nihil cum hæreticis, ne quidem baptisma, commune habere voluit: ut adeò baptizatos ab hæreticis in Ecclesiam suscipiendos negaret, nisi iterato baptismo. 1. *Tertulliani.*

Sub annum deinde 225. tempore Zephyrini Papæ *Agrippinus* Carthaginensis Episcopus convocato ex Africa & Numidia *Concilio* definivit, baptismum ab hæreticis collatum esse iterandum: eò quòd nullum sit baptisma extra Ecclesiam. Recruduit ea controversia multò vehementiùs anno 258. *Stephano I.* Pontifice: & quod mirum, inter viros sanctos. Nam *Cyprianus* Carthaginensis Episcopus, cùm in Africa variarent sententiæ de valore baptismi ab hæreticis collati, congregata *Carthagine Nationali Synodo*, cum Patribus Africanis decidit, unum esse in Ecclesia Baptismum, adeóque foris baptizatos rebaptizandos esse. Idémque decretum convocata altera à Cypriano 71. Episcoporum ex *Africa & Numidia Synodo* fuit confirmatum. *Agrippini.* *Cypriani.* 2. *Ejus Concilia Carthaginensia.*

Cùm autem Stephanus Papa Synodos istas reprobâsset, mandâssétque, ut nihil innovaretur, sed starent traditione Apostolica de non iterando hæreticorum baptismate, modò debita materia & forma utantur; Cyprianus, necdum acquiescens, novum ídque numerosius, ex Africa, Numidia & Mauritania *Concilium* 87. *Episcoporum* collegit Quod pariter Carthagine congregatum iterum definivit, baptismum ab hæreticis collatum esse irritum, ac proin *Contra Steph. I.*

accedentes ad Ecclesiam Catholicam genuino baptismo initiandos. Mirum! quot & quàm vehementes hac super re ultro citróque sint scriptæ epistolæ, præsertim à Cypriano ad Stephanum Papam, ad Pompejum, ad Jubaianum, ad Firmilianum &c. manente tamen unione fidei, eò quòd hæc controversia tunc temporis necdum satìs in Ecclesia esset definita.

3. *Concilium Iconiense.* Sed neque in Africa stetit ea contentio. In Asiam etiam grassata turbas concivit. Eodem namque Anno 258. quo prædicta tria *Carthaginensia Concilia* sub Cypriano sunt habita, occasione Cataphrygum hæresis *Iconii* in Phrygia celebratum est *Concilium*, convocatis ex Cappadocia, Galatia ac Cilicia &c. Episcopis. Ventilata eadem quæstio, decisúmque à Synodo, non tantùm baptismum, sed etiam Ordines, & quidquid sacrum ab hæreticis esset collatum, cassum omnino esse atque invalidum. Idémque in *Synadensi Concilio* est confirmatum. *Et Synadense.*

Stephanus Papa non tantùm reprobavit hæc Concilia tanquam erronea, & cum traditione Apostolica pugnantia, sed eos etiam, qui subscripserant, communione sua privavit (comminatum tantùm scribit du Mesnil, dehortante eum ab excommunicatione Dionysio Alexandrino) ne quidem admissi eorum legati, qui Romam venerant, ut gestorum rationem reddant. Exstat hac de re *Firmiliani* Cæsareæ in Cappadocia Episcopi vehemens ad Cyprianum epistola, ira in Stephanum Papam & querelis plena. Si tamen illa sit genuina Firmiliani epistola, & non potiùs supposititia aut corrupta, utpote quam ignoravit Augustinus, & primùm *Morellus* Calvinista, nescio unde, produxit. Certè acerbior & mordacior illa est, quàm ut Firmiliani, viri sancti, probitatem & modestiam redoleat. Scribit Firmilianus inter alia, in Asia morem esse rebaptizandi baptizatos ab hæreticis. Verùm hoc contigit, quia Orientales hæretici, ùt Marcionitæ, Valentiniani, Ophitæ, Carpocratiani, Cataphryges &c. baptismi substantiam corruperant.

4. *Observatio de auctoritate Romani Pontificis.* Advertere autem ex his licet tum *authoritatem* Romani Pontificis, tum *infallibilitatem*: authoritatem quidem; quia tandem in orbe universo Christiano ejus obtinuit sententia, licèt numerosa in Africa, & Asia Concilia tenerent oppositam: infallibilitatem autem, quia veritatem assecutus est, à Conciliis deinceps etiam Generalibus confirmatam, atque usu perpetuo totius Ecclesiæ in hanc usque diem comprobatam, adeò quidem, ut hodie nemo prudens de illa ampliùs ambigat; luculento argumento assistentis Numinis, semper vigilantis, semper providi. Unde non nisi se ipsos impetunt

Secta-

Sectarii, qui illam Cypriani, & Firmiliani contentionem cum Papa Stephano, sancto & glorioso deinde Martyre, nobis objiciunt. Evicit, ùt in controversia illa de Paschate, sic etiam in ista de baptismo, Romani Pontificis sententia, ita quidem, ut etiam ipsi Protetes illam utramque & veram fateantur, & usu comprobent.

Patet ex his, quod art. 1. probavimus Concilia etiam Nationalia, ùt ùt numerosa, errare posse, si à Sede Apostolica non approbentur. Cæterùm contentiones illas, Christianorum inter se, compressit insecuta mox Valeriani persecutio, quæ non tantùm Romæ Stephanum Papam, Sixtum & Laurentium; sed etiam in Africa Cyprianum cum pluribus ex iis Episcopis, qui memoratis Conciliis subscripserant, glorioso martyrio coronavit, abluente sanguine, si quam maculam obsistendi pertinacia asperserat.

ARTICULUS II.

Concilia de Pœnitentiis, & Remissionibus.

Altera quæstio celebris Sæculi III. erat de *lapsis* in persecutione, an & qua ratione recipiendi sint ad Ecclesiam? Erant autem lapsorum alii *thurificati*, qui idolis thus adoleverunt. Alii *sacrificati*, qui quacunque ratione idolis sacrificium obtulerant. Alii *libellatici*, qui privatim fidem negantes, ne publicè ad cultum Idolorum trahantur, oblata pecunia à tyrannis libellos obtinuerant, quibus securitas eis fuerat promissa. Alii denique *traditores*, qui post Diocletiani impium edictum metu persecutionis vasa sacra, aut sacros libros, aut catalogum, quo descripta erant Christianorum nomina, tradiderant. Porro lapsis, ubi in Ecclesiam rursus recipi petierunt, pœnitentia canonica ac publica fuit subeunda, & quidem aliquando in quatuor stationibus, seu gradibus, per quos ad reconciliationem cum Ecclesia erat eluctandum *Lapsi varii.*

Prima erat statio *fletus* seu *flentium*, in qua consistentes lapsi necdum poterant templum ingredi, sed præ foribus stantes sordidi, fletu debebant implorare ingredientium pro se preces. 6. *Pœnitentia publica.*

Altera statio erat *Auditionis*, seu *Audientium*, qui intra fores Ecclesiæ lectionem sacram & concionem audire poterant: ab aliis sacris exclusi.

Tertia *Prostrationis*, seu *Prostratorum*, qui intimiùs in Ecclesiam admissi prostrati ad pedes Episcopi benedictionem & manus impositionem exorabant. Poterántque interesse orationibus etiam, necdun tamen sacrificio Missæ.

Quar-

Quarta *Consistentiæ*, seu *Consistentium*, qui etiam Missæ cum fidelibus interesse poterant, non tamen ad sacram communionem accedere.

Tandem sequebatur *Exomolegesis*, seu Confessio, primò quidem *privata* & sacramentalis, dein verò *publica*, non sacramentalis, publica nempe peccati publici confessio & detestatio, facta coram Episcopo, vel Presbytero; vel etiam, illis absentibus, coram Diacono. Et hæc, accepta ab Episcopo absolutione, erat pœnitentis ultima & perfecta reconciliatio cum Ecclesia, ut adeò etiam ad SS. Evcharistiæ Sacramentum potuerit accedere.

Porro solennis ille pœnitentiæ publicæ ordo inter multiplices *manuum impositiones* contigit. Nam in quolibet transitu ab una statione ad alteram Episcopus super pœnitentes manus imponebat.

7. *Libellum Martyrum.* Cæterùm hoc pœnitentiæ publicæ tempus sæpiùs abbreviabatur propter *Pacificos Martyrum Libellos*, seu *litteras Confessarias*, quas *Confessores* in carceribus detenti, & ad Martyrium destinati, per Diaconos, ad eos in carceribus invisentes, Episcopis offerre solebant, ac rogabant, ut quibusdam publicè pœnitentibus, quos nominabant, indulgeatur, seu cœptæ pœnitentiæ, juxta Canonum rigorem peragendæ, partem relaxarent, & pacem ac communionem darent. Quod in venerationem Martyrum faciebant Episcopi, ad eum ferè modum, quo S. Paulus ad preces Corinthiorum incestuoso illi Corinthio residuam satisfactionem & pœnitentiam indulsit, ac relaxavit. 2. *Cor.* 2. quo *Indulgentiarum* potestas & usus manifestè comprobatur.

Quia tamen per ejusmodi libellorum usum aliqui abusus irrumpebant. Dum per frequentiam libellorum disciplina infringebatur, eorúmque spe plures metu persecutionis fidem negabant, ac simplices putabant, non ab Episcopis, sed à Martyribus pacem dari; ideo adhibitum in hac re moderamen, & datæ ab Episcopis litteræ *Communicatoriæ*, ut constaret, lapsos ab ipsis Episcopis admitti ad communionem per intercessionem Martyrum.

8. *Communio multiplex.* Multiplex autem apud antiquos fuit *Communio*, cujus notio necessaria est ad intelligendos SS. Canones.

Prima Communio dicebatur *Ecclesiastica*, eáque in tot species subdivisa, quot sunt gradus sacrorum Ordinum; nam si Episcopus redigebatur propter aliquod crimen ad Presbyterorum Ordinem, dicebatur privari communione Episcopali, & redactus ad communionem Presbyterorum: quia scilicet privatus juribus, officiis & functionibus Episcopalibus, sola Presbyterorum officia obire pote-

poterat. Eodem modo Sacerdotes privabantur communione Presbyterorum, & redigebantur ad communionem Diaconorum. Et hæc vocabatur Communio *Peregrina*. Quando verò omnibus officiis, & functionibus Clericalibus privabatur, dicebatur redigi ad communionem *laicam:* hoc est ad ea, quæ laicis sunt propria.

Alia Communio erat *Eulogica*. Mittebantur enim ab Ecclesia matrice solennissimis diebus *Eulogiæ*, seu benedictiones, Ecclesiis Parochialibus subjectis & fidelibus, ac potissimùm panis benedictus, tanquam signum unionis & communionis cum Episcopo, tanquam capite, ac membrorum inter se.

Ejusmodi communio inter primos Christianos erat etiam *Agapica*. Erat enim *Agape* convivium seu cœna omnibus communis, ad demonstrandam unionem & charitatem Christianam, festis quibusdam præcipuis in Ecclesia fieri solita: primitus quidem ante communionem Evcharisticam, ad imitationem Cœnæ Christi. Deinde verò, ùt SS. Evcharistia majori cum reverentia sumeretur à jejunis, post sumptam Evcharistiam instituebatur convivium Agapicum.

Quia tamen hæc res in abusus degeneravit, de quibus jam S. Paulus 1. Cor. 11. conqueritur: *alius quidem esurit* (quia pauperibus nihil ampliùs dabatur) *alius autem ebrius est* (ex abusu illius convivii agapici) ideo ritus ille est abrogatus à pluribus Conciliis.

Hæc breviter prænotare placuit, ad intelligendos varios canones pœnitentiales, quibus *lapsi* variis communionibus privabantur, & ad pœnitentiam publicam adstringebantur.

Complura autem circa lapsos *Concilia* sunt celebrata, præsertim circa medium Sæculi III. Nam anno 252. & sequente, cùm in persecutione Deciana multi fuissent lapsi, duo *Romæ* sunt habita. In priore, sede vacante, post obitum Fabiani, Episcopi Romæ vi- 9.
cini responderunt ad litteras Cypriani (qui judicium Romanæ Eccle *Concilia.*
siæ circa lapsos exquisierat) infirmos & de vita periclitantes prævia confessione esse recipiendos. Circa alios lapsos exspectandum judicium Papæ. Moderamen tamen suaserunt.

Cùm deinde S. Cyprianus in Concilio *Carthaginensi* decrevisset, ut lapsi extra casum urgentis necessitatis ad Ecclesiæ communionem non admittantur ante impletum tempus pœnitentiæ, & satisfactionis: atque à Cornelio Papa rogâsset sententiam, ille in altera Romana Synodò, hac in causa celebrata, confirmavit decretum Concilii Carthaginensis: videlicet, lapsos admittendos quidem ad

pœnitentiam, non tamen ad communionem Ecclesiæ ante expletum tempus satisfactionis: additúmque, ut Sacerdotes lapsi peracta pœnitentia ad Ecclesiam recipiantur, sed à *presbyterali* communione ad laicam redigantur.

10. *Novatianus.* Conciliis hujusmodi pluribus occasionem dedit geminus error, extremè oppositus. Alter erat *Novatiani*, Presbyteri Romani, primi Anti-Papæ, qui adversùs Cornelium, legitimè electum, se intrusit. Hic ut Cornelium exosum redderet, ejus erga lapsos facilitatem accusans docuit, lapsos non esse recipiendos, quantamcunque pœnitentiam & satisfactionem præstiterint: additis aliis etiam erroribus ac hæresibus: ùt de rebaptizandis hæreticis, secundis nuptiis &c.

Et Novatus. Socium Novatianus habuit *Novatum* Carthaginensem Presbyterum propter scelera ex Africa Romam profugum, qui schisma Novatiani strenuè promovit: & licèt in Africa, ut S. Cyprianum apud lapsos, (qui absque pœnitentia ad Ecclesiam denuo admitti vehementer urgebant) in invidiam vocaret, docuisset, lapsis omnibus, etiam ante præstitam satisfactionem, dandam esse pacem & communionem; tamen cùm Romam venisset, ut Cornelio Papæ ægrè faceret, extremè oppositam Novatiani sententiam defendit.

11. *Felicissimus.* *Felicissimus* pariter Africanus Presbyter, infensus S. Cypriano, à Novato impulsus, cum quinque aliis Presbyteris schisma conflat (*Fortunato*, uno ex illis quinque schismaticis creato pseudo-Episcopo) atque ut Cypriani disciplinam, velut austeram nimis traduceret, & lapsos, quorum plurimi erant, præsertim in Africa, in suas adversus Cyprianum partes perduceret, docuit disciplinam Novatiano errori extremè oppositam, nempe lapsos indiscriminatim omnes abque pœnitentia recipiendos esse in Ecclesiam, ac communioni restituendos: id quod lapsi importunè extorquere
12. *Concilia.* nitebantur. S. Cyprianus, excommunicato Felicissimo cum suis schismaticis, novam *Carthaginem* indicit *Synodum* anno 255. in qua idem, quod in prioribus conciliis, decretum; mediâ nempe in causa lapsorum incedendum viâ: lapsis rogantibus dandam pacem & communionem, sed post expletum tempus pœnitentiæ, nisi mortis periculum, aut instans tyrannica persecutio exigat pœnitentiæ relaxationem. Et hæc disciplina passim in aliis etiam orbis partibus obtinuit.

Accidit deinde, ut duo Hispani Episcopi, quia lapsi erant *Libellatici*, fuerint depositi, substitutis in eorum locum novis Episcopis.

pis. Cúmque illi, poſtquam perſecutionis procella deferbuerat, petiiſſent reſtitui, res ad Eccleſiam Africanam delata eſt, quæ *Concilio collecto* depoſitionem Libellaticorum comprobavit, confirmante Hiſpanorum & Afrorum ſententiam ſede Apoſtolica.

Anno 263. celebratum eſt *Concilium Romanum* ſub Dionyſio Papa, in cauſa *Dionyſii Alexandrini* de hæreſi à Pentapolitanis accuſati. Nam cùm hoc tempore *Sabellius*, in Libya natus, Myſterium SS. Trinitatis peſtifera doctrina invadens, Perſonarum Trinitatem ac diſtinctionem negaret, Dionyſius Alexandrinus adversùs hunc ſubditum ſuum ita ſcripſit, ut Pentapolitanis videretur non tantùm Perſonarum ſed etiam Naturarum Trinitatem aſſerere, filiúmque Patri conſubſtantialem negare. Accuſatus proin Romæ, apologeticis quatuor libris & Epiſtola ad Pontificem miſſa, ita ſe purgavit, ut ab eo ac Concilio Romano fuerit abſolutus. 13. *Cauſa Dionyſii Alexandrini.*

Concilium Antiochenum, in Jure Canonico *cap. de libellis* 1. *Diſt.* 20. à Leone IV. Pontifice ſpecialiter approbatum, ſub medium tertii ſæculi celebratum eſt, in cauſa *Pauli Samoſateni*, Epiſcopi Antiocheni, qui docuit, Chriſtum purum eſſe hominem: ante Virginem Mariam non exſtitiſſe: nomen Filii Dei ex bonis ſuis operibus accepiſſe &c. 14. *Antiochenum.*

Cúmque Concilium ex eo quæreret, de Divinitate Filii Dei quid ſentiret? pœnitentiam ſimulans, hæreſin abjuravit, & orthodoxam fidem profeſſus eſt. *Dionyſius Alexandrinus*, de quo paulò antè facta eſt mentio, cùm ob corporis infirmitatem comparere in hoc Concilio non poſſet, pulcherrimam ſcripſit Epiſtolam, in qua omnes Samoſateni objectiones doctiſſimè ſolvit.

Sed poſtmodum miſer ille reverſus ad vomitum, hæreſin ſuam renovavit. Quare Epiſcopi (inter quos S. Gregorius Thavmaturgus) anno Domini 272. altera Synodo, Antiochiæ habita, eum, de hæreſi & perverſis moribus convictum, atque damnatum, Epiſcopatu moverunt; ſuffecto in ejus locum Domno.

Epiſtolam dein Synodicam ad Dionyſium Romanum Pontificem miſerunt, de Divina Chriſti natura, & conſubſtantialitate Verbi cum Patre. Cùm autem Paulus Samoſatenus è domo Epiſcopi nollet excedere, ab Aureliano Imperatore, quamvis ethnico, poſtquam is Romani etiam Epiſcopi ſententiam intellexiſſet, eſt expulſus.

Nota. Patres Antiocheni hîc non definierunt novum aliquem Articulum fidei (quod Concilia Particularia facere non possunt) sed de Divinitate Christi ea statuerunt, quæ jam aliàs satis erant definita, ac hæreticum manifestum, tanquam lupum ab ovili Christi depulerunt.

ARTICULUS III.

De Concilio Eliberitano.

Famosum in causa lapsorum est Concilium *Eliberitanum*, (quidam *Illiberitanum* scribunt, alii *Eliberinum*) in Hispania Bætica celebratum circa annum 305. Marcello Pontifice & Constantio Chloro & Galerio Imperatoribus, à 19. Episcopis Hispaniæ: quos inter Osius Cordubensis. (Quidam plures fuisse existimant) conditi 81. Canones, plerique de *Pœnitentiis & Remissionibus*, & quidem admodum severi, qui aliquibus favere videntur Novatianis & Montanistis.

15. *Negat lapsis communionem.* Nam Canone 1. & 2. etiam in fine vitæ interdicitur communio iis, qui post baptismum lapsi sunt in idololatriam. In can. 5. illi, qui maleficio alterum occiderit. In 7. illi, qui accepta pœnitentia denuo fuerit fornicatus. In 8. fæminæ, quæ relicto marito se copulaverit alteri. In 12. lenonibus. In 17. desponsanti filiam idolorum Sacerdoti. Clericis tempore sacri Ministerii mæchantibus. In 63. adulteræ fœtum occidenti. In 66. ducenti privignam. In 71 stupratoribus puerorum. In 75. appetenti Clericum falsis criminibus. His inquam omnibus communio etiam in fine vitæ neganda decernitur.

Verùm Concilium istud per *communionem* non intelligit absolutionem à peccatis, ùt quidam interpretabantur, sed Evcharistiam, quam quibusdam peccatoribus illis persecutionum temporibus negandam putavit, ut alios absterreat. Contra verò Novatiani, Montanistæ, & Cathaphryges, non tantùm Evcharistiam sed omnem reconciliationem pœnitentibus moribundis denegabant, & quidem ex desperatione veniæ.

16. *Mitigatus rigor.* Sed illam, quamvis clementiorem Novatianâ, rigidiorem tamen adhuc justô Concilii hujus disciplinam mox mitigârunt celebrata paulò post Concilia, ùt Ancyranum can. 6. Nicænum can. 12. Agathense can. 11 unde Innocentius I. in Epistola ad Exuperium Tolosanum Episcopum scripsit: *Observatio prior durior, posterior*

ſterior interveniente miſericordia inclinatior eſt. Nam prior conſuetudo tenuit, ut concederetur pœnitentia, ſed communio negaretur &c. & duriorem eſſe remiſſionem fecit temporis ratio. Sed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis reddidit, jam depulſo terrore communionem dari obeuntibus placuit.

Alii duo Canones habentur in hoc Concilio Eliberitano, quibus mirè exultant, nobíſque inſultant hodierni ſectarii. Prior eſt 34. qui ita habet: *Cereos placuit per diem in cœmeterio non accendi: inquietandi enim ſanctorum Spiritus non ſunt.* Nam hoc Canone cum Vigilantio abutuntur ad improbandum uſum accenſis ceteris funera ad cœmeterium comitandi. 17. *Canon de accenſis cereis vindicatur.*

Verùm Concilium non prohibet omnem uſum cereorum, ſed tantùm ſuperſtitioſum, ac ritu gentilium factum, ad inquietandos per magiam ſanctorum ſpiritus; id eſt, ad animas evocandas, gentilitio & magico ritu. Hunc enim fuiſſe gentilium morem, teſtantur Svetonius in vita Neronis, & Plinius lib. 3. cap. 2. Deinde gentiles putabant, defunctos indigere lumine: hinc etiam tumulis accenſas lucernas includebant, cujusmodi etiamnum ad effoſſas eorum urnas dicuntur inveniri. Hanc igitur ſuperſtitionem, inter quosdam Chriſtianos, à gentilitate converſos, adhuc vigentem Concilium prohibet, tanquam diſplicentem ſpiritibus ſeu animabus ſanctorum. Poſt abolitas autem ſuperſtitiones gentilium fideles Chriſtiano more funera proſecuti ſunt ad ſepulturam cereis accenſis, ad ſignificandam lucem æternam, quam fideles defunctis precantur.

Sic S. Gregorius Nyſſenus in vita Macrinæ ſororis teſtatur, Clericos funus ejusdem comitatos eſſe geſtatis manu accenſis cereis. Et S. Hieronymus ſcribit, ad funus S. Paulæ multos Clericos & Monachos cum accenſis cereis conveniſſe.

Si autem quærat aliquis, antiquiſſimorum rituum, ac ceremoniarum contemptor, cur pleno meridie accendamus in Eccleſiis lumina? reſpondet idem S. Hieronymus *in Epiſt. ad Riparium*, ea accendi *non ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum, in honorem Chriſti & Martyrum.* Quam piam conſuetudinem deriſit quidem Vigilantius Hæreſiarcha, ſed tanquam laudabilem ac retinendam propugnârunt adversùs eum S. Hieronymus, S. Ambroſius, aliíque ſancti Eccleſiæ Patres.

Alter famoſus Canon eſt ordine 36. quem Præcones præſertim Tigurini nobis objiciunt. Is ita ſonat: *placuit, picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne, quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* 18. *Item Canon de*

Imaginibus. *tur*. Verùm hic Canon non favet Iconomachis, non enim absolutè prohibet imagines, sed tantùm, ne in parietibus Ecclesiæ depingantur. Cujus prohibitionis variæ potuerunt esse causæ, pro illo præsertim tempore. Nam tunc adhuc sæviebat Galerii persecutio. Vetat igitur Concilium imagines parietibus appingi, ne Judæis & Gentilibus essent ludibrio, & exponerentur eorum contumeliæ. Quod periculum non erat circa imagines, in tabulis appensas, aut per statuas repræsentatas, quæ ingruente persecutionis procella subduci & occultari poterant. Hanc rationem affert Nicolaus Sanderus *lib.* 2. *de cultu imag. cap.* 4. Ubi alteram etiam rationem addit: quia scilicet tunc periculum fuerit, ne existimarent gentiles, à Christianis adorari ligna & lapides, in quibus depictas videbant imagines. Et fortassis, ùt existimat Alanus Copus *in Dialog. lib.* 5. *cap.* 16. Christiani recens à gentilitate conversi imagines illas adorabant tanquam Deos, uti gentiles sua idola. Similem ferme rationem affert Alexander Natalis *Dissert.* 21 *in Hist. Eccles. Sæculi IV.* Illiberitanos Patres prohibuisse re vera usum imaginum, non quòd colendas eas esse negarent, cùm earum cultum supponat potiùs quàm evertat laudatus Canon, sed quòd earum usus Christianæ Religioni primis illius Sæculis noxius magìs, quàm utilis futurus esset, si in omnibus Ecclesiis invaluisset: existimâssent enim ethnici, Christianos idola magìs mutâsse, quàm reliquisse. Ita Natalis. Qui dein fusè conatur probare, primis tribus Sæculis vix ullum fuisse in Ecclesia usum imaginum; ídque ex silentio Ethnicorum evinci putat; qui non omisissent argumentum, contra idola sua allatum, in Christianorum imagines detorquere.

Tertiam rationem cum aliis affert Bellarminus *de Imag. cap.* 9. Nempe, imagines non esse parietibus appingendas, quia in parietibus facillimè corrumpuntur vel humore, vel decrustatione parietum, vel alia ratione, sícque magìs exponerentur ludibrio, quàm venerationi. Propter quam rationem Justinianus Imperator olim ex Theodosio & Valentiniano, ùt habetur *leg. unic. Cùm sit nobis Cod.* dixit: *Signum Salvatoris Christi nemini licere vel in Solo, vel in Silice, vel in marmoribus humi positis insculpere vel pingere.* Ne videlicet conculcetur, aut conspuatur ab iis, qui in loco sacro conveniunt. Idem posteà statuit Synodus Trullana, addita hac ratione, ne incedentium conculcatione Victoriæ trophæum injuria afficiatur.

Taceo, quòd hoc Concilium 19. tantùm Episcoporum sit provinciale, nunquam confirmatum; quod utique prævalere non debet

bet Concilio Oecumenico Nicæno II. tótque aliis, quæ, totius antiquitatis insistentia vestigiis, decreverunt, imagines Christi ac Sanctorum laudabiliter collocari in templis, ac congruæ fidelium venerationi exponi.

At sit venerabile, sit antiquissimum hoc Concilium, prout prædicant Protestantes: cur illius decretis non stant? Multos, ùt ùt pœnitentes, in perpetuum Communione excludit, ùt ostensum. *Can.* 22. præcipit jejunium omnibus Sabbatis. *Can.* 33 prohibet usum uxorum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis. Cur non observant *Venerabile* hoc & *antiquissimum* Concilium? habent hoc isti homines, quando in aliquo Concilio vel S. Patre aliquid inveniunt, quod ad suas novitates putant pertrahi posse, mox altùm glocitant, illúdque nobis objectant, licèt in multis aliis sit ipsis prorsus contrarium. Hoc certè deberent advertere, vel ex ipsis iis Canonibus, quos nobis objiciunt, quòd jam ineunte quarto sæculo usus imaginum in Ecclesia percrebuerit: Contrà, ac ipsi rerum imperitis volunt persuadere, imagines novum esse hominum inventum. 19. *Nota in hodiernos Sectarios.*

ARTICULUS IV.

Controversia Historico - Dogmatica de rigore pœnitentiæ,

SÆCULO III.

Occasione Concilii Illiberitani, quod magnam austeritatem præsefert circa lapsos, & præsertim occasione hæresis Novatianæ, non erit abs re, hìc breviter examinare, quænam fuerit disciplina primitivæ Ecclesiæ quoad pœnitentiam, & absolutionem à peccatis.

§. I.

An absolutio fuerit negata, pœnitentiam ad mortem differentibus.

Non est equidem dubium, admodum rigidam fuisse post medium tertii Sæculi Ecclesiæ disciplinam circa administrationem Sacramenti pœnitentiæ. Verùm rigidiorem, quàm fas est, eandem facere videtur Alexander Natalis *Differt.* 7. *in Hist. Ecclef. Sæc.* 3. 20.

Nam ibidem propositione prima ait: *Canonicorum Criminum reis, in* 21.

Affirmat Natalis. *in supremo vitæ discrimine, absolutio sacramentalis negat est, si in infirmitate dundaxat pœnitentiam postulássent.* Hanc suam propositionem probat

1. Ex S. Cypriano, qui Epist. 52. ait, non esse dandam *communionem* & pacem iis, qui in infirmitate primùm petunt: *quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed morbi urgentis admonitio compellit.* Atqui per *communionem* non tantùm intelligi Evcharisticam, sed absolutionem à peccatis, manifestum esse ait Natalis.

Ejus rationes.

2. Probat ex Concilio Arelatensi I. quod Can. ult. pariter dicit, communionem iis non dandam. Idem dicit Innocentius I. qui per communionem evidentissimè intelligit absolutionem. Quæ non est danda, nisi iis, qui dignos pœnitentiæ fructus egerint. Addítque Natalis posteà, quòd *Ecclesia semper dubitaverit de valore pœnitentiæ, in extremis actæ, & de absolutionis tunc concessæ efficacia; habita ratione status, ad quem redactus est his in angustiis peccator; quia potiùs dimitti videtur à peccato, quàm dimittat ipse peccata.* Quibus videtur innuere, nunquam licitum esse eos absolvere, qui usque ad mortem differunt pœnitentiam.

3. Ait, in Ecclesia Gallicana usque ad annum 1396. eam mansisse disciplinam, ut criminum capitalium reis, ad mortem damnatis, absolutio negaretur, donec Carolus VI. Rex Galliæ, Cleri, Procerúmque precibus, annuens, consuetudinem istam abrogârit.

Verùm quod Natali manifestum & evidentissimum est, aliis omnino falsum apparet. Nec quidquam affert, quod rigidam adeò ipsius sententiam probet; cùm nunquam probet, per *communionem*, quæ negata aliquando dicitur, intelligi non posse, administrationem Evcharistæ. Certè *Communio* multò communiùs & strictiùs significat sumptionem Evcharistiæ, quàm absolutionem sacramentalem. De illa proin S. Cyprianus, & Arelatense congruè possunt intelligi. Imò S. Cyprianus per communionem, expresse intelligit *Evcharisticam*, ùt patet ex Epist. 10. in qua invehitur in lapsos, qui necdum facta exomologesi ad S. Communionem se intruserant. *Nunc crudo tempore*, ait, *ad communicationem admittuntur; nondum peracta pœnitentia, nondum exomologesi facta: nondum manu ab Episcopo & Clero imposita, Evcharistia illis datur.* Ubi planè inter communionem & absolutionem distinguit.

22. *Non fuit negata absolutio sed communio.*

Mirum pariter est, quòd Natalis in hac re pro se citet Innocentium I. qui tamen Epist. 3. ad Exuperium Tolosanum Episcopum cap. 2. manifestè adeò tenet sententiam nostram, Natali contrariam.

Propo-

Propoſita nempe Innocentio fuerat quæſtio, quid obſervandum cum iis, qui toto tempore incontinentiæ & voluptatibus dediti, in fine vitæ pœnitentiam & communionem petunt? 23. *Probatur ex Innocentio I.*

Reſpondet Papa, diſtinguendo inter morem antiquum rigidiorem, & recentiorem benigniorem. *De his*, inquit, *obſervatio prior durior eſt; poſterior, interveniente miſericordia, inclinatior. Nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur.*

Ecce! apertè Pontifex diſtinguit inter *pœnitentiam & communionem:* illam enim (quæ etiam abſolutionem in ſe comprehendit) in rigidiore quoque antiquitatis diſciplina moribundis conceſſam ait, iſtam verò negatam.

Nam cùm illis temporibus, pergit Innocentius, *crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſæ facilitas homines de reconciliatione* (per communionem Evchariſticam publicè faciendæ) *ſecuros non revocaret à lapſu, negata meritò communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur.*

Jam quæro: quam pœnitentiam peccatoribus moribundis conceſſam ait Pontifex? an publicam? at quomodo moribundi, ſeu in extremo vitæ termino conſtituti, poterant illam peragere? ergo ſacramentalem. Hæc autem tanquam partem ſui principalem includit abſolutionem. Et quid proderat concedi pœnitentiam, ſi neganda neceſſariò fuit abſolutio? ad quid peccatorum confeſſio, niſi ad obtinendam abſolutionem.

Recentiorem deinde mitiorémque diſciplinam exponens Innocentius ait: *ſed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, depulſo jam terrore, communionem dari obeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam quaſi viaticum profecturis; ne Novitiani hæretici, negantis veniam, aſperitatem & duritiam ſubſequi videamur. Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi, vel in ſupremis ſuis pœnitentes, miſerante Salvatore noſtro à perpetuo exitio vindicentur:* per geminum, ſcilicet pœnitentiæ & Evchariſtiæ Sacramentum.

Sic igitur habes peccatoribus obduratis, qui non præbent ſufficientia ſigna verè contriti propter peccata commiſſa animi, cum ſerio propoſito non peccandi de cætero, ſemper ab Eccleſia utrumque Sacramentum, pœnitentiæ nimirum & Evchariſtiæ negatum eſt.

Illi etiam peccatores, qui antea ſemper fuerant improbi, & atrocium ac nefandorum quoque criminum rei, in mortis articulo

admittebantur ad confeſſionem Sacramentalem, & ſi ſufficientia ſigna contritionis & propoſiti dederant, abſolvebantur à peccatis, ne æternùm pereant. Non tamen ſemper admiſſi fuerant ad Sacramentum communionis ſeu Evchariſtiæ. *Negata communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur:* ùt ait Innocentius. Conceſſa igitur illis eſt pœnitentia, ne animæ pereant. Negata autem Evchariſtia (quod Sacramentum non eſt adeò neceſſarium ad æternam ſalutem ſicut pœnitentia peccatoribus, quæ eſt ſecunda poſt naufragium tabula) hinc temperamentum iſtud adhibitum, ut ſimul æternæ animarum ſaluti conſuleretur, ſimúlque diſciplinæ nervus adſtringeretur, in quantum ad abſterrendos à ſceleribus mortales pro illis temporibus neceſſarium eſt viſum.

Rigor igitur ſeverioris illius diſciplinæ conſiſtebat in tribus. 1. Quòd aliquibus peccatoribus, pœnitentiam ad articulum mortis differentibus, negata fuerit aliquando ſacra communio, licèt à peccatis eſſent abſoluti. 2. Quòd, cùm rarior adhuc eſſet indulgentiarum uſus, Sacramentum pœnitentiæ ſeveriùs fuerit adminiſtratum, majoréſque pœnæ ac ſatisfactiones injunctæ. 3. Quòd præter pœnitentiam privatam ac ſacramentalem, propter enormia quædam ſcelera pœnitentia etiam publica fuerit peragenda.

Nulli autem unquam peccatori, ritè pœnitenti, negata fuit abſolutio Sacramentalis in mortis articulo. Quin abſolutionem imperant ſacri Canones. Sic enim habetur *Can. Apoſt.* 51. *Si quis Epiſcopus aut Presbyter à peccato revertentem non recipit, ſed rejicit, deponatur: quoniam Chriſtum moleſtia afficit, qui dixit: gaudium eſt in cælo propter unum peccatorem pœnitentiam agentem.* Sunt autem Canones illi, ùt aliàs dictum, antiquiſſimi.

24. *Ex Nicæno.* Nicænum autem Concilium Can. 13. expreſsè loquens de moribundis, ſervandam ait legem antiquam, regularémque, ut ſiquis egreditur de corpore, ultimo & maximè neceſſario viatico (abſolutione nempe à peccatis) non privetur.

Cypriano. Et jam ante Nicænum S. Cyprianus Epiſt. 52. ad Antonianum ſcripſit: *miror autem, quoſdam ſic obſtinatos eſſe, ut dandam non putent lapſis pœnitentiam, aut pœnitentibus exiſtiment, veniam denegandam: cùm ſcriptum ſit: memento, unde excideris, & age pœnitentiam.*

Et num Chriſtus cuipiam peccatori pœnitenti veniam denegavit? an latronem in mortis articulo pœnitentem rejecit? pro quibus Sacramentum pœnitentiæ inſtituit? quibus illud magìs neceſſarium, quàm moribundis peccatoribus? certè peccatoribus, in mor-

tis

tis articulo verè pœnitentibus, abſolutionem negare, non videtur multùm abeſſe ab illo rigore, quem primitiva jam Eccleſia, in Montaniſtis & Novatianis damnavit.

Eſto igitur, Eccleſiam aliquando & in aliquibus locis negâſſe quibusdam peccatoribus, in articulo primùm mortis pœnitentibus, ſacram communionem? negâſſe abſolutionem Sacramentalem conſtanter nego. Nec probat Natalis. Quæ enim affert, videtur more ſuo afferre, ut oſtendendæ eruditionis gratia novi quid afferat.

Si Galli ad mortem damnatis propter crimina ſacramentum pœnitentiæ & abſolutionem à peccatis univerſim negârunt, id omnino improbandum eſt, & propterea meritò abrogatum: & jam dudum antea abrogandum fuiſſet, imò nunquam introducendum. Fortaſſis ſæcularis tantùm poteſtas conſuetudinem illam introduxit, ſicut eadem rurſus illam abrogavit, ſi Natali credimus. 25. *Mos Galliæ antiquus circa condemnatos.*

Quòd verò idem Author dicat, abſolutionem ſacramentalem non eſſe dandam, niſi iis, *qui dignos pœnitentiæ fructus egerint*, id ita accipiendum eſt; non eſſe dandam abſolutionem niſi iis, qui de peccatis ſuis commiſſis verè doleant, eáque deteſtentur, cum ſerio animi propoſito deinceps non ampliùs peccandi, atque peccata omnia, quæ poſt diligentem conſcientiæ diſcuſſionem memoriæ occurrunt, ſincera confeſſione Confeſſario expoſuerint. Si autem plus velit, id ei probandum erit. Certè ante fructum eſt arbor. Dignos igitur pœnitentiæ fructus ex pœnitentia enaſci neceſſe eſt. Quare fructus pœnitentiæ ante pœnitentiam requirere, eſt, ex arbore necdum nata velle fructus decerpere.

§. II.

An abſolutio data fuerit poſt ſatisfactionem?

At inſurgit Natalis, prodítque, quosnam pœnitentiæ fructus velit abſolutioni præmittendos eſſe. Nam *Diſſert. 9. in Hiſt. Eccleſ. 3. Sæc.* ſic ſententiam ſuam exprimit. *Graviorum peccatorum reis abſolutio Sacramentalis poſt peractam duntaxat pœnitentiam & impletam ſatisfactionem, primis Eccleſiæ ſæculis ordinaria lege concedebatur.* Addítque poſteà, *contrariam praxin fuiſſe improbatam, ùt violationem diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & prævaricationem Canonum.* 26. *Natalis opinio.*

Quid autem per *ordinariam legem* intelligat, explicat ſequentibus propoſitionibus. Nam *Propoſ.* 2. ait: *Cùm urgebat mortis periculum,*

culum, aut in discrimine versabatur pœnitentis salus, veluti cùm periculum erat, ne capitalium criminum rei ad hæreticos aut gentiles transfugerent, absolutio ante impletam omnino satisfactionem concedebatur. Videat lector; an ea, qui hic dicit de concessa absolutione, urgente mortis periculo, ante impletam satisfactionem, satis cohæreant cum iis, quæ ex Dissertatione ejus septima paulò antè sunt recitata: Nempe *Canonicorum criminum reis in supremo vitæ discrimine absolutionem sacramentalem esse negatam, si in infirmitate duntaxat pœnitentiam postulâssent; imò Ecclesiam semper dubitâsse de valore pœnitentiæ in extremis actæ, & absolutionis efficacia.* Hic autem disertè ait, graviorum etiam criminum reis, cùm urgebat mortis periculum, absolutionem esse concessam, & quidem etiam ante impletam satisfactionem.

Alteram deinde exceptionem à *lege ordinaria* addit *Propos.* 3. ibi: *Imminente persecutione lapsis concedebatur absolutio ante satisfactionem impletam, ut subeundo martyrio idonei redderentur.*

Tertiam: *Lapsis, qui Martyrum libellis commendati fuerant, concedebatur interdum absolutio, nullis pœnitentiæ toleratis laboribus.*

Quartam: *Lapsis, qui post scelus commissum, arduum aliquid & eximium edebant, aut patiebantur pro Christi gloria, concedebatur absolutio* (sacramentalis de qua semper loquitur) *priusquam satisfactionem implevissent.*

Quintam: *Cùm absque periculo schismatis differri diu non poterat absolutio, tunc lapsis concedebatur ante impletam satisfactionem, & pœnitentialis disciplinæ severitas erga ipsos relaxabatur.*

Sextam: *Cùm ex reditu lapsorum ingens aliquod bonum in Ecclesiam redundabat, ùt schismatis extinctio, vel imminutio, aut multorum ad Ecclesiam reductio, tunc absolutio statim ipsis tribuebatur, & pœnitentiæ luctuosæ labores condonabantur.*

Præter hos igitur casus, secundùm Natalis primam propositionem, graviorum criminum reis sacramentalis absolutio nunquam concedebatur, ante impletam satisfactionem.

27. *Rationes Natalis.* Primum fundamentum hujus assertionis est, quòd S. Cyprianus Epistol. 52. disertè dicat, satisfactionem esse fructum pœnitentiæ.

Solvuntur. Verùm, præterquam quòd S. Cyprianus loco citato hoc non disertè dicat; concedo facilè, satisfactionem esse fructum pœnitentiæ. Sed num ex hoc inferam, quod satisfactio præcesserit pœnitentiam, aut præcedere debeat? an fructus debet præcedere matrem suam, pomum arborem, messis agrum? Fundamentum

secun-

fecundum eft, quòd tefte eodem S. Cypriano Epift. 10. lapfi ab Epifcopis petierint reconciliationem, ftatim atque redirent ad Ecclefiam, illi autem differendam judicaverint, quousque fatisfeciffent.

Refp. S. Cyprianus loc. cit. hoc non dicit: fed exprobrat ibidem lapfis, quòd ante confeffionem Sacramentalem poftulaverint admitti, fuerintque admiffi ad facram communionem, quæ erat publicum pacis & reconciliationis fymbolum. *Nunc crudo tempore* (verba funt Cypriani) *ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia (Sacramentali) acta, nondum exomologefi facta, nondum manu eis ab Epifcopo & Clero impofita, Eucharistia illis datur.* Omnes hoc ipfum dicimus, nempe, peccatores non effe admittendos ad S. Evchariftiam ante factam exomologefin, feu pœnitentiam & confeffionem Sacramentalem. Imò etiamfi S. Cyprianus loqueretur de pœnitentia publica, tantùm fequeretur, illam præmittendam fuiffe facræ communioni (quod non negamus) non autem abfolutioni Sacramentali à peccatis. Huic enim tantùm præmittenda erat confeffio Sacramentalis cum debita contritione & propofito legitimè facta.

Non enim probari poteft ex antiquitatis monumentis, quòd toto eo tempore, quo peragebant pœnitentiam publicam (quod fæpiùs erat tempus totius vitæ) carere debuerint Sacramento pœnitentiæ, & in ftatu peccati mortalis (abftrahendo à contritione perfecta) cum magno falutis æternæ periculo permanere. 28. *Pœnitentia publica præmittenda erat communioni,*

Sic etiam S. Cyprianus Epift. 59. improbat quidem, quòd Terapius Epifcopus cuidam Presbytero pacem per publicam cum Ecclefia reconciliationem dederit ante impletum tempus fatisfactionis feu pœnitentiæ publicæ. Nulla autem voce indicat, quòd fatisfactio feu pœnitentia publica (de qua fatisfactione loquitur) debeat præcedere pœnitentiam Sacramentalem & privatam, feu abfolutionem Sacramentalem. Nempe graviffimorum quorundam & publicorum fcelerum rei, licèt privatim jam effent Sacramentaliter abfoluti, antequam tamen ad S. Communionem admitterentur, & fic publicè cum Ecclefia reconciliarentur, fubire debebant pœnitentiam publicam. Hoc urget S. Cyprianus: eósque, qui hunc ritum neglexerant, reprehendit. *Non autem abfolutioni facramentali.*

Quando verò *tractatu de lapfis* (quem locum pariter Natalis objicit) idem S. Pater conqueritur de abufu lapforum, nullo verbo indicat, quòd fatisfactio debeat confeffionem Sacramentalem

præcedere. Sed coarguit eos, quòd ante confeſſionem ad S. Communionem irrumpant: *à diaboli aris revertentes*, inquit, *ad ſanctum Domini ſordidis & infectis nidore manibus accedunt: mortiferos idolorum cibos adhuc penè ructantes, exhalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus, & contagio funeſta redolentibus, Domini corpus invadunt, ante expiata peccata, ante exomologeſin factam criminis, ante purgatam conſcientiam &c.* hoc autem neque nunc licet, nempe ante factam exomologeſin & purgatam conſcientiam ad S. Communionem accedere. Imò licèt S. Pater loqueretur de pœnitentia publica, tantùm ſequeretur, quòd eos coarguat, qui ante illam pœnitentiam peractam invadunt corpus Domini. In quo ex veteris Eccleſiæ diſciplina meritò erant coarguendi.

Fundamentum tertium petit Natalis ex S. Ambroſio, qui l. 2. *de pœnit. c. 9.* carpit eos, qui *ideo poſcunt pœnitentiam, ut ſtatim reddi ſibi communionem velint.*

Reſp. ſermonem eſſe de iis, qui absque debita contritione & propoſito petunt abſolvi. Quod patet ex verbis Ambroſii ſubjunctis: *Hi non tam ſe ſolvere cupiunt, quàm Sacerdotem ligare: ſuam enim conſcientiam non exuunt, Sacerdotis induunt.*

Fundamentum quartum ſubſternere jubetur Innocentius I. qui *Epiſt. 1. ad Decent. cap. 7.* ait: *de pondere æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt, judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lachrymas corrigentis, atque tunc jubere dimitti, cùm viderit congruam ſatisfactionem.*

Reſp. per *congruam ſatisfactionem* Pontifex hic intelligit eam, quam prioribus verbis requiſivit, nempe fletus & lachrymas pœnitentis, animum ſcilicet verè contritum, peccata commiſſa deflentem, ac deteſtantem, cum ſerio vitæ melioris propoſito. Vel loquitur de pœnitentia publica, vúltque, non eſſe publicè ad communionem Eccleſiæ admittendum, niſi per pœnitentiam publicam, ſecundùm Canones pœnitentiales requiſitam, ſatisfecerit.

Idem reſpondetur ad locum ex Epiſt. 91. S. Leonis depromptum; & ad cap. Concilii Toletani III. nam loquuntur de pœnitentia publica, ante quam peractam nolunt pœnitentem ad communionem Evchariſticam, ac publicam cum Eccleſia reconciliationem admitti, ſecundùm temporis illius ritum. Eadem quoque reſponſio eſt ad id, quod adducitur ex S. Paciano, nempe veniam dari poſt multos gemitus, effuſſionémque lachrymarum, poſt totius Eccleſiæ preces. Nam & ipſe loquitur de pœnitentia publica.

Fundamentum ultimum P. Natalis eſt, quòd ex SS. Patribus, SS.

SS. Conciliis, & SS Canonibus conſtet, pluribus annis in *fletu*, *auditione*, *& ſubſtratione* peccatores permanſiſſe, cùm ne quidem liceret eis cum fidelibus in Eccleſia conſiſtere.

Reſp. Hæc teſtimonia apertè loquuntur de pœnitentia publica; quòd ſcilicet, quibus illa erat indicta, pluribus annis ſolennes illos auſteræ diſciplinæ ritus ſubire debuerint, donec ad communionem & publicam reconciliationem admitterentur; quamvis jam priùs in Sacramentali confeſſione privatim & pro foro interno fuerint abſoluti.

Videtur quidem Natali, non eſſe veriſimile, homines, per abſolutionem ſacramentalem jam juſtificatos, conditionem tam duram ſubire debuiſſe, ut Chriſto adhærentes per charitatem, ne quidem prece cum communione fidelibus jungerentur. 29. *Mitiùs ſentiendum de Eccleſia.*

At mirum eſt, hoc Natali non eſſe veriſimile: & non potiùs ipſi eſſe incredibile, quòd homines, seriò pœnitentes & emendati, ne quidem in foro interno animæ fuerint ſacramentaliter abſoluti à peccatis ſuis, ſed in iis, privati gratia Dei ſanctificante, privati meritis, merendique copia, debuerint ſqualere & contabeſcere, donec finierint pœnitentiam publicam, quæ ſæpè pro multis annis atque etiam pro tota vita fuerat indicta. Quomodò ſic conſultum animabus, quarum æterna ſalus gravi fuiſſet expoſita diſcrimini? an medicina ſaluberrima, Salvatoris ſanguine parata, tamdiu differenda, ut ſæpiùs ægri obirent, & æternùm perirent, antequam immites medici eandem applicarent. Neque dicat quiſpiam, relictum illis fuiſſe remedium charitatis & contritionis perfectæ, cujus ope obtinerent juſtificationis gratiam. Nam hoc medium arduum eſt, & volatus multis nimiùm ſublimis.

Mitiùs profectò ſentiendùm de Domini noſtri ac Redemptoris bonitate, ſapientiùs de Eccleſiæ ejúsque Præſidum æquitate, prudentia, charitate. Manſuetudine illi ita temperabant rigorem diſciplinæ, ut & publicæ pœnæ ſeveritas incuteret horrorem ſceleris, & privata indulgentia animarum ſaluti conſuleret. Diſtinguendum videlicet prudenter exiſtimabant forum inter externum Eccleſiæ, & forum internum animæ: in illo ſeveri, in hoc faciliores: in illo omnia ſacri horroris plena, aſperi ritus, ſtrepitoſæ ſolennitates, ſordida corporum facies, ſacci ſqualidi ac diuturni: in hoc charitatis Chriſti & manſuetudinis effuſa viſcera, è fontibus Salvatoris hauſta medicina, à Diviniſſimo Samaritano infuſo oleo & vino, ſine ſtrepitu alligata vulnera: exiſtimantibus Eccleſiæ Prælatis, non ad deſtructionem ſed ædificationem ſe conſtitutos.

Hæc

Hæc fuit ſæculorum etiam primorum indoles, hic ritus, hæc diſciplina. Et quid hodiedum uſu receptius, quàm impoſita pœnitentia, etiam gravi, peccatores abſolvere, quàm dimiſſis in foro conſcientiæ peccatis, arduam adhuc in foro externo pœnam infligere?

Non occinat nobis Natalis non eadem decempeda metiendam veteris Eccleſiæ & hodiernæ diſciplinam. Hoc novimus, non metimur. Diſcrimen agnoſcimus, & aſſignavimus. Sed hoc ferendum non putamus, homines, qui Catholico nomine gloriantur, hæreticorum inſtar, ut novitate doctrinæ curioſitatem demulceant, antiquiſſimos Eccleſiæ ritus novitatis poſtulare, etiam tunc, quando nulla illis pro ſua ſententia ſuppetunt certa antiquitatis monumenta, ſed mera novandi libido induſtriam accendit, ut aliquas Patrum, ambiguas ſæpè, imò contrarias, ſententias in ſenſus ſuos detorqueant.

30. *Obſervatio in Gallorum Criticam.*

Atque ut univerſim, quid ſentiam, prodam; debetur hæc laus Galliæ; celeberrimorum criticorum eſt patria. *Petavius, Sirmondus, Ducæus, de Marca, Albaspinæus, Dupinus, Eſpencæus, Lanoius, Boſſvetus, Thomaſſinus, Natalis, Pagius uterque, Baluzius, Morinus, Annatus, Dumeſnilius, Cabaſſutius &c.* Galli ſunt; viri eruditi, quis neget? ſed an nihil debetur aliquorum ex illis menti præoccupatæ? ſententiæ de ſuperioritate Concilii ſupra Pontificem? ſententiæ de Pontifice reformabili, in deciſionibus etiam dogmaticis? an nihil eorum in ſenatum Pariſinum religioni? an nihil rigidiori, quàm fas eſt, Gallorum quorundam doctrinæ, qua Sacramentum pœnitentiæ, aliàs difficile, exoſum reddunt? judicent iſta, qui libros illorum legunt.

Certè Ludovicus Thomaſſinus, celeberrimus ſcriptor criticus, conqueritur in ſua *reſponſione ad notas ſcriptoris Anonymi*, quòd magna Pariſiis flagrârit invidia, & famoſis etiam libellis ſit proſciſſus, prælo mandatis atque in vulgus ſparſis; quaſi in amplificanda ſedis Apoſtolicæ authoritate ultra modum ſit provectus. Et tamen hic author ſcribit in *præfat. tom. 1. de veteri ac novo Eccleſiæ diſciplina*, Chriſtum dediſſe Apoſtolis omnem ſupra Eccleſiam authoritatem, eámque tranſiſſe ab Apoſtolis ad Epiſcopos, ab Epiſcopis ad Concilia, & à Conciliis ad ſedem Apoſtolicam deveniſſe. Et part. 3. l. 1. c. 9. n. 2. ſcribit, Epiſcopos ſucceſſiſſe eminentiæ ſupremæ & plenitudini poteſtatum ſpiritualium ſancti Petri.

Verùm ad inſtitutum noſtrum revertamur. Honoratus Tournely Doctor Sorbonicus in ſuo *curſu Theologico, Scholaſtico-Dogmatico*

tico tom. 4. de sacrament. pœnit. q. 7. art. 3. & ipse verisimilius esse censet, quo tempore in usu fuit pœnitentia publica, sacramentalem à peccatis absolutionem *lege communi & ordinaria* datam fuisse post expletam satisfactionem. Et præter ea argumenta, quæ ex Natali jam attulimus hæc affert.

1. Ex Zephyrino Papa, qui dixisse fertur: *ego & mæchiæ & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto.* 31. *Exceptiones Tournelii.*

2. Ex Syrico, qui ait, in idololatriam lapsis semper agendam pœnitentiam, quamdiu vivunt, & in ultimo fine suo tribuendam illis reconciliationis gratiam. *Quia, docente Domino, nolumus mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Quibus postremis verbis non obscurè significatur, reconciliationem non tantùm fuisse canonicam & ceremonialem, sed verè sacramentalem.

3. Ex S. Gregorio, cujus hæc verba recitantur: *videndum quæ culpa præcesserit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam vivificat, illos pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cùm æterni sequitur arbitrium Judicis.*

4. Sic arguit: eam ipsam peccatorum veniam & absolutionem post pœnitentiam concedebant orthodoxi, quam Montanistæ & Novatiani negabant, ab Ecclesiâ posse concedi. Atqui hæc non tantùm erat ceremonialis & canonica reconciliatio cum Ecclesia, sed vera à peccatis absolutio.

Verùm & hæc videntur ad eundem ferme modum solvi posse. 32. *Solvuntur.* Nam isti Pontifices, quando dicunt, quòd absolutio sit danda post pœnitentiam, vel intelligunt per pœnitentiam dolorosam, ac verè contritam confessionem peccatoris, paratámque voluntatem ad præstandam omnem satisfactionem, à Confessario injungendam: & talis pœnitentia utique hodiedum debet præcedere absolutionem sacramentalem. Vel, si loquuntur de pœnitentia publica, tunc volunt, ut primùm post istam peractam detur absolutio canonica & ceremonialis pro foro externo, reconciliatio nempe solennis & publica cum Ecclesia, licèt jam antea data fuerit privatim ac pro foro interno animæ absolutio sacramentalis. Vel etiam aliquando volunt, non statim omnibus, præsertim consuetudinariis, dandam esse absolutionem, sed eam quandoque differendam, donec emendatio appareat? Quod est æquissimum. Hinc Resp.

Ad 1. Zephyrinus, contra Montanistarum rigidam doctrinam, ait, se mæchis verè pœnitentibus, hoc est, illis, qui peccata sua cum vero dolore & contritione confessi sunt, per absolutionem sacramenta-

mentalem dimittere. Vel si adversarii velint, eum loqui de pœnitentia publica, sensus est, quòd post eam peractam pro foro etiam externo per absolutionem canonicam in facie Ecclesiæ ipsis delicta, quoad reatum pœnæ dimittat, sicque eos publicè cum Ecclesia reconciliet, atque ad communionem admittat.

Ad 2. Quod majorem habet difficultatem, responderi potest. Etiam Syricium intellexisse reconciliationis gratiam canonicam tantùm, non verò sacramentalem, primùm in fine vitæ dandam. Neque obstat, quòd addat, nolle Deum mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Nam ista verba non præcisè refert Syricius ad ultimam illam in fine reconciliationem, sed ad totam priorem etiam pœnitentiam privatam & publicam. Certè *Conversio* talis pœnitentis jam ante finem vitæ facta est: & tamen additur, *ut convertatur:* ergo etiam, licet jam antea pro foro conscientiæ sit absolutus à culpa peccati, addi nihilominus potuit, *nolle Deum mortem peccatoris.* Quia scilicet hæc verba (contra Novatianorum errorem) referuntur ad totum justificationis negotium pro foro interno & externo.

Ad 3. Sententiæ illi Gregorianæ Catholici omnes debent commodam interpretationem adhibere. Nam certum est ex doctrina omnium Theologorum, quòd absolutio Sacramentalis, à confessario data, non præsupponat necessariò, jam priùs à Deo remissa esse peccata. Igitur S. Gregorius plùs non vult, quàm, confessarium nemini debere absolutionem impertiri, nisi illi, quem Deus secundùm institutionem Sacramenti pœnitentiæ voluit absolvi. Et hinc addit Gregorius: *Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cùm æterni sequitur arbitrium Judicis:* nempe voluntatem Dei, per institutionem Sacramenti manifestatam, dum Sacerdotes veros constituit Judices. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.*

Ad 4. melius retorquetur Argumentum. Nam Montanistæ & Novatiani negabant gravioribus peccatoribus absolutionem Sacramentalem, etiam ante satisfactionem præstitam. Ergo Orthodoxi illam concedebant. Certè illam concedendo multo magìs receditur ab errore illarum sectarum. Neque ex altera parte in ullum impingitur scopulum. Econtra in sententia adversariorum multi, qui repentina sæpè morte abripiuntur, non meliori fuissent conditione, quàm in sententia Novatianorum, cùm pariter absque absolutione Sacramentali debuissent decedere.

Doctri-

Doctrinam hactenus traditam manifestè comprobare videtur Sozomenus, qui *lib. 7. Hist. Eccles. cap. 16.* loquens de Presbytero Pœnitentiario, Constantinopoli constituto, ejúsque officio ait: *Ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus suos confitebantur: ille verò pro cujusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, pœnæ loco indicens: absolvebat confitentes, à se ipsis pœnas criminum exacturos.* Ecce! datam absolutionem Sacramentalem, post indictam quidem & impositam satisfactionem, sed tamen ante illam opere ipso adimpletam. 33. *Gemina absolutio ex Sozomeno.*

Deinde verò, postquam Sozomenus descripserat ritum pœnitentiæ publicæ, clarè significat, aliam finalem absolutionem fuisse duntaxat relaxationem à pœnis Canonicis. Nam sic pergit: *Ubi verò præstitutus dies advenit, tanquam debito quodam persoluto, à pœna commissi sceleris liberatur, & reliquo Ecclesiæ populo sociatur.* Ubi planè non est sermo de absolutione Sacramentali à culpa (utpote quæ jam præcesserat) sed de absolutione Canonica à pœna, ac ceremoniali reconciliatione publica cum Ecclesia.

Hunc autem morem in Ecclesia Romana usque ad sua tempora observatum fuisse testatur. *Hæc*, inquit, *Episcopi urbis Romæ, jam inde ab ultima vetustate ad nostram usque ætatem custodiunt:* impertiendo videlicet duas absolutiones, unam Sacramentalem à culpa, quæ præcedebat satisfactionem & pœnitentiam publicam: alteram non Sacramentalem, sed Canonicam ac publicam à pœna, quæ sequebatur, & complementum erat totius pœnitentiæ.

Tournelius, postquam hæc fideliter retulit, respondet, hac in parte hallucinatum fuisse Sozomenum. At hoc tam facilè dici non potest: describit enim morem ritúmque sui temporis: quem utique noverat. Et falsa scribendo se atque Historiam suam Ecclesiasticam publicè prostituisset tanquam fabulam, in rebus notissimis à vero aberrantem. Sed neque ullam causam fingendi habuit. Imò, Novatianus cùm esset, finxisset potiùs, nullam datam fuisse absolutionem.

Quod verò Tournelius addit, eum falsò supponere, in Romana Ecclesia, perinde ac Constantinopolitana, institutum ab initio fuisse Presbyterum Pœnitentiarium, excipiendis pœnitentium confessionibus præfectum: hoc non videtur ita se habere; nam Sozomenus tantùm dicit, quòd Episcopi urbis Romæ ritum illum geminæ absolutionis, unius nempe Sacramentalis à culpa, satisfactionem antecedentis, & alterius non Sacramentalis à pœnis Canonicis, satisfactionem subsequentis, antiquissima consuetudine observent.

Ubi quidem ſupponit, Epiſcopos ipſos, vel alios confeſſarios, abſolutionem Sacramentalem dediſſe pœnitentibus, ſed non ſupponit, determinatè unum talem Pœnitentiarium, ad eum modum quo Conſtantinopoli, fuiſſe conſtitutum. Et ſi hoc ſuppoſuiſſet, non ſequeretur ſtatim, eum falſum ſuppoſuiſſe.

34. *Ex Conciliis.* Verùm non unus eſt Sozomenus, qui de geminæ illius, quam diximus, abſolutionis uſu teſtimonium ferat: integra id teſtantur Concilia. Sic Concilium Carthaginenſe IV. can. 76. ait: *ſi petens pœnitentiam continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Evchariſtia. Si ſupervixerit, admoneatur, petioni ſuæ eſſe ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus.* Ex quibus manifeſtè colligitur gemina illa abſolutio: nam Evchariſtia gravi peccatori (de quo eſt ſermo) præberi non potuit, niſi priùs abſolutionem Sacramentalem accepiſſet: *Reconcilietur: & infundatur ori ejus Evchariſtia.* Et tamen ſi talis, jam ſic abſolutus & privatim reconciliatus, reconvaluerit, jubetur ſubire pœnitentiam Canonicam, & præſtare adhuc ſatisfactionem; poſt quam expletam utique fuit etiam publicè abſolutus à pœna, & pro foro etiam externo reconciliatus Eccleſiæ.

Si autem diceret quiſpiam, etiam hanc poſteriorem abſolutionem fuiſſe Sacramentalem à culpa; cùm nihil hodiedum ſit uſitatius, quàm pœnitentem ab eodem peccato ſæpiùs Sacramentaliter abſolvi: ſi, inquam, hoc diceres, poſſemus utique & nos, absque præjudicio noſtræ ſententiæ, hoc ipſum dicere, videlicet, geminas datas fuiſſe abſolutiones Sacramentales; primam, quando peccator cum debita animi præparatione privata confeſſione omnia ſua gravia expoſuit peccata; alteram ab Epiſcopo, quando pœnitentia publica erat finita, ſimúlque cum illa abſolutionem à pœna Canonicam pro foro externo, plenámque cum Eccleſia reconciliationem.

Hæc inquam, concedere poſſumus, modò id nobis concedatur, de quo diſceptamus, jam ante finitam pœnitentiam publicam admiſſos etiam fuiſſe ad Sacramentum pœnitentiæ, datámque ritè diſpoſitis abſolutionem à peccatorum culpa, cum onere & obligatione impoſita ſuſtinendi pœnitentiam publicam, propter crimina Canonica, quæ erant notoria.

Hoc ipſum enim colligitur quoque ex can. 78. Concilii Carthaginenſis IV. qui ſic habet: *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Evchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint.* Ubi profectò ſermo eſt de abſolutione Canonica & publica à pœna. Nam manifeſtè ſupponitur, præceſſiſſe abſolutionem

nem

nem ſacramentalem à culpa. Quomodo enim alias accipere potuiſſent viaticum Evchariſtiæ?

Hic pariter ſenſus eſt Concilii Arauſicani I. quod can. 3. de iisdem pœnitentibus ait: *Si ſupervixerint, ſtent in Ordine pœnitentium, & oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant.*

Taceo, abſolutionem, quæ poſt expletos pœnitentiæ ritus ſequebatur, etiam à Diaconis potuiſſe conferri, ſaltem ex diſpenſatione & delegatione Epiſcopi. Quod de abſolutione ſacramentali dici nequaquam poteſt.

Per ea tamen, quæ diximus hactenus, neutiquam conamur evincere, abſolutionem ſacramentalem ſtatim datam eſſe promiſcuè quibusvis peccatoribus; ſed iis duntaxat, qui per veram animi contritionem, deteſtationem peccatorum, atque propoſiti ſerii firmitatem, peccata ſua ritè confeſſi fuerant, ſimúlque ſatisfactionem præſtandam, peccatis proportionatam, à confeſſario parato animo acceptârant, & ſic ſpem optimam emendationis præbebant. 35. *Quibus neganda vel differenda abſolutio.*

Aliter enim tractabantur, ùt hodiedum, pravis conſuetudinibus conſtricti; quibus fateor negatam eſſe abſolutionem, dilatámque, donec emendatio ſit ſubſecuta. Atque de his etiam plures SS. Patres ac Concilia poſſunt intelligi, quando dicunt, Peccatores ad præſtandam priùs ſatisfactionem fuiſſe adſtrictos. Neque etiam negamus, graviores multò, juxta Canones pœnitentiales admodum ſeveros, à Confeſſariis injunctas fuiſſe pœnitentias, ac ſatisfactiones pro expiando reatu pœnæ.

§. III.

An peccata occulta neceſſariò expiari debuerint pœnitentia publica?

Certum eſt, non omnia peccata mortalia, etiam notoria, & publica, ſubjecta fuiſſe pœnitentiæ publicæ, ùt ex variis Synodorum ac Patrum monumentis conſtat. 36.

Certum pariter eſt, tria peccata, idololatriæ nimirum, homicidii, & adulterii (quæ propterea peccata *canonica* appellabantur) pœnitentiæ illius ſeveræ legibus fuiſſe obnoxia. Quibus ſucceſſu temporis nonnulla alia fuerunt addita

Illud tamen inter criticos controverſum eſt, an canonicis illis peccatis decreta fuerit pœnitentia publica, etiam tunc, quando nullo teſte, vel ſolo complice præſente fuerunt patrata, atque ſic permanſerunt occulta?

Ludovicus Thomassinus *part. 3. novæ & vet. Discipl. l. 1. cap. 14. n. 5.* dicit, quòd pœnitentiæ canonicæ perinde fuerint impositæ peccatis secretis, ac publicis. Addítque in *resp. ad notas scriptoris Anonymi*; hoc videri Petavio, Morino, aliísque magni nominis & summæ eruditionis viris, tritissimum & maximè probabile. Sed pace tantorum virorum

37. *Conclusio negativa.* Dicendum. *Nulla peccata, omnino secreta & occulta, absque scandalo facta, necessariò, ac vi SS. Canonum, expiari debuerunt pœnitentia publica.*

Prob. 1. ex Concilio Neo Cæsareensi; quod can. 4. à pœnitentia publica excipit peccatum adulterii, sola cogitatione commissum.

2. Ex Concilio Valensi I. quod can. 8. decernit, Episcopum non debere indicere pœnitentiam publicam propter scelus, quod probare non potest, licèt sibi privatim sit cognitum.

3. Ex Concilio Carthaginensi III. anno 397. can. 32. *Cujuscunque*, inquit, *pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod universa Ecclesia noverit, ante absidem manus ei imponatur.* Colligitur ergo, si publicum crimen non fuerit, non esse publicè manus imponendas. Et confirmatur ex Concilio Remensi II. quod can. 31. dicit: *Discretio servanda inter pœnitentes, qui publicè, & qui absconsè pœnitere debent.*

4. Ex S. Augustino homil. 50. dicente, si peccatum sit in scandalo aliorum, in notitia populi agendam esse pœnitentiam. Et *serm. 82. de verbis Domini c. 7.* ergo, inquit, corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus: ipsa verò corripienda sunt secretiùs, quæ peccantur secretiùs. Et cap. 8. ait: *Corripio in secreto* (homicidam soli Episcopo cognitum) *pono ante oculos Dei judicium: terreo cruentam conscientiam: persuadeo pœnitentiam. Hac charitate præditi esse debemus. - - - sunt homines adulteri in domo sua; in secreto peccant; aliquando nobis produntur ab uxoribus suis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus; nos non prodimus palàm, sed in secreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum.*

Ecce! hæc loquitur S. Augustinus de homicidio & adulterio, quæ erant peccata canonica: quæ, si fuissent publica, pœnitentia publica debuissent expiari.

38. *Probationes ex Conciliis & Patribus.* 5. Ex S. Eligio, qui homil. 16. hæc habet: *Vos propterea, fratres mei, alloquimur, quos publica actio criminalis publicam cogit agere pœnitentiam.*

6. De-

6. Denique probatur ex eo, quòd veteres non aliam ferme causam reddant, cur aliqui ad pœnitentiam publicam fuerint adstricti, quàm quòd publicè & cum multorum scandalo peccaverint.

Sic S. Cæsarius Arelatensis *homil.* 1. *in quadrages. graves*, inquit, *causæ graviores & acriores & publicas curas requirunt, ùt, qui cum plurimorum afflictione se perdidit, simili modo cum plurimorum ædificatione se redimat.*

Et hæc disciplina, quamvis non tanto cum rigore hodiedum obtinet. Nam Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 8. *de Reform.* publicis & scandalosis sceleribus publicam vult injungi pœnitentiam; nisi aliter visum fuerit Episcopo.

Dixi autem 1. quod non debuerint *necessariò, & vi canonum* publicè expiari; nam aliqui vel sua sponte, vel hortatu & consilio Confessarii propter occulta etiam publicam agebant pœnitentiam; quin tamen scelera sua in specie divulgarent. Et hinc malè fecit fæmina illa, de qua Sozomenus, quòd facinus, cum Diacono in templo patratum, publicè fuerit confessa. Hoc enim sine scandalo & læsione charitatis ac famæ alienæ fieri non poterat.

Dixi 2. *omnino occulta* non debuisset publicè expiari. Nam quando erant notoria *jure*, seu in judicio Ecclesiastico sufficienter probata, aut publica confessione peccatoris certa, injungebatur ipsi ab Episcopo pœnitentia publica. Si autem renueret eidem se subjicere, censuris primùm Ecclesiasticis, &, si hæ non proficerent, invocato etiam brachio sæculari compellebatur: ùt latè Morinus probat.

Quando autem crimen notorium erat *facto* tantùm, nempe, multis quidem cognitum, sed tamen nec delatum ad judicium Ecclesiasticum, aut non probatum juridicè, nec propria confessione eidem denunciatum, tunc aliquando à Confessario ipsis in satisfactionem pro suis peccatis injungebatur, ut pœnitentiam publicam ab Episcopo petant. Quod, ni facturos se promitterent, negabatur à Confessario absolutio sacramentalis. Non tamen arcebantur à publica Evcharistiæ perceptione, nisi aut fuissent ad tribunal Ecclesiæ delati, aut publica confessione propria convicti.

Testatur hoc S. Augustinus *homil.* 50. *inter* 50. ibi: *à communione prohibere quemquam non possumus, - - - nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum.*

39. *Argumenta Albaspinæi.*

Contra eam doctrinæ nostræ partem, qua diximus, peccata occulta non fuisse pœnæ publicæ per Canones subjecta, objicitur ab

ab Albaſpinæo & Morino 1. veteres Canones non diſtinxiſſe inter peccata publica & occulta. 2. Neque tantùm attendiſſe ad ſcandalum datum, ſed etiam gravitatem delicti. 3. Dixiſſe S. Baſilium; *qui mulierem vel vi, vel clàm à ſe vitiatam habet, necesse eſt, fornicationis pœnas ſubeat.* Deinde autem explicat pœnitentiam publicam, 4. à Canonibus publicam imponi pœnitentiam criminibus, quæ ſecretò committi ſolent, ùt beſtialitati; aliàs enim, ſi publica fuiſſent, capitali ſupplicio in ea fuiſſet animadverſum. 5. Clericos propter crimina occulta excommunicandos, & deponendos eſſe, ergo laicos propter eadem pœnitentiæ publicæ ſubjiciendos. 6. peccatores ex pudore abhorruiſſe à publica pœnitentia: quia ſcilicet eorum ſcelera priùs fuerant occulta. 7. Laudari ab Ambroſio eos, qui propter occulta crimina publicam agunt pœnitentiam. 8. S. Leonem ſuſtuliſſe abuſum publicè confitendi peccata occulta, integrum tamen ſervâſſe uſum pœnitentiæ publicæ pro peccatis occultis.

Denique afferunt S. Auguſtinum: qui *homil.* 49. aſſerat, non ſufficere occultam pœnitentiam pro adulterio occulto. *Qui*, inquit, *poſt uxores veſtras vos illicito concubitu maculâſtis, agite pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia, ut pro vobis oret Eccleſia. Nemo ſibi dicat: occultè ago; apud Deum ago; novit Deus, qui mihi ignoſcat, quia in corde ago.*

Solvuntur. Reſponderi ad iſta poteſt, ex doctrina, jam tradita, hæc vel intelligenda eſſe de ſceleribus ſufficienter notis, vel de iis, quæ primò quidem fuerunt occulta, deinde autem ſunt propalata, & ad judicem deducta ac probata; nam de his publica erat agenda pœnitentia. Vel ſi aliqua ex allatis intelligenda ſunt de peccatis, quæ ſunt occulta, manéntque occulta, ſacræ illæ adductæ authoritates volunt, ea expianda eſſe pœnitentia ſacramentali, vel hortatu & conſilio Confeſſarii pœnitentes fuiſſe perſuaſos, ut pœnitentiam agant publicam.

Atque ut ſingillatim etiam aliquid ad ea, quæ fuerunt objecta, reſpondeatur. Ad 1. falſum eſt veteres Canones non diſtinxiſſe inter peccata publica & occulta, ut ex iis, quæ in probationem noſtræ ſententiæ adduximus, luculentè conſtat. Ad 2. ad ſcandalum & gravitatem ſimul attenderunt veteres, ùt pœnitentiam publicam injungerent. Ad 3. S. Baſilius pœnas decernit illi, qui mulierem, clàm vitiatam, domi ſuæ publicè retinet, veluti raptam. Ad 4. crimina illa, licèt fortè initio occulta, fuerunt poſtmodum propalata; nec tamen capitali ſupplicio fuerunt punita, eò quòd vel ad

ad judicium fæculare non fuerint delata, vel non probata, vel quòd præveniente judicio Ecclefiaftico, atque ad pœnitentiam Canonicam condemnante, poteftas laica acquieverit, præfertim cùm fæpiùs Epifcopi pro facinorofis ejusmodi intercederent. Si autem ejusmodi crimina fuerunt omnino fecreta, fecretò pariter pœnitentia fuit indicta.

Ad 5. falfum eft Clericos propter crimina occulta fuiffe excommunicatos & depofitos. Ad 6. licèt crimina fuerint publica, tamen peccatores ex pudore abhorrebant, in publico velut theatro tam abjectè ac contemptim tractari, plectíque. Sicut hodiedum facinorofi etiam publici, tamen ex pudore horrent fuftigationes, aliásque pœnas publicas. Imò multi funt, quos pudor revocat à peccatis etiam notoriis Confeffario clàm exponendis. Ad 7. meritò laudantur à S. Ambrofio, qui propter occulta etiam crimina *fponte* pœnitentiam publicam expetierunt, ac fubierunt: eísque fpem *veniæ*, hoc eft, abfolutionis Canonicæ, & publicæ cum Ecclefia reconciliationis facit. Ad 8. S. Leo fuftulit quidem abufum publicè confitendi peccata occulta: quia hoc fæpiùs fine fcandalo & læfione alienæ famæ fieri non poterat, ùt contigit in muliere illa publicè confitente peccatum cum Diacono commiffum in templo. Nullo tamen verbo S. Leo prodit, fuiffe morem occultis peccatis decernendi pœnitentiam publicam.

Ad locum, ex S. Auguftino allatum, refpondeo, S. Doctorem ibi difputare contra eos, quia more, quem fequuntur hodierni hæretici, afferebant, non Sacerdotis in aures, fed foli Deo in corde confeffionem peccatorum effe faciendam. Unde non loquitur de confeffione publica, fed privata facramentali. Ad quam non fufficit dicere: *Apud Deum ago: novit Deus &c.* Unde Auguftinus hanc fubjungit interrogationem: *Ergo fine caufa dictum eft, quæ folveritis in terra, foluta erunt in cœlo? ergo fine caufa funt claves datæ Ecclefiæ Dei? Fruftramus Evangelium Dei. Fruftramus verba Chrifti.* Neque obftare videtur, quòd S. Doctor addat, agendam pœnitentiam, ut pro pœnitentibus *Oret Ecclefia*, nam etiam per Confeffarium, tanquam Ecclefiæ miniftrum, ab Ecclefia conftitutum orat Ecclefia, ficut per eum in Miffæ facrificio, aliísque precationibus orat.

§. IV.

Quo tempore in Ecclesia cœptus finitúsque fuerit ritus pœnitentiæ publicæ?

40. *Benignitas Sæculi I.* Primo Ecclesiæ Sæculo, atque altero dimidio, benigna admodum fuit disciplina pœnitentiæ, donec videlicet Montanistæ, nimium rigorem præseferentes, facilitatem Ecclesiæ vehementiùs carperent.

Varia siquidem supersunt primæ Ecclesiæ monumenta, quibus docemur, peccatores facile cum Ecclesia fuisse reconciliatos. Sic S. Paulus incestuosum illum Corinthium, anathemate fulminatum, brevì restituit Ecclesiæ. S. Joannes Apostolus (quod ex Clemente Alexandrino refert Eusebius lib. 3. c. 23.) juvenem illum, suum priùs charum discipulum, deinde latronem, ac ducem latronum, quamprimum conversus fuerat, in gratiam & communionem Ecclesiæ recipit. Sic etiam in libro *Pastoris*, apocrypho licèt, magni tamen ab antiquis æstimato, frequens occurrit pœnitentiæ mentio, nullum tamen ejusdem tempus definitur. Sicut neque in cæteris primæ ætatis monumentis.

41. *Rigor post Montanum.* Sed neque à Montani hæresi usque ad Novatianam certum pœnitentiæ tempus canonibus præscriptum fuerat. Ut tamen hæreticis illis eriperetur occasio, Ecclesiam nimiæ indulgentiæ arguendi, severior cœpit disciplina, atque aliquod pœnitentiæ publicæ initium: colligere id licet ex historia de lapsis Sæculi III. sub Decio præsertim tyranno: atque ex testimonio S. Cypriani, *qui Epist.* 32. *ad Antonianum*, conqueritur adversùs *lapsos*, qui libellis martyrum muniti, vel nulla, vel levissima pœnitentia acta, reconciliari postulabant, atque ad communionem Ecclesiæ admittebantur.

Unde eorum in causa duplex decretum est emissum: unum *provisorium*, ùt vocabant, quo nempe provisum fuit, ut lapsis ejusmodi pax & communio concederetur; si urgeret mortis periculum &c. Alterum verò *peremptorium*, quo sancitum fuit, ut (extra mortis periculum) lapsi diutiùs agerent pœnitentiam; quin tamen certum tempus definiretur.

42. *Post Novatianum.* Post Novatianam deinde, tertio sæculo exortam hæresin, severissima cœpit Ecclesiæ disciplina circa gravissimos peccatores, in quatuor solennes gradus, *fletum* nempe, *auditionem*, *prostrationum* & *consistentiam* distributa: atque determinatum, pro ratione criminum, publicè pœnitendi spatium. Horum enim graduum expresse meminerunt

nerunt S. Gregorius Thavmaturgus, S. Basilius, S. Gregorius Nyssenus, aliíque Patres ac scriptores antiqui.

Probabilius igitur est, circa medium tertii Sæculi, quo tempore grassari cœpit hæresis Novatiana, cœpisse gradus illos solennes pœnitentiæ; quia illo tempore Gregorius Thavmaturgus (qui Primus illorum meminit) vivebat. In Ecclesia autem Latina nulla eorum graduum mentio invenitur ante sæculum sextum; quanquam haud dubiè aliquis pœnitentiæ publicæ usus in eandem jam ante fuerit introductus: ùt testatur Sozomenus *lib.* 7. *Hist. Eccles. cap.* 16.

Sicut autem in Oriente priùs cœpit, sic etiam, magnam saltem per partem, citius desiit hic ritus, quàm in Occidente. Rem enarrant Socrates *lib.* 5. *cap.* 19. & Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 16. & ita se habet.

Sæviente Decii persecutione, *Ecclesiarum Episcopi*, ùt refert Socrates, *Canoni adjunxerunt, ut in singulis Ecclesiis Presbyter quidam pœnitentiæ præesset, coram quo lapsi peccata sua confiterentur.* Secretas igitur hic *Pœnitentiarius* audiebat Confessiones, ac secretas injungebat pœnitentias. Quando autem quis crimen aliquod Canonicum commiserat (cui nempe Canones pœnitentiales Pœnitentiam publicam decreverant) Pœnitentiarius eum sacramentaliter absolutum ad Episcopi tribunal remisit, ut ab eo pœnitentiam publicam acceptaret. *Presbyterum itaque* (verba sunt Sozomeni) *vitæ integritate quàm maximè spectabilem, secretorum etiam tenacem ac sapientem, huic Officio præfecerunt. Eum accedentes, qui peccârunt, acta vitæ suæ confitebantur. Ille verò pro cujusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, interminatus, absolvebat, ùt à se ipsis commissorum pœnas exigerent* (en! datam absolutionem sacramentalem ante satisfactionem præstitam.)

43. *Pœnitentiarius Constantinopoli.*

Accidit autem Constantinopoli sub Nectario Episcopo, ut fœminæ, quæ Pœnitentiario secretò confessa fuerat, publice confiteretur, se, dum in templo precationes, quas Pœnitentiarius imposuerat, persolveret, à Diacono vitiatam fuisse. Hæc res magno urbi fuit scandalo, nec leviter populum in Clerum commovebat. Quare Nectarius, licèt Pœnitentiarius immunis omnino à culpa esset (neque enim jusserat fœminam id flagitium propalare) cum munere Pœnitentiarii sustulit pœnitentiam publicam de peccatis occultis, quam aliqui sponte susceperant: facta omnibus potestate, ut Sacerdoti, cui vellent, confiterentur, & ad communionem Evcharisticam accederent. Hócque exemplum reliquæ per

 Orien-

Orientem Ecclesiæ sequebantur, quæ & ipsæ Pœnitentiarium illum cum pœnitentia publica de peccatis saltem occultis sustulerunt.

44. *Finis in Oriente.* Igitur circa finem sæculi quarti abrogatus est in Orientali Ecclesia usus pœnitentiæ publicæ pro peccatis saltem occultis, quam nonnulli pœnitentes, sive ex consilio, sive ex mandato illius Pœnitentiarii subibant. Dixi autem: *Pro peccatis saltem occultis.* Nam licèt etiam de peccatis Canonicis omnino publicis ab eo tempore mitior fuerit pœnitentia publica, tamen eam adhuc aliquamdiu viguisse constat: donec sexto dein sæculo, sub Patriarcha Joanne Jejunatore, eâdem omnino extinctâ, secretæ duntaxat pœnæ injungerentur, & abstinentia aliquanto tempore à communione Evcharistica: quando gravissimum aliquod scelus fuerat patratum.

45. *In Occidente.* In Occidente autem diutius tenuit pœnitentiæ rigor, ad octavum videlicet usque sæculum. Tum verò antiquatus omnino fuit ille quorundam mos, de peccatis etiam occultis (quod sponte fecerant) agendi pœnitentiam publicam. Imò ne quidem ampliùs propter peccata publica solennes illæ quatuor pœnitentiæ stationes erant subeundæ. Tenuit tamen ad sæculum usque duodecimum aliqua in Occidente species pœnitentiæ publicæ, donec & illa abrogaretur; quando nempe usus obtinere frequentiùs cœpit, sacris Indulgentiis, eleemosynis, jejuniis, precationibus, expeditionibus in terram sanctam, spontaneisque corporis afflictationibus, pœnas canonicas redimendi.

§. V.

An relapsi rursus fuerint admissi ad pœnitentiam?

46. Resp. Certum est, eos, qui post expletam pœnitentiam publicam in peccata mortalia quidem, non tamen canonica, inciderunt, non fuisse subjectos pœnitentiæ publicæ; sed secreta tantùm pœnitentia sacramentali peccata expiâsse: ùt hodiedum contingit; quamvis gravior tunc imponeretur à Confessario satisfactio secreta, quàm hodie fieri consuevit.

47. *Pœnitentia publica tantùm semel.* Si autem pœnitentia publica perfunctus in eadem vel graviora scelera fuerat relapsus, non ampliùs admittebatur ad pœnitentiam publicam, utpote quæ semel tantùm peragebatur. Testem habemus S. Ambrosium, *lib.* 2. *de pœnit. cap.* 10. sic loquentem: *reprehenduntur, qui sæpiùs agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo.*

Christo. Nam si verè agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent: quia sicut unum baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Et S. Augustinus Epist. 153. ait, locum illius humillimæ pœnitentiæ ab Ecclesia semel tantùm concedi.

Debebant autem tales relapsi, à sacra communione Evcharistica exclusi, toto vitæ tempore privatam agere pœnitentiam. In fine autem vitæ sacra communio ipsis dabatur.

Exprimit hunc ritum Siricius Papa Epist. 1. ad Himerium Episcopum, cap. 5. à quo interrogatus, quomodo procedendum cum iis, qui post actam pœnitentiam publicam, in eadem scelera relaberentur, respondit: *De quibus* (relapsis) *quia jam suffragium non habent pœnitendi* (publicè) *id duximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint: à Dominicæ autem mensæ communione segregentur, ut hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscænis cupiditatibus retrahantur.* (en! privatam pœnitentiam, & publicam sacræ communionis privationem) *quibus tamen viatico munere, cùm ad Dominum cœperint proficisci per communionis gratiam volumus subveniri.* (Ecce communionem Evcharisticam in fine vitæ relapsis præbendam.) 48. *Ritus circa relapsos.* *Negata communio usque ad mortem.*

Videtur tamen probabilius, talibus relapsis, verè contritis, Sacramentum pœnitentiæ non esse negatum, neque dilatam absolutionem sacramentalem usque ad articulum mortis, sed post longiorem vitæ emendationem ritè confessis datam fuisse. Ratio est; quia non habentur (clara saltem) antiquitatis monumenta, quibus probetur tantus rigor, ut humiliter supplicantibus, verè dolentibus, omniáque sincerè promittentibus, & longiori jam tempore re ipsa emendatis, negatum fuerit Sacramentum pœnitentiæ, atque sic ritè confessis atque dispositis absolutio Sacramentalis. 49. *Concessa pœnitentia sacramentalis.*

Imò videtur non obscurè colligi contraria praxis. Nam imprimis omnia, quæ ex Patribus & Conciliis afferuntur de concedenda semel tantùm pœnitentia, intelligenda sunt de pœnitentia publica, nullatenus autem de privata Sacramentali. Sic enim S. Ambrosius *loc. cit.* expressè ait, illam negatam esse pœnitentiam, *quæ publicè agitur.* Ex altera verò parte veterum testimonia plus non evincunt, quàm communionem Evcharisticam fuisse negatam, atque ad finem vitæ dilatam.

Sic enim Siricus Papa *loc. cit.* relapsis privatam pœnitentiam indulget (quàm Sacramentalem fuisse non incongruè dicimus) tantúm-

túmque communionem ſacram iis usque ad vitæ exitum differendam aſſerit; nulla omnino mentione facta de differenda eò usque pœnitentia & abſolutione ſacramentali. S. Auguſtinus verò *Epiſt.* 54. ad Macedonium ait, neminem ita deſipere, ut dicat, relapſis non prodeſſe bona opera. Supponit ergo, per pœnitentiam privatam deleta eſſe peccata, gratiámque Dei impetratam; aliàs enim nulla merita ſupernaturalia potuiſſent ponere. Addítque S. Doctor, quamvis relapſis locus humillimæ pœnitentiæ in Eccleſia non concedatur, *Deum tamen ſuper eos ſuæ patientiæ non oblivisci.* Quibus verbis negat iis pœnitentiam publicam, concedit autem privatam, propter quam, ſecretò peractam, Deus eis veniam tribuit. Idem S. Pater eadem Epiſtola ſcribit, licèt altera pœnitentia (*publica*) relapſis negetur, rationabilem tamen eſſe eam conſuetudinem, qua Epiſcopi etiam pro illis apud Judices intercedebant, ne morti adjudicarentur. Si autem Eccleſia adeò illos abjeciſſet, ut ne quidem ad privatam pœnitentiam eos admitteret, cur Epiſcopus pro iis intercedebat, ne merito à Judice ſæculari plecterentur ſupplicio? Num animæ vitam negaret, corporis autem vitam etiam interceſſione ſua procuraret? meliùs utique atque optabilius illis fuiſſet, à peccatis abſolutos, & ſacra communione refectos ſtatim mori, quàm iſtis privatos, in peccatis, ac Dei inimicitia diu vivere.

Hinc idem S. Auguſtinus l. c. ſubdit: *Deus etiam ſuper tales* (relapſos) *facit oriri ſolem ſuum, nec minùs tribuit, quàm ante tribuebat, largiſſima munera vitæ & ſalutis.* Ecce! Deus poſt relapſum non minùs tribuit largiſſima munera vitæ & ſalutis. Atqui ante relapſum tribuit illis munera vitæ ſpiritualis & ſalutis per Sacramentum pœnitentiæ. Ergo etiam poſtea. Ac propterea ſic proſequitur: *& quamvis eis in Eccleſia locus humillimæ pœnitentiæ* (nempe publicæ) *non concedatur, Deus tamen ſuper eos patientiæ ſuæ non obliviſcitur.* Quatenus nempe per Sacramentum pœnitentiæ peccata remittit, & eos in gratiam recipit.

Et certè ſi Deus omnem peccatorem, etiam relapſum, qui contritionem perfectam, charitate informatam, elicit, in gratiam recipit, cur dicamus, eum à Sacramento pœnitentiæ rejici, aut Dei miniſtros adeò immites eſſe, ut ei abſolutionem negent, quem Deus abſolvit, eúmque rejiciant, quem Deus recipit? Unde non videtur veriſimile, S. Auguſtinum in iſtis locis de ſola pœnitentia, *quatenus eſt virtus*, locutum eſſe, ſed etiam, & principaliter, de eadem, *ùt eſt Sacratum.* Viſum nempe antiquitati, homines abſterrendos rigore pœnæ à vitiis, non tamen in deſperationem impellendos. Unde con-

conceſſa quidem, neceſſaria ad ſalutem ex Chriſti inſtitutione, ſacramentalis pœnitentia, qua amiſſam Dei gratiam repararent, impoſita tamen pro toto vitæ tempore pœnalis ſatisfactio privata, & usque ad mortem (quæ magna ſanè homini Chriſtiano eſt pœna) negata communio Eucharistica.

Alexander Natalis, qui *diſſert.* 10. *in Hiſt. Eccleſ. ſæc.* 3. aſſerit, non tantùm ad publicam, ſed etiam privatam pœnitentiam præcluſum fuiſſe relapſis aditum, ſententiam ſuam probat ex Tertulliano, qui plures rationes affert negatæ illis pœnitentiæ. Verùm (præterquam, quòd etiam Tertullianus intelligi poſſit de negata pœnitentia publica) illius authoritas hac in re non magni eſt momenti: cùm conſtet, eum in nimium rigorem prolapſum, & tandem Montani Doctrinæ adhæſiſſe. Et planè, ſi bonæ ſunt illius rationes, quas Natalis dilaudat, ſequeretur, Eccleſiam poſterioribus ſæculis imprudenter egiſſe, quod relapſis aditum ad pœnitentiam concedat: cùm illæ (ùt *gravitas relapsûs*, *timoris extinctio, Dei contemptus & ingratitudo, diaboli prælatio*) pro poſteriore etiam ætate pugnent, imò etiam pro mortis articulo. 50. *Natalis argumenta.*

S. Clemens Alexandrinus pariter intelligendus eſt de pœnitentia publica, relapſis negata, uti etiam S. Ambroſius; cùm expreſsè dicat, ſe loqui de pœnitentia, *quæ publicè agitur.* Quando autem addit: *nam quotidiani nos debet pœnitere delicti: ſed hæc delictorum leviorum eſt, illa graviorum*, in eo ponit diſcrimen, quòd pœnitentia privata de delictis non Canonicis plenè reconciliet, etiam Eccleſiæ, ac pro foro externo, non autem pœnitentia de peccatis Canonicis, quæ communionem non tribuit. Cæterùm ſi relapſis conceſſa eſt pœnitentia privata de peccatis mortalibus non Canonicis, hoc ipſo etiam conceſſa eſt de Canonicis; cùm unum peccatum mortale remitti non poſſit ſine altero. 51. *Solvuntur.*

At fruſtra fuiſſent minæ, inquit Natalis, quæ à SS. Patribus fuerunt intentatæ ſecundò peccantibus, ſi privata ipſis fuiſſet conceſſa pœnitentia. Imò feliciores fuiſſent, atque mitiùs excepti, quàm primò peccantes.

Reſp. primò peccantes, peracta pœnitentia publica, plenè reconciliabantur cum Eccleſia, atque ad communionem etiam Eucharisticam admittebantur. Relapſi autem perpetuò usque ad finem vitæ ab illa arcebantur: quod homini verè ad Deum converſo eſt graviſſimum, præſertim cùm eſſet ſpecies quædam excommunicationis perpetuæ. Unde duriùs cum illis actum recta æſtimatione cenſeri debet; neque ineptæ erant minæ, quibus pœnitentiâ publica perfuncti à relapſu abſterrebantur. Cæte-

Cæterùm illud adhuc nota. Si, ùt ait Natalis, relapsis illimitatè omnis pœnitentiæ, tam privatæ quàm publicæ, præclusus fuit aditus, sequitur planè, illos ne quidem pœnitentiam, prout est virtus, potuisse agere. Nam pœnitentia privata dividitur in eam, quæ est *virtus*, & in eam, quæ est Sacramentum. Si ergo simpliciter à pœnitentia privata fuerunt exclusi, (ùt ait Natalis) ab utraque fuerunt exclusi. Quod utique est nimium.

52. *Nimiùm probarent.* Et hoc est, quod probarent Argumenta Natalis, si quid probarent. Nempe, ne quidem per pœnitentiam, ùt est virtus contritionis perfectæ, potuisse relapsos obtinere veniam; imò quòd ne quidem in articulo mortis admissi sint ad Sacramentum pœnitentiæ & absolutionem.

Nam si semel tantùm pœnitere licuit; si relapsis nunquam ampliùs fuit concessa pœnitentia; propter gravitatem relapsûs, timoris extinctionem, Dei contemptum: prælationem diaboli, nunquam ampliùs reserata fuit pœnitentiæ janua: ùt ex Tertulliano arguit. Si voluntariè peccantibus jam non ampliùs relinquitur hostia; si sæpè pœnitere est rursus meditatio peccatorum, ut ex Clemente Alexandrino asserit. Si sicut unum baptisma, sic una tantùm est pœnitentia; si meritò reprehenduntur, qui pœnitentiam sæpius agendam putant, ùt S. Ambrosium loquentem inducit. Si, inquam, hæc ita universaliter non tantùm de pœnitentia publica, sed etiam privata intelligenda sunt, ùt vult Natalis, profectò neque per pœnitentiam, ùt est virtus, obtinere amplius poterant veniam, neque in articulo mortis admissi sunt ad pœnitentiam, ùt est Sacramentum. Quid autem hoc aliud est, quàm id docere, quod in Novatianis damnavit Ecclesia, & desperationis laqueum collo injicere? num dicerent cum Caino: *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear?*

De pœnitentia igitur publica, non iteranda, locuti sunt isti Patres. De privata autem senserunt, quod S. Joannes Chrysostomus *homil.* 20. *in Epist. ad Hebr.* sic enim ille, ùt citatur à Magistro sententiarum *lib.* 4. *dist.* 14. in illa verba S. Pauli, *voluntariè peccantibus nobis non relinquitur pro peccatis hostia: sciendum*, inquit, *quòd hic quidam exurgunt, horum occasione verborum pœnitentiam auferentes, quasi per pœnitentiam non valeat peccator post lapsum resurgere secundò, & tertiò & deinceps. Verùm etiam in hoc pœnitentiam non excludit* (S. Paulus) *nec propitiationem, quæ sæpè fit per pœnitentiam, sed secundum baptismum, & hostiam.* Adeóque reiteratio baptismi, & hostiæ, cruento modo in cruce oblatæ, negatur à S. Paulo, non autem reiteratio pœnitentiæ.

Idem

Idem ſenſus eſt ſecundùm aliam lectionem ejusdem textus S. Chryſoſtomi, quæ ita habet: *hîc non tollit* (S. Paulus) *pœnitentiam, nec eam, quæ per pœnitentiam fit, placationem: neque expellit, & dejicit per desperationem eum, qui eſt lapſus (non enim eſt adeò inimicus noſtræ ſalutis) ſed ſecundum tantùm lavacrum aufert. Non enim dixit: non eſt ampliùs pœnitentia, neque eſt ampliùs remiſſio; ſed: non eſt ampliùs hoſtia: hoc eſt: non eſt ampliùs crux ſecunda: hoc enim vocat hoſtiam.* 53. *Mens Patrum.*

Eodem modo S. Thomas *part* 3. *q.* 84. *art.* 10. *ad* 1. reſpondet ad objectionem, petitam ex eodem Apoſtolo, qui ad Hebr 6. ait, impoſſibile eſſe, eos, qui ſemel ſunt illuminati, & guſtaverunt cœleſte donum, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, renovari rurſus ad pœnitentiam. En! S. Doctoris verba: *quia apud Judæos erant ſecundùm legem quædam lavacra inſtituta, in quibus pluries ſe ab immunditiis purgabant, credebant aliqui Judæorum, quòd etiam per lavacrum baptiſmi aliquis pluries purificari poſſit. Ad quod excludendum, Apoſtolus ſcribit Hebræis, quòd impoſſibile eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati, ſcilicet per baptiſmum, rurſus renovari ad pœnitentiam, ſcilicet per baptiſmum, qui eſt lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti.*

S. Thomas loco citato ex inſtituto de hac re tractat; & licèt quæſtionem Juris, *utrum Sacramentum pœnitentiæ debeat iterari*, potiſſimùm examinet, tamen ex ea quæſtio etiam facti de antiquitatis uſu deciſa colligitur.

Nam *cit. art.* 10. *in corp.* ait, circa pœnitentiam quosdam errâſſe, dicentes, *non poſſe per eam hominem ſecundò conſequi veniam peccatorum.* Novatianos hunc errorem adhuc ulteriùs extendiſſe, *ut dicerent, poſt primam pœnitentiam, quæ agitur in baptiſmo, peccantem non poſſe per pœnitentiam iteratò reſtitui.* Ecce! errorem geminum notat, alterum Novatianorum, qui abſolutè negabant, peccata poſt baptiſmum commiſſa per pœnitentiam poſſe dimitti: alterum eorum, qui dicebant, tantùm ſemel per pœnitentiam obtineri peccatorum veniam.

Hos etiam poſteriores hæreticis annumerat Doctor Angelicus: nam proximè hæc ſubdit: *alii verò fuerunt hæretici (ùt Auguſtinus dicit in lib. de pœnitentia) qui poſt baptiſmum dicebant quidem utilem eſſe pœnitentiam, non tamen pluries, ſed ſemel tantùm.* Quis autem dicat, eam in veteri Eccleſia fuiſſe conſuetudinem, quam S. Doctor hæreticam hîc dicit?

Refutat deinde argumentum geminum, quo error ille nitebatur Alterum illorum (quo etiam Natalis utitur) qui errabant circa

 æſti-

æstimationem gravitatis peccati. *Putabant enim* (verba sunt S. Thomæ) *adeò grave esse peccatum, quod aliquis committit post impetratam veniam peccatorum, quòd non sit possibile ipsum remitti. In quo quidem errabant &c.* Pergitque commendare infinitam Dei misericordiam, quæ *peccantibus per pœnitentiam veniam præbet absque ullo termino*: citátque illud Paral. ult. *immensa & investigabilis misericordia promissionis tuæ super malitiam hominum.* Promisit videlicet Deus O. M. cujus miserationes sunt super omnia opera ejus, per Prophetas suos, in quacunque hora peccator pœnitentiam egerit, se omnium iniquitatum ejus non recordaturum.

Respondet Natalis, S. Thomam spectâsse disciplinam suo tempore vigentem. Sed hoc falsum esse patet ex eo, tum quòd prorsus universaliter loquatur; tum quòd errorem Novatianorum, aliósque antiquissimos referat, & refutet; tum etiam, quòd objectiones ex S. Paulo, S. Ambrosio, & S. Gregorio, petitas solvat. Denique, citans S. Augustinum, inter hæreticos collocat eos, qui dixerant, pœnitentiam non posse pluries agi. Quo sanè docet, nunquam in Ecclesia fuisse eam doctrinam.

Rursus *in 4. sentent dist. 14. q. 1. art. 5. quæstiunc. 2.* postquam S. Thomas tres rationes attulit, cur pœnitentia solennis, seu publica, non debeat iterari, mox subjungit: *si tamen postmodum peccaverit* (nempe post pœnitentiam publicam actam) *non clauditur ei locus pœnitentiæ: sed pœnitentia solennis ei iterum injungenda non est.* Ubi planè non de disciplina sui temporis est locutus S. Doctor (ùt vult Natalis) cùm tempore S. Thomæ non ampliùs fuerit in usu pœnitentia publica.

Quàm fideliter autem hic Thomista cæteroquin etiam S. Thomam sequatur, ex eo quoque apparet, quòd S. Doctor *part. 2. quæst. 84. art. 10. ad 2.* expresè doceat, S. Ambrosium loqui de pœnitentia solenni, quando dicit, reprehendi eos, qui sæpiùs agendam pœnitentiam putant. At Discipulus Magistrum reformat, dicítque S. Ambrosium non loqui de pœnitentia publica, sed privata.

ARTICULUS V.

Resolvuntur quæstiones aliquot criticæ circa controversiam de Baptismo hæreticorum.

54. Quæritur 1. *An S. Cyprianus cum suis Africanis, & Firmilianus cum suis Asiaticis Coepiscopis, à Stephano Papa fuerint communione privati?*

Nata-

Natalis Alexander *Differt.* 12. *in Hist. Eccles. sæc.* 1. cum Ludovico Du Mesnil, aliisque nonnullis, censet, Stephanum eis excommunicationem tantùm fuisse comminatum.

Quia S. Augustinus *lib.* 5 *de bapt. contra Donat. cap.* 25. ait, eos in unitate & vinculo pacis permansisse, vincente pace Christi in cordibus eorum, ut nullum inter eos schismatis malum oriretur. Et quamvis S. Cyprianus in suis ad diversos Episcopos Epistolis vehementiùs in S. Stephanum Papam fuerit invectus, semper tamen, etiam in trino suo Concilio, Carthagine habito, est contestatus, se propter illam dissensionem pacem & unitatem cum Stephano nolle abrumpere. 55. *Sententia negativa.*

Baronius verò ad annum 258. scribit, *Firmilianum* cum Episcopis, qui in *Synodo Iconiensi* statuerant, baptismum, ab hæreticis collatum, esse invalidum, à Stephano Papa fuisse excommunicatos. Constantinus autem *Roncaglia* in suis animadversionibus ad Natalis hac de re dissertationem contendit, etiam S. Cyprianum fuisse excommunicatum. 56. *Affirmativa.*

Idque probat ex Epistola Firmiliani ad S. Cyprianum, in qua acriter conqueritur de Stephano, quòd pacem & unitatem in Asia & Africa ruperit, quòd Legatos *Iconiensis Concilii* neque ad alloquium venire sit passus, sed prohibuerit eos vel domo recipi. *Dionysius* etiam Alexandrinus (ùt est apud Eusebium *lib.* 7. *cap.* 4.) scripsit ad Xistum, Stephani successorem, quòd Stephanus cum illis noluerit communicare.

Ad meliùs dici videtur, eos non quidem fuisse anathemate percussos, seu excommunicatos excommunicatione strictè dicta, sicque ab Ecclesia Catholica abscissos; fuisse tamen communione cum Stephano privatos, sícque excommunicatos excommunicatione minùs propriè tali: quatenus nempe à Stephano Papa, qui eorum errori, & pertinaciæ in eodem defendendo, indignabatur, nullas ampliùs pacificas Epistolas acceperunt, neque eorum Legati in conspectum, aut in domum admissi fuerant: ut ipsos hac ratione ad debitam obedientiam flecteret. Aliud enim erat apud veteres, ùt advertit P. Du Mesnil, aliquem excommunicare; & aliud, eundem communione privare, omittendo tantùm amicitiæ & fraternitatis familiaria officia. Etiam pater quandoque filium conspectu & mensa sua prohibet, quin propterea eundem omnino abdicet, aut à familia sua abscindat. 57. *Eligitur media.*

Ratio autem in hac controversia ita distinguendi est, quia sic optimè combinantur testimonia, quæ pro utraque sententia oppo-

ſita afferuntur. Sic enim explicatur, quod teſtatur S. Auguſtinus, eos nempe manſiſſe pacis vinculo colligatos, quin ſchiſma aliquod oriretur: quia nunquam per expreſſam excommunicationis ſententiam à corpore Eccleſiæ Cyprianus & Firmilianus fuerant abſciſſi, ſimúlque ſolvitur ratio oppoſitæ ſententiæ. Nam Firmilianus, dum ſcripſit, à Stephano ruptam eſſe pacem & unitatem, aliud non intellexit, quàm Stephanum excommunicationem eſſe minitatum, & neque Epiſtolas neque Legatos voluiſſe ab eis ampliùs admittere, ſícque eos communione ſua privâſſa: non autem quòd anathema & excommunicationis propriè dictæ fulmen in eos actu intorſerit.

58. Quæritur ſecundò, *an Aſiatici Africanique Epiſcopi exiſtimàrint, controverſiam de rebaptizandis hæreticis ad fidem pertinere?* Videri poſſet, viſum ipſis fuiſſe, quæſtionem eſſe dogmaticam. Quia Cyprianus *Epiſt.* 74. *ad Pompeium* ſententiam Stephani vocat errorem, quem pro cauſa hæreticorum propugnet contra Eccleſiam Dei; addítque, eum anteponere humanam traditionem Divinæ diſpoſitioni: & in *Epiſt. ad Jubajanum* innuit, ſententiam de rebaptizandis hæreticis eſſe à Spiritu S. revelatam, cui Stephanus pertinaciter obſiſtat.

59. *Negativa.* Verùm Cyprianus ſententiam Stephani errorem vocat, tantùm contra diſciplinam, non autem contra fidem: Divinam verò diſpoſitionem & revelationem ſumpſit in ſenſu latiore: prout ſcilicet ſententia ſua (ùt errabat) eſſet nixa ratiocinio, quo putabat colligi, eam veritati, ac Divinæ diſpoſitioni magìs conſentaneam. Hinc crebriùs repetebat, Stephanum pugnare conſuetudine & traditione, ſe autem veritate: quam ſe aſſecutum nimis fidenter & pertinaciter tuebatur. Indigniſſimum nempe ipſi viſum eſt, quòd hæretici, qui ſunt extra Eccleſiam, Eccleſiæ membrum poſſint efficere, & dare Spiritum S. quem non habent. Hinc tot illius verboſæ exclamationes in S. Stephanum Papam.

Sententiam tamen ſuam nunquam credidit eſſe de fide, aut oppoſitam hæreticam. Quod vel ex eo manifeſtè patet, quòd ad Stephanum Papam ſcripſerit, ſe ſalvo pacis & concordiæ vinculo nemini legem dare: *Cùm habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum unusquiſque Præpoſitus, rationem actus ſui Domino redditurus.* Hinc etiam illa toties in Conciliis & in Epiſtolis facta ab eo proteſtatio, ſe propter iſtam diſſenſionem neminem, ſi diverſum ſenſerit, à jure communionis amovere, ſed ſervaturum unionis vinculum integrum. Atqui ſi credidiſſet, ſententiam ſuam eſſe

eſſe de fide, non retinuiſſet unionem cum illis, qui tuebantur oppoſitam. Neque enim in iis, quæ pertinent ad fidem, eſt liberum Epiſcopo adminiſtrare Eccleſiam pro ſuo arbitrio, ſed neceſſe habet eam regere ſecundùm fidem Catholicam Igitur S. Cyprianus quæſtionem illam meram diſciplinam ſpectare exiſtimabat, non autem fidem. Idem dicendum de Epiſcopis Africanis, qui Cypriano adhærebant, & Epiſcopis Aſiaticis, qui Firmilianum ſequebantur. Imò ante Eccleſiæ definitionem, quæſtio illa etiam ab aliis non habebatur pro dogmatica: quia nondum ſufficienter conſtabat de revelatione. Poſtquam verò Eccleſia, præſertim in Concilio plenario Nicæno, ſententiam Stephani Papæ circa Baptiſmum definivit (ſicut ſententiam Victoris Papæ circa tempus Paſchatis) hæreticum jam eſſet dicere, ab hæreſi converſos eſſe rebaptizandos, ſi jam antè cum debita materia, forma, & intentione, fuiſſent baptizati: quia nunc de Divina traditione & revelatione ſufficienter conſtat.

Quæritur tertiò, *an Cyprianus & Firmilianus errorem ſuum depoſuerint?* Cardinalis Baronius ad annum 258. cenſet, eos reſipuiſſe atque errorem depoſuiſſe. Quo ad reſipiſcentiam Cypriani & Afrorum teſtem habet S. Hieronymum, qui in Dialogo contra Luciferianos aſſerit, Africanos Epiſcopos errorem de rebaptizandis hæreticis depoſuiſſe: *Denique illi ipſi*, inquit, *Epiſcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo* (Cypriano) *ſtatuerant, ad antiquam conſuetudinem revoluti novum emiſére decretum.* 60. 61. *Affirmat Hieronymus.*

Pro converſione Firmiliani ejusque aſſeclarum argumentum affertur ex S. Dionyſio Alexandrino, qui ad Stephanum Papam ſcripſit, omnes Orientales Eccleſias, eorúmque Præſides (quos inter etiam nominat Firmilianam) nonnulla diſſenſione diſtractas, ad concordiam eſſe reductas. Et S. Auguſtinus *lib.* 3. *contra Creſcon.* ait, quinquaginta Epiſcopis Orientalibus id eſſe viſum (circa Baptiſmum) quod ſeptuaginta Afris, contra tot millia Epiſcoporum, quibus hic error in toto mundo diſplicuit. Et addit: *Cur non potiùs etiam ipſos paucos Orientales ſuum judicium correxiſſe dicamus?* Neque ſufficit dicere cum Natale, Orientales reſcidiſſe quidem ſuum judicium, ſed non eos ipſos, qui tulerant, id eſt, Firmilianum & ejus Coepiſcopos. Nam S. Auguſtinus loquitur de 50. Orientalibus, qui Firmiliano, & 70. Afris Epiſcopis, qui tempore Stephani Cypriano adhæſerant. *Inclinat Auguſtinus.*

Denique Baronius ex eo etiam argumentum adducit, quòd poſt eam controverſiam Firmilianus Catholicos inter Epiſcopos

in Concilio Antiocheno damnationi Pauli Samosateni subscripse rit, & in fama sanctitatis Sardis decesserit, atque à Græca Ecclesia pro sancto colatur. Quæ argumento sunt, eum ab errore recessisse.

62. *Negat Natalis.* Contra verò Natalis loc. cit. conatur evincere, Firmilianum, aliósque Orientales Episcopos, errorem suum de Baptismo non deposuisse, tempore saltem Dionysii Alexandrini: (qui non tantùm Stephano, sed etiam Xisto & Dionysio Romanis Pontificibus superstes fuit) quia hìc sanctus in Epist. ad Xistum successorem Stephani, sententiam Cypriani & Firmiliani apertè approbat propter authoritatem maximorum Conciliorum, Iconiensis nempe & Synadensis. Quod argumento est, Orientales, qui istis Conciliis interfuerant, errorum suum tunc necdum revocâsse. Aliàs Dionysius non tenuisset adhuc eorum errorem.

Ex Dionysio Alexandrino. Verùm, S. Dionysium rebaptizantium errori adhæsisse, non adeò apertè constat ex Eusebii *lib.* 7. *cap* 5. (vel potiùs 4.) quem locum citat Natalis: cùm ibi Dionysius præcisè narret, in hac causa maxima concilia esse celebrata, séque pro Afris & Asianis apud Stephanum per Epistolam esse deprecatum.

Imò Roncaglia, in animadversione ad hunc Natalis locum, pluribus argumentis conatur probare, Dionysium Alexandrinum nunquam rebaptizantium errorem approbâsse. Quia fuit vir sanctus (*at etiam Cyprianus vir sanctus fuit*) quia Basilius pro Dionysio fert testimonium in Epistola canonica ad Amphilochium (*at Basilius loco citato nihil de hoc habet*) quia deprecatus est Stephanum pro Afris & Asiaticis, ergo non fuit in eadem cum eis causa. (*at potuit esse latentiùs, & primùm post martyrium Stephani, quod brevi subsecutum est, animum suum prodere.*)

Certè ipse Baronius ad ann. 258. apertè dicit, eandem sententiam, quam Cyprianus in Africa, Firmilianus in Cappadocia propugnabant, Dionysium in Ægypto acerrimo studio defendere conatum esse. Citátque Baronius in hanc rem S. Hieronymum, qui lib. de Scriptorib. Eccles. in Dionysio ait: *hìc in Cypriani & Africanæ Synodi dogma consentiens, de hæreticis rebaptizandis ad diversos plurimas misit Epistolas.*

Sed quidquid sit de sententia Dionysii in hac causa; ex ejus scriptis non eruitur, Firmilianum & Cyprianum errori suo fuisse immortuos. Imò non sequitur, quòd vivente adhuc Dionysio errorem suum non retractârint. Præsertim cùm Dionysius ad plurium Pontificum vitam ætatem suam extraxerit. Quo tempore tam ipse (si etiam erravit) quàm alii resipere potuerunt.

Quare

Quare incerta manet hæc res: ùt dudum fassus est S. Augustinus, qui *lib. 2 de bapt. contra donat. cap. 4* ait, Cyprianum fortassis revocâsse errorem, sed hoc nos nescire. Et Epist. 48. ad Vincentium Donatistam de eodem S. Cypriano scribit: *correxisse istam sententiam non invenitur: non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quòd correxerit: & fortâsse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimiùm delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.* 63. *Dubitat Augustinus.*

Licèt igitur S. Hieronymus loco citato existimet, errorem illum à Cypriano fuisse depositum, piéque id credi possit, tamen cùm S. Augustinus nullum de hac re monumentum noverit, incertámque relinquat, fortassis in quæstione facti Africani magìs adhærendum est Afro, quàm Dalmatæ: dicendúmque, quamvis probabile sit, eam revocationem esse factam, rem tamen incertam manere; præsertim cùm Augustinus controversiam de non iterando baptismo ex professo contra Donatistas tractârit: &, si solidum quid invenisset pro retractatione Cypriani, non omisisset illud expromere contra Donatistas rebaptizantes, qui vel maximè aggerebant authoritatem S. Cypriani, quem sententiæ suæ Magistrum jactitabant. At aliud erat, necdum eliquata, ùt S. Augustinus ait, veritate & re necdum ab Ecclesia definita errare, quod Cypriano & Firmiliano contigit: aliud, postquam plenarii Concilii, ùt loquitur idem Augustinus, habemus Oraculum. Sed

Quæritur quarto, *quodnam fuerit illud plenarium Concilium, quod appellat S. Augustinus, & in quo controversiam istam definitam dicit? an Arelatense I. an verò Nicænum I.?* 64.

Quidam putant, fuisse illud Concilium *Arelatense* primum: hoc etenim anno 314. celebratum can. 8. statuit: *ut, si ad Ecclesiam aliquis ab hæresi venerit, interrogent eum Symbolum, & si perviderint, eum in Patre & Filio, & Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum.* Quod ipsissimum antè S. Stephanus Papa rescripserat.

Alii verò existimant, *plenarium* illud *totius orbis Concilium*, fuisse ab Augustino intellectum *Nicænum*, quod can. 8. statuit, ut Cathari sive Novatiani, ad Ecclesiam redeuntes, manuum impositione reconciliati, maneant in Clero, si in secta sua sint ordinati clerici. Ut autem rursus baptizarentur, nullatenus est decretum: quia hæretici illi debitam materiam & formam adhibebant. Canone verò 19. sancitum est, ut Paulianistæ, seu sectatores Pauli Samosateni iterum baptizentur: quia non servabant formam legitimam.

Ex quibus benè infertur, ex mente Concilii Nicæni, baptismum

omnium hæreticorum, qui determinatam à Christo materiam & formam cum debita intentione adhibent, esse validum : cùm eadem pugnet ratio. Consequenter tales non esse rebaptizandos.

Atque hinc S. Hieronymus in Dialogo adversùs Luciferianos ait; *Synodus quoque Nicæna omnes hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni Discipulis.* Et S. Athanasius ad Constantium Imperatorem scripsit, per Concilium Nicænum omnes hæreses esse confossas. Quod dici non potuisset, si in ea Synodo non fuisset damnata etiam hæresis Donatistarum rebaptizantium, quæ tunc per Africam grassabatur. Cùm igitur ex utroque illo Concilio, Arelatensi nempe & Nicæno, habeatur, hæreticos non esse rebaptizandos, acriter disceptant eruditi, quodnam ex illis sub nomine *plenarii Concilii* fuerit intellectum à S. Augustino.

Nam alterutrum ex illis fuisse intellectum, vix est dubium : ait enim S. Augustinus, celebratum illud fuisse *post Cypriani passionem* (quæ contigit anno 258) *& antequam ipse natus esset.* (Natus autem est Augustinus anno 355) atqui intra obitum Cypriani & nativitatem Augustini tantùm illa duo Concilia sunt celebrata, quæ de baptismo tractârunt.

65. *Nicænum.* Censeo autem, probabiliùs ab Augustino intellectum esse Nicænum. Nam licèt Arelatense clariùs quàm Nicænum exprimat, hæreticos redeuntes non esse baptizandos; tamen, quæ Augustinus de illo dicit, videntur minùs convenire Arelatensi: nam in libris suis de baptismo, contra Donatistas scripto sæpiùs repetit, controversiam de baptismo, ab hæreticis collato, finitam fuisse *à plenario totius orbis Concilio*, *ab universæ Ecclesiæ Concilio*, *à sancto Concilio cunctarum gentium*, *à Concilio Catholico orbis terrarum.* Per quæ sanè verba S. Doctor intelligit Concilium *Oecumenicum & universale totius Ecclesiæ.* Atqui intra obitum S. Cypriani & nativitatem S. Augustini nullum est celebratum Concilium Oecumenicum, quàm Nicænum.

Licèt enim Concilium Arelatense I. (in causa Cæciliani congregatum) fuerit admodum numerosum; ex solis tamen Occidentalibus Episcopis erat conflatum, quod Augustinus non poterat appellare *plenarium totius orbis Concilium:* imò *Judicium Episcopale* tantùm appellavit.

Neque obstat, quòd S. Augustinus etiam Nationalia quandoque Concilia appellet *plenaria;* nam appellat plenaria alicujus gentis seu Nationis, puta, Africæ, Italiæ, Galliæ &c. non autem plenaria totius orbis; sicut istud, de quo loquimur, appellavit.

Neque

Neque etiam obſtat, quòd aliqui adhuc SS. Patres, ùt Cyrillus Hieroſolymitanus, Athanaſius &c. poſt Nicænam Synodum videantur dixiſſe baptiſmum hæreticorum eſſe invalidum. Nam hoc dixerunt, vel de baptiſmo, qui non cum debita materia & forma eſt adminiſtratus, utì apud plures hæreticos, præſertim Orientales contigit; vel id tantùm voluerunt, invalidum eſſe quoad effectum gratiæ in adultis baptizatis; non verò quoad Sacramentum & characterem.

Vel certè illa ætate necdum ſat noti omnibus fuerunt omnes Nicæni Canones. Prout non ſat noti erant Carthaginenſi Concilio; dum eosdem Conſtantinopoli & Alexandria accerſere neceſſe fuit, quando cauſa Appellationis cum Zoſimo Papa agitabatur.

CAPUT IV.
De Conciliis
SÆCULI IV.
Præſertim contra Donatiſtas & Arianos.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I.
De Conciliis
Contra Donatiſtas.

1. *Origo Donatiſtarum ex Cæciliani electione.*
2. *Quem accuſant & condemnant tanquam* Traditorem *in* Carthaginenſi Conciliabulo, *incentore Donato, eligúntque Majorinum pſeudo-Epiſcopum.*
3. *Donatus damnatus in* Romano Concilio, *Cæcilianus abſolutus.*
4. *At illi, cauſam non ſatis examinatam queſti, ad Imperatorem appellant. Sed rurſus condemnantur in* Concilio Arelatenſi I.; *abſoluto Cæciliano.*
5. *Cúmque pervicaces iterum ad Imperatorem provocarent, tum Romæ, tum Mediolani iterum condemnantur.*
6. *Quia Cæcilianum falsò* traditionis *accuſabant, cujus ipſi verè erant rei.*
7. *Duo deinceps per multos annos Carthagi-*

thaginenses Episcopi, Catholicus & Donatista.

8. Concilium Carthaginense I. *contra Donatistas, & pro disciplina.*

9. *Immanis ac sacrilegus Donatistarum furor, (Calvinistarum typus) eorum in sectas divisio.*

10. Concilia Catholica, *& celebris* Collatio Carthag.

11. *Donatistæ totam Ecclesiam defectionis accusabant, séque solos puros dicebant.*

12. *Typus hodiernorum sectariorum.*

13. *Misera facies Africanæ Ecclesiæ.*

ARTICULUS II.

Observatio in Concilia, celebrata in causa Donatistarum.

14. *Donatistarum Conciliabula.*

15. *Eorum contradictio in causa adversùs Cæcilianum.*

QUÆSTIO I.

An Constantinus in causa Cæciliani partes Judicis assumpserit, & an jure?

16. *Affirmat Natalis.*

17 18. 19. *Ejus Argumenta.*

20. 21. *Responsiones Roncagliæ ad Natalis Argumenta.*

22. *Causæ Ecclesiasticæ non pertinent ad forum sæculare.*

23. *Probatur ex Conciliis, ex Imperatoribus.*

24. *Ex iis, quæ Constantinus in causa Cæciliani egit, nullum infertur præjudicium immunitati Ecclesiasticæ.*

QUÆSTIO II.

An ex causa Cæciliani probetur jus appellandi à Pontificis sententia ad Concilium?

25. *Argumentum Bossueti ex S. Augustino depromptum expenditur, & solvitur.*

26. *Observatio: non obesse infallibilitati Papæ, si causa, ab eo indicata, iterum judicetur à Conciliis.*

27. *Quis fuerit auctor Donatistarum hæresis?*

28. *Oppugnatores Donatistarum.*

ARTICULUS III.

De ortu Arianæ Hæresis sub Constantino M.

29. *Origo Arianismi.*

30. *Arius damnatus à Concil.* Alexandrino I.

31. *Prin-*

ARTICULUS IV.

Observatio in Concilia, tempore Constantini M. habita in causa Arianorum.

ARTICULUS V.

Progressus Arianæ hæresis sub Constantio & Concilia sub eo habita.

mi-Arianorum. Cui accedit Constantius.

59. *Voluitque, ut omnes huic subscribant; indicto in Oriente Seleuciensi Conciliabulo Arianorum: in Occidente Concilio Catholicorum*

60. *Ariminenses Patres tandem formulæ Sirmiensi subscripserunt: reclamante Liberio Papa.*

61. *Conciliabulum Antiochenum deponit Meletium.*

62. *Interitus Constantii tyranni.*

63. *Julianus, licèt apostata, exules Episcopos liberat.*

64. *Concilium Alexandrinum de recipiendis lapsis in hæresin.*

65. *Declarata vox hypostasis.*

66. *Damnati in eadem synodo, Sabelliani, Eunomiani, Apollinaristæ.*

67. *Eusebius Vercellensis, & Hilarius Pictaviensis. Hic celebrat Concilium Parisiense: in quo damnantur Ariani.*

ARTICULUS VI.

Observatio in Concilium Antiochenum I.

68. *Variæ Arianorum in Catholicos Episcopos machinationes & Conciliabula.*

69. *An Antiochenum Concilium, in quo in locum S. Athanasii suffectus Gregorius Cappadox, fuerit legitimum? an Canonica illa electio.*

70. *Canones hujus synodi de disciplina.*

71. *An recepti in Ecclesia?*

ARTICULUS VII.

Observatio in Concilium Ariminense.

72. *Synopsis Conciliabulorum Arianorum.*

73. *An Ariminenses lapsi sint in hæresin?*

74. *Licèt essent lapsi, non tamen errâsset tota Ecclesia.*

75. *Sed nec ipsi lapsi sunt in hæresin.*

76. *Quia decepti verbis ambiguis Arianorum.*

77. *An verum, tunc totum orbem se Arianum esse miratum?*

78. *Hieronymus & Ambrosius explicantur.*

ARTICULUS VIII.

Conversio rerum sub Joviniano.

79. *Juliani, Athanasium persequentis, interitus. Joviani pietas.*

80. *Concil. Alexandrinum conficit synopsin fidei, & Joviano offert.*

81. *In Antiocheno Concilio Ariani Episcopi ad Ecclesiam redeunt.*

82. *Præmaturus obitus Joviani.*

ARTICULUS IX.

Furor Arianæ hæresis sub Valente.

83. *Semi-Ariani in Concil. Lampsaceno damnant Arianos.*

84. *Eudoxius pervertit Valentem.*

85. *Singedunense Conciliabulum Arianorum.*

86. *Auxentii Mediolanensis fraudes.*

87. *Romanum Concil. sub Damaso damnat Conciliabulum Ariminense cum Auxentio, Ursacio, & Valente, Episcopis Arianis.*

88. *Dira persecutio Valentis Imp. Ariani.*

89. *Athanasii obitus, & elogium.*

90. *Martyres Nicomedienses cum navi exusti.*

91. *Eudoxius Ulphilam, & per eum Gothos Ariana impietate inficit.*

92. *Interitus Valentis Imp.*

ARTICULUS X.

Ariana hæresis extincta in Oriente.

93. *Valentinianus II. à S. Ambrosio conversus.*

94. *Gratianus restituit Episcopos, à Valente ejectos.*

95. *Theodosius M. Religionem restaurat.*

96. *Antiochenum schisma.*

97. *Concilium Aquileiense contra Palladium & Secundinum.*

98. *Concilium Romanum contra Arianos.*

ARTICULUS XI.

Observatio in schisma Antiochenum.

§. I.

Synopsis Historica.

99. *Eustathius, Episcopus Sanctissimus, ab Arianis depositus: intruso Eudoxio. Cui, ad Sedem Constantinopolitanam promoto ab Arianis suffectus Meletius. Qui dein publicè Nicænam fidem profitetur.*

100. *Lucifer Calaritanus, Legatus Apostolicus, Meletio repudiato, Paulinum inaugurat. Unde schisma.*

101. *Indignante Eusebio Vercellensi, altero Legato Apostolico adversus acta Luciferi.*

102. *Contra pactum initum mortuo Meletio subrogatur Flavianus: Paulino verò Evagrius, cujus causæ favet Damasus Papa.*

§. II.

Utrum Meletius, an verò Paulinus fuerit legitimus Antiochiæ Episcopus?

103. *Uterque fuit vir sanctus.*
104. *Argumenta contra Meletium.*
105. *Opinio Natalis pro Meletio; quòd nunquam fuerit Arianus, & sufficiat unio* mediata *cum Ecclesia Romana.*
106. *Sub crisin vocatur.*
107. *Meletius tandem agnitus à Papa.*
108. *A quo tempore uterque fuit verus Episcopus Antiochiæ.*

ARTICULUS XII.

Observatio circa schisma Luciferianum.

109. *Synopsis Historica.*
110. *An Lucifer Calaritanus fuerit hæreticus, an verò tantùm schismaticus? quid Luciferiani?*

ARTICULUS XIII.

Arianismus per Gothos, Vandalos &c. reducitur in Occidentem.

111. *Discerptum sub Honorio Occidentale Imperium à peregrinis gentibus: Ministrorum insuper ambitione & perfidia in ruinam impulsum.*
112. *Stiliconis malis artibus in Italiam exciti Gothi: à Bonifacio Ætii fraudibus impulso, in Africam Wandali, utrique Ariani.*
113. *Irruptione Hunnorum, duce Atila.*
114. *Herulorum sub Odoacro Ariano, Roma capta. Theodoricus Gothorum Rex novum fundat in Italia Regnum Arianum.*
115. *Conciliabulum Africanum Arianorum sub Genserico.*

ARTICULUS XIV.

Arianismus in Occidente extinctus.

116. *Clodovæus, Alarico superato, conversus, Arianos ex Gallia ejicit.*
117. *Concilium Aurelianense II.*
118. *Epaunense, Sigismundo cum Burgundionibus ab Arianismo conversis.*
119. *Gilimer Vandalorum Rex Arianus à Belisario ex Africa Constantinopolim captivus abductus.*

120. *Af-*

ARTICULUS XV.

ARTICULUS XVI.

De novis Arianis, in Transylvania & Polonia.

ARTICULUS XVII.

Observatio de Lutheranis & Calvinistis, novi Arianismi parentibus.

148. *Lu-*

148. *Lutheranismus & Calvinismus ducunt ad Arianismum.*
149. *Lutherani & Calviniani ex suis principiis nullum hæreticum possunt convincere.*

ARTICULUS XVIII.

De Conciliis Sæc. IV. specialiter à Jure Canonico approbatis.

150. *Ancyranum Concilium.*
151. *Neo-Cæsareense.*
152. *Gangrense.*
153. *Laodicenum.*
154. *De septem Conciliis Carthaginensibus: quæ omnia tractant de disciplina excepto ultimo, quod est de Jure appellationum.*
155. *Africanum Nationale.*
156. *Arelatense I.*

ARTICULUS I.

Synopsis Historica Conciliorum contra schisma Donatistarum.

Præter alias duæ præcipuè hæreses Sæculo IV. afflixerunt Ecclesiam, *Donatistarum*, & *Arianorum*: illa in Africa, hæc in Asia, & toto propemodum orbe Christiano.

1. *Origo Donatistarum.* Donatistarum schismati, quod deinde, ùt facilè contingit, degeneravit in hæresin, occasionem dedit, tum Cypriani, ejúsque Synodorum, de baptismo iterando falsa sententia, tum atrox Diocletiani persecutio, edictúmque impium, ut Christiani vasa sacra, libros Ecclesiasticos, & suppellectilem, ad Ecclesias pertinentem, flammis exurenda, extraderent tyranni emissariis, ac Provinciarum Præfectis. Complures etenim Christiani persecutionis ac tormentorum metu sacros istos Ecclesiarum thesauros prodiderunt, ac tradiderunt: dicti propterea à Christianis *Traditores*. Atque ex traditoribus istis enati sunt *Donatistæ*. Id, quod hac ratione contigit.

Mensurius Carthaginensis Episcopus, à Maxentio Tyranno Romam evocatus, sacra Ecclesiæ vasa apud Seniores quosdam discessurus deposuit. Eo autem peregrè mortuo, in Episcopum Carthaginensem, ac Primatem totius Africæ per legitimam electionem subrogatus est *Cæcilianus*, qui Ecclesiæ vasa, à Mensurio, antecessore suo, deposita, repetiit. At depositarii perfidi, & sacrilegi, ut

Ab iis Cæcilianus accusatus,

ut illa sibi retinere possent, graviter accusant & iniquissimè Cæcilianum trium criminum; primò, quòd sæviente persecutione sacros libros tradiderit. Secundò, quòd à *Felice Aptungitano* Episcopo, *traditore* sit ordinatus Carthaginensis Archiepiscopus. Tertiò, quòd alimenta Martyribus, in carcere detentis, afferri prohibuerit: ac propterea eum non esse Episcopum, sed invasorem & usurpatorem. Et quamvis omnia tria accusationis capita essent falsa, tamen segregabant se ab ejus communione.

Horum dein operâ, ac opibus Lucillæ fœminæ divitis & præpotentis, quæ à Cæciliano adhuc Diacono se offensam putabat, convocatum est Carthagine anno 306. *Conciliabulum* 70. *Episcoporum*, præsertim ex Numidia; inter quos illi, qui antea in *Cirtensi* conciliabulo, anno 305. celebrato, fassi sunt, se *Traditores* esse, sibique motuò veniam indulserant, ne pœnam depositionis subeant. Jam verò indignè ferentes, se non exspectatis ordinatum Cæcilianum, eundem absentem condemnârunt, tanquam ordinatum illegitimè à traditore, eique substituunt pseudo Episcopum Carthaginensem *Majorinum*, Lucillæ domesticum, missis per totam Africam litteris. **2.** ***Et condemnatur.***

Divisa igitur est Africa in duas partes, altera Cæcilianum, altera Majorinum agnoscente Episcopum, atque altera alteram condemnante. Et quia schismatis incentor ac princeps erat *Donatus à casis nigris*, Episcopus, qui Cæciliano se opposuerunt, ac Majorino adhærebant, dicti sunt *Donatistæ*, (aliqui volunt eos ab alio Donato, Majorini successore, ita appellatos esse) quorum error in eo versabatur, quòd dicerent, ordinationem ab hæretico, aut malo Episcopo factam, esse nullam, atque omnino irritam, uti etiam baptismum ab hæreticis collatum. Videtur proin Donatistarum error enatus ex errore Cypriani & Conciliorum ab eo collectorum contra sententiam Stephani Romani Pontificis. Quamvis Donatistæ ulteriùs deinde progressi, à Catholica Ecclesia, quam corruptionis & defectionis accusabant, se omnino separârint, neque Catholicorum ampliùs nomine orthodoxos compellârint, sed *Cæcilianistarum*. Donatistæ, ut Cæcilianum exturbarent, sublato Maxentio ad Constantinum Imperatorem causam deferunt. Ille verò causam Ecclesiasticam ad Sacerdotes pertinere asserens, ad *Melchiadem* Papam atque Episcopos eos remisit. **3.** ***Donati error.***

Indictum igitur anno 313. *Romæ Concilium*, Papa Præside, in quo Cæcilianus absolutus, declaratúsque legitimus Episcopus: jussis Donatistis eidem tanquam vero Episcopo Carthaginensi & ***Damnatus Romæ.***

Africæ Primati, ſe ſubjicere. Donatus verò tanquam ſchiſmatis incentor excommunicatus eſt. At illi per Africam tumultuantes rurſus ad Conſtantinum provocant, ſuámque cauſam meliùs examinari poſtulant: quærebantur etenim, cauſam *Felicis Aptungitani*, traditoris, à quo Cæcilianus ordinatus fuerit, ne quidem tactam fuiſſe in eo Concilio. Quare Conſtantinus Proconſuli Africæ mandavit, ut cauſam illam diſquireret. Inventus Felix innocens, convictúſque *Ingentius* ſcripta de crimine falſi; quòd ſcilicet Cæciliani ad Felicem litteras falſificaverit. At illi inſtabant, cauſam meliùs examinari, quàm Concilium Romanum, alioquin ſibi ſuſpectum, feciſſet.

4. *Et in Concilio Arelatenſi.* Conſtantinus nimiùm in eos facilis, *Arelatenſe Concilium I.* procurat ſub Sylveſtro I. anno 314. in quo, abſoluto Cæciliano, à 200. Epiſcopis rurſus damnati ſunt Donatiſtæ; editíque 22. Canones. In octavo ſtatuitur contra Donatiſtas, non eſſe rebaptizandos, qui cum debita forma ab hæreticis ſunt baptizati. In nono litteræ Confeſſorum mutantur in communicatorias. In 13. traditores ab ordine cleri amovendos, ordinationes tamen eorum ſubſiſtere. Nullus autem traditionis alterum accuſet, niſi ex actis publicis poſſit probari.

5. *Appellant iterum ad Imperatorem.* Donatiſtæ iterum ad Imperatorem appellant, ſed iterum tum Romæ, tum Mediolani damnantur, etiam à Conſtantino, Cæcilianum abſolvente, cùm nihil adverſus eum eſſet probatum. Nec ſic tamen fracta illorum pertinacia. Sed in Catholicos furere perrexerunt, fixa etiam in ipſa urbe Romana ſede Epiſcopali, Conſtantino nimiùm illis indulgente.

6. *Inſania.* Mirum ſanè eſt, Donatiſtas tanta pervicacia in Cæcilianum potuiſſe graſſari, objicientes eidem, & quidem falsò, quòd à traditore ordinatus eſſet, cùm tamen ex ipſis multi fuiſſent traditores, ut à traditoribus ordinati, ut in conciliabulo Cirtenſi patuit. Imò in Synodo ſchiſmatica, quam anno 328. Carthagine ex multis ſuis Epiſcopis collegerant, ſtatuerunt, ut *traditores* ad communionem reciperentur, etiamſi nollent rebaptizari. Adeò nempe ſibi ipſis erant contrarii, ut, qui apud ſe ſolos veram Eccleſiam eſſe jactitabant, atque ſe ſolos omnino puros prædicabant, totum orbem Chriſtianum defectionis arguentes propter communionem cum Cæciliano, in ſe ipſis amarent, quod in aliis damnabant.

7. *Duo Epiſcopi Carthagine.* Mortuo Cæciliano Catholici *Gratum* creant Carthaginenſem Epiſcopum, Donatiſtæ verò poſt mortem Majorini Donatum, ut adeò deinceps duo eſſent Carthaginenſes Epiſcopi, Catholicus, & Dona

Donatiſta. Conſtans Imperator Majori efficacia, quam pater ejus, Donatiſtis ſe oppoſuit. Cúmque adversùs ejus legatos tumultum concitâſſent, plures occiſi ſunt. Quos inter Martyres ſuos Donatiſtæ numerabant, ad eum modum, quo ultimis hiſce ſæculis Lutherani & Calviniſtæ Martyres oſtentant, in quos tanquam rebelles Principibus ſuis & turbarum incentores juſtitia animadvertit.

Habitum dein Præſide *Grato Carthagine Concilium* Catholicum 8.
anno 348. in quo conditi 14. Canones contra Donatiſtas, & pro in *Concil.*
ſtauranda diſciplina. In primo prohibita rebaptizatio. Secundus *Carth.*
tractat de Martyrum ſepulchris & honorificentia. Tertius de Monialibus. Reliqui de Clericis.

Sub Juliano apoſtata revocati exules Donatiſtæ furorem in Catholicos, Eccleſias, ſacráque omnia inſtaurant, Sacramenta Eccleſiæ indigniſſimè tractant, Evchariſtiam canibus projiciunt, ſacrum Chrysma effundunt, frangunt ſacros calices, altaria ſubvertunt, aut ſacrilego ritu ea radunt, tanquam polluta à Catholicis, gaudente impio Imperatore apoſtata, Chriſtianos inter nutriri diſcordias. Miseranda ſubin inclinante ſæculo IV. Africanæ Eccleſiæ facies, Donatiſtis,
qui ad 400. Epiſcopos numerabant eandem ubique lacerantibus. 9.
Sed, ùt aliis contigit hæreſibus, in plures mox ſectas diviſus eſt error, *Furor &*
Maximianiſtis præcipuè, & *Primianiſtis* ſe mutuò damnantibus, po- *ſecta Do-*
ſtea tamen iterum inter ſe communicantibus: quam contradictio- *nat.*
nem ſæpiùs eis S. Auguſtinus objecit.

Sub initium dein ſæculi V. complura à Catholicis *Concilia* habita. In *primo* decreta legatio ad Anaſtaſium Pontificem, ut confirmet decretum, Donatiſtas converſos in priſtino dignitatis gradu relinquendi, ut eò faciliùs converti poſſent.

In *ſecundo Concilio* decreta conventio cum Donatiſtis. At illi pertinaces errori inhæſerant. Imò armata vi in Epiſcopos & Eccleſias irruebant. Quare Honorius Imperator graviſſimo edicto eorum hæreſin prohibuit.

In *tertio Concilio* decretum, agendas Honorio gratias pro edicto 10.
Imperiali, quo multi ad Eccleſiam reducti ſint. Cùm autem alii *Concilia*
abhuc contumaces crudelitate plùs quàm barbara in Catholicos *& colla-*
ſævirent, Honorius, ruentibus jam Imperii rebus, amicè diſſidia *tio Carth.*
componenda ratus, *collationem Carthagine* celebrari juſſit ab utriusque partis Epiſcopis anno 411. Convenêre Catholici 280. quos inter *Aurelius* Carthaginenſis, *Auguſtinus* Hipponenſis, & Alippius Tagaſtenſis Epiſcopus. Donatiſtæ 270. cum Primiano, Petiliano, Emerito, Gaudentio. Præfuit huic colloquio nomine Honorii

Cæsaris *Marcellinus* (postea à Donatistis falsò accusatus, à Marino Honorii Duce capite plexus) multi ad Ecclesiam reversi, convicti præsertim ab Augustino; cujus tum memorabile illud fuit effatum: *Quisquis ergo ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quamtumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quòd à Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

11. *Crisis de Donat.* Nota. Donatistæ (præterquam, quòd omnes, extra sectam suam baptizatos, rebaptizarent) Ecclesiam omnem extra Africam dicebant pollutam, maculatam ac deperditam propter communionem cum Cæciliano, adeóque eandem penès se solos in Africa reperiri, utpote qui se puros, integros ac mundos dicebant; ineptè sibi, in parte terræ meridionali degentibus, applicantes illud sponsæ in canticis: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Viderint hic, quos imitentur, qui Ecclesiam Christi corruptam ac deformatam criminantur, séque tanquam puros ab eadem separant. Legant isti libros, quos contra Donatistas S. Augustinus scripsit, & se ipsos mutato nomine confutatos confusósque invenient.

Duo maximè adversus eos urgebat S. Doctor: quantæ nempe sit dementiæ, Ecclesiam Christi, tot promissis ornatam atque per totum orbem diffusam defectionis arguere, séque solos reputare puros. Alterum erat contradictio, qua secum ipsis pugnabant, dum ab universali Ecclesia se separârunt, eò quòd hæc cum Cæciliano *traditore*, ùt ajebant & à traditore ordinato, communicaret; cùm tamen inter ipsos multi Episcopi essent *traditores* & à traditoribus ordinati, ac *Maximianistas* etiam recepissent, absque novo baptismo & ordinatione, quos tamen velut hæreticos antea damnârant; imò decretum etiam fecerint, recipiendi hæreticos, etiamsi baptizari nolint.

12. *Typus hodiernorum sectariorum.* Si hodie reviviseeret Augustinus, eodem jure Argumentum suum urgeret contra Lutheranos & Calvinianos; qui arbitrari se solos sapere, séque solos puros, ab universali Ecclesia tanquam corrupta se separârunt; quamvis eam in fide orthodoxa corruptam fuisse nunquam probârint, & Evangelica promissa eandem manifestè absolvant. Dein quàm evidens contradictio! à Catholica Ecclesia se separant, quia illam in aliquibus Articulis erroris accusant; & tamen Calvinistæ, si Præconibus Tigurinis fides, non tantùm Lutheranos, sed & Hussitas, Wicleffitas, Waldenses, Græcos, tanquam religionis ejusdem consortes, ad Ecclesiam suam novellam referunt; licèt in plurimis, ùt alias ostendimus, fidei Articulis

ticulis ſint diſcordes, ſéque mutua damnatione tanquam teterrimos hæreticos ſint inſectati.

Optamus illis ſortem meliorem, quàm experta ſint Africana Ecclesia. Quæ primò gentilium tyrannorum perſecutionibus atrociſſimè vexata, dein domeſticis turbis in cauſa baptiſmi agitata; tum à Donatiſtis ultra ſæculum miserè lacerata; poſtea à Vandalis exitiali laniena propemodum deleta; denique à Saracenis, communi velut Catoclysmo, penitus eſt abſorpta. 13. *Africa fata.*

ARTICULUS II.

Obſervatio in Concilia, celebrata in cauſa Donatiſtarum.

Ut ex dictis conſtat, in hac cauſa complura celebrata ſunt Concilia, tum à Donatiſtis, tum à Catholicis, tam ab utrisque ſimul.

Et quidem à Donatiſtarum anteſignanis jam anno 305. in *Concilio Cirtenſi*, (Cirtæ nimirum in Numidia celebrato) acriter initio inquirebatur in Epiſcopos *Traditores*, atque à Traditoribus ordinatos; ſed cùm nimis multi invenirentur rei, atque inter eos ipſe etiam Concilii Præſes, *Secundus*, Numidiæ Primas, quod ſcilicet ſæviente Diocletiani perſecutione ſacra Eccleſiæ vaſa, libros ac theſauros gentilibus tradiderit, totam hanc rem ſilentio involvendam duxêre, totùmque traditorum gregem in communionem receperunt. 14. *Donatiſtarum Concilia.*

Alterum *Concilium* celebrârunt paulò pòſt *Carthagine*; in quo Cæcilianum, falsò accuſatum, quòd à traditore (Felice Aptungitano) ordinatus eſſet, depoſuerunt, & *Majorinum* intruſerunt, illi ipſi potiſſimùm Epiſcopi qui traditionis convicti, in Cirtenſi Conciliabulo, criminis hujus veniam ſibi mutuò indulſerant. Id, quod ipſis ſæpe objecerunt Catholici. Sic enim Optatus Milevitanus *lib.* I *adv. Parmenianum*, tertium Donatiſtarum Carthaginenſem pſeudo-Epiſcopum, *habes ergo* (inquit) *Parmeniane frater, qui manifeſti fuerint traditores. Deinde non poſt longum tempus iidem ipſi, tot & tales, ad Carthaginem profecti, Traditores, conjurati homicidæ; Majorinum, cujus tu Cathedram tenes, poſt ordinationem Cæciliani ordinaverunt, ſchiſma facientes.* Miſſa deinde ad Imperatorem epiſtola Judices ex Gallia ſibi dari poſtulârunt. Imperator autem ad Pontificem Romanum eos remiſit, deſtinatis tamen eò tribus Epiſcopis Gallis, qui intereſſent Concilio. 15. *Eorum contradictio.*

In tertio deinde *Concilio Carthagine* pariter celebrato, ſub Donato, altero Carthaginenſi pſeudo-Epiſcopo, traditores (& à traditoribus ordinati) à Donatiſtis in communionem recepti ſunt, licèt nollent baptizari. Quod ipſis objicit S. Auguſtinus *Epiſt.* 46. *ad Vincentium.*

Catholici verò in cauſa Cæciliani contra Donatiſtas celebrârunt primò *Concilium Romanum*, Præſide Melchiade ſummo Pontifice, cui aſſedêre 18. Epiſcopi, tres Galli, reliqui Itali, à Papa electi. Damnatus in hoc Donatus, quòd ſchisma fecerit, & rebaptizarit; abſolutus Cæcilianus (anno 313.) cúmque Donatiſtæ ab hoc *Romano Concilio* ad Conſtantinum provocâſſet (vel ſaltem ùt aliqui volunt, querelas detuliſſent, quòd malè ſit judicatum, quia cauſa Felicis Âptungitani ſit prætermiſſa) ejus & Pontificis operâ anno ſequente Concilium *Arelatenſe I.* multò numeroſius, 200. nempe Epiſcoporum, ex variis Occidentalibus Provinciis eſt collectum. Atque in eo rurſus abſolutus eſt Cæcilianus, damnatique Donatiſtæ. At cùm necdum acquieſcerent, primùm Conſtantinus, dein Conſtans ejus filius, exilio eos damnârunt. Ac poſtea etiam Valentinianus, Theodoſius ſenior, & Honorius variis in rebaptizantes pœnis animadverterunt. Ex quibus jam reſultant aliquæ quæſtiones, breviter diſcutiendæ.

QUÆSTIO. I.

An Conſtantinus Imperator in hac cauſa Eccleſiaſtica Judicis partes jure aſſumpſerit.

Non tantùm Proteſtantes, ex Lutheri & Calvini diſciplina, id affirmant, ſed etiam quidam Catholici cum Alexandro Natali *Diſ-*
16. Natalis *ſert. 5. in Hiſt. Eccleſ. ſæc. IV.* ubi ait: *Jure ſuo Conſtantinus Imperator uſus eſt; ſive cùm Cæciliano & Donatiſtis Judices dedit, qui eorum cauſam in Concilio Romano diſcuterent, ac finirent, ſive cùm Donatiſtis, ejus tribunal appellantibus, alterum judicium Epiſcopale in urbe Arelatenſi conceſſit; ſivè cùm Felicis Aptungitani cauſam Æliani Proconſulis examini ac judicia commiſit; ſive cùm rurſus ad ejus Majeſtatem provocantibus Hæreticis poſt Concilium Arelatenſe, ultimum hac in cauſa tulit judicium.*

Argumentum primum. Probatque primam partem hujus ſuæ propoſitionis (*circa indictionem Concilii Romani*) ex S. Auguſtino, qui Epiſt. 162. ait: *Rogatus quippe Imperator, Judices miſit Epiſcopos, qui cum eo* (Melchiade) *ſederent:* addit Natalis, Conſtantini mandatum à Melchiade, & ab aliis Epiſcopis magna veneratione fuiſſe exceptum. Principis eſſe, pa-

pacem in Ecclesiæ & republica servare, quia & Ecclesiæ Protector est., & pacata esse non potest Respublica, nisi pacata sit Ecclesia. Atqui factum Constantini, dantis Judices Ecclesiasticos, neutri parti suspectos, Concilium Romanum indicentis, & partes Romam vocantis, totum collineâsse ad Ecclesiæ & Reipublice pacem, & ad schismatis extinctionem: jure proin suo usum esse, dum hæc ageret. At negatur suppositum, quod Constantinus propria auctoritate Concilium illud indixerit. Nam *Donatus de casis nigris* cum suis asseclis Episcopis petiit à Constantino, ut causa sua judicetur ab Episcopis ultra marinis. Quod postulatum Imperator ad Melchiadem Papam detulit; réque cum illo collata, tres ex Gallia Episcopos Romam destinavit, quibus Papa 15. Italos addidit, qui ipso Præside causam judicârunt. Unde utriusque conjuncta opera & voluntate Concilium illud indictum fuit.

Alteram partem suæ propositionis (*de indictione Concilii Arelatensis*) probat rursus ex S. Aug. qui Epist. 68 scribit: *sed rursus majores vestri ad Imperatorem redierunt, & non rectè judicatum, neque causam omnem auditam esse conquesti sunt. Unde ille alterum Episcopale judicium dedit in Arelatensi Galliæ civitate, ubi multi vestri vana & diabolica dissensione damnata, cum Cæciliano in concordiam redierunt.* Ergo Constantinus jure suo appellationi detulit, & aliud frequentius Concilium indixit. In quo jussu Imperatoris comparuerunt ex diversis Occidentis Provinciis 200. Episcopi: sempérque hoc Concilium legitimè convocatum ac celebratum esse, existimavit Ecclesia. Idem probat ex epistola Constantini ad Ablavium, Africæ Vicarium, in qua ei mandat ut ex utraque dissentientium parte aliquos ad Concilium Arelatense cum aliquot Episcopis mittat addítque, se id facere, ne Deus ejusmodi dissensionibus ultra offendatur. 17. *Secundum.*

Verùm quidquid hic actum est, id actum voluntate & consensu Sylvestri summi Pontificis; misit enim ad illud Concilium suos legatos; miserúntque ad eum Concilii Patres relationem actorum, petierúntque, ut authoritate sua illa confirmaret, & promulgaret; ùt patet ex epistola synodica ad Sylvestrum.

Tertiam partem, de *causa Aptungitani,* probat primo ex optati Milevitani lib. 1. adv. Parmen. ubi: *Constantinus ad Ælianum Proconsulem scripsit, ut de vita Felicis Aptungitani publicè quæreretur* 2. ex S. August. dicente: *etiam hæc ergo causa Felicis discussa est Proconsulari judicio, ubi liquidissimè innocentia Felicis apparuit* Epist. 162. ait: *an fortè, sicut quidam dixit non debuit Episcopus Proconsulari judicio purgari? quasi verò ipse sibi hoc comparaverit, ac non Imperator ita quæri jusserit, ad cujus curam,* 18. *Tertium.*

de

de qua rationem esset redditurus Deo, res illa maximè pertinebat. Arbitrum enim & judicem causæ traditionis, & schismatis illi (Donatistæ) *eum fecerant, qui ad eum etiam præces miserant, ad quem postea provocarunt, & tamen judicio ejus acquiescere noluerunt.* Cùm igitur sacrilegii à Donatistis esset accusatus Felix, nimirum traditionis & exustionis sacrorum codicum, & propterea Cæciliani ordinationem illegitimam esse contenderent, quòd à traditore esset ordinatus, jure Proconsul, imperatoris mandato, causæ illius cognitionem suscepit, & Felicem insontem judicavit. At fortè Constantino dici potuisset, quod ejus filio Constantio causis Ecclesiasticis se nimiùm immiscenti dictum est à Magno illo Hosio Cordubensi (ùt refert S. Athanasius *in Epist. ad solitar. vit. agentes*) *quid tale à Constante actum est,* inquit, *aut quando judiciis Ecclesiasticis interfuit? ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea à nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit. Et quemadmodum qui Imperium tuum malignis oculis carpit, contradicit ordinationi Divinæ: ita & tu cave, ne ea, quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias: date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Neque igitur fas est, nobis in terris Imperium tenere: neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes.*

19. Quartam partem, de ultimo Constantini in hac causa judicio,
Quartum. probat Natalis ex eo, quòd Imperator partes Judicis susceperit coactus, & ob temporum necessitatem, ob Ecclesiæ pacem, & ad fragendam pertinaciam schismaticorum, non verò, ut causam, ab Episcopis jam judicatam ad examen revocet, sed id unum expenderit, an judiciorum ordo in Ecclesiastico negotio fuerit servatus? Ad hoc autem probandum adducit S. Augustinum, qui Epist 68. ait, post Arelatense Concilium multos quidem ex Donatistis cum Cæciliano rediisse in concordiam, alios verò pertinacissimos ad eundem Imperatorem appellâsse; qui postea & ipse coactus Episcopalem causam inter partes cognitam terminaverit, & primus contra *partem Donati* legem constituerit, ut loca Congregationum ejusdem fisco vindicarentur.

Et Epist. 162. ait idem S. Doctor, Constantinum cessisse Donatistis, post Concilium Arelatense rursus ad se appellantibus, *ut de illa causa post Episcopis judicaret*, jussisse siquidem Imperatorem, ut partes ad agendam causam Romæ convenirent. Cùm autem ibi Cæcilianus non compareret, interpellatum Imperatorem, ut Cæcilianum tanquam contumacem condemnet, præcepisse, ut se

se Mediolanum sequerentur; atque ibi Cæcilianum præsentem, causa diligenter cognita, innocentissimum, Donatistas verò improbissimos fuisse judicatos. Hæc Natalis.

At verò Roncaglia, illius Censor, in animadversionibus in hanc Dissertationem, ait primò, non potuisse Constantinum Judices destinare, qui Cæciliani & Donatistarum causam discuterent. Neque enim posse jurisdictionem aliis delegare, qui non habet ordinariam. Atqui Imperatores non habere jurisdictionem ordinariam in causis Ecclesiasticis. Cùm Arcadius Theophilum Alexandrinum à Joanne Chrysostomo, ac deinde hunc ab illo judicari voluisset, utrumque hanc delegationem respuisse, tanquam Canonibus contrariam: cùm neuter alteri subditus esset, neque ex Principis delegatione potestatem in se mutuò potuerint accipere. Canones Nicænos velle, ut causarum Ecclesiasticarum judicia in propriis provinciis primò instituantur: quapropter Judices, ex Gallia à Constantino assumptos illegitimos prorsùs fuisse, omníque carentes potestate. 20. *Roncaglia Responsio ad* 1.

Ait secundò, non fuisse juris Imperatorii Donatistis alterum judicium Episcopale in urbe Arelatensi concedere. Neque enim laicæ potestatis esse, Concilia Ecclesiastica cogere; cùm, quæ in iis pertractantur, ad spiritualem pertineant jurisdictionem. Quamvis proin Imperatores Regésque in convocandis Conciliis se immiscuerint, hujusmodi tamen re vera non habuisse potestatem; neque ex factis jus adstruendum. Tum verò legitima fuisse Concilia, dum Præsules, sive Romanus Pontifex, convocationi assentientes, eorundem postea sanctionibus non refragarentur. Hinc factum, ut, dum Constantius Antiochiæ indixisset Concilium, irrita omnino illius decreta sint habita, eò quòd Romani Pontificis assensus non accesserit, teste Socrate *lib* 2. *cap*. 5. Nicephorus *l*. 9. *c*. 5. & 6. Sozomeno *l*. 2. *c*. 9. nulliúsque valoris esse declarata à Julio I. Pontifice, in litteris ad Episcopos, Antiochiæ congregatos. Addítque Roncaglia ex Thomassino, Constantinum M. aliqua, circa convocanda Concilia, vi fecisse (ut in conciliabulis contra S. Athanasium institutis,) alia ex permissione Episcoporum. Alia, ùt Optatus *lib*. 1. *adversus Parmenianum* ait, *harum rerum adhuc ignarum*. 21. *Ad* 2.

Dicit 3. non potuisse Imperatorem jure proprio in causa Cæciliani & Donatistarum judicare. Ab ipsis enim primis Ecclesiæ sæculis Præsulus invigilâsse, ne post ipsorum judicium causæ Ecclesiasticæ ad Principum tribunal deferrentur. Constare id ex Synodis Antio- 22. *Ad* 3.

 chena

chena & Sardicensi: illam dicrevisse, ut Presbyteri, quos Concilium Provinciale majori pœnæ subjecisset, ad numerosius Episcoporum Concilium possint provocare; simúlque vetâsse, ne querelas ad Imperatorem deferrent. Sancitum à Concilio Carthaginensi III. anno 391. can. 9 ut deponatur Clericus, si relicto judicio Ecclesiastico, judiciis publicis se subjecerit. A Concilio verò Milevitano can. 10. sic statutum: *placuit, ut, quicunque* (Clericus) *ab Imperatore cognitionem publicorum judiciorum petierit, honore proprio privetur.* Concilium Sardicense, ad extirpandam, quæ invalescebat, consuetudinem, in causis Ecclesiasticis Imperatorem adeundi, decrevisse, si judicati nollent Synodi sententiæ acquiescere, eos ad Romanum Pontificem appellare posse.

Quod Concilia decreverunt, Carolum M. capitularibus suis intulisse, *lib.* 1. *cap.* 38. statui, solum Episcopum de Clericorum delictis posse cognoscere: *lib.* 5. *cap.* 225. 237. *& lib.* 6. *cap.* 125. sanciri, Clericorum crimina, sive civilia fuerint, sive canonica, ad Episcopi tribunal deferenda esse: *lib.* 7. *cap.* 107. nec laico licere Clericum in sæculari judicio accusare: *lib.* 5. *cap.* 179. ita loqui Carolum M. *placuit, ut Monachi, & Presbyteri, nec non & Clerici, qui postposita canonica anthoritate passim palatium adeunt, & nostris sacris auribus importunissimam molestiam inferunt, ut non hoc facere præsumant. Quoniam hujusmodi facto & vigor Ecclesiæ contemnitur, & religio Sacerdotalis, & pro-*
23. *fessio monastica vilior efficitur.* Hanc canonicam disciplinam strenuè
Probationes. inter alios tutatum esse Hincmarum Remensem; postquam enim Regii Judices Hincmaro Laudunensi diem dixissent, &, cùm obedire nollet, ipsius res occupâssent, scripsisse Remensem ad Carolum Calvum, ab illis peccatum fuisse in sacram scripturam, in SS. Canones, in Imperatorias Constitutiones, & in Caroli M. Capitularia. Cùm verò postea hic ipse Episcopus Laudunensis, quod Ecclesiæ tribunal judicârat, ad Judices sæculares deferre voluisset, scriptum ei fuisse ab Hincmaro Remensi: *non licet tibi postposito, vel contempto judicio Ecclesiastico, ad judicia sæcularia convolare, nec etiam personam laicam pertrahere, aut sequi ad forum suum, si ipsa persona laica consenserit Ecclesiasticum subire judicium, sicut lex Valentiniani, quam probat Ecclesia, demonstrat.*

Et jam dudum antea Marcianum Imperatorem agnovisse, post Ecclesiæ judicium (in causa Ecclesiastica) nihil sibi judicandum superesse. Imò ipsum Constantinum M. fassum, non esse suæ potestatis, in causa Cæciliani Episcopi se immiscere. Auditam aliàs etiam

(te-

(testibus Ruffino, Socrate, & Sozomeno) memorabilem illius, Episcopos alloquentis, vocem: *Deus vos constituit Sacerdotes, & nobis à Deo dati estis Judices, &c.* repetitam hanc à Carolo M. in suis Capitularibus Constantini sensentiam *lib.* 5. *c.* 165. & *lib.* 6. *c.* 210. hujusmodi immunitatem in dignitatem sacrorum Ministrorum refundi à Carolo, hæc alia Constantini verba usurpante: "mihi de hu-" jusmodi rebus non licet habere auditorium, Sacerdotum scilicet " accusantium, & simul accusatorum. " Additque in iisdem Capitularibus & hæc Valentiniani I. Imperatoris Episcopos alloquentis, verba: "Supra nos est vestrum negotium, & ideò vos de vestris " inter vos agite causis, quia supra nos estis. "

In eundem sensum prolocutum Imperatorem Basilium ad Synodum VIII. actione videlicet; *datum non esse laicis, secundum canonem jus dicendi quidquam de Ecclesiasticis causis: opus enim hoc Pontificium & Sacerdotum est: quia etsi laicus omni pietatis & sapientiæ laude præstet, tamen laicus est, & ovis, non pastor.* S. Athanasium autem exprobrasse conciliabulo Tyrio, quòd Constantinus Imperator, mittendo ad illud Dionysium Comitem eidem se immiscuerit. *Si istud judicium Episcoporum: quid cum eo commune habet Imperator?* Hæc Roncaglia. Ex quibus concludit, nisi velimus necessitati, cui jura cedunt, vel charitati adscribere, quæ gessit Constantinus in causa Cæciliani, suæ potestatis limites esse supergressum. Addit tamen, si indispensabilis necessitas suaderet, Principem extendere debere suum patrocinium ad opem ferendam Ecclesiæ, ac proinde etiam ad impios ministros arcendos, & innocentes defendendos; cùm etiam Ecclesia ad illius tutelam soleat confugere. At dum hæc necessitate impellente Princeps perageret, non jurisdictionem exerceret, sed matrem suam, sanctam videlicet Ecclesiam, tueretur. Ita ille.

In notis verò ad *cap.* 2. *Hist. Eccles.* Sæc. IV. docet idem auctor, Ministrum Ecclesiæ, manifestam injuriam à suis judicibus passum, posse ad principis tutelam confugere; cùm ipsum jus naturæ necessariam sui defensionem tribuat: Sic Athanasium, à Tyria Synodo ibíque damnatum, cùm aliud tunc non haberet innocentiæ adversos Arianos præsidium, ad Imperatorem confugisse. Hanc tamen viam non esse tentandam, quamdiu ab ipsa Ecclesia sperari possit auxilium: juxta illud S. Ivonis effatum: *ab ipsa ad ipsam confugiant.*

Demum subjungit, nulli esse dubium, quod si aliquis Ecclesiæ Minister Reipublicæ paci infensus, eandem perturbaret, ac in illum Ecclesiæ tribunal non animadverteret, Principis fore, qua meliori

possit via, imminenti malo occurrere. Cùm potissimum Principis munus sit, publicæ tranquillitatis hostes avertere.

24. *Conclusio.* His in utramque partem relatis, censeo, ex iis, quæ Constantinus Imperator in causa Cæciliani egit, dixitque, non tantùm nullum Ecclesiasticæ Immunitati creare præjudicium, sed eandem vel maximè confirmari. Nam ipsemet Imperator agnovit, & sæpiùs professus est, eam causam non pertinere ad suum forum. Hinc Donatistas importunè ad se recurrentes, ad tribunal Ecclesiasticum remisit: & primo quidem Romam ad Melchiadem Summum Pontificem, qui in Concilio 18. Episcoporum causam judicavit. Cùm autem nollent acquiescere, causámque non benè judicatam conquererentur, ut omnem contumaciæ prætextum eis eximeret, remisit eos Imperator, consentiente Sylvestro Papa, ad alterum Judicium Ecclesiasticum, ad Arelatense nempe Concilium plenius atque frequentius.

Unde S. Augustinus Epist. 95. Donatistas ita alloquitur: *Scitote, quòd primi Majores vestri causam Cæciliani ad Constantinum Imperatorem detulerunt --- sed quia non est ausus de causa Episcopi judicare, eam discutiendam ac finiendam Episcopis delegavit.* Et Ep. 43. *neque enim est ausus* (inquit) *Christianus Imperator, sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, ut de judicio Episcoporum, qui Romæ sederent, ipse judicaret, sed alios, ùt dixi, Episcopos dedit.* Agnovit proin, causam illam non ad se, sed ad Episcopos pertinere. Cùm autem Donatistæ à Concilii Arelatensis sententia rursus ad Imperatorem provocarent, vehementer (ùt testetur August. Epist. 43.) de hac eorum pervicacia, in Epist. ad Patres Arelatenses data, est conquestus: *meum judicium expostulant*, inquit, *qui ipse judicium Christi exspecto. Dico enim, ùt se veritas habet, sacerdotum judicium ita debet haberi, ùt si Dominus ipse residens judicet. Nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud judicare, nisi quod Christi magisterio sunt edocti. Quid igitur sentiunt maligni homines officia diaboli? perquirunt sæcularia, relinquentes cœlestia. O rabida furoris audacia! sicut in causis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt. Quid hi detractores legis, qui renuentes cœleste judicium, meum putaverunt postulandum, sic sentire de Christo salvatore.*

Hic planè Constantinus disertis verbis asserit, causam eam ad forum sæculare non pertinere. Unde Ludovicus Du Mesnil *lib 9. Doctr. & Discip. num* 51. post relatam istam Constantini Epistolam, subjungit: *qui religionis causas ad Magistratus civiles pertinere putant, atque ad eos à judiciis Ecclesiasticis provocare licitum esse, Constanti-*

ſtantinique exemplo ſuam opinionem tuentur, hac ejus Epiſtola revincuntur. Perſpicuè in ea profitetur, ùt ſe veritas habet, ſacerdotum judicium ita debet haberi, ac ſi ipſe Dominus reſidens judicet. Eorum cœleſte judicium non niſi perverſiſſimè, per appellationem infirmandum defertur ſæcularibus.

Quòd autem Conſtantinus poſt geminum Eccleſiæ judicium, continuis aditionibus & perverſis adulatorum conſiliis inductus, ut ſchiſmaticis os occluderet, Donatiſtis adhuc aures præbuerit, ac cauſam rurſus judicandam ſuſceperit, in eo peccatum eſſe non nego. Imò ipſe Imperator: licèt bona intentione duceretur, comprimendi nempe Imperiali ſententia veſaniam & tumultum furentium, litémque finiendi, ſciebat, ſe limites transgredi, tùm quia profeſſus ſæpiùs ante fuerant, cauſam illam ad judicium pertinere Eccleſiaſticum, tum quòd facti hujus veniam ſe ab Epiſcopis petiturum dixit.

Teſtatur hoc S. Auguſtinus Ep. 43. in qua ſic loquitur: *eis* (nempe Donatiſtis) *ipſe ceſſit, ut de illa cauſa poſt Epiſcopos judicaret, à ſanctis Antiſtitibus poſtea veniam petiturus.* Cur autem ab Epiſcopis veniam peteret, ſi, ùt Natalis ait, jure ſuo uſus eſt? an jure ſuo uſus in judicanda cauſa, quam ad ſe non pertinere toties profeſſus eſt?

Sicut ergo oportuit Donatiſtas ſtare ſententiâ Conciliorum, ſic Imperatorem oportuit eorum illegitimam appellationem rejicere, & ſententiæ, à Conciliis latæ, executionem urgere. At Princeps optimus, incredibile pacis & tranquillitatis ſtudio flagrans, quamvis ſciret irritam omnino eſſe & illegitimam illam appellationem, tamen ei detulit, ùt poſtea Donatiſtæ, qui ad eum toties provocaverant, nihil ampliùs haberent, quod dicerent, ac contumaciam ſuam deponerent: ſperans, effectu bono ſecuto, Epiſcopos illius culpæ facilem ſibi daturos veniam.

QUÆSTIO II.

An ex cauſa Cæciliani probetur jus appellandi à Pontificis ſententia ad Concilium?

Utitur hoc Argumento Calvinus, ad infrigendam auctoritatem ſedis Apoſtolicæ, quidam verò Catholici cum Boſſueto in *defens. declarat. Cler. Gallic. p. 2. l. 14. c. 10.* ad probandum, à Pontifice appellari poſſe ad Generale Concilium. Nam, ùt ajunt, cauſa à Melchiade Papa jam judicata, voluntate Imperatoris in Are- 25.

latensi Concilio pleniore rursus examini est subjecta & judicata. Et quidem jure. Nam S. Augustinus Ep. 43. hac de re ita disserit: *Ecce! putemus, illos Episcopos, qui Romæ judicârunt, non bonos fuisse Judices: restabant adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus causa posset agitari; ut, si malè judicâsse convicti essent, eorum sententiæ solverentur.*

Verùm longè alia est mens sancti Augustini, quàm isti interpretentur. Nam imprimis hæc erat *quæstio facti*, an scilicet Cæcilianus commiserit ea crimina, quæ ipsi à Donatistis fuerant objecta. Licèt ergo à sententia Pontificis in quæstione facti data fuisset provocatio ad plenarium Ecclesiæ Concilium, nullatenus tamen data fuisset appellatio in quæstionibus *Juris*, seu dogmaticis fidei ac morum, in quibus summùm Pontificem, dum ex cathedra loquitur, infallibilem esse censemus.

Mens Augustini. At neque in quæstione facti, quæ tunc vertebatur, S. Augustinus censuit, necessarium fuisse plenius Concilium. Sed magnopere improbabat impudentiam Donatistarum, quòd præsumpserint accusare Romanam synodum apud Imperatorem, malè ab ea esse judicatum. Si enim ad aliud tribunal deferenda fuisset illa causa, *potiùs* ad aliud Episcoporum Concilium, quàm ad Imperatorem deferrendam fuisse. Cessisse nihilominus Constantinum eorum importunitati, atque ad Arelatensem synodum eos misisse: non, quòd hoc necessarium fuerit (cum causa jam esset finita) sed, ut os obstrueretur schismaticis, & eorum impudentia cohiberetur; dum viderent, ab altero etiam pleniore Concilio se esse damnatos.

Verba in hanc rem S. Augustini l. c. sunt: *dedit aliud Arelatense judicium, aliorum scilicet Episcoporum: NB. non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere.* Ecce! perversitatem & impudentiam S. Doctor vocat, quòd Donatistæ Romanæ sententiæ non acquieverint. Necesse non fuisse, ait, aliud concedere judicium: adeoque causam pro finita habuit: perversitatibus tamen provocantium cessisse Imperatorem, non juri: ad cohibendam earum impudentiam, non ad deferendum justæ appellationi, quæ non erat. Certe si jus aliquod habuissent provocandi à sententia Romana, dici non posset, quòd Imperator *cesserit eorum perversitatibus*, quòd fuerint *impudentes*, nam jure suo essent usi. Neque dicere potuisset Augustinus: *non fuisse necesse, aliud eis dare judicium.* Si enim eis competisset jus appellationis, necesse fuisset, eis aliud judicium concedere.

Quan-

Quando igitur S. Doctor dixit: *restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium &c.* non voluit significare aliquod jus appellandi à sententia Melchiadis; sed, nihil aliud superfuisse ad compescendam eorum impudentiam, & perversitatem, quàm ut hoc adhuc eis indulgeatur.

Deinde si vera & legitima fuisset appellatio à Romana Synodo ad Arelatensem, non potuissent Episcopi Romani Concilii rursus in Aralatensi sedere Judices. Atqui constat, non tantùm *Maternum* Agrippinensem, *Rheticium* Augustodunensem, & *Marinum* Arelatensem, quos Imperator Romam invitaverat, sed etiam ipsius *summi Pontificis Legatos* in Areletensi sedisse Judices & pronuntiâsse denuo sententiam.

Cæterùm ex eo, quòd quæstiones etiam dogmaticæ, post decisionem summi Pontificis, à generalibus Conciliis iterum tractentur & definiantur, nullatenus sequitur, Pontificiam sententiam esse fallibilem, aut reformabilem, aut ab ea appellari posse; sed id fit, ut hæreticorum aut schismaticorum contumacia evidentiùs confundatur & frangatur, si videant, à toto orbe Christiano se condemnari. 26. *Crisis de Papa.*

Hanc ob causam Arius, à Sylvestro Papa, vel ejus authoritate, ab Osio jam condemnatus, à Nicæna Synodo iterum est judicatus & damnatus. Causam Nestorii, à Cœlestino I. vel ejus authoritate à S. Cyrillo, jam damnatam, iterum damnavit Ephesina Synodus, Causam Eutychetis, à S. Leone jam profligatam, profligavit rursus Chalcedonensis Synodus. Causam Monothelitarum, à Martino I. & Agathone jam judicatam, iterum judicavit sexta Synodus. Causam Iconoclastarum ab Hadriano I. judicatam, Synodus VII. Causam Lutheri à Leone X. judicatam, Synodus Tridentina. Hæc, inquam, omnia Concilia, & quidem voluntate summorum Pontificum, sunt convocata, ut causas, ab ipsis jam judicatas, denuo judicarent, non ut inde Pontificiæ definitiones infallibilitatem, robur, firmitatémque acciperent, sed ut hæreticis, Pontificis authoritatem non agnoscentibus, os obstruatur, totíque orbi manifestè pateat, quid sentiendum credendúmque sit.

Atque ex hoc ipso Apostolicæ sedis elucet infallibilitas in quæstionibus fidei decidendis. Quod enim illa jam priùs decideràt, hoc ipsum postea deciderunt etiam Concilia Oecumenica; non igitur absolutè necessarium erat, ut Concilia propterea congregarentur. Nam plures hæreses Pontifex absque Concilio Generali condemnavit, ut Pelagii, Montani, Priscilliani, Joviniani, Vigilantii &c.

Imò

Imò etiam in quæſtione meri facti oportet ſummo Pontifici præſtare obedientiam cum reverentia, licèt in ea decidenda non ſit infallibilis. Inſinuat hoc Papa Innocentius III. *cap. à nobis de ſentent. excommunicat.* Ibi: *Judicium Dei veritati, qua non fallit, nec fallitur, ſemper innititur: judicium autem Eccleſiæ non nunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit, & falli. Propter quod contingit interdum, ut, qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus: & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus.*

27. *Quis auctor Donatiſtarum Schiſmatis?* Quæres 1. quis fuerit auctor Donatiſtarum ſchiſmatis? & quis ille Donatus, qui fuit Romæ condemnatus? Ratio dubitandi eſt, quia duo fuerant *Donati:* alter *caſarum Nigrarum Epiſcopus*, alter Donatiſtarum Carthaginenſis Epiſcopus. Reſp. ex his prior, nempe Donatus *à caſis nigris*, qui nunquam fuit Carthaginenſis Epiſcopus, primus auctor & incentor erat illius ſchiſmatis, atque in Romano Concilio à Melchiade damnatus. Alter verò dictus fuit *Donatus Magnus*, ſecundus Donatiſtarnm Carthaginenſis Epiſcopus. Donatiſtæ tamen non à Donato Caſenſi primo ſuo incentote nomen hauſerunt (eò quòd ille Romæ nominatim fuerit damnatus) ſed à Donato Magno, Carthaginenſi ipſorum Epiſcopo. Primus enim factionis Donatiſticæ Epiſcopus Carthagine fuit *Majorinus* (à Donato Caſenſi, ordinatus) alter *Donatus Magnus*, tertius *Parmenianus*, ùt ex Auguſtino & Optato Milevitano colligitur. Notare hoc placuit, ne nominum illorum fiat confuſio.

28. *Oppugnatores Donatiſtarum.* Quæres 2. quinam fuerint præcipui Donatiſtarum impugnatores? Reſp. S. Auguſtinus, & S. Optatus, Epiſcopus Milevitanus in Numidia. Et hic quidem ſex libros ſcripſit contra Parmenianum circa annum 370. In 1. oſtendit, quinam ſint Traditores & ſchiſmatici. In 2. quæ & ubi ſit una Eccleſia. In 3. non eſſe petitum à Catholicis, ut milites adverſus Donatiſtas à Conſtante Imperatore in Africam mittantur. In 4. quis ſit peccator, cujus ſacrificium Deus repudiat. In 5. tractat de baptiſmo. In 6. de inconſideratis præſumptionibus & erroribus Donatiſtarum.

Poſt Optatum plurimos libros contra Donatiſtas ſcripſit S. Auguſtinus: uti tres libros contra *Epiſtolam Parmeniani*, quam hic ad Tichonium Donatiſtam ſcripſerat. Ubi S. Auguſtinus potiſſimum examinat, an in communione Sacramentorum mali contaminent bonos. Libros 7. de baptiſmo contra Donatiſtas, auctoritate S. Cypriani abuſos. Librum de unico baptiſmo contra *Petilianum* Donatiſtam,

ſtam, Conſtantinienſem Epiſcopum. Quatuor contra Creſconium Grammaticum. Unum ad Donatiſtas adhuc contumaces poſt collationem Carthaginenſem. Breviculum ſeu compendium geſtorum in illa celebri collatione, multósque alios, quorum plures non ampliùs exſtant: præter epiſtolas plurimas contra eosdem ſcriptas. Quarum tamen pleræque interciderunt.

ARTICULUS III.

De ortu Arianæ Hæreſis ſub Conſtantino M.

Altera peſtis ſæculi IV. quæ orbem terrarum infecerat, hæreſis 29.
Ariana fuit. Nulla hac unquam potentior. Imperatores, *Origo Arianismi.*
Reges, Epiſcopos, quin omnem ferme mundum infecit. Ineunte jam Sæculo IV. proſerpens Alexandriæ per *Arium*, ex Libya oriundum; qui primò Meletiano ſe ſchismati immiſcens, à *Petro* Patriarcha, glorioſo deinde ſub Maximino Martyre, jam tunc (ùt multi tradunt) inconſutilem Chriſti tunicam ab eo diſſuendam prædicente, ejectus eſt. At ab *Achilla* ſucceſſore contra Petri monitum receptus, & presbyter ordinatus, ad Patriarchatum adſpirabat. Cùm autem mortuo Achilla præponeretur ipſi *Alexander*, urente invidia, orthodoxam ejus de Chriſto & SS. Trinitatis myſterio cœpit doctrinam reprehendere; cúmque verſipellis hypocrita non mediocrem probitatis & doctrinæ famam ſibi comparâſſet, ingentem in Ægypto adverſus Alexandrum Patriarcham tempeſtatem concitavit, ut adeò neceſſe fuerit *Alexandrino I.* 100. 30.
Epiſcoporum *Concilio* tumultuantem compeſcere. Damnata ejus *Alexandrinum.*
doctrina, Sacerdotali munere depoſitus, excommunicatus, atque urbe ejectus eſt.

Ille ad *Euſebium Nicomedienſem* Epiſcopum, hominem ſibi ſi- 31.
milem, jam aliàs de Chriſti Divinitate perversè ſentientem, fugâ *Principes Arianorum.*
elapſus; Patronum invenit potentem, & factionis Arianæ deinceps Principem. Cùm enim, aulicis artibus imbutus, Conſtantiæ (quæ erat Licinii vidua, Conſtantini ſoror) gratia ac favoribus polleret, plures facilè Epiſcopos, præſertim *Euſebium Neo-Cæſareenſem*, hominem cæteroquin doctum, & Conſtantino charum, (qui in perſecutione Diocletiani Chriſtum negaverat) & *Theognidem Nicænum*, in Arii partes pertraxit, habitóque conciliabulo ejusdem doctrinam approbavit, adeò ſe ipſum & Arium Clientem ſuum callidis artibus apud Imperatorem Conſtantinum inſinuandi

peritus, ut is Alexandrum, Patriarcham Alexandrinum, velut turbarum Auctorem reprehenderet.

32. *Damnati à Concilio Alexandrino & Nicæno.* At cùm cerneret Constantinus Christianam Ecclesiam adeò in se ipsam gravissimo schismate collisam, ut ipsis etiam gentilibus, qui illius incrementum lividis oculis aspexerant, fieret ludibrio, facilè consensit, ut à Sylvestro Papa, ad quem Alexander Patriarcha recurrit, indiceretur primò quidem *Concilium Alexandrinum II.* cui nomine Sylvestri præsedit Hosius (in quo damnatus rursum Arius) ac deinde etiam, cùm malum ulteriùs serperet, Oecumenica Episcoporum Synodus, ad causam illam gravissimam definiendam finiendámque.

Congregata illa fuit Nicææ in Bithynia, ùt *part.* 3. *cap.* 4. *art.* 1. memoratum. Patres, ultra trecentos, mox professionem orthodoxam, à Magno illo Osio Cordubensi Episcopo, Sylvestri Pontificis ad Concilium legato, compositam, amplexi sunt; sexdecim Arianis Episcopis primo reclamantibus, præsertim in eo, quod Filius Divinus diceretur *consubstantialis* Patri. Tandem tamen & ipsi cum Eusebio Nicomediensi, & Cæsareensi subscripserunt, tam Symbolo Nicæno, quàm condemnationi Arii: gaudio exultante Constantino, totóque Senatu Patrum. Sylvester Papa Concilio 267. Episcoporum habito Synodum Nicænam confirmavit, simúlque Arium, Photinum, & Sabellium damnavit: additis 20 Canonibus. In 3. distincta fit mentio Ordinum Clericalium, Ostiariorum videlicet, Lectorum, Exorcistarum, Acolythorum, Subdiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum, & Episcoporum.

In 4. fit quadruplex partitio proventuum Ecclesiæ, ut prima cedat Episcopo, altera Clero, tertia fabricæ, quarta pauperibus.

In 5. à nullo presbytero conficiendum Chrisma.

In 6. fit mentio Cardinalium.

In 8. Subdiaconis prohibentur nuptiæ. Nota. *Suppositi aliquibus videntur isti Canones, quos Isidorus suæ collectioni inseruit.*

Verùm Eusebium, hominem nullius conscientiæ, qui jam antè contra SS. Canones, tunc severè observatos, à Beritensi Episcopatu ad Nicomediensem transierat, & quod turpius, Licinii persecutoris partes secutus fuerat, fraude egisse mox patuit. Nam cùm etiam Meletiani à Concilio Nicæno damnati essent, cum iisdem se conjunxit, ac Athanasium, mortuo Alexandro ritè electum Patriarcham Alexandrinum, gnavum Concilii executorem, variis mendaciis Constantino exosum reddere conatus est. At iis detectis cum Theognide Nicæno ab Episcopatu depositus, & in exilium

lium ejectus est. Asseclas verò Arii *Porphyrianos* dici deinceps Imperator voluit, à Porphyrio apostata impio; cujus blasphemias innovabat Arius. Verùm cùm Constantinus regiam sedem Nicomediâ Bizantium, recèns exornatam, ac *Romam novam*, à nomine suo *Constantinopolin* dictam, urbem transtulisset, in celebritate illa Constantia soror Eusebio reditum ad Episcopatum exoravit. Ille ad artes suas & machinationes in Athanasium pariter reversus, persequi illum non desiit, atque ut sternere posset faciliùs, cum asseclis suis Arianis, & Meletianis, exactissimam Nicæni observantiam simulans, subornatis testibus complura Athanasii crimina confinxit, & ad Imperatorem detulit, deposcens Episcoporum Concilium, de iis judicaturum.

Constantinus nimiùm credulus indixit *Conciliabulum*, primùm Cæsaream Palæstinæ, ac postea *Tyrum*; in quo, ex Arianis & Meletianis potissimùm conflato, incredibile dictu, quàm perversè ac violentè acta sint omnia: quot mendaciis & imposturis itum in ruinam innocentiæ: Dionysius Comes, Arianorum fautor, moderabatur conventiculum, præerant duo Eusebii: Arsenii tanquam occisi manus amputata exhibita: sed Arsenius integer ostensus: Mulier Athanasium de stupro insimulans producta, sed, impostura demonstrata, damnatus nihilominus in illo *Tyrensi* conventiculo, Ariúsque, postquam per Arianum quendam presbyterum, impostorem insignem, primùm quidem apud Constantiam, dein etiam apud Constantinum se callidè insinuâsset, ac professionem ad speciem Catholicam, omissa tamen voce *consubstantialis*, scriptam eidem obtulisset, remissus ad Eusebianos Episcopos, qui ferventes Nicæni cultores se hactenus simulaverant, ab iisdem est absolutus; atque innocens daclaratus. 35. *Tyrense conciliabulum in Athanasium.* *Arius absolutus.*

Athanasius verò ex impiissimo *Tyrensi conciliabulo* Constantinopolin profectus, à Constantino, Arianorum artibus in Athanasium, tanquam pacis turbatorem, concitato, vix tandem in conspectum admissus est. Implorat patrocinium. At cùm quinque Episcopi Ægyptii, ab Eusebio corrupti, falsum adversùs eum testimonium dicerent, quòd frumentum ex Ægypto Constantinopolim devehi prohibuerit, iratus Imperator Treviros eum in exilium relegavit. Noluit tamen alium ei in Patriarchatu Alexandrino subrogari. Pari furore Ariani, duo præcipuè Eusebii, Theognis Nicænus, Ursacius & Valens, Pannoniæ Episcopi, coacto *Constantinopoli conciliabulo Marcellum Ancyræ Episcopum* deposuerunt: absoluto rursus 34. *Athanasius damnatus & relegatus.*

& in communionem recepto Ario, poſtquam perjurio doloſo Nicænum fidei ſymbolum integrum ſe recipere Imperatori mentitus eſt.

36. *Arii interitus.* At imminebat ultionis Divinæ dies, qua Deus exaudiit Alexandri Epiſcopi Conſtantinopolitani populíque Catholici preces. Cùm enim Euſebius cum ſuis ſectariis, Arium in Eccleſiam inducturus, ſolenni cum pompa per urbis plateas incederet, Arius premente ſubitò ventris onere ſecedens, viſceribus & inteſtinis effuſis repentè crepuit, anno 336. Interiiſſet tunc haud dubiè cum auctore ſuo Ariana hæreſis, niſi altero pòſt anno obiiſſet Conſtantinus.

ARTICULUS IV.

Obſervatio in Concilia tempore Conſtantini M. habita in cauſa Arianorum.

37. *Oſius Legatus.* *Dubitatur I. An Oſius Cordubenſis*, quem Concilio II. Alexandrino, in quo Arius iterum damnatus eſt, præfuiſſe diximus, *à Sylveſtro Pontifice, an verò à Conſtantino Imperatore miſſus fuerit?* Ratio dubitandi eſt; quia Euſebius aſſerit, eum à Conſtantino miſſum Alexandriam, ut inter Alexandrum Patriarcham, & Arium pacem componeret. Idem confirmant Socrates, Theodoretus, Sozomenus, Photius. Unde Natalis concludit, Oſium non à Sylveſtro Pontifice, ſed ab Imperatore ad Concilium illud, & componenda Eccleſiæ Alexandrinæ diſſidia miſſum eſſe.

Contrà verò Cardinalis Baronius cum aliis contendit, illum à Pontifice fuiſſe miſſum, illiúſque authoritate præſediſſe, ac ſententiam in Arium tuliſſe; eò quòd Oſius, Cordubenſis in Hiſpania Epiſcopus, qui nullam in Alexandrinam Eccleſiam, ejúſque Clerum, jurisdictionem habuit, non potuiſſet congregare Synodum, (quam S. Athanaſius Apolog. 2. *generalem* vocat) eíque præeſſe, niſi Apoſtolici legati munere fuiſſet perfunctus. Accedit, quòd in Epiſtola, à Conſtantino ad Alexandrum & Arium ſcripta, nulla fiat Oſii mentio, adeóque non ab Imperatore ſed Pontifice eò miſſum eſſe.

At fortaſſis utrique ſententiæ aliquid concedendum, dicendúmque ab utroque miſſum eſſe. Nam conſtat, Oſium ſedis Apoſtoli-

ſtolicæ legatum per Orientem fuiſſe. Unde, cùm turbæ illæ in Ægypto eſſent ortæ, Conſtantinus illum, aliàs jam authoritate ac poteſtate Legati Apoſtolici inſtructum, Alexandriam miſit; ubi dein authoritate à Pontifice ſibi conceſſa uſus, Synodum congregavit, eíque præſedit. Quam ſanè poteſtatem in aliena Provincia, imò in Patriárcham, poſt Romanum, primum, nemo alius præter Romanum Pontificem dare eidem poterat, præſertim in judicanda cauſa fidei, quæ tunc vertebatur. Prætereo, quòd Alexander Patriarcha, ùt plures aſſerunt, cauſam jam tunc ad Romanum Pontificem detulerat; cujus planè dein fuit, in re tanti momenti Eccleſiæ conſulere, atque per Legatum ſuum, quem alloquin in Oriente habuit, tanta in fide diſſidia componere.

Idem Oſius poſtea nomine Sylveſtri Papæ præſedit etiam Magno Concilio Nicæno. Quod pariter à Conſtantino convocatum eſſe Natalis ſcribit. Verùm id factum cum conſenſu, & operâ conjuncta Sylveſtri Pontificis, probavi *parte* 3. *cap.* 3. *quæſt.* 2. & quomodo aliàs Oſius nomine Pontificis præſidere potuiſſet? Præſediſſe autem certum eſt, ùt teſtatur S. Athanaſius in *Epiſt. ad Solitar. vit. agent.* Ubi Arianos ſic loquentes inducit: *Hic eſt princeps Synodorum: &, ſi quid ſcribit, ubique auditur. Hic formulam fidei in Nicæno Synodo concepit &c.* Et in *Apolog. de fuga ſua:* ſic loquitur Athanaſius de Oſio: *In qua Synodo ille non dux & auteſignanus fuit? quam non ille recta tuendo in ſuam ſententiam pertraxit? quæ Eccleſia illius præſidentiæ non pulcherrima monumenta retinet?* Atqui privatus Cordubenſis Epiſcopus non potuiſſet tanta cum auctoritate Synodis præſidere, etiam in quibus plures Patriarchæ præſentes erant, ùt in Nicæna, niſi tanquam ſedis Apoſtolicæ Legato ea honoris, loci, & poteſtatis prærogativa fuiſſet delata. Unde Gelaſius Cyzicenus in *Hiſt. Concil. Nicæn. lib.* 2. *cap.* 5. expreſsè ait, Oſium in Concilio Nicæno loco Romani Pontificis, cum Presbyteris Romanis, Vito & Vincentio, præſediſſe.

Dubitatur 2. *An omnes Ariani Concilio Nicæno ſubſcripſerint?* Ratio dubitandi eſt; quia Socrates *lib.* 1. *cap.* 5. ſcribit, quinque Epiſcopos, inter quos præcipui, Euſebius Nicomedienſis, & Theognis Nicænus, noluiſſe ſubſcribere: ac propterea cum Ario excommunicatos, & in exilium ejectos eſſe: nec reſtitutos, donec libello Epiſcopis oblato pœnitentiam ſimularent. 38. *An Ariani Nicæno ſubſcripſerint?*

Reſp. Socratem hoc aſſerere contra commune antiquorum teſtimonium, ùt S. Athanaſii *lib. de Syn. Nic. decret.* S. Hieronymi *in Dial. adv. Luciferianos &c.* Qui omnes ſubſcripſiſſe &

Ario anathema dixiſſe teſtantur. Theodoretus *lib.* 1. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 7. duos ſolos excipit, videlicet Theonam Marmaritanum, & Secundum Ptolomaidis Epiſcopum. *Arii patrocinio ſuſcepto*, inquit, *doctrinæ Apoſtolicæ contradixerunt* (Ariani Epiſcopi) *quin etiam fidei formulam, quam poſuerant, Concilio propoſuerunt: quæ, ùt primùm perlecta fuit, quoniam omnes eam adulterinam & ſpuriam eſſe vociferabantur, illico diſcerpta eſt. Ac cùm ingens tumultus contra eos eſſet concitatus, & omnes eos ùt pietatis proditores inſimularent, metu percuſſi ſurrexêre, primique ipſi omnes unà, ſolis Secundo & Theona exceptis, ſententiam excommunicationis contra Arium pronuntiavêre. Quocirca impio illo ab Eccleſia exturbato, fidei formulâ, quæ adhuc in Eccleſia ſervatur, communi conſenſu compoſitâ, & ſubſcriptionibus omnium confirmata, Concilium dimiſſum eſt.* Igitur Euſebius, etiam & Theognius ſubſcripſerunt: ſed cùm poſtea eorum fraudes innoteſcerent, depoſiti ſunt; aliis in eorum ſedes ſubrogatis. At novis fraudibus decepto Conſtantino rurſus ſunt reſtituti.

39. *An Arius.* Putant quidem aliqui cum S. Hieronymo in *dial. ad Lucif.* & Ruffino *lib.* 1. *Hiſt. Eccleſ. ccp.* 11. Arium, poſtquam excommunicatus fuerat, errorem recantâſſe, atque à Concilio receptum fuiſſe. Verùm ex epiſtola Nicænæ Synodi, ad Eccleſiam Alexandrinam ſcripta, colligitur contrarium; & ipſe S. Athanaſius, qui Concilio præſens fuit, in Apologia 2. ait, Euſebium à ſe petiiſſe, ut Arium recipiat, reſpondiſſe autem ſe, *Hæreſeos inventores, veritati infeſtos, & damnatos ab univerſi orbis Concilio, minimè recipiendos eſſe.* Quod ſanè ſcribere non potuiſſet, ſi Arius à Concilio illo fuiſſet receptus. Cur enim ipſe non reciperet, quem generale Concilium recepiſſet? Et ad quid tot Euſebianorum technæ, ut Imperatorem Ario reconciliarent, ſi in Eccleſiam jam à Concilio, præſente Conſtantino, fuiſſet receptus? Igitur S. Hieronymus de alio quodam, ejuſdem nominis, homine locutus eſſe cenſendus eſt.

De *Euſebio Pamphili*, *Cæſareenſi* in Paleſtina Epiſcopo, major eſt diſceptatio. Quidam enim ab Ariana labe illum omnino abſolvunt: eò quòd & ipſe in Nicæno Arium damnaverit; à Socrate,
40. & Gelaſio Cyziceni ejus innocentia vindicetur, & in pluribus mar-
Criſis de tyrologiis, ùt Uſuardi, Adonis Viennenſis, Notkeri ad 21. Junii
Euſebio recolatur ùt Sanctus, uti etiam ab Eccleſia Lemovienſi, quæ in ve-
Cæſareenſi teri Breviario de ſancto ſuo Euſebio hæc legit: *Hic, cùm aliquando Ariana hæreſi laborâſſet, ad Synodum Nicænam accedens, Spiritu ſancto inſpiratus, Patrum ſententiam ſecutus eſt, ac deinceps usque ad mortem*

ſanctiſ-

sanctissimè cum orthodoxa fide vixit. Additque Papebrochius in actis SS. ad 21. Junii, Eusebii hujus nomen in fastis Ecclesiasticis mansisse usque ad Gregorii XIII. tempus, quo Baronius illud expunxerit, atque ejus loco nomen *Eusebii Samosateni*, quem Græca Ecclesia pridie, videlicet 20. Junii, colat, Martyrologio Romano inseruerit.

At vix dubium est, quin Ariana lue infectus fuerit jam ante Concilium Nicænum, ac post illud in eadem contabuerit. Hinc condemnationi Arii primò subscribere recusavit, & quamvis postridie subscripserit, id tamen simulato tantùm ac dolosè factum esse constat, ne gratia Constantini, qua pollebat, & Episcopatu excidat.

Nam, cum Eusebio Nicomediensi colludens, Arium pro innocente defendere, & Athanasium persequi, tanquam turbatorem pacis, non cessavit. Patuit id tum aliàs, tum in Conciliabulo præsertim illo Tyrio, cui cum Eusebio Nicomediensi præsedit. 41. *Mansit Arianus.*

Historia quoque ipsius Ecclesiastica satìs prodit, quo calamo profluxerit. Cur enim illam præcisè usque ad Concilium Nicænum deduxit? cur tam celebrem orbis terrarum conventum non accuratè descripsit? cur condemnationem Arii reticuit? cur de illo nihil excidere est passus, quo errâsse illum constaret? cur non saltem in vita Constantini tam memorabiles res gestas recensuit? cur de solo paschate meminit tractatum de causa Arii, ac definita filii Divini consubstantialitate altùm siluit?

Quid multa? scripta illius plus satìs tabem Arianam redolent. Nam *lib. 7. præparationis Evangelicæ cap.* 15. tres distinxit gradus Divinitatis, quorum alter sit altero præstantior, velut sol luna: solum Patrem esse supremum Deum, filiam infra Patrem, & Spiritum S. adhuc inferiorem. Et lib. 4. Demonstrationis Evangelicæ cap. 3. ait: *Pater priùs, quàm Filius, & ante generationem ejus subsistit.* Et ne putemus, eum *origine* tantùm Patrem priorem asserere, non autem *naturâ*, utitur exemplo solis & luminis; hoc autem est illo naturâ posterius. Eodem lib. 4. Patrem modò appellat *Deum primum, Filii Dominum*, modò Filium *secundum causam*, causâ prima inferiorem, *secundum Dominum, Opificium, alteram præter Patrem essentiam, medium inter Patrem & Angelos.* Rursus lib 1. de Ecclesiastica Theologia contra Marcellum ait, Patrem solum Deum esse & Filii sui & hominum; hinc Filium rogare Patrem, obedire Patri,

tri, esse minorem Patre, de cœlo descendisse non ut suam voluntatem faciat, sed Patris. qui eum misit.

Et ne suspicaremur, hæc Eusebium non de verbi Divini substantia, sed de assumpta humana natura proloqui, protinus subdit: *Quid ad ista dicturus est Marcellus, cùm eum, qui de cælo descendit, ista ipsa docentem audiat? non, opinor, illud allegare poterit, carnem servatoris hoc prolocutam; non enim caro de cælo descendit.* Quæ planè omnia ipsissimam Arii pestem eructant.

Accedit manifestum Patrum testimonium. Sic. S. Athanasius, qui homines illos omnium optimè noverat, lib. de Synodi Nic. decret. ait: *Eusebius Cæsareensis in Palæstina, cùm pridie abnegâsset, in eandem tamen sententiam* (Nicæni Concilii) *subscripsit postridie-- omnibúsque manifestè apparuit, eum priùs, & temerè errâsse, & frustra contra veritatem pugnâsse.* Et paulò inferius addit, Eusebianos tanquam canes ad vomitum rediisse. S. Hieronymus, præsertim in apologia sua in Ruffinum, Eusebium Cæsareensem sæpè appellat Arianum, imò signiferum Arianæ factionis. Idem testantur S. Hilarius in lib. ad Constantinum; ubi commenta Ariana duobus Eusebiis attribuit. S. Epiphanius hæres. 68. Cæsareensem Eusebium cum aliis Arianis Tyriæ Synodo præfuisse scribit. Theodoretus pariter, Tharasius in 7. Synod. Photius, Nicephorus, Callistus &c. eundem inter hæreticos Arianos collocant.

Quare tot tantísque Argumentis ac testibus prævalere non debet Socrates & Cyziceni authoritas, præsertim cùm neuter sit scriptor admodum accuratus. Sed neque Argumentum quod afferunt, quidquam probat. Subscripsit quidem Eusebius Nicæno, sed invitus, sed simulatò, sed ùt canis ad vomitum reversus. Etiam Nicomediensis subscribit, an propterea Arianus non fuit?

42. *Error de ejus sanctitate.*

Majorem difficultatem movent martyrologia antiqua sacríque fasti, in quibus Eusebius inter sanctos recensetur. Fatentur plerique, nomen *Eusebii Cæsareæ in Palæstina Episcopi ac Historiographi* per errorem irrepsisse, dum veteres quidam vel ex incuria vel imperitia hunc Eusebium alteri cuidam sancto Eusebio supposuerunt.

Duplex autem præcipuè circa hunc errorem est sententia: prima Cardinalis Baronii, qui censet martyrologii conditorem errâsse in nomine civitatis, & pro *Eusebio Samosateno* in Syria Episopo, sanctóque Martyre, quem Græci 20. Junii colunt, posuisse *Eusebium Cæsareensem.* Hinc idem Baronius, ùt dixi, expuncto isto, ad diem 21. Junii, illum Martyrologio intulit.

Con-

Contra verò Daniel Papebrochius in *actis sanctorum ad diem* 21. *Junii*, existimat, non fuisse erratum in nomine civitatis, sed in nomine provinciæ & pro Eusebio Cæsareæ in *Cappadocia* Episcopo, suppositum fuisse Eusebium Cæsareæ in *Palæstina* Episcopum.

Quæri potest 3. *an legitimum fuerit Synodi Tyriæ & Jerosolymitanæ judicium?* prænotandum autem, hanc Synodum utramque anno 335. Eusebianos aliósque Arianos impetrâsse à Constantino M. ut S. Athanasium Ecclesiastico ac Synodali judicio condemnatum esse appareret, atque absolutum Arianum; cúmque Dionysio comite, à Constantino misso præerant Tyriæ duo Eusebii. Catholici Episcopi Arianis permixti sedebant; majore tamen Ariani erant numero. Accusatus in ea de variis criminibus Athanasius, condemnatus, & ab Episcopatu Alexandrino est depositus. Tum verò iidem Episcopi, Jerosolymam ad dedicationem templi profecti, coacto ibidem Synodo, in Ecclesiam receptus est Arius, approbata fallaci quadam fidei ejus formula, quam Imperatori obtulerat. His prænotatis

43. *Tyria Synodus.*

Dicendum, illegitimum atque injustum fuisse utriusque Synodi judicium. Nam imprimis neutra Synodus fuit legitimè congregata; quia duo Eusebii, Cæsareensis nempe & Nicomediensis Episcopi, non habebant potestatem convocandi Synodum adversùs Patriarcham Alexandrinum, se multò superiorem, eúmque tanquam reum judicandi: neque ad Constantinum pertinebat, Synodum Episcoporum adversùs tantum Archiepiscopum & Patriarcham propria auctoritate indicere.

Illegitima.

Sed neque habeant potestatem, causam Arii, in Oecumenica Nicæna Synodo jam judicatam definitámque, rursus judicandi Jerosolymis, eúmque absolvendi. Notorii sequidem juris est, causam à superiore Judice jam definitam non posse ab inferiore retexi, aut sententiam à superiore latam reformari.

2. In Tyrio conciliabulo omnia per vim & errores acta sunt omnísque libertas loquendi Catholicis Episcopis fuit adempta, Dionysio comite armatis cum militibus præsente, & præsidente conventui: ùt scribit S. Athanasius in apolog. 2.

3. Quia Ariani potissimum, capitales conjuratíque Athanasii hostes, sederunt in eum judices. Nec ulla exceptio contra eos aut recusatio admittebatur.

4. Quia ferme solos Arianos & Meletianos, hostes omnes Athanasio infensissimos, admittebant, & quidem subornatos. Imò iidem & testes erant & judices, ùt Theognius, Macedonius, Va-

lens, Ursacius &c. neque testes recepti præsente Athanasio, aut ejus clericis.

5. Quia licèt ad oculum ostensum fuerit, falsam esse testium depositionem, merísque calumniis nixam, adeóque nihil prorsus fuisse probatum, ùt de fracto calice, occiso Arsenio, exactione tributi &c. nihilominus tamen condemnatus fuit. Quid autem iniquiùs vel fingi posset?

ARTICULUS V.

Progressus Arianæ Hæresis sub Constantio, & Concilia de ea habita.

44. *Divisio Imperii.* Constantinus M. tres filios reliquit, ex Fausta, Maximiani Herculi filia, susceptos. Quos inter, jam antea *Cæsares* dictos vastum Imperium ita est partitus, ut Constantino, natu maximò, Gallia, Hispania, Britannia, & quidquid trans Alpes ingenti tractu terrarum porrigitur, obtingeret; Constantio, jam tum Arianum plus redolenti, Thracia cum urbe Regia Constantinopoli, Asia, Ægypto, ac toto Oriente; majore profectò, quam meruerat, portione; Constanti natu minimo, Provinciæ intermediæ, Italia videlicet, Illyricum, Macedonia, Græcia, & Africa.

45. *Constantius Arianus.* Porro Canstantinus & Constans apprimè erant Catholici: Constantius autem, jam antè ab Eusebio Nicomediensi seductus, & Ariano spiritu imbutus (quem tamen vivente patre prodere non sustinuit) apertè quidem favebat hæresi, non ausus est tamen obsistere, quò minùs Athanasius à Constantino fratre Alexandriam ad Patriarchatum suum remitteretur, licèt Ægyptus Constantio subjecta esset Restituti pariter, per eosdem duos fratres Catholicos, Episcopi, qui in Tyri conciliabulo ab Eusebianis fuerant dejecti.

46. *Athanasius absolutus, à Concilio Rom.* Cùm autem Ariani fremerent, & authoritate *Constantii* Catholicos Episcopos rursus deponerent, in exilium ejicerent, atque Athanasium præsertim à Concilio depositum restitui non posse dicerent, *Julius I.* post Sylvestrum & Marcum Romanus Pontifex, cùm Athanasius, Marcellus, Ancyranus, & Paulus Constantinopolitanus, ab Eusebio invasore depositus, ad eum provocâssent, causam *Romæ in Concilio* judicandam avocavit.

Invitati ad hoc Concilium omnes Orientales. Comparuit Athanasius, non verò Eusebiani, qui ultra annum Romæ exspectati

ti cùm futiles excuſationes contumaciæ ſuæ prætexerent, in *Concilio Romano* 50. & ultrà Epiſcoporum abſolutus eſt Athanaſius, reliquíque Epiſcopi ſedibus ſuis ſunt reſtituti. Ariani interea, ducibus Euſebiis, Nicomedienſi, qui Conſtantinopolitanam ſedem poſt Beritenſem & Nicomedienſem invaſerat: Et Cæſareenſi, qui larvam poſt Conſtantini mortem poſuerat penitus *conciliabulum Antiochenum* cogunt, in quo depoſitio Athanaſii confirmatur, intruſo in Alexandrinam ſedem *Gregorio Cappadoce*, homine impio, à quo omnes boni abhorruerunt. Depoſitus etiam in illo conciliabulo & in exilium ejectus eſt *Euſtathius*, Patriarcha Antiochenus, invictiſſimus Nicænæ fidei defenſor. Occaſionem calumniæ dedit, ab Euſebianis ſubornata ac mercede corrupta meretrix, ſubito in conventiculi locum irrumpens, cum infante, brachiis geſtato, quem Euſtathii eſſe pejeravit. In Euſtathii autem locum intruſus eſt *Eudoxius*, Arianus, multarum deinceps tragædiarum auctor.

47. *Antiocheni Synedrii impietas.*

At nihil turpiùs & atrociùs actum quàm ſacrilega laniena Alexandrina, à Philagrio gubernatore & Gregorio illo intruſo pſeudo-Patriarcha Conſtantii viribus patrata. In publicas Catholicorum Eccleſias irrupit armatus furor. Nihil tam ſanctum, quod non proculcatum pollutúmque; cædes inter promiſcuas fuga Romam elabente Athanaſio. Triennium cum aliis exulibus Epiſcopis ibi delituit; donec à *Concilio Sardicenſi*, ex voluntate *Conſtantis* (qui occiſo ad Aquileiam fratre Conſtantino jam ſolus Occidentem regebat) anno 347. celebrato, ſunt reſtituti. Inde tamen brevì rurſus ab Arianis ejecti.

Nam hi 80. circiter jubente Conſtantio *Sardicam* profecti, cùm viderent, Catholicos numero multò ſuperiores eſſe, in Concilio comparare detrectârunt, addito prætextu, ſe non poſſe comparare in Conventu, in quo *Athanaſius*, *Marcellus*, aliíque excommunicati & depoſiti, præſentes eſſent. *Philippopolin* proin in Thraciam ſeceſſerunt, habitóque ibidem Synedrio, ſextam fidei formulam (nam quinque Antiochiæ procuderant) *Semi-Arianam* ediderunt, atque Julium Papam, Oſium, alióſque excommunicârunt, quòd Athanaſium reciperent.

Sardicenſe.

48. *Semi Ariani.*

Tum verò recruduit atrox in Catholicos Epiſcopos in Oriente perſecutio, aliis ſede dejectis, aliis relegatis, aliis omnino interemptis, ut adeò redire viderentur Neroniana ac Diocletiana tempora, Conſtans Occidentis Imperator, miſſis ad fratrem Conſtantium legatis, reſtitutionem Epiſcoporum petit. Cùm autem is, ab Arianis ſuis undique obſeſſus, moras ex moris necteret, Conſtans bel-

lum ei denuntiat, nî ociùs Catholicos Episcopos restituat. Territur hoc fulmine Constantius, Athanasium, magna honoris significatione Antiochiæ exceptum, aliósque Episcopos jubet restitui. A-
49. *Sirmiens.* riani tunc *Syrmii Concilium* celebrârunt adversus *Photinum* Episcopum, qui Sabellii & Pauli Samosateni hæresin resuscitaverat. Edita hic septima fidei formula: cæteroquin, ad speciem saltem, satìs Catholica, nisi quòd vox *consubstantialis* iterum fuerit suppressa, uti etiam vox *genitus non factus.* Catholici verò *Mediolani Concilium* ce-
Mediolanum. lebrârunt, in quo confirmatum Symbolum Nicænæ & Sardicensis Synodi: cui *Ursacius* etiam & *Valens*, Ariani in Pannonia Episcopi, ejuratis Arianis erroribus, subscripserunt; recepti propterea à Pontifice.

50. *Obitus Constantis* At rem Catholicam subita procella mox afflixit. Interemptus à *Magnentio* Tyranno, purpuram invadente, *Constans* Imperator, fulcrum fortissimum religionis, ab Arianis & Constantio viribus omnibus in ruinam impulsæ. Cùm enim Magnentius, qui Galliam, Italiam, Africam Ægyptum, & Illyricum jam occupaverat, prælio victus in Pannonia, (victoriam Constantio per insignem imposturam nuntiante velut divinitus revelatam Valente Ariano Episcopo) in sui & Decent i fratris necem adactus esset, sicque Orientis & Occidentis Imperium coalescens sub unius *Constantii* dominationem veniret, hæresis Ariana, quæ vivente Constantino M. se prodere non audebat, ante mortem Constantis in solo Oriente, nec tamen aperta omnino facie serpebat (quia nemo apertè Arianum se professus fuerat) rupto velut aggere in Occidentem etiam se se effudit.

51. *Furor Arianus.* Tum enim deturbatus iterum, & interemptus Paulus Constantinopolitanus Episcopus, insignis defensor fidei, atque intrusus *Macedonius.* Decretum à Constantio, urgentibus Arianis, contra fidem juramento firmatam, exilium Athanasii, paulò antè restituti jussis omnibus Episcopis proscriptioni subscribere.

Mediolanense. Indictum Concilium alterum *Mediolanense* Generale anno 355. in quo omnia per vim acta ab Ursacio & Valente, reversis ad Arianam perfidiam. Compulsi minis à Constantio Episcopi Catholici subscribere condemnationi Athanasii: renitentes atrocissimè ve-
52. *Episcoporum,* xati: *Hilarius Diaconus Romanus*, Pontificis legatus, flagellis cæsus, *Lucifer Calaritanus* pariter legatus Pontificius, *Eusebius Vercellensis*, *Dionysius Mediolanensis*, Episcopi, à sede sua dejecti & in exilium pulsi. Imò ipse etiam Papa *Liberius* à conciliabulo isto depositus,
Et Liberii exilium. & in Thraciam relegatus; intruso ab Arianis in sedem Apostoli-

cam

cam *Felice*, Romanæ Ecclesiæ Diacono, qui Athanasii damnationi subscripsit: aversante clero populóque Romano ambitiosi invasoris communionem, quem tres Ariani Episcopi ordinarant Pontificem.

Neque hìc stetit vis truculenta, ac barbara impietas. Missus in Ægyptum cum exercitu Cyrianus Comes. Intrusus jam antè per vim in Patriarchatum Alexandrinum Gregorius, homo Arianus. Cæsi passim Catholici, sine status, aut sexus discrimine; grassante immani laniena per universam Ægyptum, Cyrenem, Libyam: conquisitus undique ad necem Athanasius: qui tamen elapsus, per multos annos latuit, & in latebris suis apologias scripsit, atque epistolam ab solitariam vitam agentes de Arianorum gestis ac fraudibus. 53. *Laniena Alexandrina.*

In Constantinopolitana Ecclesia expulso Paulo atque immaniter trucidato, suadente *Acacio*, post Eusebium, Cæsareensi pseudo-Episcopo (qui purum Arianismum professus fuerat, & Filium simpliciter negabat esse Deum) *conciliabulum* cogit Constantius; in quo damnatis *Semi Arianis*, qui Filium Deum fatebantur, consubstantialem Patri negabant, depositus Macedonius Semi-Arianus, qui tamen novam deinde procudit hæresin, Divinitatem Spiritus sancti inficiatus. In Galliam *Saturninus*, Episcopus Arelatensis, Arianismum inducere omni ope adlaboravit; coacto eum in finem *Biterensi conciliabulo.* At cum aliis fortiter obstitit *S. Hilarius Pictaviensis*, qui propterea, à Constantio sede pulsus & in exilium ejectus fuit. *Constantinopolitana*

Cùm Constantius per sævam tyrannidem, Neroniana & Deciana truculentiorem, exscindere non posset Catholicum de Christo dogma, religionis tamen in suo Imperio uniendæ cupidus anno 357. Concilium generale *Sirmiense* indixit (quod est aliud ab eo, in quo Photinus damnatus est, & Semi-Ariana hæresis decreta) in quo, ùt suprà memoratum, Ariani duas fidei formulas proposuerunt: in altera nihil continebatur hæreticum, (omissa tamen erat vox *consubstantialis*) cui subscripsit *Liberius*, alteram planè Arianam, cui tandem tormentis victus infeliciter subscripsit magnus ille *Osius* Conciliorum ac Patrum pater. Porro in hac formula continebatur, Patrem esse majorem filia, à voce autem consubstantialitatis omnino abstrahendum. 54. *Saturninus.* 55. *Sirmiense.* *Osii Lapsus.*

Cæterùm inter ipsos Arianos variæ ortæ sunt sectæ, quæ mutuis discordiis collidebantur. Alii enim erant *Semi-Ariani*, ùt *Basilius Ancyranus*, qui dicebant, Filium non esse quidem consubstantia- 56. *Secta Arianorum.*

tialem Patri, seu ejusdem substantiæ atque essentiæ, esse tamen similis substantiæ, ac per omnia similem. Alii vocabantur *pari* Ariani, ut *Acacius* Cæsareensis (unde *Acaciani* sunt dicti) Ursacius, Valens &c. hi dicebant, Filium nec ejusdem nec similis esse substantiæ, esse tamen similem Patri, fere sicut imago hominis est similis homini, licèt diversæ omnino sit substantiæ. Alii appellati sunt *Aëtiani* ab *Aëtio* Antiocheno presbytero; qui reliquos accusabat, eos non loqui consequenter: cùm enim dicant Filium non esse ejusdem cum Patre essentiæ & substantiæ, necessaria consecutione inferri, eum esse creaturam (nisi plures Deos velint facere) adeóque esse dissimilis omnino substantiæ, Patríque prorsus dissimilem.

57. *Aëtius.* Lapsus est insuper *Aëtius* in alios etiam errores circa justificationem: dicebat enim, ad salutem non esse necessaria bona opera nec observationem mandatorum Dei, sed sufficere cognitionem Dei & Christi. Ex quo hæresiarcha Lutherus deinde videtur desumpsisse suos de solo fide justificante errores.

58. *Ancyranum.* Porro diversæ hæ Arianorum sectæ se mutuò damnabant; ut adeò *Basilius Ancyranus*, licèt consubstantialitatem negaret, collecto tamen *Ancyræ Semi-Arianorum Concilio* anathema diceret illis, qui negarent, Filium esse perfectè Patri similem. Hanc sectam Basilius persuasit etiam ipsi Imperatori: eámque amplexi sunt ii quoque, qui priús purum Arianismum fuerant professi, ad omnem auram inconstantis Principis versatiles.

59. Ut autem huic Semi Arianorum formulæ omnes subscriberent, Constantius duas eodem tempore indixit Synodos, pro Orientalibus quidem *Seleuciensem*, pro Occidentalibus verò *Ariminensem*: in illa 200 Episcopi convenerant, in hac 400. (inter quos 80. erant Ariani) unde contigit, ut plures scriptores 600. Patres in Concilio Ariminensi fuisse scribant; conjungendo videlicet loci utriusque Episcopos.

Antequam autem conciliabula ista inchoarentur, Ariani inter se vehementer disceptabant, quænam formula fidei esset Episcopis porrigenda, ut subscribatur. Tandem post multas altercationes à *Marco Arethusio* consarcinata est nova formula, quæ erat *nona* Arianorum. In hac omissa voce *substantiæ* & *consubstantialitatis*, Filius dicebatur Patri quoad omnia similis. Istíque jussu Constantii subscribere omnes debebant. Quo facto Basilius Ancyranus ad Seleuciense conciliabulum abscessit, Valens verò ad Ariminense.

Seleuciense.

Incredibile dictu est, quas rixas in Seleuciensi conventiculo Aria-

Ariani & Semi-Ariani inter se moverint, alteris alteros damnantibus, ac deponentibus: donec soluto Synedrio & Constantium (qui adhuc erat Catechumenus) aufugerunt, tanquam oraculum in fide; quod adeò in suis responsis variabat, ut decimam jam formulam probaret; prout nempe, cùm ferme esset primò occupantis, ab hac vel illa factione versabatur. Mutabant nempe Ariani fidem suam, sicut postea Lutherani confessionem Augustanam.

In Ariminensi ultra 300. Episcopi Catholici protestati sunt, se nulli alteri fidei formulæ subscripturos nisi Nicænæ; simúlque Valentem, Ursacium, & *Auxentium* (qui, ejecto Dionysio, in sedem Mediolanensem intrusus fuerat) damnârunt. Quô irritatus Constantius, Legatos Catholicos ne quidem in conspectum admisit: jusítque Episcopos tanquam captivos tamdiu detineri Arimini, donec subscriberent formulæ *Sirmiensi*, in qua continebatur, nihil dicendum esse de *substantia*, de *coæternitate*, & *consubstantialitate*, eò quòd hæ expressiones in scriptura non inveniantur; filium non esse creaturam, sicut alias creaturas. De cætero anathema Ario & Arianismo dicitur. Huic formulæ plerique Episcopi tandem subscripserunt, putantes in ea seriò hæresi Arianæ dici anathema, & Christum non haberi pro creatura, sed Deo. Liberius autem Papa, ad pristinam suam fortitudinem (post mortem S. Felicis) reversus, cum Episcopis Italiæ & Clero Romano formulam illam constanter abjecit, Concilio Nicæno firmissima adhærens; ac Roma propterea ab Arianis pulsus, ad obitum usque Constantii tyranni in Catacumbis delituit. 60. *Ariminense.*

In alios pariter dira persecutio desæviit, præsertim in S. Gaudentium, S. Ruffinum, S. Maximum, Episcopos: ac mox etiam in Meletium, qui ab Arianis electus Patriarcha Antiochenus, subitò, dum ad populum diceret, contra Arianorum exspectationem, voce & gestu Deum unum in essentia, & distinctionem personarum, secundùm Nicænum symbolum prædicavit. Quare indicta *Antiochena Synodus* ab Arianis; in qua depositus Meletius, & in exilium jussu Constantii pulsus. In hoc conciliabulo duodecima procusa est fidei formula, qua Filius Patri *substantia & voluntate dissimilis*, *atque ex nihilo ortus dicebatur*. 61. *Antiochenum.*

Tandem superna ultio Constantium sustulit. Cùm enim *Julianus* in Gallia proclamatus esset ab exercitu Imperator, Constantius aversus à Persis, (à quibus plurimas clades acceperat) dum Juliano cum exercitu obviàm procedit, incredibiles inter æstus animam exspuit, anno 361. paucis ante mortem diebus ab Eudoxio Ariano 62. *Constantii interitus.*

An-

Antiocheno Pseudo-Episcopo, ac deinde Constantinopolim translato, baptizatus.

63. *Julianus.* Julianus in quietam totius Imperii possessionem immissus, mox equidem gentilem idololatriam se publicè professus est, Catholicis tamen Episcopis reditum ad sedes suas indulsit, ab Arianis alienior in odium Constantii, quod Gallum fratrem ejus occidisset.

64. *Alexandrinum.* Igitur Liberius Papa ad reparandas Ecclesiæ ruinas intentus, legatos suos (inter quos Eusebius Vercellensis) misit ad *Alexandrinum Concilium*, restituto jam ex tertio suo exilio Athanasio. In hoc celebri Concilio anno 362. decretum est primò, ut Episcopi resipiscentes ad pristinam dignitatem recipiantur, qui vel ex ignorantia, vel tormentis victi, in hæresin Arianam sint lapsi: qui verò authores aut defensores hæresis fuissent, ad communionem tantùm laicam admitterentur. Statutum insuper, ne deinceps vocabulorum ambiguitas turbas in Ecclesia cieat, ut per vocem Græcam ambiguam

65. *Hypostasis* *hypostasis* non substantia, sed *subsistentia* aut *persona* significetur, adeóque tres in Trinitate dicantur hypostases & una substantia. Quæ vocum significatio, licèt adhuc Hieronymo visa sit anceps, ac propterea à Damaso Papa earum explicationem petierit, tamen usus deinde in Ecclesia & apud Theologos obtinuit, ut secundùm explicationem Athanasii, & Concilii Alexandrini, per vocem *hypostasis* intelligeretur persona aut personalitas, adeóque tres in Deo dicerentur hypostases.

66. *Sabellius* Deinde damnata *Sabelli* hæresis, quæ dicebat nullum esse realem distinctionem personarum divinarum, sed plura tantùm esse munera, ac nomina. Item hæresis *Macedonii & Eunomii*, qui nega-

Eunomius. bant divinitatem Spiritus S. cui errori Basilius etiam Ancyranus alíique Semi-Ariani adhæsêre: damnata etiam hæresis *Apollinaris*, qui

Appollinaris. humanam in Christo animam negavit. Denique damnata formula Ariana, quam falsò Concilio Sardicensi attribuerant.

67. *Eusebius Vercellensis.* *Parisiense.* Absoluto Alexandrino Concilio *S. Eusebius* Vercellensis, Orientem emensus, plurimos Arianos ad Ecclesiam reduxerat. *Hilarius* verò Pictaviensis pluribus annis pro fide exul, à Constantio remissus in Galliam post illius mortem anno 362. celebravit *Concilium Parisiense*, in quo damnatis Arianorum formulis, vox consubstantialis Catholicorum *characteristica*, restituta symbolo: ac contestatione facta, quod decepti fuerint Arimini Episcopi, Auxentius, Valens, Ursatius, alii Ariani damnati sunt.

ARTI-

ARTICULUS IV.

Obſervatio I. in Concilium Antiochenum I.

Nunquam plura, tum Concilia, tum Conciliabula, fuerunt celebrata, quàm tempore Conſtantii Imperatoris Ariani, qui Eccleſiaſticis ſe cauſis nimiùm immittens, vi atque tyrannide fidem Nicænam everſum ibat. Cùm autem à Tyranni nomine abhorreret, Eccleſiaſticæ ac Synodalis judicii ſpecie impietatem ſuam obducere nitebatur; uſus in hanc rem Arianis Epiſcopis, ad omne nefas accinctis, & luporum inſtar in ovile Chriſti graſſantibus. 68.

Arianorum Machinæ.

Et primum quidem eorum ſub Conſtantio Conciliabulum fuit *Conſtantinopolitanum*, in quo anno 339. depoſuerunt *Paulum* integerrimum illius Urbis Epiſcopum, intruſo in ejus locum *Euſebio Nicomedienſi*, Arianorum anteſignano.

Eodem anno centum Epiſcopi Catholici Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis in *Concilio Alexandrino* cauſam S. Athanaſii, ſui Patriarchæ, in Tyrio Synedrio damnati ac depoſiti, ſtrenuè propugnare decreverunt. Quare Synodicam Epiſtolam de ejusdem innocentia ad omnes Epiſcopos Catholicos miſerunt, ac præſertim ad Julium I. Romanum Pontificem: ad quem etiam Euſebiani legatos, cum actis Conciliabuli Tyrii, miſerant. Quæ non obſcuro ſunt argumento, ab ipſis etiam Arianis Primatum ejusdem fuiſſe agnitum. Hinc in tota hac hiſtoria tot occurrunt eorum machinæ, ut vel fraudibus ac vi etiam Romanos Pontifices in partes ſuas pertraherent.

Concilium Antiochenum Arianorum I. præſente Conſtantio habitum in dedicatione templi magnifici, à Conſtantino cœpti, & à Conſtantio abſoluti. In hoc conventiculo Ariani in locum S. Athanaſii, à ſe depoſiti deſignârunt, primò quidem *Euſebium Emiſſenum*, hominem Arianum (ſub cujus nomine hodiedum plures circumferuntur Homiliæ, quæ tamen ipſius non ſunt) at hic odium & indignationem Ægyptorum veritus, acceptare ſedem Alexandrinam recuſavit. Unde *Gregorium Cappadocem* impium hominem, atque ex aſſe Arianum intruſerunt, & quidem militari manu Alexandriam deductum.

Vehementer hoc facinus improbavit Julius Papa, data ad Euſebianos Epiſtola: 1. quòd non exſpectaſſent ſententiam Synodi, à ſe indictæ. 2. quòd contra Canones hominem peregrinum atque incognitum elegiſſent, ac per vim militari manu intruſiſſent. *Si enim poſt* 69.

Julius improbat.

Synodum, inquit, *in culpa fuisset deprehensus Athanasius: non tamen oportuit creationem novi Episcopi ita illegaliter & præter canonem Ecclesiasticum fieri, sed in ipsa Ecclesia, & ex ipso sacerdotali ordine, & ex ipso clero ejus provinciæ Episcopos constitui, & nequaquam ex illis, qui nunc Apostolorum Canones violant.*

Socrates inter alia Synedrii illius vitia etiam adducit, *quòd Julius Romanus Episcopus neutiquam aderat, neque quemquam, qui ejus locum suppleret, eò misit, idque cùm Canon Ecclesiasticus jubeat, non oportere absque sententia Romani Episcopi decreta Ecclesiis sancire.* Quod sanè luculentum argumentum est Primatûs ac supremæ jurisdictionis, in Orientalem etiam Ecclesiam, ac sedes Patriarchales.

Porro scenâ illa illegitimæ electionis, ac violentæ intrusionis, contra omne jus canonicum peractâ formulas iterum varias fidei concinnavit hoc conventiculum: & quamvis pluribus vocabulis æquivocis Nicænam fidem exprimere simulabant, *consubstantialem* tamen Filium Patri nunquam fatebantur: licétque Filium *Deum* appellarent, tamen nunquam exprimebant, eum non esse creaturam.

70. *Canones.* Denique Synodus ista 25. Canones edidit, disciplinam Ecclesiasticam spectantes. Decernitur in iis, pascha cum Judæis non esse celebrandum; cum excommunicatis non esse communicandum: non esse devitandas orationes Publicas Ecclesiæ: suspendendos Ministros à sacris, qui ab una Ecclesia transierunt ad aliam: adversus perturbatores Ecclesiæ sæcularem potestatem esse implorandam: Excommunicatum à suo Episcopo non esse recipiendum ab alio: Peregrinos non esse recipiendos absque pacificis Epistolis. In aliena Diœcesi ordinationem non esse faciendam: Episcopum, ab Episcopis suæ Provinciæ condemnatum, non esse judicandum ab aliis; ac supremam esse in his causis Concilii Provincialis auctoritatem: non esse ordinandum Episcopum extra Synodum Coëpiscoporum &c.

An recepti. De his Canonibus disputant eruditi, an ab Ecclesia sint recepti? Ratio dubitandi est, quia ex una parte, Concilium illud, in quo conditi dicuntur, fuit Arianum, & nimis magnam Conciliis particularibus tribuere videntur authoritatem, nempe supremam, atque minuere potestatem sedis Apostolicæ. Ex altera verò parte citantur à Synodo Chalcedonensi act. 11. collectíque sunt à Dionysio Exiguo.

Videtur dicendum, aliquos ex illis per observantiam in Ecclesia invaluisse, sicut aliqui Canones Trullani: sicut igitur isti fuerunt

runt à Latinis collectoribus compilati, & aliquando citantur, sic etiam illi; quin Ecclesia eos specialiter approbârit, aut decreto aliquo receperit. Probabile etiam est, non omnes istos Canones in Synodo Antiochena fuisse editos, sed aliquos saltem aliunde collectos.

Cæterùm etiam Gratianus dist. 16. can. 11. recenset hanc Synodum Antiochenam: geminum tamen admiscet errorem: primum, quòd dicat, canones illos præcipue ab Eusebio Palæstinensi fuisse constitutos; cùm tamen tempore Synodi jam fuerit mortuus, ipsiúsque successor *Acacius* in ea præsens fuerit: alterum, quòd dicat, tantùm 29. adfuisse Patres, eum tamen 80. numerentur.

Concilium Antiochenum II. quatuor pòst annis ab Arianis coactum fuit. In quo prolixorem fidei formulam ediderunt; eámque per legatos ad Episcopos Occidentis miserunt. Verum ab istis rejecta fuit; eò quód omnes ejusmodi formulæ ipsis suspectæ essent, in quibus verbi divini *Consubstantialitas* cum Patre non esset expressa.

ARTICULUS VII.

Observatio in Concilium Ariminense.

Anno 351. in *Concilio Romano*, ad quod etiam Eusebiani à Julio 72.
Papa vooati fuerant, sed inani excusatione belli Persici comparere detrectaverant, tanquam innocens absolutus est S. Athanasius; uti etiam in *Sardicensi* anno 347. eodémque adhuc anno in *Mediolensi Concilio* hæresis Ariana est damnata, *Valens* & *Ursacius* verò à communione suspensi, rogatâ veniâ, in gratiam recepti sunt. *prænotanda.*

Verùm illi reversi ad vomitum, cùm Liberius Papa Anquilejæ Concilium generale vellet indicere, apud Constantium, profligato Magnentio in Galliis tunc versantem, cum *Saturnino* Arelatensi Episcopo Ariano id effecerunt, ut *Arelate* anno 353. cogeretur *Conciliabulum* Arianum; in quo Episcopi Catholici Athanasii damnationi subscribere coacti sunt, solo fermè *Paulino Trevirensi* Episcopo constanter abnuente; qui propterea ab Arianis depositus, & in Phrygia exultare jussus est; ubi anno 358. sanctissimè obiit.

Nec minùs atrocem Tyrannidem Constantius cum Arianis suis in Orthodoxos Episcopos exercuit anno 355. in *Concilio Mediolanensi*, quod ex Ecclesia in palatium translatum est. In hoc conventiculo, quos ante dixi, constantissimi pugiles, S. Eusebius Vercellensis, &

Dionysius Mediolanensis (qui deceptus subscripserat antea, sed ingeniosè ab Eusebio retractus fuerat) cum Lucifero Calaritano, Hilario Diacono Romano &c. in exilium sunt ejecti, quòd Nicænæ fidei firmiter inhærerent, nec damnationi Athanasii vellent subscribere. Eadem persecutio anno sequente in S. Hilarium Pictaviensem deſæviit: dum enim Gallicanos Præsules adhortaretur, ut à communione Saturnini, Ursacii & Valentis se separarent; ab istis in *Conciliabulo Pyterrensi* depositus, & in Phrygiam ejectus est.

Dum interea Ariani etiam & Semi Ariani inter se decertarent, Semi Ariani in *Synodo Ancyrana*, Præside Basilio Ancyrano, anno 358. statuerunt, Filium esse Patri in essentia similem, non tamen ejusdem essentiæ. Annóque sequente *Sirmii* alia rursus procusa est formula, in qua filius per omnia similis dicitur Patri, de substantia autem Dei nullam esse mentionem faciendam.

Utque hanc formam omnibus persuaderet Constantius, Concilium generale indixit; in Orientale, nempe *Seleuciense*, & in Occidentale, *Ariminense*, videlicet, divisum. Cúmque Catholici Ariminenses Patres adduci non possent, ut à forma Nicæna deflecterent, sed Arianos damnarent, Constantius eorum Legatos Nicæam Thraciæ (Nissam) pertraxit, coëgítque (sicut Arimini detentos reliquos) subscribere formulæ, à Semi-Arianis conceptæ; in qua suppressa voce *substantiæ* & *consubstantialitatis*, Filius *similis* Patri dicebatur. His prænotatis

73. *An in hæresin lapsi.* Jam oritur quæstio, *an Ariminensis Concilii Patres, subscribendo illi formulæ, in hæresin sint lapsi?* quam quæstionem hìc breviter tractare vel ideo etiam juvat, quòd Acatholici hinc argumentum petant, quo probent, totam errâsse Ecclesiam: quod quidem ineptè faciunt.

74. *Non erravit Ecclesia.* Licèt enim Ariminenses Patres errâssent in fide, neutiquam tamen dici posset, totam errâsse Ecclesiam; tum quòd illegitimum hoc fuerit Concilium, à sede Apostolica neque convocatum, neque præsidio directum, neque confirmatum unquam fuerit, sed à Liberio, & Damaso Pontifice tanquam tyrannicum conciliabulum reprobatum; tum quia caput Ecclesiæ, Summus Pontifex, ùt dixi, cum S. Athanasio, S. Eusebio Vercellensi, S. Hilario Pictaviensi, S. Paulino Trevirensi, S. Dionysio Mediolanensi, Lucifero Calaritano, multísque aliis diversarum Provinciarum Episcopis, ac Clero Romano, nùnquam subscripserunt, sed constanter, quidquid vi actum est, sunt detestati.

75. *Non erant hæretici.* Sed neque de ipsis Catholicis Episcopis, qui subscripserunt, dici potest, quòd in hæresin sint lapsi. Nam formula, quæ eis

sub-

ſubſcribenda fuit obtruſa, re ipſa nihil continebant hæreticum; imò Ario in illa dicebatur anathema: licèt ergo vox *conſubſtantialitatis* in ea fuerit omiſſa (quod etiam in Catholicis profeſſionibus quandoque factum fuerat) tamen eam, cùm Ario diceretur anathema, ſubintellectam eſſe putabant. Cùm igitur verba Catholicam doctrinam ſonabant, neque fraudem Arianorum adverterent, pacis ſtudio ſubſcribendum eſſe putabant. Bona igitur fide, pleróſque ſaltem egiſſe cenſendum eſt. Idque ex eo etiam patuit, quòd, poſtquam fraus Arianorum fuerat detecta, illico ſint proteſtati, ſe *conſubſtantialitatem* Verbi cum Patre nunquam negâſſe, ſed eandem ſubintellectam crediſſe.

Teſtem habemus S. Auguſtinum, qui Epiſt. 48 de Ariminenſibus Patribus ait: *parvi ſenſus quod eſſent, deluſi ſunt obſcuris verbis, ut putarent, hoc credi ab Arianis, quod etiam ipſi credebant &c.* Addítque, eos *verba inſidioſa intelligere non potuiſſe.* Hinc Ariani doctiſſimos Epiſcopos Catholicos, quorum aliquos paulò antè nominavi, priùs varia in exilia ejecerant, ut ſimpliciores eò faciliùs circumvenirent. Addit denique S. Auguſtinus loc. cit. aliquos timore ceſſiſſe, & poſt ſimulatam conſenſionem ſtatim rediiſſe. 76. *Quia decepti.*

Synodus etiam Pariſienſis brevì poſt ſubſcriptionem illam celebrata, in Epiſtola ad Orientales Epiſcopos canditè fatetur, ſimplicitatem ſuam fraude fuiſſe circumventam. *Cùm ex litteris veſtris* inquit, *fraudem ſe paſſam in Uſiæ ſilentio ſimplicitas noſtra cognoſcat --- nos quoque ab his omnibus, quæ per ignorantiam geſta ſunt perperam referimus.*

Idem conſtat ex Hiſt. ſacra Sulpitii Severi, qui lib. 2. ſcribit: *Interea legatos Ariminenſis Concilii compellit Imperator uniri Hæreticorum communioni, eisdémque conſcriptam ab improbis fidem tradit, verbis fallentibus involutam, quæ Catholicam diſciplinam, perfidia latente, loqueretur. --- eadem fides ſimilem Patri Filium loquebatur: ſed interiùs aderat fraus parata, ut eſſet ſimilis, non eſſet æqualis.* Addítque: *Valens tanquam noſtros adjuvans, ſubjecit ſententiam, cui occultus inerat dolus, Filium Dei, non eſſe creaturam ſicut cæteras creaturas: fefellítque audientes fraus -- quæ tum non intellecta, ſerò animadverſa eſt.*

Neque objicias effatum illud S. Hieronymi in *Dial. adverſus Luciferianos*, ubi de lapſu Ariminenſium Patrum ſic loquitur: *tunc Uſiæ nomen abolitum eſt, tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata eſt. Ingemuit totus orbis, & ſe eſſe Arianum miratus eſt* Nam juxta S. Doctorem *Uſiæ* ſeu ſubſtantiæ nomen non eſt abolitum poſitivè, ſed negativè tantùm; in quantum omiſſum fuerat: & in quantum Ariani 77. *Objectio ex Hieronymo.*

riani inde occasionem captabant, illud etiam positivè abolendi, tanquam nomen, quod in S. Scriptura non inveniretur. Nicæna autem fidei damnatio conclamata est, non ab Ariminensibus Patribus Catholicis, sed ab Arianis, qui triumphum cecinerunt, & gloriati sunt, dogma suum (impium) fuisse approbatum. Ingemuit tum equidem orbis, tot Episcopos fuisse deceptos.

Sed dum addit S. Hieronymus *orbem se Arianum esse miratum*, hyperbolicè loquitur. Certè semper multò plures in orbe erant Catholici, quàm Ariani, ùt constat ex Christiana fortitudine illorum, qui Alexandriæ, Constantinopoli, Antiochiæ, Samosatæ, Mediolani, aliísque locis Arianis restiterunt. Hinc S. Athanasius in *Ep. Synod. ad Jovin Imp.* testatur, exceptis paucis Arianis, omnes Ecclesias, quæ sunt in Hispania, Gallia, Britannia, Italia, Dalmatia, Dacia, Mæsia, Macedonia. Achaia, Ægypto, Libya, Ponto, Cappadocia, quæque sunt per Orientem porrectæ, tenere fidem Catholicam; paucos autem quosdam, qui huic fidei contradicant, non posse orbi terrarum præjudicare.

Interpretandi autem sic S. Hieronymum prolixè suppeditat caussam ipse S. Hieronymus; qui in Dialogo suo adversus Luciferianos multis ostendit, Episcopos Concilii Ariminensis fuisse verè Catholicos, sed ab Arianis, ac præsertim à Valente, in speciem Arii blasphemias abjurante, fuisse deceptos, ac propterea ab Ecclesia esse recipiendos: *cur damnâssent eos*, ait inter cætera, *qui Ariani non erant? cur Ecclesiam scinderent, in concordia fidei permanentem? cur denique benè credentes obstinatione sua facerent Arianos?* Additque recipiendos proin esse, *non quòd Episcopi esse possent, qui fuerant hæretici, sed quòd constaret, eos, qui reciperentur, hæreticos non fuisse.* Quomodo ergo in proprio sensu dicere potuit Hieronymus, totum orbem Arianum fuisse, si ne quidem Ariminenses Patres juxta ipsum fuerunt Ariani aut hæretici?

78. *Objectio ex S. Ambrosio.* Quando autem S. Ambrosius ait, perfidè in Ariminensi Concilio prævaricationis auctores, dum Imperatoris gratiam sequuntur, Dei gratiam perdidisse, loquitur de Arianis, qui Catholicis fuerant auctores formulæ illi ambiguæ & fallaci subscribendi. Intelligi etiam hic aliíque textus possunt de quibusdam, Catholicis antea, Episcopis, qui tyrannicæ persecutioni tandem ex infirmitate cesserunt, ac formulæ arianizanti subscribendo sunt lapsi. Neque enim omnes adeò fuisse simplices dicimus, ut fraudes Arianorum non adverterint; sed id duntaxat asserimus, maximam Episcoporum

rum partem ambiguis verbis Catholicum ſenſum præſeferentibus, fuiſſe deceptam, atque inductam, ac proin in hæreſin non fuiſſe lapſam. Et hinc ipſum etiam Concilium Alexandrinum, hac ſuper re poſtea celebratum, diſcrimen facit inter eos, qui ex ignorantia ſubſcripſerant, & inter eos, qui auctores & defenſores perfidiæ fuerant.

ARTICULUS VIII.

Converſio rerum ſub Joviano.

Quamvis res Catholica ſub Juliano, ethnico licèt Principe, Epiſcopis reſtitutis, refloreſceret, non deſierunt tamen Ariani odio implacabili Athanaſium perſequi, Eccleſiam Alexandrinam totúmque ſuum Patriarchatum, plurimorum etiam gentilium converſione, ſanctiſſime reſtaurantem. Quare per gentiles Philoſophos, & aruſpices, in aula dominantes, eum accuſant, tanquam juratum Deorum hoſtem coram Juliano; qui propterea illum occidi imperat. Athanaſius, ut immminentem ſibi procellam evitet, cymbæ impoſitus fugit. Qua in fuga contingit ille occurſus, ac reſponſum datum ſatellitibus inſequentibus, Athanaſium non procul abeſſe.

At brevì deferbuit ille perſecutionis æſtus. Nam altero Imperii anno impius Julianus in expeditione Perſica ictus ſagitta, manu incerta immiſſa, interiit, anno Chriſti 362. ætatis 30. poſt confectum bellum Perſicum aliud atrocius in Chriſtianos meditatus. 79. *Juliani interitus.*

Exercitus annona & duce deſtitutus Imperatorem proclamavit *Jovianum*, Principem Pannonicum, probitate & religione eximium: qui non priùs purpuram acceptavit, quàm milites exclamarent, ſe Chriſtianos eſſe. Facta dein cum Sapore pace, licèt difficili, exercitum, à Juliano in fauces velut Caudinas adductum, Antiochiam reduxit. Nihílque antiquius habuit, quàm ut, revocatis impiis Juliani decretis, Imperium à ſuperſtitione & idolis purgaret; petita ab Athanaſio certa fidei regula. Ille, jam quartò ſedi ſuæ reſtitutus, ut optimi Principis vota impleret, & tempore rei Catholicæ tam oportuno uteretur, illico *Concilium Epiſcoporum* ex omni Ægypto, Thebaide ac Libya *Alexandriæ* congregavit anno 363. confecta in eo, juxta ſymbolum Nicænum, Catholicæ fidei epitome, ac Imperatori ab ipſo Athanaſio, Antiochiam profecto, oblata; qua ita firmatus eſt, ut Arianis, varios libellos offerentibus, 80. *Alexandrinum.*

bus, reſponderet, ſe nec latum unguem à fide Nicæna diſceſſurum.

Cùm igitur Ariani cernerent ſe fruſtra conari Auguſtum in ſectas ſuas pertrahere, ut illius favore potiantur, anno 363 in *Concilio Antiocheno*, quod *Meletius* Patriarcha Catholicus indixerat, Nicænam fidem ex integro receperunt, & propria ſubſcriptione approbârunt. 27. in Concilio præſentes erant Ariani Epiſcopi, intérque eos ipſe *Acacius*, qui omnes, ſeu ſeriò ſeu ſimulatò, Catholicam formulam, à ſe ſubſcriptam, Imperatori obtulerunt: fortaſſis purpuram magìs Principis, quàm Chriſtum adorantes.

81. *Antiochenum Meletii.*

82. *Obitus Joviani.*

At frui diu non licuit Eccleſiæ religioſiſſimo hoc Principe, qui, anno necdum in Imperio exacto, in lecto repentè mortuus eſt inventus. Creditum, vapore carbonum, in ejus cubiculo accenſorum, eſſe ſuffocatum. *Valentinianum*, pariter Ponnonicum, atque inſignem bello ducem, Imperatorem ſurrogavit exercitus, propter religionis zelum à Juliano baltheo militari exutum, & in exilium pulſum.

ARTICULUS IX.

Furor Arianæ hæreſis ſub Valente.

Valentinianus Imperator, ùt ùt cæterà præclarus, in eo tamen minùs providus malè conſuluit Eccleſiæ, quod fratrem *Valentem* in Imperii conſortem aſciverit, commiſſo illi Oriente, Occidentalibus provinciis ſibi reſervatis. Nam poſtquam Semi-Ariani *Lampſaci* in Helleſponto anno 365. *Concilium* celebrâſſent contra Arianos puros, eóſque una cum conciliabulo Ariminenſi damnaſſent, porrectâ Liberio formulâ Catholicâ, ſunt recepti. At *Eudoxius* Conſtantinopolitanus Pſeudo-Epiſcopus, Arianorum tunc coriphæus, in aula adverſus Semi-Arianos & Catholicos erroris præſidium quæſivit: adeóque callidè inſinuare ſe noverat apud Imperatricem ſinuoſus ſerpens, ut Ariana eam tabe infecerit, & per illam ipſum *Valentem* Imperatorem; ut adeò, antequam is ad bellum Gothicum proficiſceretur, ab eodem impoſtore Eudoxio voluerit baptizari; addito juramento, ſe fidem (Arianam) quam nunc edoctus eſſet ab Eudoxio, perpetuò conſervaturum, & quantùm poſſet per univerſum Imperium propagaturum.

83. *Lampſacenum.*

84. *Eudoxius Valentem pervertit.*

Ab eo tempore, licèt Valens, fratrem Valentinianum veritus, non ſtatim aperte perſequeretur Catholicos, plenam tamen Eudoxio & Arianis inſaniendi licentiam permiſit.

Hac

Hac freti adversus Semi-Arianos, à quibus Antiochiæ fuerant damnati *Singeduni conciliabulum* cogunt, in quo, authoribus Ursacio & Valente, confirmata formula Ariminensis conciliabuli. At frustra ad subscribendum invitàrunt Semi-Arianos, qui absolutè volebant poni in Symbolo, Filium Patri etiam in *substantia* esse similem; quod nolebant Ariani, negantes pertinaciter similitudinem in substantia aut essentia. 85. *Singedunense.*

Occidentale Imperium jam ferme purgatum erat ab Ariana fæce; qua tamen, præter pauculos alios, adhuc contaminatus mansit *Auxentius* Mediolanensis Episcopus. Hunc, Arianorum more, ambiguis vocabulis decipientem, & Catholicum se simulantem, recipi in communionem Valentinianus voluit, præsertim, ubi à S. Hilario adactus fuit suam fidem clarè manifestare. Nam veram ac orthodoxam de Filio Divino fidem ore, voce, ac scripto, coram Imperatore professus est; at Arianam mendax impostor in mente retinuit; aliósque deinceps perrexit decipere, præsertim Illyricos Episcopos. 86. *Auxentii dolus.*

Quare Damasus Papa, qui Liberio successerat, rogatus ab Athanasio, ut noxium hoc pus ab Ecclesiæ corpore abscinderet, indicto gemino *Romano* Concilio, primò quidem *Ursacium*, & *Valentem* tanquam hæreticos damnavit anno 367. dein anno 369. in altero Concilio etiam *Auxentium*, ab omnibus vitandum publicè denuntiatum. In eisdem Damasus simul reprobavit conciliabulum Ariminense, ejusque formulam arianizantem, atque definivit, solum Nicænum symbolum ab omnibus tenendum. Qua ratione brevì lues Ariana in Occidente extincta est. 87. *Romanum*

Ar alia multò in Oriente rerum facies: ubi Valens Imperator, pace cum Gothis inita abjectáque larva, Arianam hæresin, ab Eudoxio haustam, publicè professus, impium edictum edidit, quo jubebat, omnes Episcopos à Constantio relegatos, & à Juliano restitutos, Ecclesiis suis expelli. Classicum hoc erat, quo Arianus furor denuo armabatur in Catholicos. Pulsi passim orthodoxi Episcopi, substitutis Arianis. Athanasius, ut populo Alexandrino, sui amantissimo, parceretur ultrò furori cedens, in latebras paterni sepulchri se abdidit. Verùm post quatuor menses jussus à Valente restitui, altero post anno, nempe 371. sanctè obiit. Miles profectò Christianus, in quem potestas tenebrarum totum armamentarium suum exhausit, herósque imcomparabilis, qui bellis adversus Arianos gestis & ætatem suam & memoriam omnium sæculorum implevit, vel fugiendo Victor, & ad ultimum gloriosus trimphator. 88. *Persecutio Valentis.* 89. *Athanasii obitus & elogium.*

Sed & plurimi alii per totum Orientem heroës orthodoxi in atrocissima Valentis persecutione, admirabili in exiliis, ac tormentis constantia, pro fide decertârunt, vel animam suam dantibus pastoribus pro ovibus suis. Atque ut ex uno facinore & tyranni immanitatem & Martyrum virtutem arguas, octoginta viri Ecclesiastici Ordinis, ab urbe Constantinopolitana ablegati Nicomediam ad Valentem, ut rogarent quietem à diris persecutionibus. Quos ille omnes, in fide constantes, navi impositos, cum navi comburi jussit. Et dedit tunc Deus magnos Ecclesiæ viros, qui eam tot malis pressam sustentarent, Basilios, Gregorios, Nyssenum, & Nazianzenum, Meletios, Barsetes &c.

90. *Martyres*

91. *Gothi Ariani.* Laborabant hi equidem strenuè pro causa Dei; impedire tamen non poterant, quin Gothi, gens Borealis, à mari Balthico ad Danubium & Euxinum usque Pontum tum exporrecta, magnámque partem Catholicam fidem jam professa, Ariana lue inficerentur, à quibus postea per Occidentem etiam circumlatus error. Origo mali *Eudoxius*, Constantinopolitanus Pseudo-Episcopus, qui Valentem antè perverterat. *Ulphila.* Hîc enim *Ulphilam* Gothorum Episcopum, apud Valentem legatione fungentem, Ariana peste afflavit; quam dein secum in vastum illum populum, qui Ostrogothos, Visigothos, Vandalos, & Gepidas complectebatur, infelix intulit miseranda tot animarum strage: quam adaugebant Ariani Episcopi à Valente ad eos missi: ne fortè unus lupus non sufficeret depascendo tanto gregi

92. *Interitus Valentis.* At incubuit tandem scelerato Principi cœlestis ultio; nam ingenti clade affectus à Gothis dum fugeret, sagitta sauciatus, cum tugurio, in quod se abdiderat, combustus est; vindicante Deo Antiochenum tot Martyrum incendium.

ARTICULUS X.

Ariana hæresis extincta in Oriente sub Gratiano & Theodosio.

Gratianus, patre Valentiniano jam antè piè demortuo, in Imperio Occidentali successit, assumpto in socium fratre suo *Valentiniano II.* qui ex Justina, matre Ariana, genitus, imbibito cum lacte contagio, persequebatur Catholicos Mediolani, ac præsertim S. Ambrosium; qui mortuo Auxentio Ariano, infantis voce designatus in Episcopum Mediolanensem, licèt adhuc esset laicus, imò ne quidem baptizatus, unanimi suffragio electus, Justinæ aliorúmque

93. *Valentinianus II.*

rúmque Arianorum conatibus ſtrenuè reſtitit, donec ea mortua Valentinianus ſe totum ſancto huic Præſuli permitteret: occiſus tamen ab Arbogaſto, militiæ Præfecto, quem exauthoraverat, Viennæ in Gallia, antequam Ambroſius ad impertiendum ei baptiſmum advenisset.

Gratianus; Princeps pientiſſimus, cæſo à Gothis Valente patruo, Orientis etiam imperium adeptus, publico mox edito omnes Catholicos Epiſcopos, quos Valens ac Ariani ex Eccleſiis ſuis ejecerant, juſſit reſtitui; commiſsóque Oriente *Theodoſio*, Hiſpano Duci præclaro, in Occidente à *Maximo* Tyranno per Andrograthium eſt interemptus. Cúmque *Maximus*, à Theodoſio & Valentiniano II. agnitus conſors Imperii (cujus ſedem Treviris fixerat) transalpinis Provinciis non contentus, occupata etiam Italia, Valentinianum II. Gratiani fratrem in exilium expuliſſet, à Theodoſio eſt reſtitutus, victo ingenti prælio Maximo, & Aquileiæ à militibus diſcerpto. Interempto autem, ùt dictum, Valentiniano, Occidentale rurſus Imperium cum Orientali ſub Theodoſio coaluit. Qui devictis Tyrannis, Gothis, Vandalis & Hunnis, religioni inſtaurandæ animum adjecit, ejectis ubique Arianis Pſeudo-Epiſcopis, collectáque per Damaſum Papam *ſecunda Generali Synodo*, Filio Divino ac Spiritui ſancto Divinitatem juxta Nicænum Symbolum Patri æterno *conſubſtantialem* aſſeruit. 94. *Gratianus* 95. *Theodoſius.* *Maximus*

Satíſque compoſitæ jam erant contra hæreticos res Orientis, cùm tamen adhuc ſchisma pertinax Antiochenum Catholicos ipſos ſcindebat. Lucifer Calaritanus, Pontificis per Orientem legatus, *Meletium* Antiochiæ Epiſcopum depoſuit, eò quòd priùs Arianus fuiſſet, & *Paulinum* ei ſubſtituit. Multo igitur tempore duo erant Antiochiæ Epiſcopi Catholici, populo in duas partes ſciſſo, & quidem tanta pertinacia, ut locus vix eſſet remedio. Unde à Concilio utrique permiſſus Epiſcopatus, utroque ſuæ parti præeſſe juſſo. Mortuo ſubin Meletio, contra juramentum pars Meletiana elegit *Flavianum*, ſícque ſchiſma uſque ad tempora Innocentii I. perduravit, diſſimulante Eccleſia, ad evitanda majora mala. 96. *Schiſma Antiochenum.*

Anno deinde 381. celebratum eſt *Aquileienſe* Concilium Præſide Ambroſio, congregatis Galliæ, Italiæ, & Pannoniæ 32. Epiſcopis, contra *Palladium* & *Secundianum*, Arianos Epiſcopos, qui damnati, more hæreticis conſueto, ad Generale Concilium appellârunt. At Ambroſius Gratianum Imperatorem monuit, indignum eſſe propter rebelles duos homines, quibus per Synodum particularem ſatis eſſet proviſum, omnes totius orbis convocari Epiſcopos. 97. *Aquileienſe.*

98. Romanum. Voluit tunc Damasus Papa celebrare *Romæ Generale Concilium*, ex Orientali & Occidentali Ecclesia collectum, jámque Gratianus & Theodosius suum ad hoc consensum dederant. Verùm Orientales Episcopi se excusabant, quòd lupis Arianis adhuc hinc inde ululantibus, pastores non possent tanto tempore abesse gregis periculo. Re ipsa timebant plures, ne eorum electio, contra SS. Canones facta, decerneretur irrita: nam postquam S. Gregorius Nazianzenus Episcopum Constantinopolitanum deposuit, electus est *Nectarius*, vir Catholicus quidem, sed laicus, & pro abusu illius temporis dilato baptismo adhuc catechumenus, quàm gnarus aulicarum & politicarum artium, tam rudis Ecclesiasticarum. Huic tamen multi adhærebant Episcopi. Præterea timebant Flaviano Antiocheno, iisque, qui ab his ordinati fuerant Quare ex Orientalibus pauci venerunt ad *Romanum Concilium*: sed *particulare Constantinopoli* rursus celebrârunt: litteras tamen miserunt Damaso, excusationis & obsequii plenas, unà cùm gestis Orientalis Concilii, quòd à Damaso confirmatum fuit, quoad Canones fidei.

Porro in hoc *Concilio Romano* cuilibet Psalmo Divini Officii jussum est addi: *Gloria Patri*, *& Filio &c.* propter Arianos, qui laudationem illam SS. Trinitatis, jam inde à temporibus Apostolorum in Ecclesia usitatam, corruperant, dicendo: *Gloria Patri*, *per Filium*, *in Spiritu sancto;* ne videlicet æqualitatem Divinarum Personarum exprimerent.

ARTICULUS XI.

Observatio circa schisma Antiochenum.

§. I.

Synopsis Historica.

Fructus inter alios Ecclesiæ funestos, quos Ariana hæresis protulit non ille postremus fuit, quod inter ipsos etiam Catholicos discordias ac schismata excitaverit, vel iisdem magna saltem ex parte occasionem dederit. Quibúsque remedium oportunum afferre sacrosancta Ecclesiæ Concilia sunt conata.

Has inter scissuras primum facilè locum obtinet *schisma Meletianum.* Quod supra, ut ordo nexúsque rerum gestarum constet, sparsim tactum, hîc in unam epitomen breviter juvat colligere.

Post-

Poſtquam igitur Conſtantius Imperator, Arianorum inſtinctu, 99.
ſanctum *Euſtathium*, qui in Nicæna Synodo facunda piáque oratio- *Euſtathius*
ne Conſtantinum M. totius ſanctiſſimi cœtus nomine ſalutaverat, à Patriarchatu Antiocheno motum, in exilium ejecerat, non alia ex cauſa, quàm quòd vir cordatus eſſet, atque à Nicæni placitis nollet deflectere; in ejus locum, vi præpollente, intruſus eſt *Eudoxius*, Arianorum tunc temporis princeps. Cum quo pars Civitatis Catholica communicare detractans, ſeorſim ſuos cœtus agebat: *Euſtathiani* exinde nuncupati, quòd Euſtathio Epiſcopo ſuo, licèt *Eudoxius*, exuli, conſtanter adhærerent: multùm diverſi ab Euſtathianis hæreticis.

Cùm autem Eudoxius, contra SS. Canones, tunc temporis viridi obſervantia florentes, ab Antiocheno ad Conſtantinopolitanum Epiſcopatum à Conſtantio fuiſſet translatus, Ariani *Meletium*, *Meletius*. Sebaſtenum ante Epiſcopum, quem ſuarum partium eſſe credebant, in Antiochena Cathedra eidem ſuffecerunt (anno 361)

Ad Meletius publica in concione, præter omnem exſpectationem Arianorum, ſecundùm fidem Nicæni Concilii Deum unum in ſubſtantia trinúmque in Perſonis publicè confeſſus eſt. Et quo Ariani ab eo ſe ſeparârunt, Orthodoxus verò populus partim Meletium agnoſcebat Epiſcopum, partim eundem repudiabat, eò quòd ab Arianis potiſſimùm fuiſſet electus & ordinatus. Ut adeò alii eſſent *Ariani*, alii *Meletiani*, alii *Euſtathiani*.

Ejecto ſubin Arianorum fraude Meletio, intruſus eſt *Euzojus*, Arianæ impietatis miniſter nefarius. At cùm Julianus expulſis à Conſtantio Epiſcopis ſedes ſuas repetendi copiam fecerat, rediit Antiochiam Meletius: necdum tamen ab omnibus Orthodoxis agnitus.

Quare *Lucifer*, Calaritanus in Sardinia Epiſcopus, Pontificius 100.
per Orientem legatus, ut turbas illas componeret, exauctorato Me- *Paulinus*.
letio (eò quòd ab hæreticis eſſet ordinatus) *Paulinum*, virum integerrimum (à quo poſtea S. Hieronymus ordinatus eſt Presbyter) Epiſcopum Antiochenum inauguravit.

Verùm non extinctum, ſed auctum eſt hoc pacto incendium. Sic enim duo rurſus, contra SS. Canones, prodibant ejusdem civitatis Epiſcopi, Meletius & Paulinus, utroque Sectatores ſuos Catholicos trahente: quibus tertius acceſſerat Euzojus, Arianorum Epiſcopus.

Sub idem tempus Euſebius Vercellenſis, alter Sedis Apoſto- 101.
licæ per Orientem legatus in *Concilio Alexandrino* una cum S. Atha- *Euſeb.*
naſio *Vercell.*

nasio statuit, lapsis in Ariminensi Synodo, reversísque, sedes suas Episcopales relinquendas, & ordinationes eorum habendas ratas. Absoluto autem Concilio Eusebius & ipse Antiochiam profectus est; ubi improbans, quòd Lucifer alium pro Meletio surrogâsset Episcopum, neutri parti communicavit, sed indignatione motus recessit. Lucifer autem, cùm factum suum ab Eusebio improbari cerneret, improbavit & ipse decretum, quod Eusebius cum Athanasio Alexandriæ fecerat recipiendi videlicet lapsos, eósque in pristinam dignitatem reponendi. Unde schisma excitavit, ùt suprà meminimus.

Aucto sic Antiocheno schismati novum incrementum addidit controversia de voce *hypostasis*. Meletius enim cum suis tres in Deo statuebat hypostases, Pauliniani verò unam tantùm hæresínque sibi mutuò objiciebant; illi istis Sabellianam, hi illis Arianam. Error non in re, sed voce fuit, Meletiani enim per *hypostasim* subsistentiam seu personalitatem intelligebant, Pauliniani verò substantiam.

Pulso subin Meletio à Valente Imperatore in alterum exilium, sed à Gratiano revocato, tolli visum est schisma: conventum enim est inter Meletianos, & Paulinianos, ut mutua communione servata, uterque suæ partis esset Episcopus, superstes verò post mortem alterius solus Ecclesiam Antiochenam regeret; háncque pactionem Episcopi plures juramento confirmârunt.

102. *Flavianus* Sed recruduit, cùm contra pactionem istam, mortuo Meletio, *Flavianus* ei est subrogatus. Quod graviter ferens Damasus Romanus Pontifex, communicare cum Flaviano recusavit (utpote perjuro, & schisma nutriente) & *Evagrium* fovit, post mortem Paulini ordinatum. (Quidem scribunt, Evagrium ab ipso Paulino, contra SS. Canones, designatum & ordinatum fuisse successorem.)

Et Evagrius.

Siricius Papa, successor Damasi, Flavianum ad dicendam causam Romam citavit; cùm autem sibi diffidens non compareret, Siricius in *Capuano Concilio* causam illam Theophilo Alexandrino cognoscendam delegavit. Qui, perspecta Antiochenorum pertinacia, è re Ecclesiæ esse censuit; ut uterque suæ parti interim relinqueretur Episcopus, atque intercessione sua Flaviano sedis Apostolicæ communionem obtinuit.

Licèt autem, Evagrio mortuo, nullus fuerit subrogatus, pars tamen, quæ illi adhæserat, privatos in cœtus collecta, communionem cum Flaviano declinavit: donec paulatim, odiis & præjudiciis mitigatis, sub unius Episcopi gubernationem redierunt.

§. II.

§. II.

Utrum Meletius, an verò Paulinus fuerit legitimus Antiochiæ Episcopus?

Ratio dubitandi est, quia SS. Canones prohibent, duos simul ejusdem civitatis aut Diœcesis esse Episcopos. Ergo alterutrum illegitimè intrâsse necesse est.

Ex altera verò parte videtur difficulter determinari, quisnam ex illis sit habendus pro vero Episcopo: cùm uterque graves pro se rationes habeat.

Nam imprimis uterque fuit vir *sanctus*, atque insignibus lau- 103.
dum encomiis a Sanctis Patribus celebratus, tanquam invictus Ni- *Uterque*
cænæ Orthodoxæ fidei contra Arianos vindex. Difficulter ergo *sanctus.*
quivis ex illis velut usurpator proscribitur. Et quidem de sanctitate Paulini nemo est, qui dubitet. S. Hieronymus non ab alio Episcopo voluit ordinari sacerdos. Ipsi Imperatores, Constantius & Valens, licèt alios passim ejicerent Orthodoxos Episcopos, adversùs Paulinum tamen, sanctitatem ejus reveriti nihil admodum moliebantnr, æmulo ejus Meletio ab utroque in exilium pulso.

Sed nec minore sanctitate fulgebat *Magnus Meletius*, eruditione verò etiam majore. Unde utraque Ecclesia, Latina & Græca, in sanctorum eum fastos retulit ad 12. Februarii: ad quam diem vitam ejus & acta exhibet Bollandus: atque insigne ejus elogium exstat in Martyrologio Romano ad eandem diem. Merita ejus in Ecclesiam plurimúm extollunt SS. PP. præsertim Basilius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Gregorius Nyssenus, quibuscum familiarissimè vixit. Scriptores denique passim eum *Magnum Divinum hominem*, aliísque nominibus, grandem æstimationem præferrentibus, compellant. Talem autem tantúmque virum inique usurpationis, ac schismatis arguere, videtur difficile.

Contrà verò eum ab Arianis potissimùm electum esse Episcopum 104.
Antiochenum, ex Socrate, Theodoreto, & Sozomeno constat, ut *Contra*
haberent isti hæretici doctum facundúmque hominem, qui Antio *Meletium.*
chenis Arianismum persuaderet. Interfuerant etiam quibusdam Arianorum Conciliabulis. Unde S Epiphanius hæresi 73. & S. Hieronymus in Chronico eundem Semi Arianis videntur accensere. Igitur ante Episcopatum Antiochenum videtur aut fuisse Arianus, aut talem simulâsse, vel saltem fidem non eo, quo decebat,

bat, modo, professum esse. Cur enim aliàs Ariani eum pro suo habuissent? & hinc Damasus Pontifex & Occidentalis Ecclesia cum eo non communicâsse, sed Paulinum pro legitimo Episcopo habuisse dicitur, utpote à Lucifero Calaritano, Pontificio Legato ritè ordinatum.

Ad hanc difficultatem respondet Natalis *Dissert.* 15. & 34. *in Hist. Eccles. Sæc. IV.* Meletium nunquam fuisse hæreticum aut schismaticum: eos enim, qui dicebant Filium *similem* esse Patri, vocem verò *consubstantialitatis* certis de causis respuebant, Catholicè sensisse, satísque fidem Nicænam expressisse. Horum autem è numero fuisse Meletium. Arianos proin falsò existimâsse, eum partibus suis esse addictum. S. Epiphanium in his rebus minùs esse accuratum. S. Hieronymum verò ubique esse in S. Meletium paulò iniquiorem: virum enim fervidæ indolis, (S. Hieronymum) & Paulini partibus, à quo fuerat ordinatus sacerdos, omnino addictum, falsis rumoribus, quos de Magno Meletio spargebant invidia faciliùs credidisse, quia ipsum, ùt Episcopi sui æmulum, sit aversatus. Quod denique communionem cum Romano Pontifice spectat, sufficere, ad conservationem Ecclesiasticæ unitatis, *mediatam* cum illo communionem. Hanc autem conservâsse Meletium: licèt enim immediatè cum Pontifice & Occidentali Ecclesia non communicaverit, paratum tamen fuisse ad hanc communionem, atque immediatè communicâsse cum S. Basilio, S. Gregorio Nysseno, aliísque Orthodoxis Orientis Episcopis, qui immediatè sedi Apostolicæ, & Ecclesiæ Occidentali fuerint conjuncti: adeóque, his mediantibus, etiam Pontifici fuisse conjunctum. Talem autem nullatenus esse schismaticum, qui *mediatam* ejusmodi conjunctionem conservet. Hæc Natalis: cujus ea est sententia, Meletium potiùs fuisse legitimum Episcopum, quàm Paulinum, eò quòd ille prior fuerit electus.

105. *Natalis Opinio.*

Verùm ex his duriora aliqua esse videntur, quàm ut iis possim subscribere. Nam imprimis aliud est, Patrem & Filium esse *ejusdem substantiæ*, aliud eos esse *similes in substantia.* Duo homines similes sunt in substantia, sive in natura humana, non tamen sunt ejusdem substantiæ, aut naturæ. Unde illi, qui dicebant, Filium esse Patri similem in substantia, vocabantur *Semi-Ariani*, qui censebantur hæretici: quia equivoca hac *similitudinis* voce intelligebant, Filium non habere eandem numerô naturam, sed similem. Et cur aliàs errâssent Patres Ariminenses Concilii, in quo subscribebant formulæ, quæ tacita consubstantialitate, continebant, *Filium esse Patri similem?*

106. *Crisis de illa.*

Deinde

Deinde difficulter etiam dicitur, majus jus ad Episcopatum stetisse penès Meletium, quàm Paulinum. Nam, quidcunque sit de fide, quam Meletius ante illum Episcopatum habuit, certum est, Arianos non fuisse legitimos electores. Cùm igitur, utpote hæretici, nullam habuerint potestatem eligendi Prælatum Ecclesiæ, ipso jure omnino irritam fuisse eorum electionem, censeri oportet. Et hinc qualis, quantúsque demum esset Meletius, sedes Apostolica, S. Athanasius, S. Epiphanius, S. Hieronymus, & Occidentalis Ecclesiæ Episcopi, meritò Paulini causam probabant, tanquam à legato sedis Apostolicæ promoti. Deinde dubitari vix potest, quin Meletius ante electionem illam cum Arianis saltem communicaverit. Aliàs enim illum non elegissent. Irrita autem erat electio illius, qui cum hæreticis communione est conjunctus, licèt cæteroquin Orthodoxè sentiat. Et hinc etiam statim magna populi Catholici Antiocheni pars electioni illi reclamabat, quæ deinde Paulino adhærebat, nec abduci poterat, ut Meletium, etiam postquam fidem Nicænam publica in concione professus fuerat, Episcopum suum agnosceret.

Neque obstat, quòd *Alexandrina Synodus*, sub S. Athanasio & Eusebio Vercellensi celebrata, statuerit, Arianos Episcopos, qui conversi Nicænam fidem ex integro profiterentur in sedibus suis esse relinquendos. Nam antequam hic Concilii Canon Antiochiam erat perlatus, Paulinus à Lucifero Calaritano jam fuerat Episcopus ordinatus. Spoliari proin jure suo quæsito non debuit; præsertim cùm esset vir sanctissimus, nunquam dubiæ fidei, sed spretis Tyrannorum minis constanter ejusdem professor intrepidus.

Neque tamen hæc eam in partem disputo, ut Meletii sanctitati, aut præclaris in Ecclesiam meritis, atque Patrum Orientalium encomiis, quidquam detractum velim. Multos Sanctos sancta veneratur Ecclesia, qui non semper fuerunt sancti. Sit dubia ejusdem ante Episcopatum Antiochenum fides (certè Ariani eum suum esse crediderant) sit etiam, non tantùm communicâsse cum hostibus Ecclesiæ, sed etiam Semi Ariana labe infectum fuisse, aut saltem plus justo Orthodoxiam suam dissimulâsse; certum nihilominus est, eum, postquam Episcopus Antiochenus est renuntiatus, contra omnem exspectationem Arianorum, ad amussim formulæ Nicænæ fidem Orthodoxam publicè esse professum, ejúsque fidei causâ multas dimicationes cum Arianis suscepisse, ter exilium passum, sub Constantio nimirum, Juliano, & Valente, atque insigni ubique sanctimonia vitam suam informâsse, communionem denique cum

Damaſo Pontifice, quantum per ipſum ſteterat, omni ope procu râſſe, ac denique etiam obtinuiſſe.

107. *Obtinuit communionem cum Eccleſia.* Negat quidem hoc ultimum Natalis; at inde credibile admodum redditur, quòd non videatur veroſimile, Eccleſiam Romanam in ſuos ſanctorum faſtos relaturam fuiſſe hominem, qui extra communionem cum ſede Apoſtolica obiiſſet. Certè, poſtquam cum Paulino pactionem illam inierat, ut ſuperſtes ex ipſis ſolus Eccleſiam Antiochenam regeret, ac quievit Damaſus, hócque pacto ſtari voluit, ac proin utrumque interim eſſe Epiſcopum indulſit. Et ſanè non eſt credibile; S Baſilium, S Gregorium Nyſſenum, aliósque Orientalis Eccleſiæ ſanctiſſimos viros Meletium in ſuam communionem, quin & intimam familiaritatem recepturos, atque tantis laudibus tanquam ſanctiſſimum Epiſcopum exornaturos fuiſſe, ſi Romanæ Eccleſiæ, omnium Eccleſiarum matri, non fuiſſet conjunctus.

Sed & monumenta non obſcura obtentæ illius communionis habentur. Nam cùm Damaſus Appollinaris hæreſim damnâſſet in *Concilio Romano*, Epiſtolam ea de re ad Orientales miſit, cui etiam Meletius proprio nomine ſubſcripſit in *Concilio Antiocheno*. Et in libello Synodico hujus Concilii dicitur, Meletium ad Damaſum & Epiſcopos Occidentales divinam miſiſſe expoſitionem fidei contra Marcellum, Photinum, & Apollinarem. Quod ſignum eſt, eum iis communicâſſe.

Concilium etiam *Aquileienſe*, anno 381. celebratum, in epiſtola ad Imperatores ſcripta aſſerit, velle ſe, ut ſervetur pactum, quo pax Antiochenæ Eccleſiæ fuit inita. Ergo poſt illud ſaltem pactum, inter utrumque Epiſcopum initum, Meletius ab Occidentali etiam Eccleſia fuit receptus, & agnitus Epiſcopus. Sanè Paulinus, qui Apoſtolicæ ſedi fuit conjunctiſſimus, nunquam ejusmodi pactum iniiſſet, vi cujus Meletium partis, ipſi adhærentis, Epiſcopum agnovit, niſi cum conſenſu Damaſi Pontificis.

Denique S. Hieronymus, licèt à Meletio alienior, ex Oriente, ubi tunc verſabatur, ad Damaſum ſic ſcripſit: *ego clamo: ſi quis Cathedræ Petri communione jungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, Paulinus tibi hærere ſe dicunt.* At Meletium, virum tunc ſanctum, mentitum eſſe, non eſt credibile.

108. *Sententia media.* Licèt ergo Meletius initio non fuerit legitimè electus Epiſcopus, tamen poſtea à ſede etiam Apoſtolica & Occidentali Eccleſia eſt acceptatus & agnitus, ſícque in unione cum Eccleſia ſanctè obiit Conſtantinopoli, quò ad Concilium vocatus fuerat, anno 381. ejúsque

ejúsque corpus solenni ritu Antiochiam est translatum, eum omnes, ut inquit Theodoretus, qui dicendo aliquid poterant, funebribus orationibus laudârunt, tanquam absolutum exemplar sancti Episcopi. Hos inter fuêre Gregorius Nazianzenus, & Nyssenus, ac S. Joannes Chrysostomus, (Meletii quondam discipulus) cujus oratio exstat apud Bollandum ad diem 12. Februarii: ubi plura de ejus vita, virtutibus, ac eruditione possunt legi.

Atque hac via commodè conciliantur varia de ipso testimonia, quæ in er se videntur contraria. Nam qui de hæresi eum suspectum habent, intelligendi sunt de tempore, quo Sebastenus adhuc erat Episcopus. Qui verò sanctitatem ejus prædicant, de tempore, quo Antiochenus fuit Episcopus, & communionem Ecclesiæ tandem obtinuit, sunt exaudiendi. Adeóque postquam communionem cum Ecclesia Romana obtinuit Meletius, uterque fuit verus Antiochiæ Episcopus; uterque videlicet populi sibi adhærentis, sicut in eadem urbe plures sæpe sunt Parochi.

ARTICULUS XII.

Observatio circa schisma Luciferianum.

Concilium Alexandrinum, à S. Athanasio, & Eusebio Vercellensi, 109.
Legato Liberii Papæ, Juliano imperante, celebratum, statuerat *Synopsis*
inter alia de Episcopis, in Concilio Ariminensi lapsis, ut videlicet, *Historica.*
qui ex ignorantia, vel tormentis victi, subscripsissent, ad pristinam Episcoporum dignitatem admitterentur, si seriò ab errore suo resipiscerent. Háncque sanctionem ipse etiam Liberius Papa approbavit.

Verùm displicuit *Lucifero Calaritano* (Calari videlicet in Sardinia Episcopo) tunc temporis Apostolico per Orientem Legato, invictissimo cæteroquin adversùs Arianos pugili, exilium etiam propterea passo. Sed cùm rigidæ omnino esset disciplinæ, & inflexibilis indolis, apertè insectatus est illum Concilii Alexandrini, de recipiendis in pristinam dignitatem Episcopis lapsis, Canonem, licèt à sede Apostolica jam approbatum.

Hanc suam contradicendi pertinaciam tum maximè obfirmavit, cùm cerneret, ab Eusebio Vercellensi, altero sedis Apostolicæ per Orientem legato, improbari acta sua Antiochena, circa Paulinum, de quo paulò ante meminimus, repudiatò Meletiô, in Episcopum consecratum. Tum enim & ipse apertius & vehementius Alexandrina acta Eusebii circa recipiendos lapsos reprehendit.

Atque ex Apoſtolica ſua legatione, quam in Aſia obierat, Calarim in Sardiniam ad ſuum Epiſcopatum redux, communicare noluit cum lapſis Epiſcopis, in Eccleſiam receptis, neque cum Epiſcopis, qui talibus receptis communicarent; ſicque ſchiſma excitavit, quod à ſuo auctore *Luciferianum* eſt appellatum, trahens poſt ſe Syrma ſequacium, qui ab eo *Luciferiani* ſunt dicti. Simile hoc ſchiſma erat Donatiſtico; quia ſe ſolos puros exiſtimantes, cum orbe terrarum tanquam polluto communicare nolebant: atque hac ratione ab Eccleſiæ unitate ſe ſeparabant.

110. *An hæreticus fuerit.* Diſputari hîc poſſet, an Lucifer Calaritanus tantùm fuerit ſchiſmaticus, an verò etiam hæreticus? quæ res inde dependet, an tantùm negaverit, Epiſcopos lapſos fuiſſe reſtituendos, & ſedi Apoſtolicæ ſolummodo obedientiam præſtare detrectârint. An verò etiam negârit, obediendum eſſe in hac re Eccleſiaſtica ſummo Pontifici, atque Eccleſiæ. Si primum, non fuit hæreticus, ſed ſchiſmaticus tantùm: quia quæſtio, an lapſi in Arianam hæreſim Epiſcopi, ſi pœniteant, ſint reſtituendi in priſtinam dignitatem, non pertinet ad dogmata fidei, ſed ad diſciplinam duntaxat; & inobedientia adversùs ſummum Pontificem per ſe non facit hæreticum, ſed ſchiſmaticum.

Si verò inſuper negavit, obediendum eſſe ſedi Apoſtolicæ, & Eccleſiæ; fuit verè hæreticus; quia dogma fidei eſt, in rebus Eccleſiaſticis obediendum eſſe Eccleſiæ. Non legitur autem docuiſſe aut credidiſſe, non eſſe obediendum ſedi Apoſtolicæ & Eccleſiæ, neque aliam hæreſin propugnâſſe, in ſchiſma igitur, non verò in hæreſin prolapſum eſſe dicendum eſt. Cùm autem pariter nulla habeantur documenta, quòd inobedientiam ſuam & pertinaciam depoſuerit, probabiliùs tanquam ſchiſmaticus extra Eccleſiæ communionem obiit. Si verò aliqui privata devotione Luciferum Calaritanum tanquam ſanctum coluerunt, vel ſectatores ipſius, vel deceptos fuiſſe oportet, vel alium ejusdem nominis cultum eſſe dicendum eſt.

Pejores autem erant Magiſtro diſcipuli. Qui ſchiſma illud non tantùm per Sardiniam, ſed etiam per Italiam, Hiſpaniam, Ægyptum, & Antiochiam uſque propagârunt. Quos inter aliquos deinde, vel etiam multos, fuiſſe hæreticos, non negaverim. De quibus exſtat Dialogus S. Hieronymi contra Luciferianos.

ARTI-

ARTICULUS XIII.

Hæresis Ariana in Occidentem Reducta.

Post mortem *Magni Theodosii*, qui infelici consilio Imperium inter duos filios diviserat, Arcadio attributo Orientali, Honorio Occidentali, per administros perfidos *Ruffinum*, *Eutropium*, *Stiliconem*, & *Gainam*, suæ ambitioni unicè intentos, Imperium miserandum in modum est laceratum; patefacta Gothis, Herulis, Vandalis, aliísque nationibus exteris porta, qua Imperium Romanum irrumperent. Et quod miserrimum, exciso jam ferme Arianismo, gentes istæ alienigenæ eundem rursus Romanis Provinciis intulerunt. Et quidem in Oriente, perempto Ruffino & Eutropio, *Gainas*, Gothus Arianus, Gothici & Romani exercitus ductor, Constantinopolim rursus Arianis impleverat; at resistente strenuè S. Chrysostomo, atque Gaini detecta proditione, severa clade Ariani sunt trucidati. 111. *Discerptum Imperium per Gainam.*

Calamitosior multò in Occidente Imperii & religionis facies, dum Honorius ignavè imperat, & *Stilico*, utì dux strenuus, ita perfidus Tutor Honorio datus à Theodosio, & ut Eucherium filium suum Imperatorem faceret, omnia versat, ipsásque adeò in ruinam Imperii barbaras gentes evocat. Tum enim verò Gothi, (plerique Ariani) sub *Alarico* Italiam invadunt, ac Roma capta & expilata, Galliam atque Hispaniam occupârunt. Vandali pariter à *Bonifacio* Præfecto Africæ (Aëtii perfidis litteris in rebellionem adversùs Placidiam & Valentinianum III. impulso) ex Hispania in Africam sub *Genserico*, eorum rege, evocati, eandem à Romano Imperio abstraxerunt; expugnata Hippone (in cujus obsidione obiit S. Augustinus anno 430.) & ad ultimum etiam ipsa Carthagine. Quódque miserum magìs, *Gensericus* immanis tyrannus, excitata crudelissima persecutione omnes ad Arianam Impietatem adegit, occisis aut dispersis Pastoribus ac lupis introductis. *Stiliconem.* 112. *Gothi Arianismum reducunt.* *Vandali.*

Postquam deinde *Atila* Hunnorum, (gentis à palude Mæotica ex Scythia prorumpentis,) Rex, Dacia & Pannonia occupata, vastatóque Oriente cum quingentis barbarorum millibus trajecto Rheno in Gallias penetrâsset, ibique ab *Aëtio*, Romani exercitus ductore, victus, in Italiam irrupisset, ac demum in Pannoniam se recepisset, Gensericus, invitatus ab Eudoxia, ut cædem Valentiniani Imperatoris, conjugis sui, à *Maximo* patratam, vindicaret, 113. *Atila.*

 dicaret,

114. *Odoacer.* dicaret, Romam expilavit; redúxque cum spoliis in Africam, truculentiorem adhuc lanienam in Catholicos exercuit. Nec multò pòst *Odoacer* Herulorum rex, pariter Arianus Romam cepit, & sub *Regis Italiæ* nomine gubernavit; pulso in exilium *Augustulo*, & extincto Occidentali Romano Imperio. *Theodoricus.* Verùm haud multò post *Theodoricus* Ostrogothorum rex, itidem Arianus, postquam Orientem vastâsset, Zenonis Imperatoris consilio invasit Italiæ regnum, victo primùm, ac dein, facta pace, perfidè interempto Odoacro.

Minùs tamen in Italia persecutio Ariana sæviit, quàm in Africa, ubi *Hunnericus* Genserici parentis atrocissimam tyrannidem instau-
115. *Synedrion Africanum.* ravit. Habitum ibi quidem aliquod *Conciliabulum*, vocatis etiam Catholicis quibusdam Episcopis. At nihil actum ex ordine; crudelitate, rabie, & furore Ariano ubique dominante.

ARTICULUS XIV.

Ariana Hæresis in Occidente extincta.

116. *Clodovæus* Et profectò calamitosissima tunc erat Ecclesiæ facies, cùm omnes Principes à vera fide essent alieni. At mox ostendit Deus, Ecclesiam suam premi posse, non opprimi. Nam *Clodovæus* ab idololatria ad Catholicam fidem conversus cæso Alarico Visigothos Aria-
117. *Arelatense II.* nos Galliâ ejecit. Tum enim *Concilio* 33. Episcoporum *Arelatensi II.* celebrato, fidei doctrina ac morum disciplina est reparata; id, quod suprà in *tract. prælim.* memoratum. Reductus eodem tempore ab
118. *Epaunense* Ariana impietate *Sigismundus* Rex Burgundiæ, præsens fuit *Concilio Epaunensi*, paulò pòst celebrato, ùt pariter loc. cit. est dictum.

119. *Gilimer.* Tandem etiam Africæ meliora affulserunt tempora: nam cùm Vandali Ariani per integrum sæculum immani prorsus persecutione Catholicos pressissent, Justinianus, Belisarium cum exercitu misit, victo Vandalorum exercitu, ipsum denique *Gilimerem*, ultimum in Africa Vandalorum regem, captivum abduxit Constantinopolim, ante currum triumphalem Belisarii vestitu regio incedere coactum. Sicque Africa, Sardinia, Corsica & Baleares insulæ Romano rursus Imperio & Religioni avitæ sunt unitæ (*anno* 534)

120. *Carthaginense.* Habitum subin *Carthagine Concilium Nationale* 217. Episcoporum, Præside *Reparato*, Carthaginensi Episcopo. Ubi, recitatis decretis & canonibus Synodi Nicænæ; Catholica veritas contra Arianos est confirmata: deliberatúmque, qua ratione lapsi Episcopi aliique Ecclesiastici sint recipiendi. Decretum, decisionem à summo *Africa conversa.* Pontifice *Agapeto* Româ esse petendam, qui per legatos ad se duos Episcopos Africanæ Ecclesiæ significavit cum omni charitate esse recipiendos;

cipiendos: nequaquam tamen muneribus atque functionibus Ecclesiasticis applicandos.

Justinianus Imperator edidit tunc in favorem Ecclesiarum & Catholicorum in Africa geminas constitutiones, quæ habentur *Novel.* 36. & 37. In priore præcipitur, *ut Africani, quæ Vandalorum temporibus vel ipsis vel cognatis usque ad tertium gradum erepta sunt, intra quinque annorum spatium vindicent, nisi legitimis excludantur præscriptionibus.* 2. *ut ad probandum genus ambæ partes probationes proferant.* 3. *ut omnes Afri Romanis legibus* (quas Justinianus paulò antè promulgaverat) *subditi sint.* 121. *Novellæ Justiniani.*

In posteriore verò *Novella* edicit, ut ab Arianis ablata Ecclesiis Africanis restituantur. Ut hæretici non baptizentur, neque ad Rempublicam accedant. Ut nulli omnino hæresi Ecclesia concedatur. Ut confugiens ad Ecclesiam Carthaginensem impunitatem habeat, nisi homicidium aut raptum virginis, aut vim in Christianum admiserit. Ut Ecclesiis Africæ oblata ab aliquo pro sua salute, à nemine prorsus auferantur: hócque intelligendum esse generaliter de omnibus Ecclesiis, etiam extra Africam.

Gemina hæc Imperialis constitutio vehementer adeò irritavit Arianos, ut mota seditione ipsam Carthaginem obsiderent. Verùm à Belisario, ex Sicilia, ubi Gothos Arianos expugnabat, accurrente, urbe depulsi, victíque sunt; cúmque rebellionem continuarent concisi atque deleti. 122. *Ariani coërciti in Africa.*

Eadem felicitate, per victrices Justiniani palmas pulsis ex Italia Ostrogothis Arianis, Catholica ibidem Religio cœpit reflorescere. Et primò quidem per Belisarium totam occupavit Siciliam: tum verò in Italiam movens cepit Neapolim ac Romam. Denique occiso per Gothos *Theodato* rege suo inerte, *Vitigem* illius successorem Ravennæ ad deditionem compulit, secúmque, ut antea Gilimerem, captivum Constantinopolim abduxit, instauraturus palmas adversùm Persas; in ea tamen supra Gothos Romanæ Ecclesiæ noxius, quód, ne displiceret *Theodoræ* Imperatrici, *Sylverium* Pontificem, ignominiosè habitum, in exilium ejecerit; intruso in illius locum *Vigilio.* 123. *Et Italia per Belisarium.*

Corona interea Gothica, cùm aliquot capita percurrisset potius, quàm ornâsset, ad *Totilam* denique delata, verticem se dignum invenit: nam exigua manu sæpiùs Justiniani cecidit exercitus, atque per omnem Italiam victricia signa, gloriæ suæ totidem trophæa, erexit, captâ & direpta etiam ipsa Româ ac devastata. Imo ipsum etiam Belisarium vinci posse in Calabria ostendit. 124. *Gothi per Narsem victi.*

Duo-

Duodecim annos tenuit tanta felicitas Totilæ. At anno 553. tota ipſius & gentis Gothicæ in ſcopolum impegit fortuna: cùm Juſtinianus ſeneſcentem Beliſarii virtutem reparaturus, *Narſetem*, præſtantem bello ducem, cum exercitu in Italiam miſit. Tum enim pugna cum Totila conſerta, victoria inter trophea ipſum etiam Totilam cæſum in prælio Narſes oſtendit.

125. *Italia liberata ab Arianis.* Neque melior ſors *Teiæ* obtigit, quem Gothi tumultaria electione regem Totilæ ſuffecerant. Nam licèt ille & ducis, & militis ſtrenuè fungeretur officio, cæſus tamen eſt à Romanis. Póſtque illius necem Gothi Romanis ſe permiſêre: ſícque Italia poſt ſeptuaginta annorum captivitatem ab Oſtro-Gothico Arianorum jugo eſt liberata (anno 554)

126. *Hiſpania converſa* Diutius aliquando Viſi-Gothi Ariani afflixerunt Hiſpaniam: in qua primus Arianam in Filium Dei impietatem abjecit *Theodemirus* Suevorum Rex in Gallicia, quam exemplo illuſtri totam ad Eccleſiam reduxit. Pertinaciùs obſtitit veritati poſt plures reges Ariano *Leovigildus*, Occidentalium in Hiſpania Gothorum Rex. Duxerat is in conjugem primam Theodoſiam, S. Leandri, S. Iſidori Hiſpalenſis, & S. Fulgentii ſororem: atque ex ea genuit *Hermenegildum & Recaredum.* Ille à conjuge ſua Indegunda converſus, cùm fidem ſuſceptam nollet abjurare, ſed armis etiam vindicare contenderet, à parente captus, ejúſque juſſu interemptus eſt; ſæviente in omnes univerſim Catholicos barbara Leovigildi perſecutione. Qui etiam Suevos regno ſuo per arma ſubjectos, Ariana perfidia imbuit. At eo mortuo *Recaredus*, totius jam Hiſpaniæ Rex, exemplo ſuo totum ferme regnum ad veram Chriſti Eccleſiam pertraxit, præſertim ubi *Goſvinda* ejus novercâ, quæ implacabili odio Indegundem oderat, Arianam luem ſecum tumulo intulit. *Per Recaredum.*

127. *Toletanum I.* Celebratum dein in præſentia Recaredi *Concilium Toletanum III.* nationale totius Hiſpaniæ, in quo 70. congregati erant Epiſcopi, ad firmandam fidei doctrinam, & reparandas diſciplinæ ruinas, quas à ſeſqui ſæculo ab Arianis paſſa fuerat Hiſpana Eccleſia. Damnati 23. articuli Ariani, cum eorum libris & conciliabulo Ariminenſi. Decretum inſuper, ut in Miſſa populus alta voce decantaret ſymbolum Conſtantinopolitanum. Item, ut Diaconi, Presbyteri & Epiſcopi Ariani, qui ad fidem convertuntur, ſeparentur ab uxoribus, neque iis cohabitent. *En temporis illius diſciplinam in Hiſpania!* canon. 13. ſic habet: *Diuturna indiſciplinatio, & licentiæ inolita præſumptio uſque eò illicitis auſibus aditum patefecit, ut clerici conclericos, ſuo neglecto Pontifice, ad judicia publica* (ſæcularia videlicet) *pertrahant. Proinde ſtatuimus,*

tuimus, hoc de cætero non præsumi: sed si quis hoc facere præsumpserit, & causam perdat, & à Communione efficiatur extraneus.

Recaredus edicto regio Concilii decreta observari, atque omnes Arianos libros Toleti publico in foro comburi jussit; missa etiam Romam ad Gregorium M. legatione Ecclesiæ filium se professus est.

Purgata jam ferme ab Ariana fæce videbatur Ecclesia, cùm post exactos Herulos & Gothos Orientales, nova Borealis procella Italiam obruit, eáque multò teterrima. Ciebat eandem, qui minimè debuit, *Narses*, qui gloriosis antè victoriis Gothos expulerat. Hic enim, cùm misso *Longino* Italiæ gubernatore, Constantinopolin revocaretur à Justino Imperatore, addito in evnuchum probro à Sophia ejusdem conjuge, minitans Italiæ cladem, respondit, texturum se telam, à Græcis non facilè retexendam; itáque præcipiti exæstuans, *Alboinum*, qui in Pannonia *Longobardis* Arianis præerat, accivit, significans Italiam penè inermem, & ad resistendum imparem. 128. *Narsetis perfidia.*

Alboinus igitur, excitante orexin tam opimo bolo occupata Istria, torrentis instar in omnem Italiam sese effudit, deditione aut expugnatione acceptis urbibus omnibus, præter Romam & Ravennam. Permissæ Græcis, præter Neapolin, Calabriam & Siciliam, urbes paucæ ad Adriaticum, quas sub nomine *exarchatus* Longius aliique deinceps Præfecti, ab Imperatore submissi, gubernabant. 129. *Ariani in Italiam per Longobardos.*

Dictu incredibile, qua ferocia atque barbarie novi hi Ariani hospites in Catholicos sint grassati. At furere diu non licuit Alboino (qui primum se Longobardorum regem in Italia dixerat) cùm enim vino incalescens *Rosimundæ* conjugi, ex cranio parentis ejusdem interempti, propinasset, illa probri impotens, per juvenem quendam eundem interfecit, promisso in præmium sceleris parricidæ conjugio, sed cum impellente Longino exarcho, ad quem confugerant, novo huic conjugi venenum miscuisset, ipsa mortem imbibere ab eodem est coacta. Contingêre ista sub annum 574. vix triennio ab Alboino in regno exacto. 130. *Alboinus.*

Brevius adhuc fuit *Clephi* regnum, quem Longobardi sibi regem elegerant. Hoc enim altero anno à suis interfecto interregnum per decennium tenuit Proceribus, quantùm poterant, sibi rapientibus. At cùm Mauritius Imperator adversùs eos exercitum misisset in Italiam regem elegerunt *Autharim*, qui disrupta rursus adunavit. 131. *Theodelinda.*

At rei Catholicæ optabilius nihil facere poterat, quàm ut conjugem duceret *Theodelindam*, Bavariæ Principem, apprimè Catholicam. Huic enim post mortem Autharis à Longobardis facta est optio, quem novum conjugem vellet eligere, illum ab omnibus agnoscendum regem. *Agilulphum* elegit, Strenuum Bello & pace Ducem. Et quod ab omnibus bonis optabatur, ex Ariano fecit Catholicum trahente tam illustri exemplo plerosque Longobardos. Ut adeò, sicut in Oriente tres fæminæ Arianismum promoverant, ita in Occidente totidem, conversis maritis regibus, Orthodoxa sacra reduxerint, *Clotildis* in Galliam, *Ingundis* in Hispaniam, *Theodelinda* in Italiam. Et quod piorum solatium complevit natus est Agilulpho ex Theodelinda filius *Adalvaldus*, ritu Catholico mox baptizatus, & regni hæres declaratus: quod cum post mortem Agilulphi patris sub tutela Theodelindæ matris in quieta pace 12. annos gubernâsset, pulsus ab Ariovaldo, propinquo suo, cum matre ad exarchum confugit.

Ariovaldus, uti etiam proximi ipsius successores, *Rotharitus* & *Rhodoaldus*, licèt Ariani essent, pacem tamen permiserunt Ecclesiæ, quin singularem Pontificibus Romanis venerationem dependerunt, missis ad eorum tribunal causis, Ecclesiasticos inter exortis. Adeò vel ipsis barbaris sacra erant jura Ecclesiæ.

132. *Longobardi conversi*

Tum ad Catholicos rursus principes devolutum est regnum, & primò quidem ad *Aripertum*, Theodelindæ ex fratre nepotem. Qui moriens regnum divisit duos inter filios *Partharitum* & *Gundeberthum*. At *Grimoaldus*, Dux Beneventanus (ùt quidam scribunt) quamvis & ipse esset Catholicus, collisus inter se fratribus, in turbido piscaturus, simulans, se exercitum in auxilium Gundeberti adducere, perfide eundem interemit, Partharito fugâ elapso. Invasit proin regnum Italiæ, illúdque ad 11. annos tenuit. Post ejus vero mortem Partharitus iniquissimis fatis defunctus, ab exilio ad thronum rediit,

134. *Extinctus Arianismus.*

quem rerum gestarum gloria & eximio fidei zelo per 17. annos exornavit: felix etiam in eo, quòd *Cunipertum* & regni & virtutum hæredem reliquerit. Sed neque posteriores reges hæresis Ariana fautores habuit: ut adeò pestis illa, quæ sub initium Sæculi IV. ex Ægypto proserpsit, & totum propemodum orbem infecerat, septimo denique Seculo ubique fuerit extincta, postquam per trecentos & ultra annos est grassata.

Ad octingentos septuaginta deinde annos sepulta jacuit, donec Sæculo XVI. cum innumerabili atque exitiali variarum hæresum lue ab inferis est suscitata. Videamus originem.

ARTI-

ARTICULUS XV.

Reflexio in Arianam hæresin, & Ecclesiæ triumphum.

Ex iis, quæ diximus hactenus, perspicere luculentè datur divini Providentiam Numinis, suam in terris Ecclesiam premi sinentis, nunquam opprimi. 135.

Se toto orcus incubuit, ut per Arianam impietatem eandem exscinderet. Vis truculenta, tyrannis atrocissima, carceres, exilia, lanienæ, fraudes innumeræ, in exilium vocatæ.

Constantinus M. Princeps licèt pientissimus, atque Nicæni Concilii promotor, & defensor, ab Eusebiis tamen, Nicomediensi & Cæsariensi, fraudulenter deceptus, vel inscius & invitus hæresin nutriit, ut radices ageret, coacto Tyri ac Jerosolymis Eusebiorum synedrio, damnatóque in iis Athanasio, & in exilium ejecto veritatis orthodoxæ vindice.

Quas non machinas adhibuit Constantius, tam vasti Imperii cum summa potestate moderator, ut Ecclesiam extirparet, & Arianam perfidiam firmaret? ejecti in exilia, & ergastula Episcopi, suffecti lupi, sedes Patriarchales hominibus impiis, & ex asse Arianis, Eusebio Nicomediensi, Eudoxio, Macedonio, Gregorio Cappadoce, Euzojo, impletæ. Basilius Ancyranus, Acacius, Valens, Ursacius, Saturninus, Auxentius, aliíque Arianorum Antesignani in Episcopatus intrusi. Quot coacta conciliabula? Tyriensia, Palæstina, Constantinopolitana, Antiochena, Thracica, Sirmiensia, Ancyrana, Mediolanensia, Arelatensia, Seleuciensia, Ariminensia & quot alia, omni ope collaborârunt, ut Arianismo perennitatem donarent. Quot in iis Synedriis procusæ formulæ? quot vultus error induit, ut deciperet?

Quantùm deinde igne ferróque sæviit Valens tyrannus, ut Catholicum omne genus funditùs extirparet? quos cruentæ cædes patratæ? quantis minis, terroribus, persecutionibus, circumlatus furor?

Et cùm non sufficeret profligandæ Nicænæ fidei orbis Romanus, in opem vocatæ gentes exteræ, Gothi, Heruli, Vandali, Burgundiones, Gepidæ, Alani, Longobardi, omnes Ariani. Quando furore actum à Gensericis & Hunnericis in Africa, ab Alaricis, Odoacris, Theodoricis, Alboinis in Italia, Gainis in Thra-

cia, Leovigildis in Hispania, ut error de veritate oppressa triumpharet.

At tantus Conciliorum, fraudum, minarum, carcerum, exiliorum, rogorum, cædium, tyrannidum, substructionúmque Stygiarum exitialis apparatus, & quidquid orcus suppetiarum emittere poterat, non aliud profecit, quàm ut Ecclesiæ & Orthodoxæ veritatis triumphum illustriorem redderet.

Firmiori petra solidata est Christi Ecclesia, quàm ut portæ inferorum, & tenebrarum potestates prævaleant adversùs eam. Columna & firmamentum veritatis est. Nil furor proficit. Dominus, fortis & potens, custodit civitatem: quis expugnabit eam? promisso sanctè Christi præsidio stat firma, stabítque usque ad consummationem sæculi. Non est Consilium contra Dominum. Ceciderunt tot furores coronati, tot hæresum molimina, tot orci machinæ.

Ruit Ariana hæresis, & ruinis suis sepulta jacet. Ruerunt ejus auctores, patroni, asseclæ, socii. Ruit error: veritas autem Domini manet in æternum. Christus fundavit Ecclesiam. Assiliant hostes, agant cuniculos, premant, persequantur, fremant, frendeant: non inclinabitur in sæculum sæculi.

Perierunt impii. Justi autem in perpetuum vivent, fulgentes tanquam stellæ in perpetuas æternitates, Athanasii, inquam, Alexandrini, Sylvestri, Julii, & Damasi Romani, Alexandri & Pauli Constantinopolitani, Eustathii & Meletii Antiocheni, Hilarii Pictavienses, Paulini Trevirenses, Eusebii Vercellenses, aliíque heroës incliti, qui velut murum inexpugnabilem se opposuerunt pro domo Dei, & tot præliis victores gloriosè triumpharunt de Ariana hæresi.

Ad octingentos septuaginta annos deinceps hæc pestis sepulta jacuit; donec sæculo XVI multò infaustissimo, cùm innumerabili atque exitiali variarum hæresum lue ab inferis est resuscitata. Videamus orginem atræ Sobolis.

ARTICULUS XVI.

De novis Arianis in Transylvania & Polonia.

Cum discipuli Lutheri cernerent Magistrum suum novum procudere fidei systema, ad phantasiæ suæ libidinem, detortis in hanc rem pro arbitrio S. Scripturæ eloquiis, quin & rejectis libris integris, qui minùs in sinistros sensus torqueri posse videbantur,

tur, eandem ſibi licentiam conceſſam eſſe exiſtimârunt. Inde portentoſa illa tot hæreſum colluvies: indulgente ſibi quovis ad novitatum pruriente cerebro, quod effrænata ſentiendi docendíque voluptas dictaverat.

Hac ex radice pullulare rurſus occepit, ante octo jam ſæcula è Domini agro extirpatum, infelix lolium, recoctúmque impium Arii dogma, adverſus ſacroſanctum diviniſſimæ Trinitatis myſterium. Lutheri diſciplinæ, Calviníque Inſtitutionibus hæc monſtra debemus. 136. *Arianismus reſuſcitatus.*

Hoc ſiquidem ex furfure prodiit Michaël *Servetus*, homo Hiſpanus, profeſſione Medicus, ſectator primùm Lutheri, tum Calvini; denique mundi erro, objectóque diſcipulatu, ſectæ novæ conditor, in Arii, Sabellii & Mahometis impietatem prolapſus, Filio Dei & Spiritui S. Divinitatem abnegans, unam duntaxat perſonam, Patrem videlicet, adorandam dixit, perſonarum Trinitatem in una eſſentia, (horrere piæ aures blasphemam vocem!) trifaucem cerberum appellans: atque haud aliter ac Lutherus atque Calvinus ad S. Scripturam identidem provocans, quam cum iisdem ſolam controverſiarum omnium judicem ſtatuit, ſuo videlicet privato ſpiritu ſenſum ejusdem atque interpretationem definiens. *à Serveto.*

Neque tanta impietas amaſiis caruit. Nam eandem *Campanus*, Lutheri diſcipulus, Wittenbergæ palàm effutiit, ſequentibus blasphemiam *Schwenckfeldio* & *Flacio Illyrico*. Cúmque Calvinos etiam hujus inſaniæ poſtularetur, ejusdem ſuſpicionem à ſe amoliturus, effecit, ut Servetus Genevæ vivus combureretur; ùt ùt ad S. Scripturam purúmque verbum Dei appellaret. *Campano.*

At diſcipuli ejus non deſierunt luem Arianam ſpargere per Poloniam, Hungariam & Tranſylvaniam. Quos inter Georgius *Blandrata*, Pedemontanus Medicus, è Ticinenſi Inquiſitionis elapſus cuſtodia, atque Genevam, fecis omnis tunc receptaculum, profugiens, lectis Serveti libris, exiſtimabat, ex ſacris litteris non meliùs probari Lutheri ac Calvini doctrinam quàm Serveti. Inde in Tranſylvaniam profectus cum Paulo *Alciato* Mediolanenſi, tunc pariter Ariano, ac poſtea Mahometano, in aulam Principis *Joannis Sigismundi de Zapolia* ſe inſinuans, ejusdem Medicus declaratus, opportunam nactus eſt occaſionem, dum corpora curaret, animos virulenta peſte inficiendi. 137. *Blandrata in Tranſylvaniam.* *Alciatus.*

Tranſylvania jam à tempore S. Stephani juncta fuit Hungariæ ad annum usque 1526. quo Ludovicus II. à Turcis ad Mohazium occi- 138. *Synopſis Hiſt. Tranſyl.*

occisus est. Cùm autem obiisset improlis, à majore & meliore parte electus est Ferdinandus I Caroli V Cæsaris frater, qui Annam
139 Ludovici sororem matrimonio junctam habebat, multarum prolium
David Petrovitius. Matrem, auspicata fœcunditate in hodiernam usque diem gloriosè propagata. Pars altero verò suffragium dedit *Joanni de Zapolia*, Transylvaniæ Præfecto. Inde bellum partem inter utramque. Tandem concessa Joanni Transylvania, & regium nomen quoad viveret: obiit autem anno 1540. relicto, quem diximus, filio *Joanne Sigismundo*, sub quo mutata est in Transylvania religio, à S. Stephano introducta, & ad illud usque tempus perpetuò conservata. Virus autem Blandrata perniciosiùs instillavit, cùm Franciscum *David*, Præconem Luthericum, Arianum fecit, per quem deinde majori aulæ ac curiæ parti tabem eandem afflavit, *Petrovitio* primo & aulæ ministro, & hæreseos: pertractóque denique in erroris societatem ipso etiam Principe, in omnem partem versatili. Lepidum tunc illud accidit, quod Lutheranorum & Calvinistarum inconstantiam ostenderet. Nam, dum isti in congressu quodam ab Arianis urgerentur, ut ad textus S. Scripturæ, à se allatos, responderent, illi ad interpretationem Patrum & Conciliorum appellârunt. Quod Ariani illis exprobrabant: sic Papistarum religione standum fuisse, quorum dogmatis conciliorum ac Patrum interpretationis faveant. Cur illas rejiciant, & nunc ipsi usurpent? vertenda nempe sunt vela, prout ventus spirat. Circa annum 1572. Stephanus *Bathorius* post Joannem Sigismundum Arianum electus Transylvaniæ Princeps, contra Arianos, aliósque hæreticos vocavit in Transylvaniam Patres societatis Jesu. Illóque haud multò pòst in Poloniæ regem electo, *Christophorus Bathorius*, ut cœptum à fratre opus prosequeretur, plura eidem societati collegia fundavit. Jamque sparsum doctrinæ orthodoxæ semen in pulchros satus surrexerat, cùm mortuo Chri-
104. *Sigismundi debilitas.* stophoro sub *Sigismundi* ejus filii pupillari ætate, collaborantibus diversarum sectarum hæreticis, atque in comitiis vincentibus numerô, decretum est Patrum exilium, anno 1588. verùm anno 1595. revocati sunt rescisso decreto ab eodem Principe Sigismundo: qui tamen ab hæreticis undique afflictus Transylvaniam tradidit Rudolpho II. Imperatori; Oppelensem in Silesia ditionem & pensionem annuam pro se pactus.

At mox facti pœnitens in Transylvaniam rediit, agitatúsque rursus ab Arianis, aliísque sectariis, Principatum *Andreæ Bathorio* Cardinali patrueli suo tradidit. Qui vix auspicatus regimen, cæsus est

est in prælio à *Georgio Basta* copiarum Cæsarearum duce, & à Valachiæ Principe, Cæsaris fœderato. Sigismundus Bathorius, qui interea in Poloniam se receperat, à Transylvanis rursus admissus, cùm à Basta undique vinceretur, Pragam ad Rudolphum Imperatorem confugiens Principatum Transylvaniæ iterum ei cessit, ibíque undecim post annos, anno videlicet 1613. decessit: inconstantis quidem animi Princeps in aliis, constantis tamen in fide Catholica. Unde falsum omnino est, quòd Hübnerus scribit in tabulis suis genealogicis, *tab. CXI.* eum *Socinianum* fuisse.

Cæso interea à Basta Valachiæ Principe, qui fidem Cæsari fregerat, *Moyses* quidam Arianus, Turcarum ac Tartororum subsidiis suffultus, immania quæque in Catholicos, ac præcipuè Colosvariæ in Jesuitas patravit, eorum aliquibus interemptis, aliis verò expulsis, sacrísque omnibus profanatis. 141. *Moyses Arianus.*

An non diu impunè seviit barbara impietas; quippe Basta, Moyse gemino prælio superato, & in altero etiam occiso, domitísque Arianis, urbem Cæsari, Societatem urbi reddidit. Quam tamen Stephanus *Pozkaius*, in Principatum anno 1604. intrusus, tota Transylvania proscripsit, non aliam ob causam, nisi quòd veritatem contra Arianos, aliósque ejusdem hostes defenderet. Nec melior religionis in Transylvania status sub posterioribus deinde Principibus Acatholicis, Gabriele Bathorio, Gabriele Bethleno, Michaele Apafio &c. donec tandem tumultibus fessa ad antiqua jura Augustissimæ Domus Austriacæ regressa est, spem salutis suæ bonis omnibus meliorem præbens.

Polonia à Lechica primùm, Piastica, & Jagellonica stirpe, tum etiam ab exterarum familiarum diversis Regibus gubernata, jam inde à *Micislani I.* temporibus, ab anno videlicet 965. susceptis Christianis sacris, Catholicam Religionem inconcussam semper florentémque tenuit, donec Lutherus perduellionis vexillum extulit, & inclitam etiam hanc gentem communi ferme Borealibus Provinciis male involvit. 142. *Arianismus in Poloniam.*

Enata mox ex malè fœcundo Lutherianismo ingens Sectarum colluvies, *Calvinistarum*, *Deistarum*, *Trinitariorum*, *Tritheitarum*, *Socinianorum*, *atque Arianorum*; accurrentibus etiam exteris erroribus, qui obstetricantem manum præberent, ut monstrosos suos partus faciliùs hæresis effunderet.

Hos inter erat, præter *Gregorium Paulum*, *Valentius Gentilis*, Calaber, Blandratæ Socius, Serveti discipulus, in novos tamen errores, ut fit, à magistro descisceus. Siquidem cum Arianis docuit, 143. *Per Gentilem.*

in ſolo Patre Divinam eámque majorem reſidere naturam, aliam verò diverſam in filio. Volebat nihilominus, tres eſſe æternos Spiritus, duósque poſteriores ſuas Divinitates diverſas & minores à primo accepiſſe. Cùm igitur hac ratione tres Deo fingeret (quamvis inæquales) habitus eſt *Tritheitarum* parens.

Numeroſum poſt ſe, ùt facilis eſt mali ſequela, impiorum Syrma traxit, irruentibus in Poloniam nefariis hominibus, quam impietati ſuæ oportunam crediderant propter torporem Sigismundi II. regis: qui ſegniùs inſiſtens paternis veſtigiis ſatis ſe facturum arbitrabatur, ſi ipſe eſſet Catholicus. Hac indulgentia prolecti, Lelius *Socinus* Senenſis Italus, Mathias *Gribaldus* JCtus Tubingenſis *Stator*, *Sternbergius*, *Gomeſius*, *Volanus*, *Ochinus*; & quot alii ad debellandam Divinitatem Filii Dei armati!

144. *Ochinum.* Bernardinus *Ochinus*, ex Religioſo Ordine, quàm famoſum, dum ſaperet, per Italiam concionator, tam infamis poſt relictum veritatis callem Apoſtata, metu *Inquiſitionis* cum *Fermilio* Genevam, communem tunc ſententiam, profugus, ut oſtenderet, cur veniret, ad novi Evangelii leges uxore mox auctus eſt. Pererata ſubin, ut Apoſtolum ſe probaret, Helvetia atque Germania, ſub Eduardo Principe cum *Martyre* ſuo & *Bucero* navigavit in Angliam. Ex qua exactus à Maria Regina, procurrit in Poloniam, ut libertus ibidem profiteretur, quam intimis viſceribus hauſtam circumtulerat, Arianam perfidiam, editis Dialogis in Chriſtum impiis. At cùm polygamiam etiam homo mulieroſus prædicaret, inde quoque ejectus, circumcurſata Tranſylvania, tandem in Moravia miſer interiit.

His aliíſque circulatoribus adnitentibus tantum in Polonia, viciníſque Provinciis Ariana impietas incrementum ſumpſit, ut in triginta & ultrà ſectas ſe ſe diffuderit.

145. *Socinum.* Has ut in unum corpus Evangelicum colligeret *Fauſtus Socinus*, Senenſis Apoſtata, Lelii nepos, Chriſtum merum hominem eſſe docuit: unicam eſſe divinam Perſonam; neque Filium natum ex Patre, neque Spiritum ex eiſdem procedere, neque verbum eſſe incarnatum; Chriſtum filium eſſe Dei adoptivum duntaxat. Evchariſtiam, baptismum &c. humana ingenii eſſe inventa. Tueri ſe poterat antiquitate impii hujus dogmatis; nam & Ebionem & Cerinthun, quos S. Joannes Evangelio ſuo redarguit, & Symachum famoſum ſcripturarum interpretem, & Sabellium Trinitarium, & Paulum Samoſatenum, Antiochenis profligatum fulminibus; & Photinum ejusdem inſaniæ hominem dudum anteſignanos habuit.

Et-

Et quod mirêre, tam profligatum dogma tot ſectatores habuit, ut Trinitarii paſſim vocarentur *Sociniani*.

Non placuit tamen Andreæ *Duditio*, Epiſcopo antea Quinque-Eccleſiis in Hungaria; qui cùm Patribus Concilii Tridentini perſuadere non potuerat, ut cœlibatus leges abrogarent, factus primùm Calviniſta, deinde *Deiſta*, ſatìs videlicet eſſe docens, unum Deum credere, & legem naturæ obſervare: reliquorum fidem cuique debere eſſe liberam.

Hæc Arianorum, Trinitariorum, Deiſtarúmque confuſio turbavit Poloniam ad annum usque 1658. quo tempore conſpiratione cum Tranſylvanis contribulibus ſuis adverſus Rempublicam inita, *à Joanne Caſimiro*, accedente ordinum conſenſu, proſcripti ſunt omnes Ariani ex Polonia; qui remanere volebant, ad Catholicos, Lutheranos, vel Calvinianos juſſi accedere. Sícque novus etiam Arianismus ex orbe terrarum eſt exterminatus, aliquibus duntaxat reliquiis in Tranſylvania hærentibus. 146. *Novus Arianismus proſcriptus.*

ARTICULUS XVII.

Obſervatio de Lutheranis & Calviniſtis.

Illud adhuc obſervandum, quòd ſicut in Tranſylvania, ſic etiam in Polonia Lutherani & Calviniſtæ in diſputationibus, contra Trinitarios, & Arianos inſtitutis, nunquam ex ſola S Scriptura potuerint eos convincere: ſed ad arma Catholicorum, ad interpretationẽ videlicet Eccleſiæ, Conciliorum, & Patrum confugere neceſſe habuerint. Quo ſanè ſe ipſos accusârunt, exigentes à nobis, ut omnia ex ſacra ſcriptura ipſis demonſtremus: cùm ipſi ne quidem primum Religionis Chriſtianæ Myſterium, Trinitatem videlicet divinarum Perſonarum in unitate ſubſtantiæ, adverſùs Arianos ex ſola ſcriptura poſſint oſtendere. Id, quod ſæpiùs apta retorſione Trinitarii ipſis objecerunt. 147. *De modo diſputandi Lutheranorum cum Arianis.*

Alterum, quòd obſervari poteſt, eſt, præcipuos ex Socinianis illis ac novis Arianis fuiſſe priùs aut Lutheranos aut Calvinianos, ſternente videlicet illorum doctrina viam ad Arianismum; quod non raro faſſi ſunt ipſi Socinianorum primipili. 148. *Lutheranismus.*

Sic Blandrata in diſputatione Albæ Juliæ cum Lutheranis habita dixit, Lutherum primum fuiſſe, qui oculos ſibi aperuerit ad cognoſcendam veritatem. Conſtat certè ex ſcriptis Lutheri contra Latomum, diſplicuiſſe ipſi voces *Trinitatis*, *conſubſtantialis* &c. eò quòd in S. Scriptura non habeantur. Quid aliud dixerunt antiqui & *Et Calvinismus ducunt ad Arianismum*

novi Ariani? Calvinus verò asseruit, SS. Patres malè ex S. Scriptura probâsse *consubstantialitatem* verbi, cuperéque se omnes voces *Personarum*, & *substantiæ* aboleri: nec probare se posse invocationem illam: *sancta Trinitas unus Deus miserere nobis:* & quæ sunt alia plura, quæ Lutherani, ùt Schlisselburgis in *Theologia Calvinistarum*, ipséque Lutherus Calvinistis sæpiùs objecerunt; ecce fontes novi Arianismi!

149. *Lutherani & Calvinistæ nullum hæreticum possunt convincere.* Profectò nisi hodierni Protestantes agnoscant Judicem, qui sacras scripturas in locis, inter varias sectas quoad sensum controversis, authenticè interpretetur, neque Trinitatem contra Sabelliùm, neque deitatem Filii Dei contra Photinum & Eunomium, neque consubstantialitatem verbi contra Arium, nec deitatem Spiritus S. contra Macedonium, neque deitatem Christi contra Paulum Samosatenum & Nestorium, nec geminam Christi naturam inconfusam contra Eutychem & Dioscorum, neque duas in Christo voluntates contra Cyrum, Sergium, aliósque Monothelitas, neque alios fidei Christianæ Articulos contra hæresiarchas sufficienter probare poterunt. Quia omnes Isti hæretici etiam appellant ad scripturam, quam ad privatum suum spiritum sensúmque detorquent: si verò contrarios eis textus afferas, illos distinguunt, & ad suas hæreses protervè inflectunt. Quid jam tunc, nisi clamor utriusque partis, privatum suum spiritum præferentis.

ARTICULUS XVIII.

De Conciliis Sæc. IV. specialiter à Jure Canonico approbatis.

In Jure Canonico, videlicet *can. de libellis* 1. *dist.* 20. specialiter à Leone IV. Summo Pontifice approbantur sequentia Concilia, utpote quibus in omnibus Ecclesiasticis utamur Judiciis.

§. I.

De Asiaticis.

150. Ancyranum Concilium Ancyræ, Galatiæ Metropoli, circa annum 314. Sylvestro Pontifice, celebratum est in causa *Lapsorum;* postquam nempe per tyrannorum mortem persecutio desiit. Tum enim de *lapsis* agendum erat, statutúmque, ne quis ad Ecclesiam

clesiam recipiatur, nisi peracta priùs pœnitentia, delicto congrua. Dictatur etiam pro varietate criminum diversum tempus pœnitentiæ publicæ. Res Ecclesiarum alienatas, rescisso contractu, repetendas esse decernitur. Editi 24. Canones ab 18. Episcopis, à Vitali Antiocheno convocatis, quorum plerique paulò post Oecumenico Concilio Nicæno interfuerunt.

Famosus est Canon decimus hujus Ancyrani Concilii, quem Hæretici, contra cœlibatum Ecclesiasticorum declamantes, sæpiùs oggerunt. Is ita habet: *Diaconi quicunque, cùm ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes, velle se habere uxores, nec posse se continere; hi postea, si ad nuptias venerint, maneant in ministerio, propterea quòd his Episcopus licentiam dederit. Quicunque sanè tacuerunt, & susceperunt manus impositionem, professi continentiam, si postea ad nuptias venerint, à ministerio vel clero cessare debebunt, laicam tantùm communionem recipientes.* Idem Canon habetur in Decreto Gratiani dist. 28. can. 8.

Verùm hic Canon non facit pro ipsis; imò est contra eos. Nam imprimis non loquitur de Sacerdotibus. Lutherus autem, Carlstadius, Zwinglius, aliique Protestantium Patriarchæ uxores duxerunt, postquam Sacerdotes fuerant ordinati: quod in Ecclesia nunquam licuit. Deinde etiam de Diaconis sancit Synodus, si professi continentiam postea ad nuptias venerint, à ministerio clericali cessare debere. Atqui Lutherus, Oecolampadius, Pellicanus, Vermilius, Viretus, Ochinus &c. post professionem continentiæ ad nuptias venerunt.

Denique Concilium expresè ait, quod si Diaconi in ordinatione protestati fuerint, se velle uxorem ducere, possint in ministerio manere, *propterea, quòd his Episcopus licentiam dederit.* Igitur sine licentia Episcopi non poterant in ministerio manere. Ex quo manifestè sequitur, etiam Diaconis fuisse prohibitum post ordinationem nuptias contrahere.

Eodem ferme tempore & ab iisdem ferme Episcopis celebratum est *Concilium Neo-Cæsareense.* In quo à 13. Episcopis editi 14. Canones pro reformanda Ecclesiarum suarum disciplina, & corrigendis populi moribus. 151. *Neo-Cæsareense.*

Can. 1. statuitur: *Presbyter, si uxorem duxerit, ordine suo moveatur.* In 2. *fœmina, si duobus fratribus nupserit, extrudatur.* In 8. decernitur *Irregularis*, cujus uxor fuit adulterata. *c. si cujus dist.* 34. *Gangrense* celebratum est paulò pòst, anno nimirum 324. Gangris in Paphlagonia, adversus *Eustathium*, Sebastenum in Armenia Episcopum, 152. *Gangrense*

ſcopum, qui Manichæorum errores propagavit, novósque adjunxit. Nuptias damnabat, adempta omni conjugatis ſalutis ſpe. Eos, qui communicarent Presbyteris, ante ordinationem jam conjugatis, execrabatur. Damnabat Eccleſiæ jejunia. Spretis Eccleſiis publicis præcibus privata conventicula frequentabant Euſtathiani: inuſitatis veſtium formis uſi, nova omnibúsque aliis contraria via incedentes.

Contra hos errores igitur celebrata eſt Gangrenſis Synodus, Præſide Oſio Cordubenſi, in Oriente tunc verſante. Editi à 16. Epiſcopis 21. canones.

In 1. Can. damnantur, qui vituperant matrimonium, tanquam malum.

Ex 2. colligitur fideles tunc adhuc abſtinuiſſe à ſanguine & ſuffocato, juxta præceptum Apoſtolorum Act. 15. (*quod præceptum, cùm non fuerit Juris Divini, ſed humani & Eccleſiaſtici tantùm, ne Judæi à Chriſtiana religione abhorrerent, ad tempus latum, potuit ſenſim abrogari, præſertim ceſſante cauſa.*)

Canon quartus ſic habet: *Si quis de Presbytero, qui uxorem duxit, contendat, non oportere eo ſacra celebrante oblationi communicare, ſit anathema.* Hunc Canonem frequenter nobis objiciunt Proteſtantes, quando cœlibatum Sacerdotum impugnant. Sed immeritò. Nam, ùt Bellarminus *de Clericis lib.* 1. *cap.* 21. docet, anathema dicitur eis, qui matrimonium putant ex ſe eſſe malum (ùt putabant Euſtathiani, contra quos canones iſti ſunt lati) & propterea exiſtimant, non licere ſacra facere ei, qui uxorem habuit, etiam ſi ab ea ſe contineat. Et hinc, juxta interpretationem Dionyſii Exigui, non dicitur in Canone, qui uxorem *habet*, ſed: qui uxorem *habuit*. Hoc certum, quòd nullo unquam tempore in Eccleſia etiam Græca fuerit licitum poſt Ordinationem *ſacram* uxorem ducere. Quod tamen Proteſtantium Patriarchæ fecerunt.

In can. 12. damnatur, qui in ſpeciali amictu pallii juſtitiam reponens, deſpicit utentes veſte vulgari. Ex hoc Proteſtantes perſtringunt Clericos & Religioſos, qui ſpeciali habitu veſtiuntur. At abutuntur Canone. Non enim Clerici & Religioſi per habitum ſe juſtitiam habere credunt: neque deſpiciunt laicos communi veſtitu utentes.

Canone 20. dicitur anathema illis, qui abhorrent à fidelium conventibus ad ſepulchra SS. Martyrum; & qui ſacra, quæ ibi celebrantur, & miniſteria, quæ fiunt cum eorum memoriis, execrantur.

No-

Notent hunc Canonem illi, qui nobis Catholicis hoc Concilium tanquam antiquissimum objiciunt.

Notent etiam Canonem ultimum hujus Synodi, qui observari jubet omnia, non tantùm quæ in sacris Scripturis continentur, sed etiam, quæ habentur ex traditionibus Apostolicis.

153. *Laodicenum.* Laodicenum Concilium *Laodiceæ*, Phrygiæ Pacatianæ civitate, celebratum est circa annum 320. (quamvis Cabasutius in *Notitia Concil.* multò posterius esse contendat) à 32. Episcopis, qui ad reformandos Ecclesiæ mores 59. canones ediderunt (*ex Gentiani Herveti interpretatione habentur 60.*)

Canon primus communione aliquamdiu eis interdicit, qui secundas nuptias contrahunt: eísque preces & jejunium præscribit, in quem sensum etiam loquitur Canon. 3. Concilii Neo-Cæsareensis. (*hæc res magnas postea turbas excitavit inter Leonem Philosophum Imperatorem, & Nicolaum Mysticum Patriarcham, ùt aliàs diximus.*)

In 2. peccatoribus *Confessio* & *satisfactio* præscribitur ante *communionem.*

In 3. recèns conversos non esse ordinandos Sacerdotes.

In 6. Hæreticos arcendos è domo Domini.

In 10. non oportere indiscriminatim cum hæreticis matrimonium contrahere.

In 13. Populo non esse permittendam electionem eorum, qui ad Sacerdotium sunt promovendi.

In 24. prohibetur Clericis ingressus in cauponam.

In 29. celebrandam diem Dominicam loco sabbati.

In 35. non oportere relicta Dei Ecclesia abire, & Angelos nominare. (*Nempe Angelos malos, quos sub diversis nominibus invocabant hæretici, sectatores Saturnini, Basilidis, Ebionis, Appellis &c.*)

In 48. conversos post Baptismum inungendos esse *chrysmate.*

In 50. Per totam *Quadragesimam* esse *jejunandum.*

In 52. in Quadragesima non esse celebrandas nuptias.

In 59. non oportere in Ecclesia vulgares psalmos dici.

In 60. Numerantur libri Canonici, omissis tamen iis, de quibus tunc temporis non adeò certò adhuc constabat.

§. II.

Africana.

154. *Carthaginensia.* Carthaginensia Concilia multa sunt celebrata. Advertunt tamen, qui notas Decreto Gratiani addiderunt ad *Can.* 1. *dist.* 2. in Co-

dice Canonum unicam eſſe Synodum Carthiginenſem, continentem Canones 33 qui ex variis Conciliis Carthagine habitis ſint collecti, ejúsque Canones ſedem Apoſtolicam videri approbâſſe, dum in Codicem Canonum referendos curavit. Et de hac Synodo Can. XI. diſt. 16. ſic dicitur: *Septima* (Synodus) *Carthaginenſis, in qua Patres* 312 *ſtatuerunt Canones* 33. *quorum Auctor maximè Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus exſtitit Etiam S. Auguſtinus, Hipponenſis Epiſcopus in eadem Synodo legitur fuiſſe, temporibus Honorii Auguſti.*

Quia autem Concilia Carthaginenſia ſpecialiter ſunt approbata à Leone IV. Papa *Diſt.* 20 *Can.* 1 *de libellis*, juvat Canones, magis memorabiles eorum adducere. Igitur

Carth. I. Concilium Carthaginenſe I. Provinciale, Grato Præſide, tempore Julii I. anno 348. celebratum, 14. Canones edidit. Quibus ſtatuitur

1. Baptiſmum non iterandum.
2. De Martyrum ſepulchris & honorificentia.
3. Clericis non cohabitandum cum fœminis extraneis, nec virginibus, caſtitatem profeſſis, cum viris.
4. Neque cum viduis habitent Clerici.
5. Alienus Diœceſanus non ordinetur ſine commendatitiis.
6. Clerici ne ſe immiſceant negotiis ſæcularibus.
7. Nullus communicet in aliena Eccleſia, ſine litteris ſui Epiſcopi.
8. Obligati ad ratiocinia, ùt procuratores, actores, tutores &c. non ordinentur ante rationes redditas ſui officii.
9. Laici non conſtituant Clericos præfectos rationum, actionum &c.
10. Epiſcopus non uſurpet jurisdictionem in alterius fines, aut populum.
11. Clerici contumaces coërcendi.
12. Pacta inter Epiſcopos inita circa limites cuſtodienda.
13. Fœnerari non licere.
14. Clerici contemptores canonum deponantur, laici excommunicentur.

Carth. II. Carthaginenſe II. ann. 390. habitum ſub Genethlio Epiſcopo, conſtituit 13. canones. Quibus ſancitur

1. Trinitas Perſonarum in una Dei ſubſtantia credenda & prædicanda contra Arianos.
2. Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi continentiam ſervent: nam iſtis tribus gradibus per *conſecrationes* caſtitatem annexam eſſe. Et additur: *Decet ſacroſanctos antiſtites, & Dei ſacerdotes, nec non & Levitas,*

tas, vel qui Sacramentis Divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus, ab universis Episcopis dictum est: omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant, ut in omnibus & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari deserviunt. Qui sanè antiquissimus Canon confundit omnes hæreticos, qui cœlibatum sacerdotum explodunt.

3. *Chrisma, benedictio puellarum*, & reconciliatio publicè pœnitentium, non fiat à Presbytero, sed ab Episcopo.
4. Presbyter in casu necessitatis potest pœnitentem reconciliare.
5. Diœceses non augendæ sine necessitate.
6. Criminosus Clericum non accuset.
7. Excommunicandus, qui excommunicatos suscipit,
8. Excommunicatus vel correptus à suo Episcopo, potest ad vicinos Episcopos causam deferre, non tamen interim sacrificium offerre.
9. Presbyter inconsulto Episcopo agenda ne celebret.
10. Episcopus à 12. Episcopis judicandus, Presbyter à sex, Diaconus à tribus.
11. Nemo sibi jus arroget in alienam Parochiam.
12. Inconsulto Metropolitano nullus ordinetur Episcopus.
13. Deponendus Episcopus, qui hos Canones fuerit transgressus.

Carthaginense III. anno 397. sub Aurelio, statuit, singulis annis habeatur Concilium. Ordinandi Canones sciant. Ante 25. annos Diaconi, aut virgines non consecrentur. Clerici ad publica judicia non appellent. Ab arbitro compromissario non appellandum. Appellatio non obsit Judici primæ instantiæ. *Carth. III.*

Clericorum filii ne accedant spectacula: nec jungantur infidelibus (*sermo est de filiis Clericorum, quos ante ordinationem susceperunt, vel post illam illicité*) Clerici cum fœminis extraneis ne cohabitent. Lectores, cùm ad annos pubertatis venerint: aut uxores ducant, aut continentiam profiteantur. Alienus Clericus ne ordinetur neque sine examine, aut testimonio populi. In Sacramentis corporis & sanguinis Domini nihil offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aquæ mixtum. (*ecce! traditionem divinam appellat ut vinum aqua misceatur*)

Primæ sedis Episcopus non nominetur *Princeps Sacerdotum*, aut *summus Sacerdos*, sed Primæ sedis Episcopus (*quia scilicet hic titulus non competit Metropolitano, aut Primati alicujus Nationis, sed soli summo Pontifici, Christi in terris universali Vicario*) Episcopi trans mare non

eant,

eant, nisi consulto primæ sedis Episcopo. (*ut nempe hic interim Ecclesiæ possit providere*) Sacramenta altaris non nisi à jejunis celebrentur. *De consecr dist.* Virgines sacræ in monasterio simul cohabitent. Presbyter Chrisma nunquam conficiat (*quia hoc ad Episcopum pertinet*) Translationes Episcoporum ne fiant. Quæ Clerici ex bonis Ecclesiæ comparant, ad Ecclesiam spectant. De iis autem, quæ ex bonis patrimonialibus, donatione, aut hæreditate iis obveniunt, possunt liberè disponere.

Notabilis est Canon 47. qui continet Catalogum librorum Canonicorum sacræ Scripturæ; atque in eo illos etiam enumerat, quos Lutherus extrivit, ùt librum *Ecclesiastici, Sapientiæ, Judith, Esther, duos Machabæorum, Epistolam ad Hebræos, duas Petri, tres Joannis, unam Judæ, unam Jacobi, Apocalypsin.*

Carth. IV. Carthaginense IV. anno 398. celebratum à 214. Episcopis, singillatim tractat de sacris ordinibus, *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, Ostiarii, Psalmistæ.* De benedictione sanctimonialium, de benedictione nuptiali à *Sacerdote* impertienda.

Decernitur porro, injustam Episcopi sententiam à Synodo esse retractandam. Episcopum Ecclesiæ rebus non uti debere tanquam propriis, sed tanquam commendatis. (*quia necdum facta fuerat divisio.*) Irritam esse donationem Episcopi, vel aliam alienationem rei Ecclesiasticæ, absque subscriptione Clericorum.

Episcopus sedens non patiatur coram se stare Presbyterum. Presbyteri ante Pascha à proprio Episcopò *Chrisma* petant. Diaconus, si urgeat necessitas, Eucharistiam corporis Christi populo jussus eroget. Clericus comam aut barbam ne nutriat. Fœminis extraneis ne cohabitet. Clericus, qui vigiliis deest, stipendiis privetur. Clericus artificio victum quærat. Clericus super epulas cantans excommunicetur.

Qui die Dominica studio è jejunat, non credatur Catholicus. Pascha eadem die omnibus celebrandum. Non ordinetur seditiosus, usurarius, pœnitens, bigamus. Pœnitentes in infirmitate *Viaticum* accipiant.

Episcopus nullum impediat ingredi Ecclesiam ad audiendum verbum Dei, sive gentilis sit, sive hæreticus, sive Judæus, usque ad Missam catechumenorum. Oblationes defunctorum non solventes tanquam necatores egentium excommunicentur.

Carth. V. Carthaginense V. pariter sub finem Sæculi IV. statuit, ut Clericum, ob crimen damnatum nullus defendat. Res Ecclesiæ non alie-

alienandæ ſine conſilio Metropolitani. Reprobantur altaria, in quibus nullæ ſunt *ſacræ Reliquiæ*.

Memorabilis eſt Canon III. qui expreſsè jubet Clericos majores ab uxoribus abſtinere. *Placuit*, inquit, *Epiſcopos*, *&* *Presbyteros*, *&* *Diaconos ſecundùm priora* (vel propria) *ſtatuta etiam ab uxoribus continere. Quod niſi fecerint*, *ab Eccleſiaſtico removeantur officio.*

Carthaginenſe VI. anno 419. celebratum à 219. Africæ Epiſcopis, in cauſa appellationis, ad ſedem Apoſtolicam interpoſitæ. Quam controverſiam alibi diſcutiemus, ubi de *Jure Pontificio* ex profeſſo tractabitur. Hìc inſinuâſſe aliquid ſufficiat. *Carth.VI.*

Romani Pontifices, nominatim Zoſimus Papa, deferebant appellationibus in Africa ad ſedem Apoſtolicam delatis. Citabat Zoſimus pro jure ſuo, admittendi ejusmodi appellationes, Concilium Nicænum. Carthaginenſes Patres exemplaria Nicæni Concilii Conſtantinopoli & Alexandria petierunt, in quibus tantùm 20 illi Canones, hodiedum notiſſimi, continebantur, nullúsque de jure appellationum tractabat.

Igitur Africani Epiſcopi litteras ad Papam Cœleſtinum concipiunt, quibus ſignificant, ſe Canonem illum in Nicæno Concilio non reperiſſe. (*Quia in Concilio Sardicenſi*, *quod eſt appendix quædam ad Nicænum*, *exſtat*) non tamen negant Pontifici jus appellationum: ſed tantùm circa modum conqueruntur. Quia quandoque Pontifices mandârunt, ut teſtes Africani Romam veniant, ibíque examinentur. Aliquando etiam legatos miſerunt in Africam cum militum Imperatoris comitatu. Hos duos modos improbavit Concilium, rogavítque Pontificem, ne hac ratione Jus appellationum exequatur, neque profugis, ex Africa faciles aures præbeat.

In Carthaginenſi VII. lecti ſunt Canones præcedentium Conciliorum: additíque alii quinque. *Carthag. VII.*

In 1. ſtatuitur, ne excommunicati admittantur ad accuſandum.

In 2. neque infames, infideles, aliíque, qui arcentur à legibus.

In 3. qui Clerico plura crimina objecerit, & primum probare non poteſt, ad cætera non admittatur.

In 4. qui inhabiles ſunt ad accuſandum, inhabiles etiam ſunt ad teſtificandum contra Clericum. Uti etiam, quos accuſator de domo ſua produxerit: item impuberes.

In 5. Non eſſe excommunicandum, niſi ſufficiénter crimen probetur.

155. *Africanum.* Africanum genericè dictum non unum duntaxat est Concilium, sed ex pluribus aliis collectum circa tempora Bonifacii I. & Cœlestini I. videtúrque hoc esse illud Concilium Africanum, cujus Canones approbantur à Leone I. *cap. de libellis* 1. *dist.* 20.

Statuitur, Defensores Ecclesiarum ab Imperatore esse postulandos. Ordinatos à Donatistis esse relinquendos in clero. Clericis sacris etiam ab uxoribus abstinendum. Altaria non erigenda sine sacris Reliquiis. Episcopi posteriùs ordinati ne præcedant seniores. Concilium Nationale non esse celebrandum, nisi propter causas graves & communes. Particulares causas in Conciliis Provincialibus proponendas, ac judicandas. Nullus dimissa uxore alteri conjungatur. Qui ab Imperatore cognitionem publicorum judiciorum petierit, clericatus honore privetur. Si autem Episcopale judicium ab eo petierit, nihil ei obsit. Qui non communicant in Africa, si in transmarinis ad communicandum obrepserint, Clericatus jacturam excipiant. Si quam Diœcesin Episcopus, ab hæreticis liberans, triennio possederit, nullus repetat. Si Clerici, Episcopi sententiâ, in causa sua læsi sunt, appellare possunt ad vicinos Episcopos, ab his verò ad Africana Concilia. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur. (*Nisi fortè Romanam sedem appellaverint. Ut addit Gratianus caus.* 2. *quæst.* 6. *cap.* 35.) Reliqui canones aut repetunt ea, quæ ex Carthaginensibus Conciliis jam memoravimus, aut tractant de hæresi Donatistarum, Pelagii, & Cœlestii.

§. III.
Europæa.

156. *Europæa.* Arelatense I. specialiter laudatum *can. XI dist.* 16. celebratum est anno 314. præsente Constantino M & Sylvestri I. legatis. Damnati in eo, ùt suprà memoratum, Donatistæ; absolutus iterum Cæcilianus. Ac insuper conditi 23. Canones pro Ecclesiastica disciplina.

In 1. decernitur, pascha per totum orbem eadem die celebrandum: atque indicendum ab Episcopo.

In 2. Clerico permanendum in eo loco, in quo est ordinatus.

In 6. Infirmis manus imponendas, si credunt.

In 9. abrogatur usus libellorum, quos delinquentes à Martyribus & Confessoribus petebant, ut pœnitentiæ tempus ipsis abbrevietur.

In 12. Excommunicantur Clerici fœneratores.

In 13. Amoventur à Clero, qui gentilibus nomina Christianorum, aut libros, & vasa sacra tradiderunt. Si quis tamen ab ejusmodi Traditore ignoranter ac bona fide sit ordinatus, hoc ei fraudi esse non debere.

In 20. statuitur, minimùm à tribus Episcopis ordinandum esse Episcopum.

Celebratum est præterea *Concilium Romanum* sub Sylvesto I. anno 325. à 275. Episcopis. In quo approbatum est decretum Concilii Nicæni de celebrando paschate. Additúrque canon, quanto tempore Clericis in quolibet ordine (qui omnes nominantur) sit ministrandum. *Romanum* sub Julio I anno 337. fidei professionem contra Arianos edidit. In altero *Romano* sub Julio I. absolutus est S. Athanasius. Atque in eo etiam *Symbolum S. Athanasii* editum creditur (*anno* 340.) *Valentinum* in Gallia anno 374 canones statuit de bigamis non ordinandis; de pœnitentia puellarum, quæ ad nuptias transeunt, postquam se Deo devoverunt; de puritate eorum, qui sacros ordines suscipiunt.

Cæsaraugustanum anno 381. statuit de sanctimonialibus velandis, de Evcharistia, in Ecclesia accepta, extra Ecclesiam non sumenda. Alia Concilia suprà retulimus.

CAPUT V.

De Conciliis

SÆCULI V.

Præsertim contra Pelagianos, Semi-Pelagianos, Nestorianos, Eutychianos, Priscillianistas.

Humani generis hostis, ad nocendum nobis semper accinctus, uno eradicato lolio, nova usque & usque zizania in agro sanctæ Ecclesiæ proseminat. Hinc Donati & Arii profligatis ferme erroribus, qui potissimùm Sæculum quartum infestaverant, hoc quinto Sæculo novas ex orco impietati transmisit suppetias, turbam videlicet variam, quæ sparsis infelicibus loliis pulcherrimam Ecclesiæ sementem suffocaret. Pelagianos intelligo, & Semi-Pelagianos, hostes Divinæ Gratiæ:

Nestorianos & Eutychianos, adverso tramite euntes, ad extirpandum Verbi Incarnati mysterium: Priscillianistas denique, fæcem & probrum Christiani nominis. Complura ad evellendas has urticas & senticeta Ecclesia celebravit *Concilia.* De quibus modò, historica eruditione intermixta, dicendum venit.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I.

Concilia contra Hæresin Pelagianam.

1. *Pelagii effigies*
2. *Ejus errores de gratia & peccato originali.*
3. *Ejus sectatores. Effigies Cœlestii.*
4. *Ejus errores damnati à Concilio Carthaginensi, Milevitano,* & *Romano.*

ARTICULUS II.

Concilia contra Hæresin Semi-Pelagianam.

5. *Auctores hujus hæresis.*
6. *Errores circa initium salutis.*
7. *Defensores scientiæ mediæ nihil commune habent cum Semi-Pelagianis.*
8. *Impugnatores Semi-Pelagianismi.*
9. *Concilium Arausicanum II. illum condemnat.*
10. *Doctrina hujus Concilii circa prævenientem Dei gratiam approbatur.*
11. *Concilium Valentinum in eadem causa.*

ARTICULUS III.

Observatio in Concilium Arausicanum de gratia præveniente.

12. *Arausicanum non damnat sententiam, quæ dicit:* quòd Deus per vires naturæ facienti, quod est in se, non deneget gratiam.
13. *S. Thomæ in hac re doctrina.*
14. *Verus sensus dicti axiomatis.*

ARTICULUS IV.

Concilia contra Nestorianos & Eutychianos.

15. *Hæresis Nestorii damnata à Concilio Romano, & Alexandrino; ac dein ab Ephesino.*

16. Con-

ARTICULUS V.

Concilia contra Priscillianistas.

ARTICULUS VI.

Observatio in Hæresin Pelagianam de peccato originali & Baptismo.

ARTICULUS VII.

De aliis Conciliis Provincialibus Sæculi V.

ARTICULUS I.

Concilia contra Hæresin Pelagianam.

1. *Pelagius.* Pelagius, patriâ Britannus, professione Monachus extra cœnobium in Palæstina, statu tamen semper laicus, ingenio & lingua promptus, indole versipellis, voluntate impostor, ac toto corporis habitu hypocrita, ad fallendum compositus, complures errores circa initium quinti Sæculi, ad annum videlicet 405. ex Theodoro Mopsvesteno & Ruffino, disseminavit: Adamum peccando sibi soli nocuisse, dicebat: nullum proin esse peccatum originale: neque opus esse baptismo: Adamum æquè futurum fuisse mortalem, si non peccâsset: illius statum integritatis ante peccatum non fuisse beneficium gratiæ, sed naturæ.

2. *Errores.* Præcipuè verò bellum indixit *gratiæ* Christi: non aliam esse gratiam, quàm Dei legem, & doctrinam, nobis propositam, Christíque exempla, ac collatam nobis arbitrii libertatem. Ex hac sola omnia nostra merita descendere: ac proin hominem ad salutariter operandum non indigere gratia aliqua interiore, ac supernaturali, excitante & adjuvante, sed sufficere externam prædicationem Evangelii, cum arbitrii libertate; quæ ad bene operandum, peccata vitanda, & salutem consequendam sibi soli sufficiat.

Hos errores sparsit primùm per Orientem, deinde discursando per Ægypti monasteria, excurrendo in Italiam, Siciliam, Africam &c. Et quos per se ipsum non poterat pervertere, lue infecit per Epistolas, per mulierculas, *Julianam* & *Demetriadem*, per discipulos, *Anianum* & *Julianum* Italos.

3. *Cœlestius.* Præcipuus verò ac famosissimus inter Pelagii sectatores fuit *Cœlestius*, natus in Campania, vel magistro suo scelestior: naturæ vitio eunuchus: primùm Causidicus, dein Monachus. Repulsus in Africa à sacris Ordinibus, per fraudes sibi familiares in Asia ad illos dolosè irrepsit; totius denique, ùt Hieronymus scribit *Ep. ad Ctesiphont.* Pelagiani exercitus dux factus, multos, etiam Episcopos, corrupit.

Cœlestius ante Pelagium damnatus fuit anno 412. à *Concilio Carthaginensi*, cui Aurelius præsedit.

4. *Damnatus à Carthag.* Accusavit in hoc Concilio Cœlestium præsentem *Paulinus Diaconus* S. Ambrosii, de sex propositionibus erroneis: 1. Adamum moriturum fuisse, sive peccaret, sive non peccaret. 2. Peccatum Adæ ipsum

sum solum læsisse, non genus humanum. 3. Parvulos in eo statu esse, in quo fuit Adamus ante prævaricationem. 4. Neque per mortem Adæ omnes mori, neque per resurrectionem Christi omnes resurgere. 5. Solam legem & Evangelium mittere ad regnum cœlorum. 6. Homines nasci sine peccato.

Has propositiones cùm Cœlestius damnare nollet, ipse damnatus est, & excommunicatus à Concilio. A qua sententia ad summum Pontificem Romam appellavit. At mox ea appellatione deserta Ephesum profugit, ubi per obreptionem presbyteratum suffuratus, Constantinopolim abiit; at hæresi detecta inde ejectus, pererrata Asia Romam ad Zosimum Pontificem contendit, ibique vel occultavit suas hæreses, vel simulavit earum revocationem. Quare Zosimus missa ad Afros Epistola, pleniora acta Concilii Carthaginensis, à quo damnatus fuerat, expetiit. Velut Romam veniant ad accusandum Cœlestium monuit. Informatus igitur meliùs ab Africanis Episcopis Pontifex de simulatione, mendaciis & fraudibus Pelagii & Cœlestii, utrumque condemnavit tanquam hæreticum, missâ ad totam Ecclesiam Epistolâ, quæ *tractatoria* vocabatur, seu, ùt alii volunt, *tractoria.*

Pelagius jam antea apud Episcopos Palæstinæ de hæresi accusatus, in Synodo *Diospolitana* anno 415. errores suos revocavit ad speciem, sícque ab hæresi absolutus est. Verùm à S. Hieronymo, qui ipse etiam in Palæstina tunc degebat, larva ei detracta est in Epistola ad Ctesiphontem, & in Dialogis inter Aticum & Critobulum, quo nomine Pelagium compellabat. S. Augustinus etiam sub idem tempus eundem oppugnavit tribus ad Marcellinum tribunum libris, libro ad Hilarium, ac libro de natura & gratia. Ejus tamen causam defendendam susceperunt duo Originistæ, Joannes Episcopus Hierosolymitanus, & Ruffinus Aquileiensis Presbyter.

Protractis igitur in lucem Pelagii & Cœlestii fraudibus anno 416. uterque damnatus est à gemino *Concilio Africano, à Carthaginensi* videlicet & *Milevitano.* Quod utrumque acta sua ad Innocentium I. *Milevit.* Summum Pontificem approbanda Romam misit. Qui condemnationem illam approbavit, rescripta ad utrumque Concilium Epistola: quam utinam legerent Protestantes; viderent enim, quid antiquissimis illis temporibus de Primatu Romani Pontificis senserit Ecclesia (*aliqui volunt, à Milevitano Concilio eos non esse percussos anathemate, sed causam eorum ad Innocentium Papam fuisse remissam*) post acceptam autem ab Innocentio Epistolam scripsit S. Augustinus Serm. 1. de verb. Apost. *causa finita est* &c.

Cùm

Cùm deinde etiam à Zoſimo, Innocentii ſucceſſore, meliùs informato. Pelagius & Cœleſtius fuiſſent condemnati; ut peſtis illa penitus ex Africa eliminaretur, anno 418. celebratum eſt Concilium Nationale *Africanum* 217. Epiſcoporum, Præſide Aurelio Carthaginenſi, præſente etiam S. Auguſtino. In hoc Concilio rurſus condemnati ſunt Pelagiani: ab Honorio etiam Imperatore proſcripti. Profligatæ Pelagianorum cauſæ patrocinium ſuſcepit *Julianus* Capuæ Epiſcopus, depoſitus propterea, & acri certamine cum S. Auguſtino commiſſus. Arianis autem Epiſcopis ex Occidente ejectis, & Conſtantinopolim ad Neſtorium, qui eos protegebat, dilapſis, anno

Ac Romano. 430. in *Romano Concilio* à Cœleſtino I. Pontifice Neſtoriani & Pelagiani damnati ſunt: uti etiam anno ſequente à Concilio Generali Epheſino.

ARTICULUS II.

Concilia contra hæreſin Semi-Pelagianam.

5. *Auctores.* Ex Pelagianiſmi extincti cineribus enatus eſt in Gallia potiſſimùm *Semi-Pelagianiſmus*; cujus præcipui fautores erant Fauſtus Epiſcopus Regienſis in Gallia, Joannes *Caſſianus* Abbas, (quem S. Proſper *collatorem* appellat, propter celebres collationes Patrum, quas conſcripſit) Gennadius, Severus Sulpitius, Vincentius, pii alioquin doctíque viri. Dicti ſunt etiam *Maſſilienſes*, quòd Semi Pelagiani *Maſſiliæ* potiſſimùm conſiſterent.

Hi in aliquibus à Pelagianis receſſerant, in aliis verò cum iis conveniebant. Receſſerunt, quia agnoſcebant peccatum originale, neceſſitatem gratiæ ad ſananda vulnera naturæ corruptæ, ſeu ad perfectionem operum ſalutarium, ipsámque ſalutem conſequendam. Contrà verò ſalutis initium tribuebant viribus naturalibus humani arbitrii, excitati per externam prædicationem Evangelii ac doctrinæ

6. *Errores.* Chriſtianæ. Adeóque primarius eorum error ſtabat in eo, quòd dicerent, fidei, juſtificationis ac ſalutis initium non eſſe ex viribus gratiæ ſupernaturalis & internæ, ſed ex nobis. Quod ipſum aliquando ſenſerat Auguſtinus, ſed revocavit *lib.* 1. *retract. c.* 23.

Explicabant porro doctrinam ſuam per paritatem cum ægroto & medico. Nam æger, inquiebant, non poteſt quidem propriis viribus ſe ipſum ſanare, poteſt tamen facere initium ſanationis, petendo medicinam, rogando & advocando medicum. Sic etiam homo in Adamo lapſus non poteſt quidem viribus naturæ ſine gratia Chriſti ſanari & ſalvari, poteſt tamen, ùt dicebant, ſolis naturæ ſeu arbi-

arbitrii viribus ponere quædam ſalutis initia, credendo, petendo, pulſando, conando &c. & ſic obtinere Chriſti gratiam propriis meritis & conatibus.

Ex hoc errore velut radice plures alii pullulârunt: nempe quòd gratia ſit *pediſſequa* naturæ, eò quòd in hominis juſtificatione primas partes habeat natura, ſeu liberum arbitrium; quòd gratiam ſupernaturalem tanquam præmium per conatum ſuum naturalem mereatur: quòd gratia detur præcisè ad menſuram conatuum noſtrorum naturalium, neque ſpecialem favorem intercedere in electione prædeſtinatorum, ne ſcilicet in Deum cadat acceptio perſonarum: unde neque perſeverantiam eſſe ſpeciale donum, ſeu ex ſpeciali affectu Dei profectum, ſed à noſtro illam naturali merito dependere: cur parvuli aliqui baptiſmum conſequantur, alii non, rationem eſſe merita naturalia aut demerita conditionatè futura, quæ nempe poſuiſſent, ſi annos diſcretionis attigiſſent: rationem item, cur his Evangelium prædicetur, non autem aliis, eſſe merita aut demerita conditionatè præviſa.

Advertendum hìc cum hoc Pelagianorum errore de præmio aut pœna meritorum aut demeritorum conditionatè futurorum, nihil commune habere Doctorum illorum ſententiam, qui ad ſalvandam concordiam Divinorum decretorum cum libertate humani arbitrii ſtatuunt in Deo ſcientiam conditionalem, quam *Mediam* vocant, ſcientiam nempe actuum ſub conditione contingente liberè ponendorum, atque ab humano arbitrio impedibilem. Nam Semi Pelagiani aſſerebant ſcientiam conditionatam operum merè *naturalium*, ſine gratia Chriſti ponendorum, quæ ſint ſalutis initium; Doctores verò iſti in negotio ſalutis adſtruunt ſcientiam conditionatam operum *ſupernaturalium*, ponendorum præveniente & adjuvante gratia Chriſti, quæ ſit neceſſaria etiam ad ipſum ſalutis initium. Semi-Pelagiani docebant, quòd Deus præmietur merita, & puniat demerita merè conditionatè futura, licèt nunquam abſolutè ſint exſtitura; à qua doctrina Doctores ſcientiæ mediæ abhorrent, docéntque à Deo nunquam præmio affici merita, aut pœnâ demerita, merè conditionatè futura.

7. *Diſparitas cum ſcientia media.*

Porro Semi-Pelagianos impugnavit adhuc ſub vitæ ſuæ finem ſanctus Auguſtinus, editis duobus libris, *de prædeſtinatione Sanctorum* altero, altero de *dono perſeverantiæ*; & poſt Auguſtinum S. Proſper, edito adverſus collatorem libro, S. Avitus Viennenſis, S. Fulgentius Ruſpenſis, & S. Cæſarius Arelatenſis, ſcriptis doctiſſimis libris

8. *Impugnatores.*

adverſus opera Fauſti Regienſis de libero arbitrio, de præſcientia ac prædeſtinatione.

Ut verò hydra iſta penitus conficeretur, celebratum eſt anno 429. in Gallia Concilium *Arauſicanum II.* 14. Epiſcoporum, Præſide Cæſario, Arelatenſi Epiſcopo, tempore Felicis IV. Romani Pontificis. In hoc editis 25. Canonibus, ex S. Auguſtino depromptis, damnata eſt hæreſis Semi-Pelagiana.

9. *Arauſicanum.*

In I. ſtatuitur, per peccatum Adæ non ſolum corpus, ſed etiam animam læſam eſſe.

In II. peccatum Adæ non ipſi ſoli nocuiſſe, ſed etiam ad poſteros tranſiiſſe.

In III. gratiam Dei non dari ad invocationem, ſed facere, ut Deus invocetur.

In IV. Deum non exſpectare voluntatem noſtram, ut à peccatis purgemur, ſed eandem præparare, ut velimus.

In V. initium etiam ſalutis non ex nobis, ſed ex Deo eſſe.

In VI. non ſine gratia conferri miſericordiam petentibus & credentibus: cùm gratia ipſa faciat, ut credamus & petamus.

In VII. non poſſe nos ſine gratia cogitare aut eligere aliquid, quod ad ſalutem pertinet.

In VIII. neminem per liberum arbitrium pervenire poſſe ad gratiam baptiſmi.

In IX. quoties bona agimus, Deum in nobis & nobiſcum operari, ut operemur.

In X. adjutorium Dei ſemper implorandum.

In XI. neminem rectè vovere, niſi à Deo acceperit, ut voveret.

In XII. tales nos amari à Deo, quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro merito.

In XIII. arbitrium in primo homine infirmatum, niſi per gratiam baptiſmi non poſſe reparari, neque ab alio, quàm à quo eſt datum.

In XIV. nullum liberari à miſeria, niſi præveniente Dei miſericordia.

In XV. per gratiam Dei fidelem mutari in melius.

In XVI non eſſe gloriandum ex eo, quod habemus, cùm ex Deo ſit.

In XVII. fortitudinem Chriſtianam à charitate Dei eſſe, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis.

In XVIII. nullis noſtris meritis gratiam præveniri, ſed gratiam, quæ non debetur, præcedere, ut fiant, & mercedem mereamur.

In XIX. naturam etiam integram ſeipſam ſervare non poſſe, creatore non adjuvante, quomodo reparare, quod perdidit?

In XX. multa Deum in homine bona facere, quæ non facit homo

(gra-

(gratias nempe prævenientes conferendo, illustrationes videlicet intellectus, ut appareat, quod latebat, & inspirationes piósque motus voluntatis, ut suave fiat, quod non delectabat) hominem verò nullum bonum opus facere sine Dei adjutorio.

In XXI. naturam in Adamo corruptam per Christum reparari.

In XXII. neminem habere de suo; nisi mendacium & peccatum: bonum autem omne à Deo esse.

In XXIII. quamvis volentes agamus bonum, voluntatem tamen à Deo præparari.

In XXIV. ut palmites à vite, sic nos à Christo vigorem accipere.

In XXV. diligere Deum esse donum Dei, qui dedit, ut diligeretur, & displicentes nos amavit, ut fieret in nobis, unde placeremus.

Post istos canones subjungit Concilium, credendum esse, quòd per peccatum primi hominis inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi eum gratia misericordiæ Divinæ præveniat. Háncque doctrinam adductis pluribus S. Scripturæ locis confirmat.

Dicit deinde anathema illis, qui dicunt, aliquos à Deo prædestinatos esse ad malum. *(ubi videat Calvinus, doctrinam suam, vel potiùs blasphemiam jam tot ante sæcula prædamnatam fuisse in ipsius patria.)*

Denique profitetur Concilium, quòd in omni bono opere non nos incipiamus, & postea per Dei misericordiam adjuvemur, sed quòd Deus nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & sui amorem priùs inspiret, ut & baptismi Sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cum ejus adjutorio ea, quæ sibi sunt placita, adimplere possimus. Ut adeò conversio latronis in cruce, Cornelii centurionis, & Zachæi, non fuerit facta per vires naturæ, sed per divinæ largitatis donum.

Patres Arausicani hos canones suos Romam miserunt, approbandos à summo Pontifice. Bonifacius II. igitur, Felicis IV. successor Concilium istud approbavit, ut adeò maximam authoritatem habeat in tota Ecclesia, ejúsque doctrina tanquam dogmatica sit recepta. 10. *Approbatum.*

Misit autem Bonifacius Papa Epistolam approbationis ad Cæsarium Arelatensem Concilii Præsidem, in qua repetit ea, quæ Concilium definiverat, videlicet, fidem, qua in Christo credimus, sicut & omnia bona, singulis hominibus ex dono venire supernæ gratiæ, non ex humanæ potestate naturæ, nihílque prorsus esse

ſecundùm Deum boni, quod ſine Dei quis gratia aut velle, aut incipere, aut operari, aut perficere poſſit. Dicente Salvatore noſtro: *ſine me nihil poteſtis facere.* Nam in omnibus bonis, quorum caput fides, nolentes nos adhuc à divina miſericordia præveniri, ut velimus: ineſſe nobis, cùm volumus: ſubſequi etiam, ut in finem duremus: dicente David: *Miſericordia ejus præveniat me. Miſericordia mea cum ipſo eſt: miſericordia ejus ſubſequetur me*, & Paulo: *aut quis prior dedit ei, & retribuetur illi? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*, & : *miſericordiam conſecutus ſum, ut fidelis eſſem.* Item: *gratia Dei ſum id, quod ſum.* Ac rurſus Domino: *nemo venit ad me, niſi datum illi fuerit à Patre meo*, & Jacobo Apoſtolo: *omne donum bonum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum:* meritóque Jeſum à Paulo appellatum *authorem fidei & conſummatorem.*

11. *Valentinum.* Cùm autem quorundam Semi-Pelagianorum pertinacia necdum frangeretur, Cæſarius Arelatenſis, ante acceptam prædictam Bonifacii Epiſtolam, *Concilium Valentinum* indixit, ut frequentioribus ſuffragiis Catholica veritas approbaretur. Sícque tandem Maſſilienſium error ab Eccleſia eſt eliminatus, accedente confirmatione ſedis Apoſtolicæ. Catholicam denique veritatem circa gratiæ prævenientis neceſſitatem repetiit Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. & 6. ùt ſuprà oſtenſum Part. 3.

ARTICULUS III.

Obſervatio in Concilium Arauſicanum.

12. *Quid damnetur.* Quamvis Concilium Arauſicanum cum S. Auguſtino & Proſpero definiat, Deum non exſpectare voluntates noſtras; nos non incipere in bono opere: gratiam non conferri ad invocationem: Deum per gratiam præparare voluntates noſtras, ut velimus &c. per hæc tamen minimè damnari complurium præſtantiſſimorum Theologorum ſententiam, qui principium illud Theologicum: *facienti, quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam*, explicant etiam de faciente per vires naturæ.

Nam magnum inter iſtam ſententiam & Semi-Pelagianorum errores eſt diſcrimen: iſti enim cum Caſſiano & Fauſto docebant, hominem per opera naturalia *mereri* gratias, ſícque voluntates noſtras in negotio ſalutis per opera meritoria antecedere, gratiam vero ſupernaturalem tanquam præmium operum naturalium ſubſequi: quod

quod Arauſicanum damnat, dicítque, non ad invocationem illam naturalem *tanquam meritum*, ſequi gratiam: Deum non exſpectare noſtram voluntatem, per opera naturalia, eáque *meritoria*, ſe diſponentem ad gratiam: initium ſalutis non eſſe ex nobis, in ſenſu Maſſilienſium *meritoriè* nos præparantibus ad gratiam.

Contrà verò iſti Theologi nullam agnoſcunt in operibus naturalibus *vim meritoriam* gratiæ, aut *motivam*, qua ſcilicet Deus moveatur ad dandam gratiam, (in quo conſiſtebat venenum Semi-Pelagianismi) neque aſſerunt, hominem per vires naturæ in negotio ſalutis incipere operari aliquid *ſalutariter*, aut *meritoriè*. Imò ne quidem agnoſcunt in operibus naturalibus diſpoſitionem aliquam *poſitivam* ad gratiam Chriſti, neque conditionem *ſine qua non*: quia Deus miſeretur, cui vult, & quando vult. Sed hoc tantùm dicunt, quòd Deus facienti ver vires naturæ, & conanti, quantum eſt in ſe, non deneget gratiam, qua ad ſalutem perveniat: non quòd Deus ac operibus illis & conatibus naturalibus tanquam à cauſa meritoria moveatur ad dandam gratiam, ſed ex liberali decreto ſuæ voluntatis, quo ſtatuit iis miſereri, & adjutorio ſuæ gratiæ ſuccurrere, qui per vires arbitrii conantur, quantùm poſſunt, ita, ut poſita illa *negativa* diſpoſitione, quæ *removet prohibens*, tanquam *termino* voluntatis ſuæ, gratis omnino & miſericorditer largiatur gratiam ſupernaturalem, ad omne opus ſalutare neceſſariam.

Doctrina hæc fuit planè ipſius etiam S. Thomæ qui utique non ignoravit, quid in Semi-Pelagianis ſanctus Auguſtinus cum Concilio Arauſicano damnarit. Scribit S. Doctor in 2. diſt. 28. quæſt. 1. art. 4. in corp. *Non oportet, ut actus, quibus homo ad gratiam ſe præparat, ſint naturam humanam excedentes.* Et art. 4. ad 4. *etiam ad fidem habendam aliquis ſe præparare poteſt per id, quod in naturali ratione eſt. Unde dicitur, quod ſi aliquis in barbaris nationibus natus, quod in ſe eſt, faciat, Deus ſibi revelabit illud, quod eſt neceſſarium ad ſalutem, vel inſpirando vel mittendo Doctorem.* 13. *S. Thomæ.*

In eundem ferè ſenſum paſſim circumfertur illa S. Thomæ ſententia: Si quis in ſylvis enutritus ductum rationis naturalis ſequeretur, in appetitu boni & fuga mali, certiſſimè tenendum eſt, quòd ei Deus vel internam inſpirationem revellaret ea, quæ ad credendum ſunt neceſſaria, vel aliquem fidei doctorem ad eum mitteret.

Neque verum eſt, quod in *Summa* hanc doctrinam retractârit. Nam 1. 2. *Q.* 14. *Art.* 3 *inc.* etiam multò plus videtur admittere: dum agnoſcit in opere bono, prout naturaliter procedit à libero

arbitrio, non quidem condignitatem, sed tamen *congruitatem* ad prœmium supernaturale. ,, Si consideretur secundùm substantiam ,, operis (verba sunt S. Doctoris loc. cit.) & secundùm quod pro- ,, cedit ex libero arbitrio, sic ibi non potest esse condignitas pro- ,, pter maximam inæqualitatem, sed est ibi congruitas propter quan- ,, dam æqualitatem proportionis: videtur enim congruum, ut ho- ,, mini operanti secundùm suam virtutem Deus recompenset se- ,, cundùm excellentiam suæ virtutis. ,, Ita sanctus Thomas, quem plures sequuntur Thomistæ. Alii autem Theologi, licèt principium illud etiam de operante per vires naturales intelligant, multò tamen minùs admittunt, dum omne meritum, etiam congruum, præmii supernaturalis operibus naturalibus negant, imò etiam præparationem ac dispositionem positivam; illáque opera præcisè tanquam dispositionem aliquam *negativam* & *terminum extrinsecum*, à Deo secundùm decretum liberrimum suavis suæ providentiæ gratuitò prorsus assumptum considerant, quo posito, sublato velut impedimento & reductis valvis illustratio supernaturalis Divini luminis cordi illabitur.

14. *Sensus axiomatis.* His tamen non obstantibus probabilior mihi videtur illa sententia, quæ memoratum principium, *ordinariè saltem*, de agente per vires auxilii supernaturalis intelligit, ita, ut sensus sit, facienti, quod est in se, cooperando gratiæ supernaturali, Deus non denegat ulteriora auxilia gratiæ, quibus ad justificationem & salutem æternam pertingere possit.

Ratio est, quia hæc sententia est conformior Concilio Arausicano, & Augustino Doctori gratiæ: uti etiam Epistolæ Bonifacii Pontificis, qua Arausicanum confirmat; qui perpetuò repetunt, nos adhuc nolentes *præveniri* Divinâ gratiâ, quæ facit, *ut velimus:* nos *non incipere* in negotio salutis, sed voluntatem à Deo *præparari:* gratiam Dei *non dari ad invocationem*, sed facere, *ut Deus invocetur &c.* nam licèt hæc, ùt dictum, intelligi absolutè possint de initio, invocatione, volitione, præparatione positiva, & meritoria, à Concilio damnata; clariùs tamen ad mentem sacræ illius auctoritatis explicari videntur, si dicatur, gratia *supernaturali* nos præveniri, ut conemur, ut velimus, ut invocemus, ut præparemur: cui gratiæ prævenienti & excitanti, si quantùm in nobis est, cooperemur, Deus dat ulteriores gratias actuales, ac supernaturales, quibus adjuti eliciamus actus salutares fidei, spei, charitatis &c. atque ad justificationem & salutem perducamur.

Ratio ulterior hoc dicendi est, quia censendum est, Deum nobis

nobis mortalibus, quos omnes vult salvos fieri, dare media ad finem, nobis præfixum, proportionata atque accommoda; cùm igitur simus in statu elevationis, ad finem supernaturalem, æternam videlicet beatitudinem, conditi, præsumendum est, Deum sine quo nihil possumus facere, in hac providentia prævenire nos auxiliis gratiæ supernaturalis, illuminando intellectum, *ut appareat, quod latebat,* & per pias inspirationes loquendo ad cor, *ut suave fiat quod non delectabat*, ùt loquitur S. Augustinus. Si igitur his gratiæ prævenientis, illustrantis, excitantis, auxiliis cooperamur, jam non facimus, quantum est in nobis, per vires solius naturalis arbitrii, sed per vires gratiæ supernaturalis, sícque ulteriores & ulteriores gratias supernaturales accipimus, quibus ad finem nostrum supernaturalem pertingamus.

Dixi autem, *ordinariè saltem:* non enim nego, quòd homines præsertim infideles, etiam ante fidem susceptam, eliciant aliquando actus virtutum moralium naturales, ex motivo alicujus decentiæ, æquitatis, & honestatis naturalis, docente Apostolo, quòd gentes naturaliter faciant, quæ sunt legis. Quæ observatio legis naturalis potest à Deo respici tanquam terminus aliquis, & (ùt loquuntur) tanquam *removens probibens*, atque sic tanquam dispositio remota ac negativa ad accipiendam gratiam, prout prior sententia principium illud, *facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam*, explicat.

ARTICULUS IV.

Concilia contra Nestorianos, & Eutychianos.

Ortum Nestorianæ hæresis recensuimus part. 3. *cap.* 4. *art.* 3. primum *Concilium* contra eandem est celebratum *Romæ* à Cœlestino Papo anno 430. in quo lectâ Cyrilli Alexandrini, tum etiam ipsius Nestorii Epistolâ, hæresis istius damnata est, intentato anathemate, nisi post acceptam per Cyrillum Cœlestini Epistolam decem intra dies resipiscat. 15. *Romanum*

Eodem anno Cyrillus accepta Cœlestini Epistola, qua ei in causa Nestorii vices suas demandaverat, Concilium *Alexandrinum* convocavit; à quo missi Constantinopolim ad Nestorium quatuor legati, qui ipsi 12. Anathematismos Cyrilli traderent, ipsíque anathema dicerent, nisi decem intra dies hæresin abjuraret. At ille, spretis monitis, fraudibus suis Imperatorem Theodosium II. in Cyrillum, tanquam Apollinaristam, concitat, negátque Cœlesti- *Et Alexandrinum.*

ſtinum eidem tanquam hæretico potuiſſe cauſam committere. Ad quas turbas componendas viſum eſt Pontifici, & Imperatori neceſſarium eſſe, ut Synodus Oecumenica celebretur: quæ anno 431. *Epheſi* eſt habita, damnatáque Neſtoriana hæreſis, ùt *part.* 3. *art.* 3. oſtenſum.

Eodem tempore *Joannes Antiochenus*, amicus Neſtorii, ejúſque errorum Cyrillo verò infenſus, facto ſchiſmate, cum aliquot Epiſcopis in eadem urbe Epheſo Conciliabulum cogit adverſus Cyrillum ac legitimum Concilium Epheſinum.

Cùm autem ex hac cum Cyrillo diſcordia plures inter Eccleſiam Alexandrinam & Antiochinam orirentur turbæ, voluit Imperator, ut Joannes Nicomediam veniat ad dicendam cauſam, inſtaurandámque cum Cyrillo pacem, coacto igitur anno 432. *Antiocheno*
16. *Antiochenum.* *Concilio*, cum Epiſcopis ſuis, quid ſibi faciendum eſſet, deliberavit. Concilium decrevit, ut monitis Imperatoris morem gerat, Epheſino Concilio ſubſcribat: Neſtorium cum ejus hæreſi condemnet; atque cum Cœleſtino Pontifice ac Cyrillo redeat in gratiam, communionémque eorum petat. Quæ omnia Joannes præſtitit cum ſingulari Eccleſiæ ſolatio.

Neſtoriani, cùm vetiti ipſis eſſent ſub gravi pœna libri Neſtorii, *Theodori Mopſveſtini*, & *Diodori Tarſenſis* ſcripta hæretico diverſis linguis vulgârunt, & tanquam Catholicos diſperſerunt. Quare ut huic quoque malo afferetur medela, celebratum eſt anno 435 Concilium
17. *Armenum* *Armenum*, in quo libri iſti impii, Neſtorianam hæreſin ſapientes, ſunt damnati, exſtat hac de re prolixa Epiſtola Procli Epiſcopi Conſtantinopolitani, à Dionyſio Ex guo latinitate donata.

18. *Eutyches.* *Eutychianæ* hæreſis originem dedimus *part.* 3. *cap.* 4. *art.* 4. ubi de Generali Concilio Chalcedonenſi, in quo eſt profligata. Concilia autem particularia in hac cauſa celebrata ſunt iſta. Et primo quidem Concilium *Conſtantinopolitanum*, ſub Flaviano Patriarcha anno 448. in quo Euſebius Dorilæi Epiſcopus obtulit libellum, Eutychis Archimandritæ hæreſin accuſantem, quòd in Chriſto poſt Incarnationem unam tantùm naturam aſſereret. Eutyches poſt trinam citationē, ſecundùm canones factam, tandem comparuit; ſed cùm in hæreſi contumax perſiſteret, à 32. Epiſcopis & 23 Abbatibus eſt condemnatus & excommunicatus, fruſtra ad Leonem Romanum Pontificem appellans; qui de ejus hæreſi jam fuerat informatus.

19. *Furor Eutych.* Ad Imperatorem igitur Theodoſium converſus Eutyches, de injuria à Flaviano ſibi illata quæſtus, per Chryſaphium Ennuchum cubiculi præfectum, qui venenum jam imbiberat, obtinuit, ut anno

no 449. duo *Conciliabula* instituerentur contra Flavianum, ejúsque Synodum: alterum *Constantinopoli* Præside *Thalassio* Cæsareensi in Cappadocia Episcopo: alterum famosum illud *Conciliabulum Ephesinum II.* in quo Præside impio Dioscoro Alexandrino Patriarcha, despectis legatis Pontificiis, Eutyches absolutus, ejúsque confirmata hæresis, Flavianus verò cum Eusebio, Theodoreto, Iba, aliísque Episcopis condemnatus, depositus, & cùm Flavianus ad Pontificem appellâsset, occisus est.

Hæc cùm audisset S. Leo in *Concilio Romano*, eodem anno 459. celebrato, omnia acta illius latrocinii damnavit. Quo irritatus Dioscorus, in *Alexandrino Concilio* S. Leonem Pontificem excommunicare præsumpsit, inhorrescentibus ad facinus insolens, qui præsentes erant, Præsulibus.

Tantæ in Ecclesia turbæ componi non posse videbantur absque Concilio Oecumenico. Quia autem tunc temporis, Ecclesiâ latè in Orientem & Occidentem propagata, mos tulit, ut ante Synodum generalem particularia Concilia haberentur, quæ suam ad Romanum Pontificem de quæstione agitanda sententiam mitterent, qua Legati Apostolici instructi absentium etiam Episcoporum nomine in Concilio generali loquerentur, celebratum est anno 450. in Oriente, præsentibus Legatis Leonis Pontificis, *Concilium particulare Constantinopolitanum;* in quo plures Episcopi, in conciliabulo Ephesino, ob tyrannidem Dioscori, lapsi, fidei professionem Catholicam emiserunt; concesśaque ipsis communio cum sua Ecclesia, necdum verò cum universali. 20. *Concilia Catholica.*

In Occidente Chalcedonensi generali Concilio præmissum est Concilium *Mediolanense* anno 451. in quo Catholica veritas de Incarnati Verbi mysterio, secundùm Epistolam Leonis, ad Flavianum antea datam, contra Eutychis & Dioscori hæresin asserta, & à Leone per Legatos suos Concilio generali Chalcedonensi, quod paulo pòst celebrabatur, est communicata.

Cùm autem Dioscorus à Concilio illo fuisset depositus, magna Alexandriæ orta est seditio. Ad quam sedandam *Proterius*, in locum Dioscori suffectus, anno 452. Concilium *Alexandrinum* indixit. Actum in eo de conversione Eutychianorum, decretúmque, ut, fidei Catholicæ professione emissa, in Ecclesiam reciperentur.

Denique anno 459 celebratum est *Constantinopoli* sub Gennadio Patriarcha *Concilium*, ad exterminandam, secundùm decreta Chalcedonensia, Eutychianam hæresin, & labem simoniacam, passim grassantem.

Porro, quomodo in varias orbis provincias Nestoriana & Eutychiana lues propagata fuerit, & post plura etiam sæcula easdem infecerit, dictum est *part.* 3. *cap.* 5. *art.* 6. *num.* 35. & 36.

§. IV.

Concilia contra Priscillianistas.

21. *Origo.* *Marcus* quidam Ægyptius, cum *Agape* muliere, & *Helpidio Rhetore*, discipulis suis, in Hispaniam profectus, hæresin, ex Gnosticorum, & Manichæorum impia superstitione collectam, secum intulit, jam circa annum 380. Ab his impostoribus perversus *Priscillianus*, vir multæ eruditionis ac plurimæ improbitatis, magiæ etiam deditus, sectæ turpissimæ nomen dedit, pluribus nobilibus ac præsertim fœminis, doctrinæ novitate pellectis, ad exilialem ejus societatem affluentibus. Quippe humilitatis speciem ore & habitu præseferens existimationem sibi comparabat: ut adeò contagium istud per omnem ferme Hispaniam serpens, Episcopos etiam quosdam, inter quos *Instantius* & *Salvianus*, iuvaserit.

22. *Errores.* Eorum hæresin recenset S. Augustinus *hæresi* 70. eos videlicet Gnosticorum & Manichæornm dogmata permixta sectatos: aliarum etiam hæresum sordibus velut in sentinam quandam horibili confusione confluentibus. Propter contaminationes & turpitudines, in occultis conventiculis exercitas, in dogmatis suis habere eos hanc gnomen, *jura, perjura, secretum prodere noli.* Præter morum obscœnitatem, in impias esse prolapsos doctrinas: animas ejusdem esse naturæ cum Deo, ac propter peccatum cœlis delapsas in malignum principem incurrisse, à quo mundus iste sit conditus: fatalibus astris homines esse alligatos, atque secundùm duodecim cœli signa compositos. Carnes tanquam immundas aspernabantur. Conjuges à maritis disjungebant. Apocrypha tanquam veras scripturas in sensum suum impium detorquebant. De Christo Sabellii blasphemiam evomebant, & die Dominica jejunabant.

Episcopi igitur Hispaniæ, ut saniem istam abstergerent, indixêre *Concilium Cæsar-Augustanum;* in quo anno 381. sunt damnati Priscillianistæ, editis contra eos octo canonibus.

23. *Cæsar-Augustanum.* In 1. statuitur, ne fœminæ alienos viros, docendi aut discendi gratia accedant. *Nam Priscillianus ejúsque sectarii fœminas seduxerant, sub speciæ pietatis & doctrinæ ad se pellectas, ùt ex Hieronymo & Severo Sulpitio constat. Agape quoque fœmina impudica plures corruperat.*

In

In 2. ne quis die Dominica jejunet.

In 3. Euchariſtiam in Eccleſia acceptam, non eſſe ſumendam extra Eccleſiam. *Nam antiqua facilitate abutebantur iſti hæretici.*

In 4. tempore Natalis Domini non eſſe jejunandum. *Jejunabant tunc Priſcillianiſtæ, credentes, Chriſtum non habuiſſe carnem humanam.*

In 5. Excommunicatos à ſuis Epiſcopis, ab aliis non eſſe recipiendos: *nempe Priſcillianiſtas.*

In 6. Vetatur eorum hypocriſis & ſimulatio pietatis.

In 7. Doctoris nomen nemini aſſumendum, niſi cui conceſſum eſt.

In 8. ante 40. ætatis annos virgines non eſſe velandas. *Hoc pariter tunc propter Priſcillianiſtas ſtatutum, velatas ac in domo paterna manentes puellas, in ſuas partes trahentes.*

Inſtantius & *Salvianus* Epiſcopi, à Concilio damnati, ut partes 24.
ſuas Eccleſiaſticâ authoritate firmarent, Priſcillianum ad id usque *Turba.*
tempus laicum, in oppido Labinenſi Epiſcopum conſtituunt: atque ſimul comitantibus mulierculis Romam ſe conferunt, reſtitutionem à Damaſo Papa obtenturi. Verùm ab eo ne quidem in aſpectum admiſſi, Mediolani S. Ambroſium ſollicitant. At ab eo pariter repulſi, ad Gratianum Imperatorem, à quo poſt Concilium Cæſarauguſtanum proſcripti fuerant, confugiunt, atque operâ Miniſtrorum, quos pecuniis corruperant, reſcripto obtento, quo reſtitui jubebantur, Hiſpanias repetunt: tantúmque apud Præfectos effecêre, ut *Ithacius* Epiſcopus præcipuus Priſcillianiſtarum adverſarius in exilium profugere ſit compulſus.

At occiſo mox Gratiano, Ithacius apud *Maximum* Imperatorem, Treviris reſidentem, Priſcillianiſtas gravium criminum poſtulavit. Quare Maximus anno 385 Concilium *Burdigalenſe* celebrari voluit. In quo *Inſtantio* rurſus Epiſcopatus eſt abrogatus (nam Salvianus antè Romæ obierat) Priſcillianus verò ab Epiſcopis ad *Maximum* 25.
appellavit. Quamquam autem hæc appellatio eſſet contra Cano- *Priſcill.*
nes, deferendum nihilominus eidem cenſebant Epiſcopi. Causâ igi- *plexus.*
tur Treviris coram Imperatoris Miniſtris agitatâ Priſcillianus ejúsque ſocii de graviſſimis criminibus convicti juſſu Maximi capite plexi ſunt. *Ithacius* autem ab Epiſcopis eſt depoſitus, quòd nimis cruentam ultionem intenderit.

Cæde Priſcilliani aucta eſt potiùs ejus hæreſis: nam quem priùs ùt ſanctum habebant, poſtea ùt Martyrem coluerunt. Cúmque, accedente deinceps confuſione per barbarorum in Hiſpanias irruptionem,

26. *Concilia contra Priscill.* nem, pestis Priscilliana plurimùm invalesceret, celebratum est anno 447. Concilium *Nationale totius Hispaniæ*, præside S. Turibio Asturcensi Episcopo: atque in eo damnata rursus illa hæresis, editis aliquot adversus eam fidei Canonibus.

Ad conficiendas autem penitus Manichæorum & Priscillianistarum in Hispania reliquias in Concilio *Bracarensi* anno 563. præside Lucretio Metropolita distinctiùs damnati sunt eorum errores, quos supra recensuimus: editis in hanc rem 17. Canonibus, de SS. Trinitate, de Christi Divinitate, de Angelis & animabus, de opificio mundi, de matrimonio, de carnibus, de cœlibatu sacerdotum, de jejuniis Ecclesiæ, de scripturis à Priscillianistis depravatis, & in erroneum sensum detortis.

Additi insuper 22. Canones de restauranda Ecclesiastica disciplina, videlicet de Psalmodia à Clericis celebranda, de Missa, ejúsque ordine, de ordinatione Clericorum, de sacris vasis altari servientibus, de sententia excommunicationis. De reverentia corporibus SS. Martyrum deferenda, de sacro Chrysmate, à solis Episcopis benedicendo, de interstitiis SS. Ordinum, de commemoratione defunctorum, oblationibus fidelium, de observandis SS. Canonibus, de salutatione populi, jam à tempore Apostolorum usitata, in Missa facienda, dicendo: *Dominus vobiscum*: respondente populo: *Et cum spiritu tuo.*

Nota. Profectò, si hodierni sectarii celeberrimum hoc Concilium legerent, viderent, plerósque suos errores jam ante tot sæcula ab Ecclesia esse damnatos.

ARTICULUS VI.

Observatio in hæresin Pelagianam de peccato originali & baptismo.

27. *Peccatum originale.* Cum Pelagiani negaverint peccatum originale, ac necessitatem baptismi, & hodiedum negent Sociniani, juvat hîc pauca de istis disserere.

Atque imprimis certum est fidei dogma, quòd omnes omnino homines (Christo duntaxat, ejusque sanctissima & Immaculata Matre, & Eva exceptis) peccârint in Adamo, primo parente: sícque *originale peccatum* ab eo trahant.

Veritatem istam disertis verbis credendam nobis proponit S. Script. tum aliis locis, cum præsertim ad Rom. 6. ubi ait Apostolus: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum*

tum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Ubi evidenter est sermo de peccato originali, ad Adamo in omnes ipsius posteros propagato. Nam peccatum actuale in infantes non potest transire. Additque sacer textus, sicut in Adamo omnes sunt lapsi, ita per Christum omnes esse reparatos. Et 2. cor. 5. sic colligit: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*, nempe etiam infantes. Quapropter David in peccatis à matre sua se conceptum asseruit. Unde ineptè dicitur à Pelagianis, peccatum transire in posteros non *propagatione*, sed *imitatione*: nam infantes peccatum Adami imitari non possunt. Dicit equidem scriptura, filium non portare iniquitatem patris. Sed hoc intelligendum est de illa iuiquitate, quæ nullo modo est filii.

Et cur alias Deus dixisset, masculi, qui circumcisus non fuisset, animam perituram? *Quid enim mali* (verba sunt S. Augustini lib. de peccato originali contra Cœlestium *cap.* 30.) *parvulus propria voluntate commisit, ut alio negligente, & eum non circumcidente, ipse damnetur? . . . Unde rectè infans ille perditione punitur, nisi quia pertinet ad massam perditionis, & justè intelligitur, ex Adamo natus, antiqui debiti obligatione damnatus?*

Atque ex hoc ipso etiam peccato originali eruitur decisio alterius quæstionis dogmaticæ, cum Pelagianis controversæ, necessarium scilicet omnibus esse baptismum, quo à peccato originali, & à peccatis actualibus, si quæ commiserint, abluantur. Et quid clarius oraculo incarnatæ Veritatis, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intraturum in regnum cœlorum? Præter istas autem duas, quæ ad fidem pertinent, quæstiones, aliæ duæ hac in re se offerunt, quæ fidei dogmata non spectant, sed sub opinione sunt positæ. Prima est, quænam sit damnatio parvulorum, qui ante baptismum ex hac vita sunt abrepti? altera, in quo consistat peccatum originale?

Quod primam quæstionem spectat, video equidem passim Theologos in eam abire sententiam, parvulos illos, solo originali peccato infectos, nequaquam pœna inferni punitum iri, sed in loco quodam medio, cœlum inter & infernum, detinendos, visione quidem beata privatos, pœnæ tamen alterius expertes. 28. *De parvulis.*

Verùm huic sententiæ contradicere videtur S. Augustinus, qui *Sermone* 14. *de verbis Apostoli cap.* 3. ait: in ultimo illo judicio, juxta S. Evangelii effata, alios locandos à parte dextra, alios verò à sinistra: illos invitandos ad regnum cœlorum, istos verò mittendos

dos in ignem æternum: locum verò medium nullum fore, nequidem pro parvulis. *Nullus locus relictus est medius, ubi ponere queas infantes,* ait S. Doctor.

29. *Quid originale?* Quoad alteram quæstionem variæ sunt sententiæ. Putabant aliqui, peccatum originale consistere in concupiscentia, quæ ab Adamo sit per generationem in posteros propagata. Verùm concupiscentia potius est effectus peccati originalis, & causa peccati actualis, ad quod inclinat, quàm ipsum peccatum. Deinde per baptismum tollitur peccatum originale; concupiscentia autem non tollitur, sed relinquitur ad agonem.

S Augustinus in eam propendebat opinionem, peccatum originale, ipsámque etiam animam propagari per *traducem*, hoc est, ex anima Adami per generationem in Posteros traduci. Quia in ea sententia, quæ animas humanas creari à Deo asserit, difficiliùs explicari putabat, quomodo in Adami posteros transfusum sit propaginis contagium, quin refundatur in Deum ùt auctorem. Suspendit tamen circa hoc suam sententiam, & à S Hieronymo in quæstione illa petiit edoceri. Ut patet ex Epist. 28. & 29. ad S. Hieronymum scripta. Verùm, quod tunc dubium videbatur, discussa caligine hodie certum habemus; nemo enim sanus ampliùs dubitat, animas humanas à Deo creari.

Alii essentiam peccati originalis constituunt cum Thomistis in privatione gratiæ sanctificantis; alii cum Scotistis in privatione justitiæ originalis.

At verior esse videtur illa sententia, quæ asserit, peccatum originale esse ipsum peccatum Adami, prout est moraliter nostrum: moraliter autem nostrum fieri per alligationem nostrarum voluntatum ad voluntatem Adami: sive deinde alligatio illa facta sit per pactum aliquod, cum Adamo initum, sive per decretum divinum, quo Adamus velut tutor constitueretur humani generis, ipsiúsque voluntas & voluntatis actio esset moraliter nostra, sicut actio tutoris moraliter est actio pupilli, & actio legati actio Principis; quia agit nomine Principis. Quem in sensum loquitur S. Augustinus lib. 3. de peccatorum merit. & remiss. cap. 7. *In Adamo omnes peccaverunt, quia omnes homo ille erat.* Cùm igitur & suam ille causam ageret & nostram, peccatum ipsius personale est nostrum originale, quatenus videlicet ipsius voluntas erat moraliter nostra, & quod ille faciebat physicè, nos agebamus moraliter; in quantùm ipsius actio physica moraliter erat nostra. Aliter enim non intelligitur, quomodo in Adamo peccaverimus; quomodo peccatum illud fuerit

nobis

nobis liberum & voluntarium? quomodo, ut Concilium Tridentinum ait, sit *origine unum, propagatione transfusum omnibus, atque insit cuilibet proprium.*

Licet autem tunc, quando homo generatur, nemo peccet, peccatum tamen illud jam in paradiso fuit commissum, ac Adamo quidem physicè, à nobis autem moraliter, quatenus, ut dictum, ipsius actio erat moraliter nostra. Unde etiam ipsius peccatum moraliter erat nobis liberum & voluntarium: inéstque cuilibet homini proprium, quia cujuslibet voluntas modo insinuato fuit alligata voluntati Adami.

Ex quo etiam per se cadunt interrogatiunculæ illæ, quas Pelagiani formabant: si peccavi in Adamo, vel peccavi, quando fui, vel quando nihil fui? vel peccavi ùt distinctus ab Adamo, vel ùt indistinctus? vel peccavi ùt sciens, vel ignorans? nam peccavi, quando physicè quidem nihil fui, fui tamen moraliter in Adamo per dictam alligationem meæ voluntatis. Peccavi ùt moraliter idem homo cum Adamo: *quia omnes homo ille erat,* ùt ex Augustino dixi. Peccavi sciens moraliter, quatenus scientia & advertentia Adami moraliter fuit mea.

Sed neque dici potest, pactum illud aut decretum Divinum, quo voluntates nostras Adami voluntati alligatas memini, aut injustum fuisse, aut minùs saltem nobis conveniens, atque optabile. Nam justissimum erant, nobísque de se optabile, atque expediens, imò etiam singulare beneficium Dei. Ratio enim beneficii non est desumenda ex eventu. Res optime culpâ mortalium tristem sæpè eventum habent. Gratiæ sufficientes sunt gratiæ; vita, sanitas, opes, potentia, vires, ingenium, aliáque corporis & animi dona, Divina sunt profectò beneficia, quamvis illis hominum vitio non rarò abuti contingat.

Ornatus erat primus ille parens justitia Originali, sanctitate insigni, sapientia maxima; nulla illi rebellio concupiscentiæ, nulla ad malum inclinatio, magna autem ad bonum; compositus ad omnem honestatem animus, reverentia in Deum conditorem suum submissa. Iis denique eximiis, quà naturæ, quà gratiæ, donis uberrimè erat cumulatus excultúsque, quæ spem multò optimam atque certissimam nobis facerent, neminem prorsus hominum, quam ipsum, causam & suam, & filiorum suorum, meliùs acturum, ac proinde in nullum prudentiùs ac convenientiùs tutelam humani generis esse deponendam.

Quòd

Quòd autem tantum deinde negotium, prudenter adeò præparatum, infaustum fortitum sit eventum, non Deo in sapientissimis suis decretis semper adorando, sed infelicis procuratoris nostri vitio est tribuendum. Dedit illi Deus præstantissima gratiarum auxilia, intentione optima felicis eventus. Arbitrii autem liberi abusum, lapsúmque impedire non tenebatur.

ARTICULUS VII.

De aliis Conciliis Provincialibus Seculi quinti.

Concilium Toletanum I.

30. Hoc jam anno 400. celebratum, 19. Episcoporum suffragio 20. Canones edidit. In 1 Episcopis, Presbyteris & Diaconis continentia præcipitur. In 2. à sacris Ordinibus arcentur, qui publica pœnitentia sunt functi. In 5. Clericis præcipitur, ut quotidiano Missæ sacrificio intersint. (*hoc bene notandum sectariis*) In 8. à Diaconatu arcentur, qui post baptismum militaverint. In 10. ad Clericatum admitti prohibetur, qui sui juris non est, nisi Dominus vel Patronus consensum dederit. In 11. excommunicantur, qui Clericos spoliaverunt. In 12. vetatur, ne Clerici ab Episcopo suo recedant, & alteri adhæreant. In 13. rediguntur in ordinem pœnitentium, qui nunquam ad sacram communionem accedunt. In 15. excommunicantur, qui excommunicatos, denuntiatos, & notorios non vitaverint. In 16. decennis pœnitentia indicitur Monialibus lapsis, uti etiam corruptoribus earum. In 17. prohibentur à S. Communione, qui præter uxorem concubinam habent, ii verò, qui pro uxore concubinam habent, non prohibentur. Nota: *hic per concubinam intelligitur fœmina, valido quidem matrimonio copulata, minùs tamen solenniter, prout in veteri jure civili passim intelligitur.* In 20. prohibetur Presbyteris sacrum Chrysma conficere.

Concilium Arausicanum I.

S. Hilario Arelatensi præside, anno 441. hoc Concilium Provinciale 17. Episcoporum 30 Canonibus statuit; ut hæretici in mortis articulo conversi chrysmate, & benedictione reconcilientur. Ut Ministri baptismi chrysmate baptizatos inungant: quodsi autem

autem illa inunctio in baptismo esset omissa, posse illam postea suppleri. Ut moribundi pœnitentes ad communionem admittantur: si autem supervixerint, stent in ordine pœnitentium. Pœnitentiam petentibus non negandam. Ad Ecclesiam confugientes, non extrahendos, sub pœna excommunicationis. Alieni subditi ne ordinentur. Ecclesia in alieno territorio ne dedicetur. Excommunicati ne recipiantur ab alieno Episcopo. Absolutionem impertiendam moribundis, qui subditò obmutescunt; si voluntatis præteritæ testimonium habeant, aut præsentis in suo nutu. Amentibus, quæcunque pietatis sunt, esse conferenda (*baptizandos nempe*, *si perpetuò sint amentes*, *aut per lucida intervalla petierint: in morte Eucharistia*, & *extrema unctione muniendos*) energumenos pœnitentes communicandos. Eos tamen esse irregulares. Conjugatos non esse ordinandos Diaconos, nisi priùs professi fuerint castitatem. Et si post ordinationem continentiam non servent, ab officio esse abjiciendos. Bigami non promoveantur ultra Subdiaconatum (*hodie neque ad illum*) Diaconissas nullas ordinandas. Si autem quæ jam sint, Benedictioni, quæ populo datur, capita submittant. Castitatis professæ desertores utriusque sexus pœnitentiæ publicæ subjiciendos (*quid ad hunc canonem antiquissimi Concilii Lutherus*, *aliique professæ castitatis desertores?*) Episcopus functiones Episcopales ne committat Presbyteris, sed alium evocet Episcopum, si ipse obire non possit.

Præterea Concilium istud statuit, ut si duo tantùm Episcopi Episcopum aliquem invitum consecraverint, uterque consecrans Episcopatu dejiciatur. Si verò consecrandus ultro consentiat in consecrationem, à duobus tantùm Episcopis faciendam, & ipsum damnandum esse.

Concilium Regense.

Atque hæc ipsa causa fuit, convocandi sub istis temporibus *Concilium Regense*, Regii nempe in Provincia Narbonensi, propter *Armentarium*, qui à duobus tantùm Episcopis ordinatus fuerat in Ebrodunensem Episcopum, contra SS. Canones. A. 13. autem Episcopis, præside eodem S. Hilario Arelatensi, 8. constituti sunt canones. In 1. statuitur, ne duo illi Episcopi, qui Armentarium absque tertii Episcopi præsentia, atque sine Metropolitani auctoritate consecrârunt, ordinationibus & conciliis ordinariis deinceps intersint. In 2. dicitur, ordinationem illam secundum canones esse irritam. In 3. permittitur Armentario administratio alicujus Paro-

chiæ, cum liminatione tamen. In 4. deponendos esse sancitur, qui ab eo sunt ordinati. Reliqui canones inculcant ea, quæ post mortem Episcopi sunt facienda, & ne sine Metropolitani consensu Episcopus ordinetur: denique additur, bis in anno convocandas esse Episcoporum Synodos. Et hæc quidem pro disciplina illa veteri. Nam hodie consecratur Episcopus ab uno Episcopo, modò duo alii Prælati inferiores, consecrati tamen, sint præsentes.

Concilium Vasense II.

Anno 442. constituit hoc Concilium 10. canones: magìs memorabiles sunt

Tertius, quo præcipitur, ut Presbyteri non ab Episcopis viciniorìbus; sed à suis propriis per singulos annos chrysma petant, appropinquante solennitate paschali. *Quartus:* quo dicitur, tanquam infideles ab Ecclesia abjiciendos, qui oblationes defunctorum detinent, & Ecclesiis tradere demorantur. *Octavus* prohibet Episcopo subditi crimen, quod ipse solus novit, in publicum proferre: privatis autem correptionibus talem ad compunctionem permovendum esse. *Nonus* & *Decimus* tractant de infantibus expositis, eos videlicet fieri eorum, à quibus colliguntur, nisi intra decem dies repetantur ab iis, qui eos exposuerunt.

Concilium Romanum in causa S. Hilarii.

Haud multò pòst S. Hilarius Arelatensis Episcopus *Chelidonium* Episcopum in Synodo deposuit, tanquam viduæ maritum, &
31. *Causa Hilarii.* qui capitalibus aliquando judiciis præfuisset, adeóque ex duplici capite irregularem. At Chelidonius appellatione an S. Leonem Pontificem interposita, *Romano* in *Concilio*, anno 445. adductis testibus immunem se ab iis, quæ objecta ei fuerant, probavit, præsente etiam ipso Hilario; qui lite pendente clàm Româ recessit in Galliam. Leo autem Papa Chelidonium deinde absolvit, ac sedi suæ restituit. In eodem Romano Concilio discussa est alia etiam adversus Hilarium quærela, quòd scilicet *Projecto*, alienæ provinciæ Episcopo, ægrotante, alium ejus loco superordinârit Episcopum. Quam ordinationem S. Leo cum suo Concilio contra SS. Canones factam esse declaravit, projectúmque, altero excluso in Episcopatu suo confirmavit: Hilarium verò privavit dignitate Metropolitæ, eámque in Episcopum Vienensem transtulit, imò Apostolicæ com-

communionis exortem fecit, ùt patet ex Epiſtola, quam hac ſuper re ad Viennenſes dedit.

Acrior equidem illa in Hilarium fuit Epiſtola, ſed non ultra illius meritum; humanum enim hìc aliquid, ùt homines omnes ſumus, Hilario accidiſſe fateri neceſſe eſt. Nam ùt ex eadem conſtat Epiſtola, Hilarius in defendendis Metropolitanis ſuis juribus, quæ prætendebat, exceſſit, *beatiſſimi Petri reverentiam verbis arrogantioribus minuendo, cui paſcendarum ovium cura ſpecialiter commiſſa eſt.* Taléſque Romana in Synodo protulit ſermones, *quos*, ùt ait S. Leo, *nullus laicorum dicere, nullus Sacerdotum poſſit audire.*

Et quamvis contra Chelidonium nihil ampliùs poſſet opponere, teſte eodem S. Leone in eadem Epiſtola: *abſolutus eſt Chelidonius Epiſcopus, quoniam ſe injuſtè Sacerdotio dejectum, manifeſta teſtium reſponſione, ipſo etiam* (Hilario) *præſente, monſtraverat, ita, quod Hilarius, nobiscum reſidens, poſſet reponere, non haberet:* nihilominus poſtquam dixerat, ſe non ad agendum, ſed proteſtandum adveniſſe, judicio necdum abſoluto clàm receſſit, & poſt latam etiam ſententiam Chelidonium Epiſcopum agnoſcere, atque cum eo communicare noluit; ut adeò ipſe etiam Valentinianus Imperator, reſcripto ad Aëtium, militiæ in Gallia præfectum, dato, Leonis ſententiam exequi mandârit.

Eo in reſcripto Imperator Primatum Romani Pontificis, & in reliquos Epiſcopos authoritatem multùm commendat. Inter alia hæc habet: *Et erat ipſa quidem ſententia* (Romani Pontificis) *per Gallias etiam ſine Imperiali ſanctione valitura. Quid etiam tanti Pontificis authoritate in Eccleſias non liceret? ſed noſtram quoque præceptionem hæc ratio provocavit, ne ulteriùs vel Hilario, quem adhuc Epiſcopum nuncupari ſola manſueti Præſulis* (Leonis) *permittit humanitas, nec cuiquam alteri Eccleſiaſticis rebus arma miſcere, aut præceptis Romani Pontificis liceat obviare: auſibus enim talibus fides & reverentia noſtri violatur Imperii --- Hac perenni ſanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis Gallicanis, quàm aliarum provinciarum contra veterem conſuetudinem liceat ſine viri venerabilis Papæ urbis æternæ auctoritate tentare. Sed illis, omnibúsque pro lege ſit, quidquid ſanxit, vel ſanxerit Apoſtolicæ ſedis auctoritas.* Exſtat hoc reſcriptum Valentiniani inter Novellas Theodoſii Cod. Theodoſiano tit. 24. de Epiſcopis ordinandis.

Pertinaciùs igitur (ùt ſancti etiam quandoque viri in ſenſu ſuo abundare ſolent) quàm fas erat, Hilarius ſe ſe oppoſuit; falsóque omnino atque immerito Paſchaſius. Quesnellus in præfatione ad opera S. Leonis cauſam Hilarii per omnia approbat, Leonis verò

reprehendit: nihil ab illo actum esse contra canones, sive in Gallia, dum Chelidonium deponeret, sive Romæ, dum contra rescissionem suæ sententiæ protestaretur. Quamobrem, quod sententiam æquitate plenam rescindere volenti Pontifici strenuè restiterit, non proterviæ, sed invicti animi ac disciplinæ tenacissimi argumentum esse. Addítque hic heteroclitæ fidei homo, Hilarium ad extremum usque spiritum obnoxia animi constantia sententiam suam propugnâsse.

At hoc à veritate alienum esse, ex eo constat, quòd S. Honoratus, auctor vitæ S. Hilarii, commemorat, eum, videlicet postea, totum se ad placandum S. Leonis animum *inclinata humilitate* convertisse, ac plures propterea ad eundem legatos misisse. Et quis sibi persuadeat, Romanam Ecclesiam Hilarium sanctorum fastis insertuam fuisse, si suæ adversus sedem Apostolicam inobedientiæ fuisset immortuus? certè ipse S. Leo eundem post mortem virum *sanctæ memoriæ*, sibíque *prabatum* appellavit, in Epistola, ad Episcopos Arelatensis provinciæ scripta post Hilarii obitum, quod sanè non fecisset, si sedi Apostolicæ non fuisset reconciliatus.

Crediderim ego tamen utrumque virum sanctum humanitus aliquid passum: Hilarium, dum initiô se opposuit summo Pontifici, Leonem verò, dum relationibus, fortè Hilarium nimium denigrantibus, occupatus, acrem illam ad Viennenses epistolam scripsit contra Hilarium, quam velut superbiæ, præsumptionis, & arrogantiæ reum perstrinxit.

Certè ipsemet Cardinalis Baronius, Pontificum, & Apostolicæ sedis defensor eximius ad annum 464 de hac & simili *Mamerti* causa sic scribit: *non mireris lector, Romanum Pontificem adversus Mamertum adeò vehementer insurgere, virum, ùt declarârunt eventa, sanctitate insignem. In his enim, quæ contentiosi fori sunt, perfacile est quemquam decipi. Persimile etiam S. Leoni accidit, qui in S. Hilarium eadem ferme ex causa acerrimè invectus est. Quis nesciat, sæpè accidere, ut falsis accusationibus, & subreptionibus aures Pontificium repleantur, & cùm putent agere, quod justum appareat, exagitent innocentem?* ita eminentissimus annalium Ecclesiasticorum parens. Et fortassis, detecta dein magìs veritate, mitiorem se erga Hilarium ideo Leo exhibuit, eúmque in gratiam & communionem suam faciliùs recepit: dum videret, errâsse eum quidem, non tamen tantopere, prout accusatus fuerat. Verùm hæc aliis magìs discutienda relinquo; meam observatio-

vationem claudere juvat verbis S. Honorati in vita S. Hilarii: tantorum virorum, præsertim jam *ad supernam gratiam vocatorum, nec in narratione audeo judicia ventilare. Hoc breviter tetigisse sufficiat.*

Concilium S. Patritii celebratum in Hibernia anno 450.

Editis 34. Canonibus statuit, non esse tolerandos Clericos vagos. 32.
Clericos decenter vestitos, & more Romano tonsos esse debere, Clericos, negligentes in matutinis & vespertinis officiis, ex albo Ecclesiæ delendos. Clericum excommunicatum non recipiendum ab alio. Ab excommunicato, nec eleemosynam recipiendam. Homicidæ aut fornicatori annuam pœnitentiam injungendam. Anathematizandum, qui credit lamiam esse in speculo. Virginem, quæ castitatem vovit, si nupserit, excommunicandam; uti etiam conjugatam, quæ relicto marito se junxerit adultero. Clerici peregrini sine licentia Episcopi loci, in quo versantur, non baptizent, nec consecrent. Episcopus non ordinet in aliena diœcesi sine licentia.

Concilium Turonicum anno 461.

In hoc statuti 13. Canones.

1. Ministri Ecclesiæ sint casti corpore & animo.
2. Sacerdotes & Levitæ ab uxoribus se contineant, & ebritatem vitent.
3. Clerici cum fœminis nullam habeant familiaritatem.
4. Nullus Clericus, cui uxorem licet ducere, ducat viduam. *Loquitur hic Canon de Clericis minoribus.*
5. Clericus laicæ vitæ aut militiæ se tradens excommunicatione feriatur.
6. Excommunicantur, qui sacratis virginibus matrimonio junguntur, vel religionem professam deserunt. Notent hoc Lutherani.
7. Cum homicidis non communicandum, donec per confessionem ipsorum crimina deleantur.
8. Excommunicantur, qui accepta pœnitentia revertuntur ad vomitum.
9. Excommunicantur Episcopi, qui in alienas diœceses jurisdictionem suam extendunt, aut illarum Clericos promovent.

10. Ordinationes illicitæ in irritum revocantur, nisi satisfactione, quæ ad pacem pertinent, componantur.
11. A communione alienus decernitur Clericus, qui absque Episcopi sui permissu, derelicta Ecclesia sua, ad alium locum se transferre voluerit.
12. Clerici non absque Episcoporum suorum commendatione ad alias provincias vel civitates disponantur.
13. Prohibetur Clericis usura. *Nam illa universim omnibus est prohibita, si lucrum petatur merè titulo mutui, hoc est, si non petatur alio titulo, à Jure Canonico approbato, ùt titulo emptionis, venditionis, societatis, reservationis partis de usufructu: aut titulo lucri cessantis, damni emergentis, aut periculi perdendæ sortis; aut denique titulo translati à Republica in mutantes dominii propter bonum publicum commerciorum: sicut in præscribentem à Republica transfertur dominium propter bonum publicum Quo casu non titulo mutui acquiritur dominium, sed occasione mutui à Republica. Quo sensu intelligendus P. Vitus Pichler, dum ait, rescripto Principis licitam fieri posse usuram.* Non enim ex mutuo habetur lucrum, sed acquiritur per legem Principis, pro bono publico commerciorum latam. Quod non est propriè usura, hoc ipso, quòd non ex mutuo petatur lucrum, sed ex lege Principis, translativa dominii census e. g. Germanici.

Concilium Veneticum anno 465.

In hoc iidem ferme confirmati sunt Canones: videlicet de excommunicandis homicidis, falsis testibus, iis, qui relictis uxoribus alias ducunt. De vagabundis Clericis, & Monachis, etiam verberibus coërcendis, si verba non sufficiant. Non licere uni Abbati plura habere monasteria. Nec Monachis Abbati, obedientiæ se subtrahere, aut ad privatas cellas se conferre. Non licere Clericis, nisi permissu Episcopi, ad sæcularia judicia adire: sed si Episcopi sui judicium habeant suspectum, aut ipsis cum ipso Episcopo de proprietate aliqua fuerit orta contentio, posse eos ad alios Episcopos accedere. Episcopi alienos Clericos ad altiores ordines ne promoveant. Clerici Judæorum convivia ne accedant: nec choreas, aut turpia spectacula. Puniendos Clericos, qui hymnis matutinis non intersunt. Psallendi modum uniformem esse debere in provincia.

Concilium Romanum ſub Hilario Papa anno 465.

Editi in eo 5. Canones: quibus ſtatuitur
1. Summi Pontificis & Epiſcoporum eſſe Canonum obſervantiæ invigilare.
2. Ut Bigamum rejiciendum eſſe à ſacris Ordinibus, qui aut ſecundam duxit uxorem, aut non virginem (*intellige, ſi cum ea matrimonium conſummaverit*) cap. 9. diſt. 34.
3. Pœnitentes vel inſcii litterarum, aut aliqua membrorum damna perpeſſi, ad ſacros Ordines adſpirare non valeant. *cap.* 3. *diſt.* 55.
4. Quæ perperam ab Epiſcopo ſunt ordinata, à ſucceſſore emendentur.
5. Nullus Epiſcopus ſibi conſtituat ſucceſſorem.

Concilium Romanum I. ſub Gelaſio Papa anno 494.

In hoc Concilio *Gelaſius* Papa enumeravit cap 1. omnes libros Canonicos S. ſcripturæ: prout eos jam antea enumeraverat *Concilium Laodicenum* can. ult. S. Innocentius I. *Epiſt.* 1. *ad Exuper. cap.* 7. S. Auguſtinus *lib.* 2. *de Doctr. Chriſt. cap.* 8. Concilium Carthaginenſe III. can. 47. atque inter eos etiam recenſentur ii, quos Proteſtantes rejecerant, ùt liber Ruth, Judith, Tobiæ, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, ac duo libri Machabæorum: item Epiſtola Jacobi, Judæ, Apocalypſis Joannis &c. 33. *De libris.*

In 2. cap. memorantur ſedes Patriarchales, prout jam ab antiquiſſimis temporibus fuerant ſecundùm ordinem conſtitutæ, prima nempe Romana, ſecunda Alexandrina, tertia Antiochena.

In 3. recenſet quatuor Concilia Oecumenica, nempe Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe, ad illud uſque tempus celebrata.

In 4. enumerantur alii libri, qui utiliter in Eccleſia legi poſſunt: ùt opera S. Cypriani, Gregorii Naz. Baſilii, Athanaſii, Cyrilli, Alex. Joannis Chryſoſt. Theophili Alex. Hilarii Pictavienſis, Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, Proſperi, Leonis Papæ, Epiſtolæ decretales Romanorum Pontificum, geſta SS. Martyrum, vitæ Patrum, ùt Pauli Eremitæ, Antonii, Hilarionis, præſertim quas S. Hieronymus ſcripſit.

Additque, acta S. Sylvestri Papæ, licet nomen ejus, qui conscripsit, ignoretur, à multis tamen Romæ legi. Item scripta de Inventione S. Crucis, & capitis S. Joannis Bapt. aliqua etiam Rufini, quæ nempe S. Hieronymus in eo non reprehendit. Chronicon & Historiam Ecclesiasticam Eusebii Cæsareensis, quamvis in aliquibus minùs benè scripserit, propter rerum tamen notitiam, non omnino esse rejicienda. Origenis nonnulla Opuscula, quæ S. Hieronymus non reprehendit. Reliqua autem omnia, cum ipso auctore, esse rejicienda. Laudatur Orosii Hispani Historia, tanquam necessaria adversus Paganorum calumnias, Sedulii item & Juvenci opus metricum.

In 5. cap. rejiciuntur inter Apocrypha, Synodus Ariminensis, itinerarium Petri, seu S. Clementis libri octo. *Actus* S Andreæ, Thomæ, Petri, Philippi *Evangelium* Thaddæi, Mathiæ, Petri, Jacobi, Barnabæ, Thomæ (quo utebantur Manichæi) Bartholomæi, Andreæ, Evangelia, quæ falsârunt Lacianus & Hesychius. Liber Pastoris, Nepotis, Fundamenti, liber de actibus Theclæ & Pauli, de Nativitate Christi, Maria, & obstetrice, de infantia Christi, de transitu seu assumptione S. Mariæ, de filiabus Adæ, de pœnitentia Adæ, de Ogia gigante post diluvium cum dracone pugnante, de testamento Job, de pœnitentia Origenis, de pœnitentia S Cypriani, de sortibus, & laude Apostolorum, liber, qui appellatur *Canones Apostolorum*. Revelatio Pauli, Thomæ, Stephani.

Insuper declarantur esse libri Apocryphi, Historia Eusebii Pamphili, Opuscula Tertulliani, Lactantii, Africani, Montani, Priscillæ & Maximillæ, Posthumiani & Galli, Fausti Manichæi, Commodiani, alterius Clementis Alexandrini, Tatii Cypriani, Arnobii, Tychonii, Cassiani Massiliensis, Victorini Pictaviensis, Fausti Regensis, Frumentii cæci.

Epistola Jesu ad Abgarum regem, Abgari ad Jesum. Passio Georgii, Quirici & Julitæ. Contradictio Salomonis. Philacteria Angelorum.

Denique damnantur sub anathemate omnium, ad id usque tempus emissa, Hæresiarcharum & schismaticorum scripta cum suis authoribus, ùt scripta Simonis Magi, Nicolai, Cerinthi, Marcionis, Basilidis, Ebionis, Pauli Samosateni, Photini, Bonosi, Montani, Apollinaris. Valentini, Manichœi, Fausti, Africani, Sabellii, Arii, Macedonii, Eunomii, Novati, Sabbatii, Donati, Eustathii, Callisti, Joviniani, Pelagii, Juliani Eclanensis,

ſis, Cæleſtii, Maximini, Priſcilliani, Neſtorii, Dioſcori, Eutychis, Petri Moggi Alexandrini, Petri Frullonis Antiocheni, Acacii Conſtantinopolitani, eorúmque conſortum & diſcipulorum.

Celeberrimum hoc Decretum confectum eſt atque ſubſcriptum à Gelaſio Papa, & 70. doctiſſimis Epiſcopis in Concilio Romano anno 494.

Concilium Romanum II. ſub Gelaſio Papa anno 495.

Cum *Vitalis* & *Miſenus*, Epiſcopi, Apoſtolicæ ſedis Legati, per Zenonem Imperatorem, contra jus gentium carcere minísque adacti, Acacio Conſtantinopolitano Patriarchæ, ſchiſmatico, & Eutychianorum fautori, communicâſſent, Petri etiam Moggi, hæretici, atque Alexandrinæ ſedis invaſoris, nomen in diptychis publicè recitari, ſine contradictione, audiviſſent; Felix III. Papa, hac legatorum ſuorum prævaricatione percepta, Romæ collegit 77. Epiſcoporum Concilium; in quo Vitalis & Miſenus, ex Oriente reverſi, de prævaricatione, & communicatione cum Hæreticis convicti, excommunicationis ſententiâ damnati, atque ab Epiſcopatu dejecti ſunt. Cúmque Acacius monita ac minas Felicis Papæ ſperneret contumax, etiam ipſe excommunicatus, & Synodali ſententia ab Epiſcopatu Conſtantinopolitano fuit depoſitus. Multumque deinde poſteriores etiam Pontifices laborârunt, ut Acacii nomen ſacris è diptychis in Orientalibus Eccleſiis deleretur. 34. *Vitalis & Miſenus.*

Porrò Vitalis in excommunicatione obiit; Miſenus verò poſt undecim annorum ſpatium, ſeria demonſtrata pœnitentia, criménque ſuum publicè confeſſus, ad Eccleſiæ unitatem recipi, demiſſis precibus rogavit, quare à Gelaſio Papa in hoc Concilio Romano, in Eccleſiam receptus, & Epiſcopali dignitati eſt reſtitutus.

Concilium Arelatenſe II.

Hæc Synodus *cap.* 11. *diſt.* 16. ſpecialiter commendata complures ſtatuit Canones, à Sirmondo noſtro in lucem datos, de reſtauranda diſciplina Eccleſiaſtica. 35.

In 2. decernitur, aſſumi aliquem ad Sacerdotium non poſſe, in conjugii vinculo conſtitutum (*nempe abſque conſenſu uxoris &c.*)

In 3. excommunicantur Diaconi & Presbyteri, qui uxorem (non conversam) secum habere præsumpserint.

In 14. vetatur ne Clericus sit fœnerator, conductor, aut negotiator.

In 21. statuitur, tempore pœnitentiæ publicæ non esse contrahendum matrimonium.

In 22. conjugatis pœnitentiam publicam non esse imponendam, nisi cum consensu conjugis.

In 25. Excommunicantur desertores Religiosi Ordinis.

In 27. præcipitur usus *Chrismatis*.

In 30. statuitur jus asyli.

In 38. decernitur, subitò obmutescentem baptizari posse.

In 43. Non esse ordinandos conjugatos in Diaconos, nisi profiteantur castitatem.

Concilium Arelatense III.

Hoc pariter Concilium *loc. cit.* laudatum sex editis Canonibus anathema dicit illis:

1. Qui dixerint, hominem sine peccato nasci, aut sine gratia posse liberari.
2. Qui dixerint, hominem baptizatum propter peccatum originale damnari.
3. Qui dixerint hominem perire per Dei præscientiam.
4. Qui dixerint, illum, qui periit, non accepisse, ut salvus esse potuisset.
5. Qui dixerint, vas contumeliæ non posse assurgere, ut sit vas in honorem.
6. Qui dixerint, quòd Christus non pro omnibus sit mortuus, nec omnes homines salvos esse velit.

(En Calvinianam & Jansenianam hæresin jam sæculo quinto in præcipuis punctis damnatam !)

CA-

CAPUT VI.

De Conciliis SÆCULI VI.

Hanc ætatem vexavit pertinax ſchiſma, exortum ob controverſiam de *tribus Capitulis*, à quinta Generali Synodo condemnatis. Quæ res pluribus localibus Conciliis occaſionem dedit. Converſa ſunt etiam hoc Sæculo cum Regibus ſuis Galliæ, Burgundiæ, & Hiſpaniæ regna. Unde apertus campus amplior congregandi frequentiores Eccleſiarum Synodos, pro reſtauranda diſciplina.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I.

De Conciliis celebratis in cauſa trium Capitulorum.

1. *Damnati tria Capitula à Conciliis* Conſtantinopolitano, Mopſveſteno & Jeroſolymitano.
2. *Defenſa vero à duobus* Aquilejenſibus, Gradenſi, & Maranenſi, *ſchiſmaticis*.
3. Romanum Concilium *in cauſa appellationis*.
4. *Obſervatio de origine Patriarchatus Aquilejenſis, & Gradenſis*.

ARTICULUS II.

De Conciliis Galliæ.

§. I.

Proponitur ſtatus Politicus.

5. *Origo Regni Francorum. Converſio & geſta Clodovæi M*
6. *Multiplex inter filios & Nepotes Clodovæi partitio regni, & calamitoſus ſtatus.*
7. *Fredegundis inauditi furores.*

§. II.

Status Ecclesiasticus per Concilia ordinatus.

8. *Concilium Agathense.*
9. *Aurelianense I. & II.*
10. *Aurelianense III. & IV.*
11. *Lapsus Hottingeri Præconis Tigurini.*
12. *Lugdunense I. II. & III.*
13. *Arelatense IV.*
14. *Vasense & Arvernense.*
15. *Aurelianense V.*
16. *Observatio de Infallibilitate Pontificis.*
17. *Turonense II.*
18. *Antissiodorense.*
19. *Matisconense I. & II. falsatio Hottingeri.*
20. *Narbonense post conversionem Recaredi.*
21. *Pictaviense & Metense, in causa Monialium rebellium.*

ARTICULUS III.

De Conciliis Vallesiæ.

22. *Origo regni Burgundici. Sigismundi Regis conversio.*
23. *Concilium Agaunense, in causa fundationis monasterii, pro cultu SS. Martyrum.*
24. *Epaunense. Fallacia Hottingeri.*

ARTICULUS IV.

De Conciliis Hispaniæ.

§. I.

Status Politicus.

25. *Origo Regni Hispaniæ sub Gothis.*
26. *Levidildi ultimi Ariani Regis persecutio.*
27. *Hispania cum Hermenegildo & Recaredo conversa.*

§. II.

Status Ecclesiasticus per Concilia ordinatus.

28. *Concilium Tarraconense.*
29. - - - *Gerundense.*
30. - - - *Jlerdense.*
31. - - - *Valentinum.*
32. - - - *Bracarense II.*
33. *Bracarense III.*
34. *Martini Bracarensis capitula.*
35. *Concilium Hispalense.*
36. *Cæsaraugustanum & Toletanum.*
37. *Oscense & Barcinonense.*

ARTI-

ARTICULUS I.

De Conciliis celebratis in causa trium Capitulorum SÆCULI VI.

Historicam Synopsin de famosis *tribus Capitulis* dedimus *part.* 3 *art.* 5. ubi tractatum de Synodo generali quinta. Jam aliqua Concilia particularia, in hac causa habita, subjungimus. I.

Cùm celebris illa controversia de *Theodoro Mopsvesteno*, *Theodoreto Cyrensi, & Iba Edesseno*, Episcopis, eorúmque scriptis, Nestorio faventibus, post Concilium Chalcedonense esset excitata, atque sub medium Sæculi VI. tempore Vigilii Papæ, & Justiniani Imperatoris maximè ferveret, Justinianus edicto Imperiali Capitula illa damnavit. *Constantinopolitanum.*

Cùm autem sciret, Ecclesiastica hac in re opus esse auctoritate, ejus voluntate celebratum est anno 547. *Constantinopoli Nationale Concilium* 70. Episcoporum. Damnata suut in hoc tria Capitula. Eandémque condemnationem Vigilius Papa, missis sibi Concilii actis ratam tunc habuit.

Triennio pòst in *Concilio Mopsvesteno* damnatus est iterum Theodorus Mopsvestenus, jam centum annis priùs defunctus, cum suis defensoribus. *Mopsvestenum.*

Cùm verò multi Occidentales Episcopi defensionem *trium Capitulorum* magno ardore suscepissent, eorúmque condemnationem in præjudicium Concilii Oecumenici Chalcedonensis vergere crederent, visum est, controversiam dirimere generali Concilio. Celebrata proin Synodus Generalis quinta, atque in ea damnata rursus *tria Capitula:* ùt supra *loc. cit.* est demonstratum.

Vigilius Papa, licèt antea tria Capitula reprobâsset, persuasus tamen ab Episcopis Occidentalibus, condemnationem illam Ecclesiæ fore noxiam, ac schismati locum facturam, interesse Concilio & subscribere noluit. Attandem, cùm Justinianus eum atque Ecclesiam propterea cœpisset persequi, acta Concilii approbavit: ratus, in re ad fidem non pertinente, pro temporum & circumstantiarum varietate, atque Ecclesiæ utilitate, mutandam esse sententiam. Dico: in re, *ad fidem non pertinente.* Non enim in aliquo articulo fidei Occidentales Episcopi ab Orientalibus dissidebant (aliàs enim communicare mutuò non potuissent) sed Occidentales, qui se condemnationi trium Capitulorum opponebant, vel non satis intelligebant Græca

Theodori, Theodoreti, & Ibæ ſcripta, ut adeò errônea eorum verba non ſatis habuerint perſpecta; vel putantes de perſonis tantùm agi, præjudicioſum Concilio Chalcedonenſi exiſtimabant, eum damnari, quem Concilium Oecumenicum non damnâſſet.

Jeroſol. Anno 553. in *Concilio Jeroſolymitano* eadem Capitula, nempe ſcripta Neſtoriana illorum trium Epiſcoporum, unà cum perſona Theodori fuerunt condemnata: recepta ex integro quinta Generali Synodo. *Exſtant Acta in Synodo VII.*

At verò in Occidente complures Epiſcopi Capitulorum defenſione pertinaciter ſuſcepta, opponere ſe pergebant quin æ Synodo, etiam poſtquam plures Summi Pontifices eandem confirmaverant, & Capitula eo modo condemnaverant, prout à Concilio fuerant condemnata.

2. *Aquilejenſia.* Schiſmate igitur facto, duo *Aquileiæ* conciliabula coëgerunt, alterum anno 553 alterum anno 698 in utroque rejecta quinta Synodo, Capitulorum ſuſcepta defenſio: quorum condemnatione cuniculos agi ad ſubruendum Chalcedonenſe imperitè crediderant, non ſatis intelligentes, quid, damnado tria Capitula, ſit damnatum.

Gradenſe. Plura ejusmodi Conciliabula ex eodem falſo ſuppoſito celebrârunt ſchiſmatici iſti Epiſcopi, ù: *Gradenſe*, ùt teſtatur Pagius ad *annum* 579. *num.* 12. huic præſedit *Elias:* qui translato Epiſcopatu in urbem *Gradenſem*, illam Metropolim dici voluit, ac *novam Aquilejam.* Item *Maranenſe* anno 589. in quo rurſus defenſio trium Capitulorum eſt renovata, *Severo Patriarcha* in ſchiſma relapſo, atque ipſo etiam S. Ingenuino ſubſcribente.

Tandem autem induſtriâ Sergii Pontificis errorem dedocti, redierunt ad unitatem Eccleſiæ. Credendúmque eſt, ùt inſinuatum, Epiſcopos iſtos bona fide egiſſe, & errore facti potiùs, quàm juris lapſos fuiſſe, aut errorem revocâſſe. Nam in actis Conciliorum inveniuntur etiam ſancti Epiſcopi ſubſcripſiſſe iſtis Conciliis ſchiſmaticis.

3. *Romanum* Memorari etiam meretur *Concilium Romanum*, ſub Gregorio M. congregatum in cauſa Joannis, Presbyteri Chalcedonenſis, qui à Joanne Patriarcha Conſtantinopolitano injuſtè damnatus hæreſeos, ad ſedem Apoſtolicam appellavit. Quare Gregorius Papa, convocata Synodo, cognitionem cauſæ ſuſcepit. Et cùm innocentem reperiſſet, reſciſſa Conſtantinopolitana Synodali ſententia, eundem abſolvit. In eodem Concilio ſtatutum eſt, poſſe Epiſcopum teſtamentum condere de iis bonis, quæ ante Epiſcopatum poſſederat: non autem de iis, quæ ex Epiſcopatu adeptus eſt.

OBSER-

OBSERVATIO

De Patriarchatu Aquilejensi.

Huic Patriarchatui originem dedit, quod diximus, schisma, ob Synodum quintam, damnatáque in ea tria Capitula exortum. 4.
Tum enim Istræ Episcopi schismatici Patriarcham creabant Aquilejensem Episcopum, Metropolitanum suum, excussa subjectione & obedientia, etiam sedi Apostolicæ debita.

Schismate extincto Episcopus Aquilejensis nomen Patriarchæ retinuit. Atque ab Alexandro secundo Romano Pontifice postea etiam dignitatem & jura Patriarchalia obtinuit. Transtulit deinde sedem, primò quidem *Forojulium*, postea verò *Utinum*, Venetæ ditionis urbem, unde etiam Patriarcha *Utinensis* dicitur.

Porro durante eodem Sæculi quinti schismate datum est etiam initium alteri Patriarchatui. In insula siquidem Gradensi ordinatus fuit Episcopus Catholicus, qui Patriarcha *Gradensis* deinde est appellatus. At Sæculo XV. hic Patriarchatus Venetias est translatus: fuítque S. Laurentius Justinianus primus *Patriarcha Venetus*.

Cæterùm Patriarchæ habent potestatem confirmandi Episcopos & Archiepiscopos, sedi Apostolicæ non immediatè subjectos. Datúrque ad ipsos ab Archiepiscoporum sententia appellatio. Supplent negligentiam Archiepiscoporum in collatione Beneficiorum. Aliæ etiam quærelæ adversus Archiepiscopos, non exemptos, ad eos deferri possunt.

ARTICULUS II.

De Conciliis in Gallia celebratis

SÆCULO VI.

§. I.

Præmittuntur aliqua de statu Politico.

Ante Romanorum in Galliam adventum diversæ respublicæ tractus 5.
illos insederant, donec à Julio Cæsare Romano Imperio sunt *Origo regni.*
adjecti. Sæculo dein quinto in magna illa gentium transmigratione, & inclinante ad ruinam, sub Honorio, Occidentali Imperio, Franci,

ci, gens Germanica, ſub *Pharamundo*, Rheno transmiſſo, & Treviris expugnatis, patrem Galliæ, Romanis ereptam, occupârunt.

Clodio ejus filius, per Galliam Belgicam promota victoria, Ambiani in Picardia Regni ſedem fixit. Ab hujus filio *Meroveo* Galli *Merovingicorum* Regum ſuorum ſtirpem deducunt. *Clodovæus*, Merovei ex Childerico nepos, Romanos, victo Ægydio, & Syagrio ejus filio, ex Gallia ejecit: cúmque adversùs Alemannos & Boios pugnaturus, Clotildis Reginæ hortatu, Chriſti nomen invocâſſet, inſignem ad Tulbiacum victoriam reportavit. Unde Chriſtianam fidem amplexus, à S. Remigio Rhemenſi eſt baptizatus, cúmque eo tria hominum millia. Accidiſſe tunc ferunt illud chriſmatis ſacri à columba deportati miraculum, cùm Sacerdos ampullam deferens à populi affluxu intercluderetur.

Clodovæus.

Bello deinde Burgundico adversùs Gundobaldum Regem confecto, ſub initium ſexti Seculi *Alaricum* aggreſſus, propria eum manu in prælio occidit, & Viſigothos Arianos Galliâ expulſos ultra Pyreneos montes in Hiſpaniam ejecit. Multiſque aliis rebus præclarè geſtis pientiſſimè obiit anno 511. Princeps, religione, pietate, reverentia erga ſedem Apoſtolicam, omnémque univerſim Ordinem Eccleſiaſticum, ſingulari. Celebratum eſt ejus tempore Concilium Aurelianenſe I. ut mox dicetur.

6. *Filii Clodovæi.*

Quatuor Clodovæi filii Regnum ita inter ſe partiti ſunt, ut *Theodoricus* Metis in Auſtraſia, *Clodomirus* Aureliæ, *Childebertus* Pariſiis, *Clotarius* Sueſſione regnaret. At *Clotarius*, fratribus ac nepotibus tum interfectis, tum ſua morte defunctis, omnes illas Provincias collegit, ex tetracha factus monarcha; meliúsque mortuus eſt, quàm vixit, anno 561.

Erecta mox iterum à filiis Clotarii tetrarchia: dum *Chereberto* Pariſii, *Guntramo* Aurelia, *Chilberico* Sueſſio, *Sigeberto* Auſtraſia obtigêre.

Miſeranda tunc Galliæ in ſacris profanîſque facies; dum quatùor illi fratres, libidinoſi non minùs quàm ſanguinarii, perpetuis atque internecinis odiis bellîſque colliſi, in mutuas cædes graſſarentur, addentibus faces geminis Galliæ furiis, Fredegunde & Brunechtilde.

Et quidem *Cherebertus*, ejecta uxore, geminas pellices induxit, ultimæ ſortis mulierculas. Sacris proterea prohibitus à S. Germano Pariſienſi Epiſcopo. At ſpretis ille ſacris cenſuris, inter laſcivias eſt extinctus, nulla relicta prole maſcula. Hoc uno felix, quòd *Bertam* genuerit, *Edelberto* deinceps nuptam, Cantiorum ſeu Cantuariæ in Anglia Regi, quem Chriſtianum fecit.

Gun

Guntramus, æquè impudicus, susceptos ex concubinis filios, vel mortuos, vel necatos à novercis vidit. At expiatis pœnitentia lubricæ juventutis sceleribus pientissimè decessit anno 593. inter sanctos cultus quinto Calendas Aprilis.

Chilpericus, supra omnes in libidinem ac scelera projectus, tres simul fœminas uxorum loco habuit; duásque strangulari jussit, ut *Fredegunde*, è Gynecæo famula, liberiùs abuteretur. Quot augustas cædes hæc Erinnys Gallica paravit! *Sigebertum* Regem, mariti aut proci fratrem, immissis sicariis interemit. In *Childebertum* Sigeberti & Brunechtildis filium, idem facinus designavit, duobus Clericis ad illud subornatis. *Eberulphum* mariti cubicularium, de stupro frustra compellatum, in ipsa Basilica S. Martini enecavit, tanquam Regi insidiatum. Brunechtildi Regis Sigeberti conjugi per Clericum necem intentavit. Deprehenso autem sicario, & remisso; manus & pedes amputari jussit, quòd cædem non perfecisset. *Clodovæum* privignum suum novercali odio in conspectu Patris Chilperici per sicarios trucidavit. *Galsvinthæ* Regiæ Principi, quam Chilpericus Rex duxerat, in lecto guttur elisit. *Riguntem* filiam cistæ operculo comprimere est conata. 7. *Fredegundis.*

At nihil luctuosius *Meroveo* altero privigno, qui cum Brunechtilde, Sigeberti Regis vidua, copulatus, primùm in monachum attonsus, dein fugitivus, instigante Fredegunde noverca, ab amico est interemptus: nactus hostem in patre, in noverca furiam, in conjugio monachatum, mortem in nuptiis, in amico carnificem. Novum paradigma infausti Principis!

Prætextatum subin, Rothomagensem Episcopum, quòd nuptiis Merovei adstitisset, coram Episcoporum Concilio accusatum, atque in exilium ejectum, postea verò restitutum, Fredegundis ipso solenni paschatis die sacras ad aras jugulavit. Sed necdum tragœdiarum satìs. Addendus & Chilpericus maritus funeribus. Quem ad venationem profectum, in sylva occidi jussit, quia ab eo, insperatò superveniente, virgulâ leniter percussa, Landericum compellando, adulterinos suos amores prodiderat.

Eo mortuo Fredegundis & Brunechtildis, tutelæ urinque nomine gubernaculo admotæ, Galliam discerpsêre: donec, aut mortuis aut peremptis Sigeberti nepotibus, *Clotarius* Chilperici ex Fredegunde filius, totam rursus Galliam sub unum regnum collegit. Is Brunechtildem, sibi traditam, indomiti equi caudæ alligari ac discerpi jussit.

Tam ferales inter aularum turbas & sanguinarios furores,

non desierunt Ecclesiarum Antistites per varias Synodos pacem mo úr.que disciplinam, quoad fieri poterat, restaurare. Ut nunc brevissimè exponemus.

§. II.

Status Ecclesiasticus per Concilia ordinatus.

SÆCULO VI.

I.

De Concilio Agathensi.

8. Primum hoc Sæculo in Galliis celebratum occurrit *Concilium Agathense*, specialiter in Jure Canonico *cap. XI. dist.* 16. laudatum. Congregatum id fuit anno 506. authoritate Cæsarii, Arelatensis provinciæ Metropolitani, ad collapsam disciplinam Ecclesiasticam restaurandam; & quidem cum facultate Alarici, Gothorum Regis, licèt Ariani, qui non solam Hispaniam, sed etiam Aquitaniam & Narbonensem Provinciam sibi subjecerat: donec à Clodovæo victus, atque iisdem fuit dejectus. Erat autem Agatha Galliæ Narbonensis civitas.

Convenerunt Episcopi 35. editique canones ex collectione Sirmondi 71. ad disciplinam omnes spectantes; & præsertim ad reformationem status Eccesiastici.

In 1. Arcentur Bigami à sacro ministerio.

In 2. Jubetur Episcopus corrigere negligentes & indisciplinatos Clericos.

In 3. Coërcentur Episcopi, qui nimiùm faciles sunt ad excommunicandum, aut nimiùm difficiles ad absolvendum.

In 9. Presbyteris & Diaconis conjugatis præcipitur continentia ab uxoribus.

In 10 Jubentur Clerici nullam domi habere fœminam, præter matrem, sororem, neptem, & filiam (*quam nempe ante ordinationem suscepissent.*)

In 11. Prohibetur Clericis, ne domi famulam habeant.

Canon 14. sic habet: *Altaria placuit non solùm unctione chrismatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari.*

In 16. Dicitur, conjugatum posse ordinari cum consensu uxoris: quæ deinde ab eo sequestrari debeat.

In

In 18. Præcipitur, ut ſæculares in Natali Domini, in Paſchate, & Pentecoſte communicent.

In 47. Ordinatur, ut ſæculares die Dominica *Miſſæ* integræ ſint præſentes: neque ante benedictionem Sacerdotis diſcedant.

II.

De Aurelianenſi I. & II.

Celebratum eſt illud anno 508. poſtquam Clodovæus victis Alemannis Catholicam fidem fuerat profeſſus. 9. Tunc enim Rex, ut diſciplina Eccleſiaſtica flori ſuo reſtitueretur, hanc Synodum congregari voluit. 32. Epiſcopi promulgârunt 31. Canones.

In 1. ſtatuitur aſylum in Eccleſia & domo Epiſcopi, pro homicidis, adulteris, furibus.

In 4. nullum eſſe ordinandum, niſi cum conſenſu Regis, aut Judicis voluntate.

In 8. ſi Epiſcopus ſervum ſciens ordinaverit, duplum domino dabit. (*cap. ſi ſervus diſt.* 54.)

In 21. ſi Monachus uxorem duxerit, *tantæ prævaricationis reus nunquam Eccleſiaſtici gradus officium ſortiatur.* Quid ad antiquum hunc canonem Lutherus, Bucerus, Oecolampadius, Pellicanus, Vermilius, Viretus, Marloratus, aliiſque Proteſtantium Patriarchæ?

In 24. ante paſcha *quadrageſimam*, non quinquageſimam à Sacerdotibus obſervandam.

Nota Clericis à Teleſphoro Papa injunctum fuerat, ut una ſeptimana diutius jejunent, quàm ſæculares. *cap. ſtatuimus diſt.* 4. hoc, quia fortaſſe jam obſoletum erat, reducitur hìc ad communem uſum, reſpectu omnium.

In 25. Innovatur rurſus præceptum de audienda *Miſſa* integra.

In 27. Præcipitur obſervatio *Rogationum* & *Litaniarum* cum *jejunio in cibis quadrageſimalibus*, per triduum ante feſtum Aſcenſionis Domini. (*cap Rogationes diſt.* 3. *de conſecrat.*) *Aurelianenſe II.* celebratum eſt anno 533. editíque 21. Canones de diſciplina ac moribus, in quibus nihil ſtatuitur novi, quod in ſuperioribus Conciliis non jam comprehendatur.

III.

De Aurelianensi III. & IV.

10. *Aurelianense Concilium III.* celebratum anno 538. à 19. Episcopis in Gallia, cui tunc Childebertus, Clotarius & Theodebertus dominabantur, edidit 33. Canones.

1. Quot annis esto Synodus Provincialis.
2. Deponitur Clericus conjugatus, qui ab uxore non abstinet, & ad *Laicam cnmmunionem* abjicitur.
3. Episcopus ordinandus cum consensu Metropolitani, & in præsentia comprovincialium Episcoporum.
4. Vetatur Clericis familiaritas cum fœminis.
5. Quæ templis offeruntur, eisdem impendantur, prout Episcopo visum fuerit.
6. Ne ordinentur neophyti, deficientes ætate, bigami, pænitentes publicè, deformiter parvi, Gibbosi, Claudi, Manci, Arreptitii. Episcopus autem tales ordinans per integrum annum à sacris suspenditur.
7. Excommunicantur majores Clerici, qui post ordinationem uxorem ducere attendant. Si verò inviti fuerunt ordinati, tantùm privantur officio.
8. Deponitur Clericus, si sit fur, aut falsarius.
9. Bigamus, etiam ignoranter ordinatus, ulteriùs ne ordinetur.
10. Prohibentur incestæ nuptiæ.
11. Clerici negligentes privantur stipendiis.
12. Res Ecclesiæ non alienandæ.
13. Excommunicantur contrahentes nuptias cum Iudæis; aut eis convivantes.
14. Missas celebrandi tempus designatur.
15. Episcopus alienum subditum ordinans, aut altaria in aliena diœcesi consecrans, per annum suspenditur à celebratione Missarum.
16. Excommunicantur rei de crimine raptûs.
17. Quæ ab Episcopo Clericis benè meritis Beneficia sunt concessa: à successore non auferantur.
18. Translatus ad aliud Beneficium, de priore non percipiat fructus, si posterius sufficiat.
19. Contumaces Clerici ad *communionem Laicam* rediguntur.
20. Conceditur Clericis appellatio ab Episcopo ad Synodum.
21. Conspirationes Clericorum in Synodo vindicentur.

22. Ex

22. Excluduntur à communione, qui res Ecclesiæ, aut à defunctis legatas piis causis detinent.
23. Ad res Ecclesiæ alienandas requiritur solennitas.
24. Juvenibus, & conjugatis non esse injugendam pœnitentiam publicam, nisi ex consensu conjugis. (*quia tempore pœnitentiæ publicæ abstinere debebant ab usu matrimonii.*)
25. Plectuntur pœnitentes, ad sæcularem habitum aut militiam redeuntes.
26. Servos non ordinandos.
27. Deponuntur Clerici, usuram vel sæcularem negotiationem exercentes.
28. Servili labore die Dominica abstinendum. Licet tamen iter agere cum equis & vehiculis.
29. Missa tota audiatur, & sine armis.
30. Judæi à die Cœnæ Domini usque ad finem paschatis ne prodeant foras.
31. Rebaptizantes plectendi à sæculari curia.
32. Vetatur, ne Laicus Clericum, & vicissim, ad sæculare judicium pertrahat inconsulto Episcopo.
33. Pœna indicitur transgredientibus istos Canones.

Aurelianensi IV. annno 541. cum aliis 36. Episcopis præsentes subscripserunt, *Rufus* Octodurensis, & *Grammatius* Vindonensis Episcopus. Sanciti 38. Canones.

In 1. statuitur, ut secundùm ordinationem *Victoris* pascha ab omnibus celebretur, ubi Hottingerus in *hist. sua Helvet. ad ann.* 541. absque ulla addita ratione asserit, non esse hìc Sermonem de *Victore Papa*. Sed quæso! quis alius intelligendus? quis alius Victor ordinavit, quo tempore pascha sit celebrandum?

In 2. præcipitur, ut quadragesimæ jejunium ab omnibus æqualiter observetur. Canonem hunc carpit Hottingerus loc. cit. cur id faciat, facilè intelligitur.

Præsertim verò corrumpit canonem quartum, in quo expressè prohibetur, ne quis offerre præsumat in oblatione calicis, *nisi vinum aquâ mixtum.* Corruptor verò iste Conciliorum impudenter ait, præcipere Canonem, ut vinum purum sine mixtione aquæ offeratur. Deinde apertè fingit insuper, dum asserit, ex eo Canone patere, sacrum etiam Calicem plebi promiscuè fuisse porrectum. Nam quamvis diversa diversis temporibus quoad hunc ritum fuerit Ecclesiæ disciplina, falsissimum tamen est, exstare in dicto Canone vel Syllabam, ex qua id, quod infert, possit colligi.

11. *Lapsus Hottingeri.*

In can. 17. dicitur, Sacerdotes & Diaconos, qui cum uxoribus communi lecto aut cubili utuntur, secundùm antiquos Canones ab officio deponendos esse. Hoc nempe jam pridem sanciverat Concilium Nicænum can. 3. Agathense can. 9. Arverense can. 13. Aurelianense III. can. 2. ac multa alia.

In can. 20. vetatur, ne Clerici ad tribunal sæculare trahantur, aut compareant sine licentia Superioris.

In 22. ne invitis parentibus nuptiæ contrahantur.

IV.

Lugdunense I. II. & III.

12. *Lugdunense I.* à Jacobo Sirmondo S. J. ex antiquis manuscriptis publicam in lucem datum, celebratum est anno 517. sub S. Sigismundo Burgundiæ Rege, ab undecim Episcopis, præside Viventiolo, Lugdunensi Metropolitano. Editi 6. Canones.

In 1. Damnatus quidam Stephanus propter crimen incestus.

In 2. Episcopo persecutionem patienti, compatiantur, & assistant reliqui Episcopi.

In 3. Si Rex à communione Sacerdotum se suspenderit, omnes Episcopi in aliquod monasterium se conferant, nec inde exeant, donec pax fuerit restituta.

In 4. Nullus alterius parochiam usurpet, aut ordinationes in illa instituat.

In 5. Nullus ad alterius viventis Episcopi dignitatem aspiret.

In 6. Hi Canones serventur.

Lugdunense II. celebratum anno 567. pariter sex Canones promulgavit.

Primus statuit, ut, si inter Episcopos ejusdem Provinciæ lis fuerit orta, illa à Metropolitano, & Comprovincialibus Episcopis componatur. Si verò inter Episcopos diversarum Provinciarum fuerit exorta, à Metropolitanis judicetur.

Secundus, ut donationes, & testamenta Episcoporum, & inferiorum Clericorum habeantur rata.

Tertius communione privat eos, qui alios injustè captivos detinent.

Quartus sancit, ut, ab uno Episcopo excommunicatus, ab omnibus Episcopis habeatur excommunicatus.

Quin-

Quintus, ut, quæ ab Epiſcopo alicui ad uſum vel proprietatem fuerant donata, à ſucceſſoribus non revocentur.

Sextus, ut Litaniæ in omnibus Parochiis celebrentur in prima hebdomade Novembris, ſicut ante Aſcenſionem Domini.

Lugdunenſe III. anno 583. itidem ſex Canones conſtituit.

1. Statuitur, ut Clerici ſacris Ordinibus conſecrati nullam domi fœminam habeant, præter matrem, amitam, & ſororem. Placuit etiam, ut ſi quicunque uxoribus juncti, ad Diaconatus aut Presbyteratus ordinem pervenerint, nonſolùm lecto, ſed etiam frequentatione quotidiana debeant uxoribus ſuis ſequeſtrari.

2. Epiſtolæ captivorum cautè examinator.

3. Puellæ monaſterio egreſſæ excommunicantor.

4. Inceſtæ nuptiæ anullantor.

5. Epiſcopi Natalem Domini & Paſcha in Eccleſia ſua celebranto.

6. Epiſcopi leproſorum ſuæ civitatis curam gerunto.

V.

De Arelatenſi IV.

Præſide S. Cæſario Arelatenſi anno 524. à 16. Epiſcopis quatuor Canones emanârunt. 13.

In 1. placuit, Diaconum non ordinari ante 25. ætatis annum, & ſacerdotem non ante 30.

In 2. non eſſe ordinandum Diaconum aut Presbyterum, niſi per annum integrum fuerit in clero.

In 3. ut pœnitentes, hoc eſt, qui pœnitentiam publicam necdum abſolverunt, item Bigami non ordinentur. Qui autem eos ordinaverit, per annum à ſacris ſit ſuſpenſus. Si verò interea Miſſam celebret, excommunicatur.

In 4. Communione privatur, qui Clericum vagum, & diſciplinam refugientem ſuſceperit, aut defendere præſumpſerit.

VI.

De Concilio Vaſenſi, & Arvernenſi.

Præſide Cæſario Arelatenſi à 10. Epiſcopis anno 529. ſtatutum 14.
eſt in Vaſenſi.

1. Ut Presbyteri per parochias, ſecundùm morem Italiæ, domi

domi suæ juniores Clericos enutriant & erudiant, ut dignos sibi successores provideant. (*Ex quo liquet, domos Parochorum fuisse velut seminaria minorum Clericorum.*)

2. Ut Presbyteris per parochias prædicare liceat: illis verò impeditis, Diaconi homilias SS. Patrum populo prælegant.

3. Ut *Kyrie eleison*, & trisagion *Sanctus* in omnibus Missis dicatur.

4. Ut nomen Papæ, quicunque Apostolicæ sedi præfuerit, in Ecclesiis recitetur.

5 Et quia non solúm in sede Apostolica, etiam per totum Orientem, & totam Africam, ac Italiam, propter Hæreticorum astutiam, qui Dei filium non semper cum Patre fuisse, sed à tempore cœpisse blasphemant, in omnibus clausulis post *Gloria Patri &c. Sicut erat in principio* dicitur, ita etiam in universis Ecclesiis suis dicendum esse, Patres isti decernunt. *Arvernense* anno 595 Præside Honorato Bituricensi, 16. Canones edidit, de rebus Ecclesiæ non alienandis; de Judæis non præficiendis, neċ desponsandis cum Christianis &c. In can 13. rursus severè præcipitur, ut Presbyteri & Diaconi repudient carnale commercium, & ab uxoribus se contineant, easque post ordinationem tanquam sorores habeant. (*Contra hunc Canonem, quem more suo non satìs fideliter refert, queritur Hottingerus ad annum* 535. *ademptam esse libertatem, à Deo datam. Verùm non probat, datam esse positivè sacerdotibus novi testamenti libertatem carnalis commercii.*)

VII.

De Concilio Aurelianensi V.

15. Celebrato anno 549. statuti 24. Canones, quibus potissimùm repetitur, quod jam in prioribus fuerat sancitum.

In 1. damnatur hæresis Eutychiana & Nestoriana. Falsissimum autem est, quod ad hoc Concilium notat Hottingerus, nempe Vigilium Papam promisisse Theodoræ Imperatrici, Eutychianas partes amplecti, Concilium autem Aurelianense V. ei in hoc restitisse. Falsissimum inquam hoc est, & apertum mendacium. Nam Canone primo citato expressè dicit Concilium, se damnare duas istas hæreses, *quas sedes etiam Apostolica sancta condemnat.*

16. Ex quo manifestè patet, quæ fuerit hujus numerosæ Synodi, ex 50. Episcopis constantis, de infallibilitate & authoritate sedis Apo-

Apostolicæ in damnandis hæresibus sententia. Quamvis enim scirent Gallicanæ Ecclesiæ Patres, Nestorianam hæresin jam ab Ephæsina, & Eutychianam à Chalcedonensi Oecumenica Synodo damnatam, tamen solius definitionis, à sede Apostolica prolatæ, mentionem fecerunt, satis persuasi, cùm de fidei dogmatis agitur, satìs esse id statuere, quod statuit sedes Apostolica, cui refragari nefas. Unde etiam haud obscurè colligitur, veterem Ecclesiam Gallicanam, agnovisse *indeficientem* atque *infallibilem* Romani Pontificis in fidei dogmatis sententiam, & superiorem eum esse Concilio. Cur enim aliàs non dixissent se damnare eas sectas, quas Oecumenica Concilia, Ephesinum & Calcedonense damnaverant? cur solius sedis Apostolicæ meminissent?

In 2. Can decernitur; ut nullus Episcopus quemquam ex fidelibus à communione suspendat ex levibus causis.

In 3. Rursus inculcatur Clericis, ut familiaritatem cum fœminis, etiam consanguineis, studiosè devitent.

In 4. Deponendum Clericum ab officio, qui nuptias attentat.

In 8. Sede Episcopali vacante, nullus Episcopus in ea diœcesi ordines conferat, aut altaria consecret.

In 10. Prohibetur Simonia in electionibus.

VIII.

De Concilio Turonensi II.

Eodem anno 567. est celebratum à 9. Episcopis, decretúmque singulis annis Synodum Provincialem habendam. Cuilibet civitati suos alendos esse pauperes, ne vagentur. 17.

Litteras dimissorias à solis dari posse Episcopis: ejiciendas mulieres ex domibus clericorum: Monachos vagos & Apostatas coërcendos; matrimonium attentantes excommunicandos, & invocato etiam auxilio brachii sæcularis, separandos: si recuset Judex sæcularis, ipse etiam excommunicatur.

Intra septa monasterii fœminis negatur accessus. Abbas in illis ejiciendis negligens, excommunicatur. Designatur psalmi ad *Matudinum* pro vario tempore. Qui pauciores quàm 12. psalmos ad Matutinum dixerit, toto die in pane & aqua jejunent. *Ex quo colligitur jam tunc fuisse obligationem, Divinum officium etiam privatim recitandi.*

Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, qui cum uxoribus, ante ordinationem ductis, continentiam non servant, è Clero removentur, & à communione per annum suspenduntur. Plectuntur rerum Ecclesiasticarum *pervasores*. Communione privantur, qui ab Episcopo admoniti non desinunt pauperes opprimere. Non tantùm sacrilegum, sed & hæreticum esse decernitur, pro sacra ordinatione præmia ab Episcopis exigi.

Præcipuè verò, propter hodiernos sectarios, notandus est Canon tertius, quo prohibetur, nec corpus Domini inter sacras imagines super altari ponatur: sed collocandum in loco digniori sub ipsa cruce, quæ in meditullio altaris poni consuevit. (*ùt Canonem explicat Binius in notis ad hoc Concilium.*)

IX.

De Concilio Antisiodorensi.

18. Diœcesanum tantùm fuit hoc Concilium: cui præsedit Annacharius Antisiodorensis in Burgundia Episcopus, præsentibus Abbatibus & Præsbyteris illius Diœcesis. Celebratum est anno 578. promulgatíque Canones 45. ad disciplinam Ecclesiasticam atque Monasticam aut restaurandam aut conservandam. Quorum tamen plerique in superioribus jam habentur.

In 1. vetatur, Calendas Januarii *vetula* aut *cervolo* facere: hoc est: gentilium ritu, assumptis variis ferarum & pecudum formis, petulantiùs discurrere.

In 2. statuitur, ante Epiphaniam promulgandum pascha, ut ratio temporis Ecclesiastici inde ordinari possit.

In 4. vetatur sortilegia, auguria, & aliæ superstiones (*quæ tunc, Christianis adhuc cum gentilibus permixtis, frequentiores erant.*)

In 8. decernitur, non esse offerendum in altari mulsum, aut alium liquorem, præter vinum, aquâ mixtum. *Convincitur hic rursus falsitatis Hottingerus, qui contendit, sæculo sexto solum vinum, sine admixtione aquæ, fuisse oblatum.*

In 10. non licere super uno altari eadem die duas Missas dicere.

In 19. non licere post sumptum cibum aut potum Missam legere.

In 20. dictatur pœna Clericis, qui continentiam non servant.

In

In 22. & ſeqq. innovatur varia impedimenta matrimonii, præſertim conſanguinitatis, affinitatis, voti.

In 34 non licere Clerico judicio criminali intereſſe.

In 35 non licere Clerico alium Clericum, quacunque ex cauſa, ad judicium ſæculare pertrahere.

In 36. & ſeqq. non licere mulieri nuda manu Evchariſtiam excipere, nec pallam Dominicalem contrectare; ſed *Dominicale* ſuum habeat, quando vult communicare. (per *Dominicale* intelligitur purum linteolum, quo Evchariſtiam mulieres excipiebant, ac deinde ori admovebant. Viri autem nuda manu ſacram hoſtiam excipiebant.)

X.

De Matiſconenſi I. & II.

Illud celebratum eſt anno 582. Guntramo regnante in Burgundia. 19.
Poſt ſexennium verò *Matiſconenſe II.* majori frequentia, ſub eodem Guntramo, Præſide Priſco Lugdunenſi Epiſcopo, collectis 60. Epiſopis ad reſtaurandam diſciplinam

In can. 6. præcipitur, ut *reliquiæ ſacrificiorum* in ſacrario reponantur; ac deinde quarta vel ſexta feria innocentes in Eccleſiam adducantur, qui, indicto illis priùs jejunio, reliquias percipiant.

Prodigioſam de hac re narrat Hiſtoriam Evagrius *lib.* 4. *Hiſt. Eccleſ. c.* 36. pueros inter Chriſtianis, qui, è ſcholis reduces particulas reliquas SS. Evchariſtiæ manducare conſueverant, puerum Judæum immixtum eandem Divinam dapem ſumpſiſſe. Patrem autem illius Judæum opificem vitriarium, irâ accenſum, in ardentem vitriariam fornacem conjeciſſe filium. Poſt triduum verò à matre ſalvum omnino, atque à flammis illæſum repertum. Hoc miraculum dein Juſtiniano Imperatori relatum, qui puero cum matre baptizato, patrem pertinacem in ſua impietate ad ſuſpendium damnârit.

Falſum Hottingeri.

Hottingerus referens Concilium II. Matiſconenſe, ad an. 585. ait, can. 2. præcipi tota majore hebdomade feriari: quod eſt falſiſſimum. Concilium loquitur de feſtis paſchalibus. Canonem 6. pariter corrumpit, dum ait, Concilium velle, ut ea, quæ de pane ſuperſunt, parvulis dentur. *Reliquias ſacrificiorum* appellat, non reliquias *panis*. Taceo, quod *Cœnæ* nomine hic falſarius utatur; cùm tamen in toto Canone nuſquam inveniatur. Habent hoc nempe homines iſti, fontes ipſos turbant aut inficiunt, ut magìs noceant.

XI.

De Concilio Narbonensi.

Recaredo Hispaniæ Rege ad fidem converso, cujus sub ditione
20. etiam erat pars Provinciæ Narbonensis, celebratum est anno
589. statutúmque 15. canonibus;

Ne Clerici utantur vestibus purpureis. Ne in plateis hæreant, aut confabulationibus indulgeant. In fine cujusque psalmi addendum *Gloria Patri.* Diem Dominicam ab omnibus celebrandam, sine labore servili, non necessario.

Clerici contra superiores suos non conspirent. Clerici ad monasterium missi ad agendam pœnitentiam tractentur, sicut Episcopus præscripserit. In litteris rudes ne ordinentur. Clericus adversus utilitatem Ecclesiæ contumaciter agens gradu dejicitur. Judæi non sinantur defunctorum corpora psallendo ad sepulturam deducere.

XII.

De Concilio Pictaviensi & Metensi.

In Monasterio Pictaviensi gravis Monialium orta est seditio, cujus
auctor fuit *Chrodieldis*, Chariberti quondam Regis filia. Quæ
12. Leuboveræ Abbatissæ suæ, cujus locum affectabat, gubernationem non ferens, cum Basina, consobrina sua, Chilperici Regis filia, & aliis ampliùs quadraginta puellis, quas in partes suas traxerat, monasterio egressa, ad Gregorium Turonensem, & Guntramum Regem in Burgundiam profecta est, multis ubique conviciis falsísque criminibus Abbatissam insectans. Inde Pictavos reversa, B. Hilarii Basilicam occupavit, collectáque perditorum hominum manu ibi se communiit, negans, se in Monasterium, nisi ejectâ Abbatissâ, redituram. Cùm autem Metropolitanus cum aliis Episcopis advenisset, ut reditum in Monasterium eidem persuaderet, excommunicationem, ni faceret, intentans, sic illa sicariorum turba in eos irruit, ut Clericis vulneratis, Episcopi vix evaderent. Quare excommunicatæ sunt cum sua cohorte.

At eò tandem progressa est Chrodieldis temeritas, ut occupato nocte monasterio, Abbatissam capillis prehensam violentè inde abduceret. Ex quo dira mox orta seditio tumultu ac cædibus urbem fædabat.

Qua-

Quapropter congregata *Synodus Pictaviensis*, habita causæ cognitione, Abbatissam, leviorum quidem aliquot culparum ream, sed veniam præcantem & emendationem spondentem, absolvit, & in officio suo confirmavit. Rebelles verò fœminas ac contumaces fidelium communione movit.

In *Metesi* deinde *Concilio* Basina, coram Episcopis in genua prostrata, veniam petiit, atque absoluta in monasterium rediit. Chrodieldis verò & ipsa in communionem, Regibus deprecantibus, est recepta quidem, sed protestata, se non esse posse cum Abbatissa illa in monasterio quietè vivere, permissa est in villa quadam, à Rege ipsi concessa, degere.

In eodem Concilio Ægidius, Rhemensis Archi-Episcopus, ob crimen majestatis, ab Episcopali gradu dejectus, & in exilium missus est.

Eandem pænam irrogavit Salonio & Sagittario Episcopis, pariter de crimine majestatis aliisque condemnatis *Concilium Cabilonense I.* Alterum Concilium Cabilonense confirmavit monasterium, quod Rex Guntramus Cabilone fundaverat, cum psallendi officio, ad eum modum, quo Sigismundus, Burgundiæ Rex, Monasterium celeberrimum Agaunense antè constituit: ùt mox dicetur.

ARTICULUS III.

De Conciliis in Vallesia celebratis

SÆCULI VI.

Vallesia, prælonga vallis, Italiam inter, Helvetiámque secundùm Rhodanum protensâ, jugum Christi faciliùs, quà Romanorum 22. *Sub Romanis.*
dominatum admisit; siquidem Julius Cæsar, subacta licèt Gallia, Helvetiáque, penetrare per ista Seduniorum ac Veragrorum claustra, à natura ipsa præmunita, nunquam poterat. Et licèt ipsius Dux Servius Galba in Agaunos moveret, ea tamen suorum clade vicit, ut consultius duceret ad Sabaudos recedere.

Augustus subin, magnus ille orbis pacator, Vallesiam in Provinciæ formam redegit; mansítque sub Romanorem potestate ad sæculum usque æræ Christianæ quintum. Quo tempore in universali illa gentium migratione Burgundiones, Teutonici ad mare Balthicum populi, in Galliam profecti sunt, & Orientales illius ad

Rhodanum provincias occupârunt, fundato Regno, quod à nomine suo *Burgundicum* dixêre.

Et Burgundis. Primus illius Rex fuit *Gundecarus*, anno 451. ab Hunnis occisus. *Gundobaldus* illius filius, ut solus regnaret, tres fratres suos interemit. Hos inter erat *Chilpericus*, pater *Clotildis*, quæ Clodovæo M Francorum Regi fuit desponsa. Ultura igitur Clotildis paternam necem, instigavit Clodovæum conjugem, ad bellum inferendum Burgundis. Victus Gundobaldus, patre regni privatus, alteram vectigalem recepit. At digresso cum exercitu Franco, totam rursus Burgundiam occupavit. Toto dein regno dejectus, in Italia exul periit anno 508.

Recepit tamen regnum ejus filius *Sigismundus*, qui, ùt aliàs memoratum, ejurata Ariana hæresi, Catholica sacra est amplexus. Bello superatus á Clodomiro, Clotildis filio, captùsque, in puteum est projectus à Gallis, virtute ac sanctimonia clarus. Successit tum quidem *Gundemarus*, Sigismundi frater: eo in exilium pulso Franci Burgundiam regno Galliæ adjecerunt.

23. Jam verò post conversionem Sigismundi anno 515. celebratum est *Concilium Agaunense*, Agauni nempe in Vallesia inferiore à 60. Episcopi Rgni Burgundici: præsente etiam ipso pientissimo Rege Sigismundo. Actum in eum potissimùm, consilio & hortatu S. Theodori Sedunensis Episcopi, de fundando Agaunensi Monasterio, in honorem Sanctorum ex Thebæa legione Martyrum; injuncto cœnobitis perpetuæ psalmodiæ officio: ad cujus instituti imitationem plura deinceps monasteria sunt erecta, ut S. Dionysii prope Parisios. S. Martini Turonibus &c. Et quia ex hoc Concilio luculentè patet sacrarum Reliquiarum cultus, illis etiam provinciis pro illo jam tempore publicè celebratus, quem post multa sæcula vicini Calvinistæ essent reprobaturi, juvat ipsa verba Patrum ac Regis hìc adscribere ex actis Concilii.

„ S. Theodorus, Episcopus Sedunensis ait: instantia cordis „ mei est, ut proferam sermonem vestris salubribus consiliis, quid „ agendum sit de Beatorum Martyrum Thebæorum corporibus, id „ est, Mauritii cum suis commilitonibus, qui pro Deo à Maximi„ ano perempti sunt, & inhumati jacent; nescio, qui sit homo, qui „ prævaleat secundùm merita eorum singulis fabricare Ec„ clesias.

„ Tunc omnes Episcopi dixerunt: *de cruore ipsorum locus iste* „ *sacer est & electus.* Illi exules fuerunt à patria, vitam mundi „ contemnentes, caduca respuentes, consanguinitatem proximi

„ non

„ non recogitantes; juventuti non parcentes, pro Christi amore
„ mortui sunt, & per Christum sanctificati sunt.

„ Tunc Rex ob devotionem lacrymabili voce prorumpit:
„ utinam impietas mea mihi impedimentum non fecisset, ut cum
„ illis fuissem & occubuissem, & socius fierem gaudio eorum, sed
„ nunc auxiliante Deo videte, quomodo honorifice accipiant
„ sepulturam.

„ Inito consilio ad Regem dixerunt: visum est nobis, bonum
„ esse, ut hi tantùm, quorum comperta sunt nomina, id est, Mauri-
„ tii, Exuperii, Candidi, Victoris, infra ambitum Basilicæ, quam
„ clementia Regis adhoc opus ornare jussit, reliqua verò corpora
„ congerantur in tutissimo loco, & sub eximia custodia sanctissimi
„ custodes deputentur, ne fortè, quod absit, falsatò ex eis furen-
„ tur, & constituatur officium *psallendi die noctùque* indesinenter.

„ Unà cum Rege omnibus placuit, & virum sanctissimum in
„ omnibus operibus bonis comprobatum, in ipso loco *Hymnemun-
„ dum* constituerunt, qui & accersitus à venerabilibus Episcopis,
„ unà cùm sanctissimis viris, *S. Acino, S. Ambrosio, S. Probo*, & sanctis
„ viris, qui ad hoc opus suscipiendum de Monasterio Granensi ve-
„ nerant. --- ut succedentes sibi in officiis Canonicis, id est, *Noctur-
„ nis, Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespertina*, in hac die
noctùque indesinenter famulentur.

„ Viventiolus urbis Lugdunesis Episcopus, unà cùm aliis Epi-
„ scopis dixit: optimè vobis videtur, ut munificentiam ad Regem
„ habeant, exhortationem & doctrinam habeant ad sedem Aposto-
„ licam. --- unum habeant dormitorium, unum refectorium, unum
„ locum ad calefaciendum. De disciplina verò, de gravioribus
„ culpis secundùm canones judicentur, de minoribus autem, ùt
„ Abbas judicaverit, & fratres consenserint. --- *jejunium*, ùt cætera
„ monasteria, agant, & die noctùque orationibus vacent, & semper
„ meditentur, & egredi de monasterio sine permissione Prioris nul-
„ lus præsumat. --- si tempus advenerit, quod Deus avertat, quòd
„ divulsione aut disceptatione contra hæc agere quis tentaverit,
„ tunc Abbas prædicti monasterii *concursionem ad sedem Apostolicam ha-
„ beat*, quasi lumen potens illuminans. „

Subjicitur deinde Instrumentum donationis ac fundationis, qua S. Sigismundus Monasterio, Basilicæ, *luminaribus*, & Monachorum sustentationi liberatissimè providit.

Videant hìc Heterodoxi, qui Catholicos ritus passim novitatis accusant, jam initio sexti sæculi latè in Occidentem etiam propa-

gatum

gatum cultum ſacrarum Reliquiarum, uſum luminarum in honorem ſanctorum corporum: ritum pſallendi in Choro, diſtributo jam tum in certas horas tempore, videlicet in Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam & Veſpertinam: vitam Monachalem in Monaſterio ſub Abbate, certa jejunia, recurſum ad ſedem Apoſlicam in rebus dubiis ac controverſis.

Biennio pòſt, anno videlicet 517. celebratum eſt *Concilium Epaunenſe*: ſive *Epaonenſe* (in Jure Canonico *can. XI. diſt.* 61. ſpecia-
24. liter approbatum) Epaune ſeu Epaone in Valleſia inferiore, prope Agaunum (ùt erudito tractatu certíſque ex documentis nuper oſtendit Reverendiſſimus D. Sebaſtianus Briguet Sedunenſis Canonicus) poſtquam Sigismundus Burgundiæ Rex ab Ariana hæreſi converſus Monaſterium Agaunenſe in honorem S. Mauritii, ſociorúmque Martyrum jam fundaverat, atque in eo.

Conditi 40. Canones de Eccleſiaſtica Diſciplina.

In 1. decernitur, ſi Metropolitanus Concilium indicat, comparendum eſſe Comprovincialibus Epiſcopis.

In 2. Bigamos non eſſe ordinandos Presbyteros aut Diaconos. (Hunc Canonem corrupit Hottingerus in Helvetica ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica ad annum 517. dum vocem *Presbyter* omittit: quia aliàs populus vidiſſet, per *Presbyteros* intelligi *Sacerdotes.*)

In 4. prohibetur Clericis venatio.

In 6. Coërcentur Clerici, ſine commendatitiis Epiſcopi ſui vagantes.

In 7. Parochos Jura Eccleſiæ non poſſe alienare.

In 12. idem ſtatuitur de Epiſcopis.

In 13 Clericum falſi teſtimonii convictum, criminis capitalis reum eſſe.

In 16. converſos in agone eſſe *inungendos.*

In 21. Diaconiſſæ penitus abrogantur.

In 25. *Sacris Reliquiis venerationem* impertiendam.

In 26. Altaria, niſi lapidea ſint, *Chryſmatis unctione* non eſſe ſacranda.

Hunc Canonem Gratianus retulit in Decretum cap. altaria 31. *diſt.* 1. *de conſecrat.* Utì etiam Canonem 26. quòd Epiſcopi in divinis officiis obſervare debeant ordinem, quem tenent Metropolitani.

Fallacia Hottingeri. („ etiam hos duos Canones impedit loc. cit. Hottingerus. Verùm „ adeò

„ adeò clarè loquuntur de cultu SS.Reliquiarum, & conſecratione
„ altarium per Chrysmatis unctionem, ut fruſtra conetur obſcura-
„ re meridiem. „)

In 34. excommunicandum, qui ſervum proprium occiderit inſcio Judice.

In 36. Nulli ſpem veniæ adimendam, ſi pœnituerit.

Subſcripſerunt huic Concilio 25. Epiſcopi. Inter quos *Conſtantius Octodurenſis* Epiſcopus. Præſedit autem Concilio S. Avitus Epiſcopus Viennenſis; qui S. Sigismundum ad Catholicam fidem converterat.

ARTICULUS VI.
De Conciliis Hiſpaniæ SÆCULI VI.

§. I.
Præmittuntur aliqua de ſtatu Politico.

Hiſpaniæ Imperium Celtiberis Carthaginenſes eripuerant, Carthaginenſibus Romani in bello ſecundo Punico, Romanis Viſigothi. Sæculo etenim quinto *Athaulphus*, Gothorum poſt Alaricum Rex, ducta *Placidia* Honorii Imperatoris ſorore, in Hiſpania dotali Gothorum cœpit fundare regnum. 25. *Origo regni Hiſp.*

Wallia Regnum Gothicum magìs ampliavit, omnibus ſubactis provinciis, præter Bæticam, quam Vandali occupârant, *Andaluſiam* à nomine ipſorum deinceps dictam: & Cataloniam, quam Gothi & Alani incoluêre: *Gothalaniam* propterea nuncupatam: *Galliciam* item, quam Suevi obtinebant. *Theodoricus*, Walliæ ſucceſſor, Ætio, Romano Duci, ſtrenuam adverſus Atillam navans operam, in prælio occiſus eſt. *Thoriſmundus* filius, paternam necem ulturus, inſecutus Atilam, prælio vicit ad Ligerim fluvium. Verùm crudeliùs imperans à fratre *Theodorico II.* eſt interemptus. Hic rurſus ab Eurigio, fratre juniore.

Eurigius Vandalos & Alanos ex Hiſpania omnino ejecit, occupata Andaluſia & Cathalonia: atque inde promota victoria in Galliam Narbonenſem. Maſſiliam aliáſque in provincia & Occitania urbes in poteſtatem ſuam redegit, fixa Arelate ſede regia. Suevis Galæciam reliquit. Qui novo ibidem regno erecto, *Theodomiro* impe-

rante, ab Ariana perfidia ad Christi fidem ànte Gothos sunt traducti. Tenuit hoc Suevorum Regnum 174. annos, usque dum anno Christ 586. à Leovigildo est extinctum, & in provinciam Regni Gothici redactum.

Alaricus Eurigii filius, Procerum suffragio solio admotus, à Clodovæo M. in prælio est peremtus anno 506. reliquit duos filios, *Amalaricum*, justis nuptiis conceptum, puerum quinquennem, & *Gesalricum*, majorem ex concubina. Hic Rex creatus à Proceribus, à Theodorico, Italiæ Rege, in Gallia Narbonensi victus, atque in Africam fugere compulsus est, ut Amalaricum, suum ex filia nepotem ad thronum eveheret, retenta sibi, tutelæ nomine, administratione Hispaniæ. Mortuo Theodorico Amalaricus ipse habenas capessivit; cúmque Crotildem conjugem, Clodovæi filiam, ob fidem Catholicam acerbiùs haberet, à Galliæ Regibus bello appetitus, victúsque, militis hasta confossus occubuit, anno 531.

Improlis obiit Amalaricus. Unde optimates Regni *Theudi*, Ostrogotho, qui in minori Amalarici ætate pro Theodorico regnum administraverat, sceptrum deferunt. Is, cùm labanti in Africa Vandalorum regno conaretur succurrere, cum clade repulsus, à sicario ense trajectus periit Anno 548.

In comitiis dein regni Rex electus est *Theudiselus*, pariter Ostrogothus, Totilæ Regis Italiæ ex sorore nepos, homo impius; qui anno evoluto Hispali inter prandendum à suis est trucidatus. Eodem fato interiit *Agila*, solio dejectus ab *Athanagildo*, Justiniani Imperatoris armis adjuto. At cùm Romani ex Hispania nollent recedere, hostes ex sociis nactus est Athanagildus. Filias duas reliquit, Galsuintham, & *Brunechtildem*, Galliæ regibus infaustis matrimoniis nuptas.

Circa annum 567. *Theodomirus* Suevorum in Gallæcia Rex Christiana sacra suscepit, postquam facto religionis voto filium sanum est nactus. Secutus populus exemplum Principis.

Porro Athanegildo, Gothorum Regi, optimatum electione successit *Liva*, Galliæ Narbonensis. quæ Gothis parebat, præfectus Qui altero regni anno consortem assumpsit *Levigildum* fratrem. Totúmque eidem, post quintum regni annum decedens, reliquit imperium.

Enummerati hactenus Gothorum Reges omnes erant Ariani; sub quorum Crudeli jugo pressa gemuit Christi Ecclesia, pollutis immani sacrilegio vastatisque Romanis sacris, & Episcopis in exilium actis.

Et

Et quasi orcus persentisceret instantem suam ruinam, per Levigildum omnes furores exercuit. Duxit is post Theodosiam, Hermenegildi & Reccaredi matrem, *Gosvintham* Regis Athanagildi viduam, perditè Arianam, exitialem Hispaniæ facem. 26. *Levigildus.*

Hæc impotens fœmina ad Arianam perfidiam pertrahere frustra conata est *Ingundem*, Hermenegildi privigini conjugem, Sigeberti Austrasiæ Regis & Brunechtildis filiam. Quin illa felicior Hermenegildum ad Catholica sacra adduxit, à S. Leandro Hispalensi Episcopo sanctioris vitæ præceptis initiatum.

Exarsit ad hoc immane, ùt rebatur, facinus Arianus Rex noverca efferata haud segniter subdente ac nutriente flammas. Unde atrox ortum belli incendium filium inter, in regni consortem jam antè assumptum, & patrem. Catholici filium, Ariani partem sequebantur: vicit causa iniquior.

Ut Catholicos in partes suas pertraheret Levigildus, *Concilium* Episcoporum *Toletum*, sedem suam regiam convocat, ad ineundam concordiæ speciem. Abrogatus mos Arianorum rebaptizandi ad sectam suam transeuntes. Filius Divinus dictus Patri æqualis; errore retento in animo. Hac larva multi decepti Catholici Hermenegildum deseruerunt. Obsessus is Hispali, ubi sedem regiam jam antea fixerat, in patris irati potestatem venit: & cùm à religione Orthodoxa nollet deflectere, securi percussus, martyrii lauream est adeptus.

Tum verò larva palàm abjecta in S. Leandrum, in S. Fulgentium, aliósque Episcopos Catholicos exprompta rabies. Exiliis, cædibus, Ecclesiasticorum bonorum publicatione sævitum, Romanorum reliquiæ regno exactæ, Catholicum Suevorum in Gallæcia Regnum eversum; propagata in omnes Hispaniæ provincias Ariana tabes: ut adeò nunquam visa sit antea deformior Ecclesiæ Hispaniæ facies.

At ea brevì detersa splendor affulsit; dum *Reccaredus*, alter Levigildi filius, fratri quàm patri similior, cum universa gente Christianam fidem est amplexus, promulgato in Concilio *Toletano III.* publico decreto, à Rege & Episcopis firmato. Tantem Reccaredus Rex post gestum præclarè 15. annos imperium pientissimè obiit sub initium sæculi VII. habitáque deinceps, ad firmandum Religionis statum, atque componendam Ecclesiæ disciplinam, multa in Hispania Concilia. 27. *Hisp. conversa.*

 §. II.

§. II.
Status Ecclesiasticus per Concilia ordinatus.

I.
De Concilio Tarraconensi.

28. In hoc anno 516. à 10. Episcopis Catoloniæ 13. Canones sanciti. Quibus decernitur.

1. Ne Clerici absque teste visitent fœminas, etiam cognatas.

2. Prohibetur Clericis secundùm Canones negotiatio, qua res viliùs emitur, & cariùs venditur.

3. Vetatur usura.

4. Die Dominica vacandum à Judiciis: & Clericis semper à criminalibus.

5. Qui non fuerit in Metropolitana civitate ordinatus Episcopus post duos menses Metropolitæ se præsentet.

6. Excommunicatur Episcopus, qui à Metropolita vocatus ad Synodum, non comparet.

7. Clerici vices suas in Divinis Officiis diligenter observent.

8. Episcopi singulis annis visitent, & Ecclesias destructas reparari curent, cùm tertiam oblationum partem percipiant.

9. Clericatu dejiciuntur, qui adulteris mulieribus miscentur.

10. Degradandos esse Judices Ecclesiasticos, qui munera accipiunt.

11. Monachus, foras egrediens, nec Ecclesiasticis nec forensibus negotiis se immisceat.

12. Si Episcopus intestatus obierit, Clerici inventarium conficiant, nihilque auferant.

13. Non tantùm Presbyteri Cathedrales ad Synodum vocentur, sed etiam alii Diœcesani.

II.
De Concilio Gerundensi.

29. In hoc Concilio Provinciali 7. Episcoporum Gerundæ in Catalonia decretum est anno 517.

1. Missæ ordo, ac psallendi, atque ministrandi consuetudo servetur, prout in Metropolitana Ecclesia viget.

2. & 3.

2. & 3. De Litaniis, Supplicationibus, diebus rogationum & jejuniis ſtatuitur.

4. In Paſchate & Pentecoſte Catechumeni baptizentur, niſi ſint infirmi, qui quovis tempore poſſunt baptizari.

5. Uti etiam infantes infirmi.

6. Si quis conjugatus fuerit ordinatus, ſine conjuge habitet.

7. Clerici non conjugati mulierem in domo non habeant, excepta matre & ſorore.

8. Bigami non ordinentur.

9. Abſolutus poteſt ordinari, ſi non ſit irregularis.

10. Quotidie poſt matutinas, & veſpertinas ſacerdos recitet orationem Dominicam.

III.

De Concilio Ilerdenſi.

Etiam hoc Concilium celebratum eſt in Hiſpania, à 9. Epiſco- 30.
pis Provinciæ Tarraconenſis anno 524. ſtatutum in eo, ut ſacri Miniſtri ab omni effuſione ſanguinis, etiam hoſtilis abſtineant. Ut abortum procurantes ſeptem annorum pœnitentiam agant. Ut Monachi non ordinentur ſine voluntate Abbatis. Ut jus Aſyli obſervetur. Ut Clericus, familiaritatem cum fœminis non devitans, poſt alteram monitionem, officio privetur, donec ſe emendet. Ut deponantur, qui contra decreta SS. Canonum ordinantur. Ut nemo diripiat quidquam defuncto Epiſcopo.

IV.

De Concilio Valentino.

Eodem anno in Hiſpania eſt habitum Valentiæ. A ſex Epiſco- 31.
pis ſex conditi Canones.

Primus decernit, ut in Miſſa poſt Epiſtolam Apoſtoli legatur Evangelium.

Secundus, ut defuncto Epiſcopo, ex rebus ipſius aut Eccleſiæ nihil ſurripiatur.

Tertius, ut neque conſanguinei de rebus defuncti Epiſcopi aliquid auferant ſine Metropolitani & Comprovincialium Epiſcoporum conſenſu, ne fortè in hæreditariis rebus etiam aliqua ad Eccleſiam pertinentia, vel permixta uſurpent.

Quartus, ut Epiſcopus defunctus à vicino Epiſcopo piè ac devotè ſepeliatur.

Quintus, ut vagi Clerici communione & honore priventur.

Sextus, ut nullus alienum Clericum absque Episcopi proprii licentia ordinet. Nec talem, qui nulli certo loco se addicit.

V.

De Concilio Bracarensi II.

32. In hac Synodo anno 563. lectis Canonibus Generalium Conciliorum & Provincialium, statutum est, ut uniformitas servetur in Missa, & Divino psallendi officio. Baptismum conferendum ritu Romano. Metropolitano sedendum primo loco, cæteris verò Episcopis secundùm prioritatem consecrationis.

Reditus Ecclesiæ in tres portiones æquales dividendos: quarum prima cedat Episcopo, altera Clero, tertia ab Archidiacono administretur, redditis Episcopo rationibus expensarum. Presbyteris abstinendum à consecratione Chrismatis, altarium, & Ecclesiarum, sub pœna depositionis. Servanda ordinandis Interstitia. Neganda sacra sepultura iis, qui non fuerunt baptizati, item damnatis ad mortem, & se ipsos necantibus. Oblationes, à fidelibus factas, apud aliquem Clericum deponendas, & semel aut bis in anno inter Clericos distribuendas, ne ex inæqualitate oriatur discordia, si unusquisque sibi vendicet, quod in sua hebdomade fuit oblatum.

VI.

De Concilio Bracarensi III.

33. Hoc Præside Martino Bracarensi, Metropolita, anno 572. 10. Canones edidit.

1. Placuit, ut Episcopi, Diœcesin visitantes *primùm discutiant Clericos, quomodo ordinem Baptismi teneant, vel Missarum, & quæcunque officia peragant.*

2. & 3. Pro ordinatione, & Chrismate nulla munera accipienda.

4. & 5. Non consecrandas Ecclesias, aut capellas, quæ ædificatæ sunt quæstûs gratiâ.

7. Pro collatione baptismi nihil exigendum.

8. Qui Clericum fornicationis accusat, & crimen per duos aut tres testes non probat, excommunicetur.

9. Tempus paschatis quot annis à Metropolitano promulgandum.

10. De-

10. Deponendus Clericus, qui more Priscillianistarum, in Missa mortuorum non jejunus consecrat. *Ecce! Missas pro defunctis lectas ex usu & disciplina Hispaniæ!*

Nota. Martinus, qui huic Concilio præsedit, homo Græcus, sed Bracarensis in Hispania Episcopus, 84. Canones collegit ex Græcis Synodis, & latinos reddidit, & alia quædam ex latinis addidit. Hæc Martini Bracarensis capitula sæpè in decreto Gratiani perperam adscribuntur Martino *Papæ*; nisi nomine *Papæ*, quod apud veteres non infrequens erat, intelligere velis *Episcopum.*

Quia autem Martinus istos Canones collegit ex variis, ùt dictum, Conciliis Orientalibus, aliísque, puta, ex Nicæno, Laodiceno, Antiochenis, Ancyrano, Neo - Cæsareensi, Gangrensi, Carthaginesi III. Agathensi, Toletanis, juvat selectum aliquem ex illis facere, & magís memorabilium synopsin extrahere, ut magìs ex illis inotescat antiquitatis disciplina. Quamvis de omnibus ferme istis Conciliis jam suprà sit tractatum.

VII.

Capitula Collecta à Martino Bracarensi.

Non liceat populo electionem facere eorum, qui sint ordinandi, sed examen & judicium sit penès Episcopum. 34.

Oporteret equidem Episcopum à Concilio Episcoporum constitui, ac ordinari, in necessitate tamen sufficit absentium vota à Metropolitano colligi, & à tribus Episcopis præsentibus ordinationem fieri novi Episcopi.

Præsentem autem esse quàm maximè oportet Metropolitanum, qui Primatum tenet.

Nullus Clericus ex minore civitate transeat ad majorem. Episcopus autem minimè transeat ad alium Episcopatum. Neque actus jurisdictionis aut potestatis Episcopalis in aliena diœcesi exerceat.

Nullus Episcopus sibi eligat successorem. Neque quisquam irruat in Ecclesiam vacantem.

Episcopus sine sua culpa exulans benignè ab aliis suscipiatur. Eum autem, qui frivolè Ecclesiam suam relinquit, excommunicari oportet à Concilio.

Si in judicio de Episcopo comprovinciales dissenserint, arbitrium ad vicinum Metropolitanum deferatur.

Episcopus absque necessitate de rebus Ecclesiæ nihil alienet: aliàs

aliàs reſtaurare tenetur, & ab Epiſcopis eſt dejiciendus. Unde Clerum oportet noſcere, quænam bona pertineant ad Eccleſiam, & quænam ad Epiſcopum tanquam propria. Penuriâ tamen laborantibus ſuccurrendi ex rebus Eccleſiæ poteſtatem habet Epiſcopus.

Ante 30. ætatis annum nullus ordinetur presbyter. Qui ſe ipſum caſtrat, irregularis eſt, non autem, ſi id fiat à chirurgis ob ægritudinem, aut vi ab aliis. Neque *Neophyto*, (ſeu recens baptizato) conferantur ſacri Ordines. Neque *pœnitenti* publicè. Neque ſine prævio examine. Neque *Bigamo*. Neque *homicidæ*. Si autem primùm poſt ordinationem crimen innoteſcat, dejiciatur, & usque in finem vitæ communionem non recipiat.

Si quis Presbyter aut Diaconus fuerit fornicatus, aut mæchatus, projiciatur, & agat pœnitentiam. Laicus, ſi ejus uxor ſit adultera, non ordinetur. Clericus nullam devotam, tanquam filiam adoptivam, aut ſororem ſpiritualem in domum aſſumat. Clericus profugus ex ſua Eccleſia non recipiatur in alia, ſi reverti noluerit, excommunicetur, & projiciatur.

Si Clericus excommunicatus in Synodo conqueratur, ſe condemnatum, ad majus Epiſcoporum Concilium poterit recurrere, nullatenus autem ad curiam ſæcularem. Excommunicatum propter hæreſin nemo recipiat. Qui caſtitatem non vult vovere, non ordinetur.

Diaconus non ſedeat ante presbyterum, niſi hic jubeat. Non licet vaſa ſacra in ſacriſtia alicui tangere, niſi ſit Subdiaconus aut Acolythus. Mulieribus non licet ingredi in ſacrarium ſeu ſacriſtiam. Non licet in pulpito pſallere, aut legere, niſi ei, qui Lector ab Epiſcopo eſt ordinatus.

Non ordinetur ſervus, nec obligatus ad ratiocinia.

In quadrageſima non liceat nuptias celebrare, nec natales Martyrum. Neque liceat feria quinta ultimæ ſeptimanæ jejunium ſolvere.

Epiſcopo omni tempore liceat Chriſma conficere, & per diœceſin deſtinare.

Non licet in ſacrificio aliud offerre, quàm panem, vinum, & aquam. Quia de corpore Chriſti in cruce exivit ſanguis & aqua.

Si quis, ſicut Manichæi, die Dominica jejunet, anathema ſit. Diebus Dominicis & tempore paſchali non proſtrato corpore, ſed erecto vultu ad Dominum precationes perſolvendæ. Quia in his diebus gaudium reſurrectionis Dominicæ celebramus.

Clericis non licet intereſſe ſpectaculis in nuptiis vel conviviis. Ne-

Neque fœnorari. Neque turpem quæſtum negotiando quærere. Neque abeſſe matutinis aut veſpertinis horis à pſallentium Choro: aut die Dominica à Miſſarum ſolennitate.

Clerici ne nutriant comam; ſed tonſuram, & habitum talarem geſtent. Ante & poſt menſam preces perſolvant.

Non licet prandia ad defunctorum ſepulchra deferre; *ut fecerunt gentiles.* Neque ab hæreticis eulogias ſeu benedictiones accipere.

Sortilegi domo ejiciendi. Vetatur aſtrologia judicaria: vana obſervantia.

Dictatur denique variis criminibus pœnitentia publica plurium, vel pauciorum annorum, vel etiam totius vitæ: & cum excommunicatis non communicandum decernitur.

VIII.

De Concilio Hiſpalenſi.

Præſide S. Leandro anno 595. hæc Synodus celebrata eſt in cau- 35
ſa Gaudentis Epiſcopi, jam mortui, qui ſervos aliquos Eccleſiæ manumiſerat, alios verò conſanguineis ſuis teſtamento reliquerat: accuſatus propterea à ſuis Clericis.

Definivit Concilium, manumiſſionem illam eſſe quidem irritam, non eſſe tamen revocandos ad ſervitutem; ſed ſufficere, ſi ita ſint in jure Eccleſiæ, ut peculium non aliis, quàm filiis ſuis, poſſint relinquere. Si igitur improles ſint deceſſuri, quidquid relinquerent, ceſſurum Eccleſiæ.

Quoad alteram partem definitum eſt, donationem illam mancipiorum, conſanguineis factam, eſſe invalidam, adeóque Eccleſiæ reſtituenda, niſi teſtator Epiſcopus per alia bona damnum compensârit Eccleſiæ.

Denique hæc Synodus rurſus inſtaurat, & inculcat antiquos canones, quibus præcipitur clericis, ne extraneam fœminam aut ancillam domi habeant, atque ut omnem cum iis familiaritatem defugiant.

IX.

De Concilio Cæſarauguſtano & Toletano.

In hac Synodo Provinciali anno 592 tres editi ſunt canones con- 36.
tra Arianorum reliquias.

In 1. ſtatuitur, ut Presbyteri ab Ariana hæreſi converſi, ſi probatæ fidei & caſtitatis fuerint, ad ſacrum miniſterium admittantur, *accepta denuo benedictione Presbyteri*, (per quæ verba non intelligitur ordinis ſacerdotalis iteratio, ſed ceremonia duntaxat extrinſeca & accidentalis reconciliationis.)

In 2. præcipitur, Arianorum reliquias in ignem mitti.

In 3. Jubentur Eccleſiæ, ab Arianis conſecratæ, rurſus conſecrari ab Epiſcopo Catholico.

Toletanum Concilium, anno 597. duos tantùm canones fecit. Primo decernitur, Presbyteros & Diaconos incontinentes, gradu dejiciendos, & in cuſtodiam, Monaſterium retrudendos. Altero de reditibus ex Beneficio provenientibus, Clerico relinquendis ab Epiſcopo, tractatur.

X.

De Concilio Oſcenſi & Barcinonenſi.

37. Oſcæ in Aragonia anno 598. ſtatutum 1. ut Epiſcopi ſingulis annis celebrent Synodum Diœceſanam cum Abbatibus, Presbyteris & Diaconis ſuis. Ubi de diſciplina & SS. Canonum obſervantia tractandum. 2. Inculcatur iterum Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis continentia.

Barcinone verò in Catalonia anno ſequente Synodus Provincialis canonibus 4. editis decrevit 1. ne pro ſacra ordinatione aliquid exigatur. 2. neque pro chryſmate. 3. Ordinum candidatis præſcribuntur interſtitia. 4. Excommunicantur puellæ, quæ poſt profeſſionem caſtitatis religioſæ ad nuptias tranſeunt.



CA-

CAPUT VII.

De Conciliis

SÆCULI VII.

Graſſabatur hoc ſæculo, maximè in Oriente, Monothelitarum hæreſis. Mahometana impietas Aſiam, Africam, atque Hiſpaniam invaſit. Galliam Præfecti Pallatii miſcebant. In Anglia, recèns ab Idololatria converſa, gliſcebat ſchisma propter controverſiam de tempore celebrandi paſchatis. Diſciplina, ùt ferunt res humanæ, pluribus in locis labefactata, quibus malis permulta Concilia, quà Nationalia, quà Provincialia mederi conata ſunt.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I.

De Conciliis celebratis in cauſa Monothelitarum.

1. *Origo hujus hæreſis.*
2. *Conciliabula Sergii, & Cyri, pro illa.*
3. *Concilium* Solymitanum *Sophronii.*
4. *Et quatuor* Romana *contra illam.*
5. *Uti etiam* Africana.
6. Mediolauenſe, & Anglicum.
7. *Philippici Imperatoris impii conatus.*

ARTICULUS II.

De Conciliis Galliæ.

§. I.

Prænotanda de ſtatu politico.

8. *Regnum Clotarii II.*
9. *Et Dagoberti I.*
10. *Ercbembaldus Major Domus ſub Clodovæo II. magnarum Domorum fundator.*
11. *Ebroinus Magiſter Palatii miſcet Galliam.*
12. *S. Leodegarium occidit.*
13. *Pipini Herſtalli, Pallatii Præfecti potentia & laudes.*
14. *Regum ultimorum ex Merovæa ſtirpe inertia.*

§. II.

Status Ecclesiasticus per Concilia in Gallia ordinatus Sæc. VII.

ARTICULUS III.

De Conciliis Hispaniæ Sæc. VII.

ARTICULUS IV.

De Conciliis Angliæ Sæc. IV.

§. I.

Prænotanda de statu Politico.

§. II.

Status Ecclesiasticus per Concilia ordinatus.

Ar-

ARTICULUS I.

De Conciliis celebratis in causa Monothelitarum.

Historiam de origine Monothelitarum hæresis delibavimus *part.* 3. *art.* 6. *in expositione Synodi Generalis VI.* Nunc Concilia quædam particularia, in hac causa habita addimus.

Et primò quidem invenitur apud Pagium ad annum 626. Conciliabulum quoddam *Constantinopolitanum* Præside *Sergio* Patriarcha; in quo prima Monothelitismi semina sparsa sunt. Cùm enim Heraclius Imperator adversus Persas bellum gereret, quidam *Acephali* (sic dicti, quòd licèt occulti essent Eutychiani, Eutychen tamen, utpote à Concilio Calcedonensi damnatum, apertè sequi non auderent, adeóque sine capite vagabantur) Acephali, inquam, Heraclio quæstionem proponebant, an una in Christo voluntas, & operatio, an verò gemina, Divina scilicet & humana, sit agnoscenda? 1. *Origo.*

Heraclius igitur per Epistolam Sergium Patriarcham suum interrogat, quid ad hanc quæstionem sit respondendum. Sergius coacto prædicto Synedrio, rescripsit Imperatori, unam tantùm in Christo voluntatem & operationem esse agnoscendam. 2. *Conciliabula.*

Heraclio dein ab expeditione Persica reverso, Sergius alterum *Constantinopoli Conciliabulum* indixit. In quo hic error rursus stabilitus est. *Sergii,*

Cúmque per Orientem quæstio illa, ab Acephalis studiosè mota, multùm agitaretur, *Cyrus* Patriarcha Alexandrinus pariter Conciliabulum anno 633. *Alexandriæ* instituit; in quo editum Synodale decretum, quod *satisfactio* dicebatur, novem constans Capitulis. In horum septimo unica in Christo operatio fuit asserta, allegato testimonio S. Dionysii, qui diceret, Christum operari *Deo-docibilia & humana, una Dei-virili operatione.* Falsa hæc erat citatio. Non enim Dinoysius habet *una*, sed *nova* Dei-virilii operatione. *& Cyri.*

Hæc Capitula Conciliabuli Alexandrini misit Cyrus ad Sergium, qui eadem collaudavit; & ad Honorium Pontificem, callidè tegens mentem hæreticam, scripsit, consultum videri, ùt cùm nova vocabula de *una* aut *duabus* in Christo voluntatibus & operationibus novas in Ecclesia excitent turbas, pacis gratiâ de iis sileatur. Sufficere, in Christo *Dei-virilem* operationem & volunta-

tem agnosci. Honorius Sergium, quem virum Catholicum æstimabat, fide bona agere non dubitans, laudato ejus pro pace in Ecclesia conservanda studio, silendum esse de illis novis vocabulis rescripsit. En crimen, quod imputatur Honorio. *Vid. part.* 3. c. 4. *Art.* 6. §. 4.

3. *Solymitanum.* Interea *Sophronius*, Patriarcha Jerosolymitanus, de veritate omnium optimè meritus, anno 634. convocato *Jerosolymis Concilio* orthodoxo, duas in Christo voluntates & operationes asseruit: actáque sua Synodica ad Honorium & Sergium misit.

Sergio subin mortuo, *Pyrrhus* ejusdem & in Cathedra & hæresi successor, coacto anno 639. Constantinopoli hæretico Synedrio, impium Sergii & Cyri dogma stabilivit, simúlque *Ecthesin* Heraclii, à Sergio compositam, quæ unicam voluntatem asserebat. Quam *Ecthesin* jam Sergius antea in Synedrio quodam Constantinopolitano confirmaverat.

4. *Romana.* Celebrata sunt postea quatuor *Concilia Romana* sub totidem Pontificibus, in quibus omnibus Heraclii *Ecthesis* damnata; & Catholica veritas de duabus in Christo voluntatibus ac operationibus contra Monothelitas definita.

Et primum quidem celebratum dicitur anno 639. à Severino Pontifice. Alterum à Joanne IV. anno 640. in quo definita veritate de duabus voluntatibus, dictum anathema Sergio, Cyro & Pyrrho, aliísque Monothelitis. Damnata etiam *Ecthesis*. Quo audito Heraclius, Princeps sanè optimus nisi à Sergio aliísque fuisset deceptus publicè est protestatus, *Ecthesin* non esse suam, sed à Sergio compositam, sibíque à bello Persico reduci ab eodem oblatam, additis precibus, ut nomine suo & subscriptione eam insignire velit: nunc autem cùm tantas illa turbas excitet, manifestum se facere, non esse suam.

Tertium Romanum, à Theodoro Papa anno 648. convocatum, damnâsse dicitur Pyrrhum, à S. Maximo conversum, sed relapsum, & *Paulum* ejus post *Petrum*, (pariter Monothelitam) successorem, unà cum *Typo* Constantis Imperatoris, quem idem Paulus, ùt Sergius Ecthesin, composuerat: quóque volebant, abstinendum esse à vocibus *unius* aut *geminæ* voluntatis. Pagius ad annum 648. n. 14. &c. negat, in hoc Consilio à Theodoro damnatum Paulum & Typum ejus: sed post Consilium primùm ab eodem hoc factum.

Cùm anno sequente (649.) Pontifex electus esset *Martinus I.* Constans Imperator ab eo petiit, ut *Typum* confirmaret. At

ille,

ille, convocato in Ecclesiam Lateranensem 105. Episcoporum Concilio, forti animo eundem *Typum* damnavit, unà cum Cyro Alexandrino, Sergio, Pyrrho, Petro, Paulo, Constantinopolitanis successivè Patriarchis Monothelitis.

Paulò antè (anno 646.) in Africa pariter celebratæ sunt tres 5.
Synodi contra Monothelitas; prima in *Numidia*, altera in *Mauri-* *Africana.*
tania, tertia *Carthagine*. Dictum in omnibus anathema Sergio, Cyro, & Pyrrho, & veritas Catholica de duabus in Christo voluntatibus confirmata.

Cùm autem hæresis illa latiores & profundiores per tot potentes Asseclas radices egisset, præsertim in Oriente, quàm ut per Concilia particularia stirpitus posset evelli, *S. Agatho* Papa fortiori & universaliori videns opus esse remedio, collato priùs cum Constantino Pogonato Imperatore consilio, Concilium Generale indicendum censuit; ut hoc pacto, examinata per senatum orbis terrarum causa, ac demonstrata errantibus veritate, in pacem & tranquillitatem reponatur Ecclesia.

Quia verò Imperator cum Orientalibus petebat, ut Synodus Oecumenica Constantinopoli haberetur, Occidentales verò Episcopi, prout in superioribus etiam Conciliis generalibus contigit, tantum iteneris non possent perficere, ac tanto tempore Ecclesias suas vacuas relinquere, voluit Agatho Pontifex, ut in particulares priùs Synodos pro more congressi, sententiam suam hac super re conciperent, atque legatis Apostolicis ad Concilium generale deferendam traderent, ut hac ratione, locis licèt disjunctis, una tamen haberetur vox totius Ecclesiæ.

Collecti igitur anno 679. Pontificis voluntate in *Consilio Medio-* 6.
lanensi Insubriæ Episcopi, emissa fidei professione condemnârunt Mo- *Mediol.*
nothelitarum hæresin, missáque ad Constantinum Synodali Epistola sententiam suam significare decreverunt.

Eodem anno habitum etiam in eadem causa est *Concilium An-* *Anglicum.*
glicanum; in quo pariter damnata illa hæresis.

Agatho Papa, ut adhuc latiùs pateret sententia occidentalis Ecclesiæ, altero post anno *Synodum Romanam* indixit; in qua 125. Episcopi rursus condemnârunt Monothelitas, ac suo nomine tres legatos cum Synodali Epistola ad Concilium generale miserunt, tres nempe Episcopos, Joannem Portuensem, Abundantium Paternensem, & Joannem Regiensem. Quibus Agatho tres alios suo nomine adjunxit: datâ etiam privatâ ad Pogonatum Imperatorem Epistola.

Celebra-

Celebrata igitur eſt anno 680. Synodus generalis VI. Conſtantinopolitana IV. damnatáque Monothelitarum hæreſis, anno 681. (*vid.* part. 3. *cap.* 4. *art.* 6.)

Confecta videri debuit immanis bellua, tot tantísque ictibus contuſa atque contrita. Sed nihil pertinacius hæreſi: conciſa licèt, rictum adhuc ſibilantem ſurrigit, & tabem virulentam exſpuit.

Nam occiſo Juſtiniano Rhinotmeto, *Philippicus* homo hæreticus, à ſeditioſis Imperiali intruſus ſolio, cùm impoſtori cuidam Imperium prædicenti promiſiſſet, ſe Synodum VI. Oecumenicam aboliturum, illico depoſuit Cyrum Catholicum Patriarcham, atque in ejus locum intruſit Joannem, hominem nefarium, ac hæreticum Monothelitam. Cum hoc Philippicus anno 712. indixit Conciliabulum *Conſtantinopolitanum;* in quo omnia per tyrannidem acta. Damnata Synodus generalis VI. & inductus rurſus *Monothelismus.* Ubi planè videre fuit, quanta fuerit jam tunc Sæculo VIII. ineunte Græculorum Epiſcoporum inconſtantia, qui omnes ferme paulò antè Catholici in hoc Synedrio minis tyranni perterriti, tam turpiter lapſi ſunt, ac cauſam Dei, quam agnoſcebant, impiè prodiderunt.

7. *Philippici Conatus.*

At brevi procella iſta deferbuit; nam Philippicus altero tyrannidis anno necdum expleto, dejectus atque oculis privatus eſt, ſuffecto Anaſtaſio II. pientiſſimo Principe: ſub quo damnata hæreſi refloruit Religio; ac lapſi Epiſcopi creato Patriarcha Catholico à Conſtantino ſummo Pontifice veniam rogârunt, atque in communionem rurſus admitti.

Celebrata eſt inſuper Sæculo VII. ineunte Concilium Wignorvienſe in Anglia in cauſa ſchismatis. Nam Angli, priſtino ſuo mori pertinaciter inſiſtentes, paſcha celebrant à 14. usque ad 20. lunam: neque in ceremoniis ac ritibus baptiſmi cum Romana Eccleſia conveniebant. Igitur Auguſtinus Cantuarienſis Epiſcopus, quem S. Gregorius M. ad prædicandum Britonibus Evangelium miſerat, convocata Synodo ſeptem Epiſcopos ſchismaticos ad unitem Eccleſiæ reducere conatus eſt, impensè eos rogans, miraculis etiam editis, ut in paſchate celebrando, ritibus baptismi & prædicando Anglo-Saxonibus Evangelio ſecum conſentirent, atque cum Romana, & univerſali Eccleſia. At nihil tunc ab obſtinatis impetrari poterat: qui Concilio etiam *Romano* hac in cauſa habito, ſchisma per plures adhuc annos protraxerunt.

AR-

ARTICULUS II.

De Conciliis Galliæ Sæculi VII.

§. I.

Præmittuntur aliqua de ſtatu Politico.

Everſa per obitus & varias cædes fratrum tetrarchia *Clotarius II.* 8.
(ſicut Clotarius I ejus avus) univerſum Francorum regnum, *Clotarius*
quod jam tunc latè in Germaniam protendebatur, ub dominationem *I.*
ſuam redegit, boníſque belli pacisque artibus deinceps gubernavit. Celebrari is voluit Concilium Pariſienſe. Filio Dagoberto Auſtraſiæ regnum conceſſit. Cùm autem eum inter & filium ſuper regni hujus finibus lis eſſet orta, duodecim Francis Proceribus quà Eccleſiaſticis, quà ſæcularibus dirimenda eſt commiſſa.

Clotario, anno 628. defuncto, ſucceſſit in toto Franciæ regno, quod tunc *Neuſtriam*, *Burgundiam*, & *Auſtraſiam* complectebatur, fi- 9.
lius *Dagobertus I.* uſus primùm conſilio, opera & inſtitutione S. *Dagobertus I.*
Arnulphi Epiſcopi Metenſis, & Cuniberti Epiſcopi Colonienſis. At deinde in libidinem ſolutus, in S. Amando, Trajectenſi Epiſcopo, Nathanem habuit; ejectum propterea in exilium. Reverſus poſtmodum Dagobertus ad primum vitæ inſtitutum, fundavit, ad exemplum Agaunenſis Monaſterii, celeberrimum cœnobium S. Dionyſii prope Pariſios, cum perpetuæ pſalmodiæ officio: adjecta inſigni Baſilica, Mauſolæo in poſterum Francorum Regum. Inde etiam de Republica bene meritus, quòd veteres Francorum, Alemannorum & Bojorum leges tum inſtaurârit, tum emendârit. Dici poteſt Dagobertus, *ultimus Francorum*, ex generoſo Clodovæi M. ſanguine. Nam poſteriores inertes latitantes, ſibíque indulgentes, titulum magís Regum, quàm regnum gerebant, poteſtate ferme omni ad Præfectos aulæ (*Majores domus*, ſeu *Pallatii Magiſtros* appellabant) defluente.

Mortuus anno 645. duos filios reliquit Dagobertus, Clodovæum II. & Sigebertum. *Sigebertus* ex pellice natus Auſtraſiam obtinuit, reliqua *Clodovæus*, qui poſt mortem Sigeberti etiam Auſtraſiam *Dagoberto II.* abſtulit, fratris Sigeberti filio in exilium pulſo. Adminiſtravit *Clodovæus II.* regnum per magiſtros Palatii, & primò
quidem per Ægam, deinde verò per *Erchembaldum*, magnarum in 10.
Germania Familiarum Parentem. Ab hoc enim Principe ſtemma *Erchembaldus.*
ſuum deducunt comites Habſpurgici, Duces Lotharingiæ, Land-

gravii Afaltiæ, Duces Zeringenfes, & Marchiones Badenfes. Nam *Athicus*, Erchembaldi ex Leudefio Filio nepos, uxorem duxit *Bersvindam*, fororem Reginæ Galliarum, Childerico II. Regi nuptæ. Unde Athicus propter hanc affinitatem à Rege accepit infignia in Suevia, Helvetia, & Alfatia bona. Inde initium vaftæ potentiæ.

Porro Clodovæus II. anno 660. defunctus, reliquit tres filios,
11. *Ebroinus.* *Clotarium III. Childericum II. & Theodoricum III.* qui fucceffivè omnes regnârunt, graviffimas tamen inter turbas domefticas,, mifcente aulas *Ebroino*, viro truculento ac perfido, poft Erchembaldum, Principem optimum, Palatii Magiftro.

Ac primò quidem Clotarius folus regnavit, fundator primus monafterii Corbejenfis. At eo brevi demortuo, fucceffit frater *Childericus II.* Theodorico fratre juniore in monafterium S. Dionyfii detrufo. Ebroinus, aulæ Clotarii Præfectus, quòd Theodoricum Regem proclamaffet, à Childerico capitis damnatus eft, fed donatus precibus *S. Leodegarii*, Auguftodunenfis Epifcopi, in monafterio Luxovienfi monachum induit, at nequaquam religionis ftudio, fed ut ad tempus caput procellæ fubtraheret, & turbida fua confilia aptiori tempori refervaret.

Nam Childerico Rege in filva per ficarium occifo, *Theodoricus III.* monafterio extractus, admotus eft fceptro. Prorupit etiam, afflante meliori aura, è latebris fuis Ebroinus, & interfecto *Leudefio*, Erchembaldi filio, Aulæ Præfecto, Palatii Magifterium, quod fub Clotario malè gefferat, rurfus invafit. Tum verò fupremum perfidiæ & tyrannidis cruentæ fpecimen edidit, cùm mortalium
12. *S. Leodegarius.* ingratiffimus *S. Leodegarium*, Patronum fuum, qui gratiam vitæ à Childerico Rege ei exoraverat, exfecta lingua, Epifcopatu dejecit. Et cùm lingua divinitus ei fuerat reftituta, necari eum homo barbarus juffit, impacta calumnia, quòd in Childerici necem confpirâffet, re ipfa quòd meliorum confiliorum Regi auctor effet. Quam ob caufam Ebroinus etiam Giarinum comitem, S. Leodegarii fratrem lapidibus obrui juffit.

Dum Theodoricus III. in reliqua Gallia regnavit, *Dagobertus II.* Sigeberti, Auftrafiæ Regis filius, ab exilio redux, paternum regnum recuperavit. Qui fundavit, præter alia plura, monafterium Weiffenburgenfe in Alfatia; ad Canonicos Regulares poftea translatum, ac denique ad Epifcopum Spirenfem. Occifus eft Dagobertus in bello cum Sigeberto, unico filio, quem antea in venatione ab apro percuffum S. Arbogaftus Argentinenfis Epifcopus ad vitam revocârat.

Pi-

Pipinus Heristallus Dagoberti Dux, necem Regis sui ulturus, 13. *Pipinus.*
cum Austrasiis bello aggressus Francos, insignem reportavit victoriam, & occiso Ebroino, Magisterio palatii sub Theodorico III. magna cum potestate assumpto, nudum regis nomen eidem reliquit: posito fundamento novo imperio, ad familiam suam transferendo.

Vir summus domi militiæque fuit Pipinus, religione, fide, fortitudine, æquitate, erga sacerdotium veneratione, in Ecclesias munificentia, omnibúsque universim boni principis dotibus clarissimus. Quibus facilè summam in tota Francia authoritatem, amorem, æstimationémque gentis obtinuit.

Dum interea ultimi Merovingicæ stirpis Reges, ab avita fortitudine degeneres, torpentes ignavia, & sub umbra Magistrorum Palatii delitescentes, vana Regum simulacra referrent.

Et Theodorico quidem III. primò successit in hac umbratilis Regis dignitate *Clodovæus III.* dein verò alter filius, *Childebertus III.* huic *Dagobertus III. Chilpericus II. Clotarius IV. Theodoricus IV. Childericus III.* in monasterium detrusus, Merovingicæ stirpis ultimus. Nec opus de his plura addere, cùm præter nomina Regum, nihil admodum gesserint.

Negat quidem Alexander Natalis *in Hist. Eccles. Sæc. VIII. dissert.* 2. Reges istos fuisse inertes aut ignavos; variáque affert, quæ ipsorum temporibus sint gesta. Verùm hæc non ab ipsis Regibus, ne- 14.
que eorum consilio aut imperio sunt gesta, sed à bellicosis & ani *Inertia*
mosis Majoribus Domus, seu præfectis Palatii: penès quos omnis *ultimorum*
ferme potestas & authoritas erat. Imò ipse Natalis, dum in Histo- *Regum.*
ria Sæculi VII. & VIII. horum Regum propria gesta nititur recensere, de plerisque post Dagobertum I. vix aliud gestum recenset, quàm quòd aliqua monasteria fundârint. Ubi tamen, si vera sunt ea, quæ Eginhardus, ætati illi propinquus scripsit, titulum Regis potiùs adscripserunt, & assensum præstiterunt, quam tanta bona Ecclesiis dederint, aut dare potuerint.

Deinde scriptores antiquiores omnes, qui de his regibus aliquid meminerunt, eos inertes atque ignavos, ac proin rei Christianæ socordia sua noxios fuisse, uno ore testantur. Et cur aliàs in tantam potentiam excrescere permisissent palatii Præfectos? cur omnem regni curam & administrationem, cur summum belli pacísque arbitrium illis reliquissent? cur veluti pupilli sub eorum tutela otiosi inter voluptates delituissent? cur illi omnia, hi nihil egissent? cur nequidem ipsi Reges ejusmodi Magistros suos constituis-

tuissent, sed aut successione hæreditaria, aut armis; aut electione populi *Majoratum* illum Domus Regiæ, imò regni, essent consecuti?

Neque est, cur dicat Natalis, *Childericum III.* saltem accusari non posse inertiæ, & ad regendum ineptitudinis; cùm eo tempore, quo in monasterium fuit detrusus, regnúmque in Pipinum translatum, decimum octavum duntaxat ætatis annum egerit. Nam præterquam, quòd à sæculo & ultra antecessores ipsius Merovingii Reges inertiæ fuerint postulati, atque Majorum exemplum ipsi fuerit præjudicio, facilè ea in ætate dignosci potuit, an ad regendum sit futurus habilis. Censebant igitur Franci, domesticas turbas regni, Longobardos, Saracenos, & Mauros imminentes, exigere, ut perito ac gnavo gubernatori Reipublicæ clavus committeretur.

§. II.

Status Ecclesiasticus per Concilia in Gallia ordinatus Sæc. VII.

I.

Canones Concilii Parisiensis anno 615.

Sub Clotario II. Synodus hæc Nationalis totius Franciæ congrata
15. à 79. Episcopis canones edidit 15.

1. Statuitur, ut Episcopi electio & consecratio fiat secundùm canones: nempe ut is ordinetur, quem Metropolitanus (à quo dein consecrandus est) cum Provincialibus suis Episcopis, & Clero vel populo, absque ulla simoniæ labe elegerit. Irrita autem decernitur ordinatio, quæ fit imperio Principis, aut absque electione Metropolitani, cleri aut civium consensu.

2. Vivente Episcopo nullus subrogetur, si Ecclesiam suam adhuc regere possit.

3. Clerici ne quærant patrocinia sæcularia contra suum Episcopum.

4. Clerici sine consensu Episcopi à Judice sæculari ne distringuntor.

5. Liberti ab Episcopo defenduntor.

6. Alieni ab Ecclesia sunto, qui auferunt ea, quæ pro fabrica Ecclesiæ sunt legata.

7. Nemo contingito res Clerici defuncti ante cognitum testamentum.

8. Ab

8. Abbate vel Presbytero mortuo, Episcopus aut Archidiaconus res ab eo relictas non auferunto.

9. Nemo alterius Ecclesiæ aut Diœcesis res aut jura ad se trahito; licèt territorium temporale ad alium Principem devolveretur.

10. Testamenta Episcoporum rata sunto; quamvis non habeant solenitates, à jure civili requisitas.

11. Lites, quas habent Episcopi inter se, ad judicium publicum seu sæculare ne deferuntor, sed ad tribunal Metropolitani.

12. Monachi vagi per Episcopos ad monasterium rediguntor. Contumaces excommunicantor.

13. Viduæ & puellæ, quæ abjecto religionis habitu, quem in domibus propriis assumserant, ad nuptias convolant, excommunicantor, donec emendentur.

14. Sub eadem censura vetantur incestæ nuptiæ, cum consanguineis nempe & affinibus.

15. Judæi nullum publicum munus consequuntor, nisi baptizentur.

II.

Canones Concilii Rhemensis anno 625.

In hac Synodo, sub eodem Clotario II. celebrata, editi sunt 16.
25. canones, quibus prohibetur,

Ne bona Ecclesiæ, per *precariam* impetrata, diurnitate temporis usurpentur ùt propria. (*quia scilicet tantùm ususfructus per hunc contractum vel ad certum tempus, vel ad dies vitæ conceditur. Unde ne proprietatem precista sibi unquam vendicet, cap. 1. de precariis statuitur, ut renovatio hujus concessionis petatur de quinquennio in quinquennium.*)

Ne Clerici conspirent contra Episcopum.

Ne quis temerè excommunicetur. Et qui se injustè damnatum putat, potest in Synodo proxima querelam proponere.

Ne Clerici profanis officiis implicentur. Neque ad Judicem sæcularem citentur.

Ne fugitivus abstrahatur ex Ecclesia.

Ne quis suas vel parentum oblationes, Ecclesiæ factas, subtrahat.

Ne servi Christiani vendantur Judæis, vel gentilibus.

Ne serviles personæ admittantur ad accusandum.

Ne Clericus in ſuis vel Eccleſiæ cauſis ſine Epiſcopi conſenſu forum ſæculare adeat.

Ne Epiſcopus vaſa Eccleſiæ frangat, niſi ad redimendos captivos.

Ne ullus viduas aut puellas, Domino conſecratas, quacunque authoritate extrahere audeat.

III.

Canones Concilii Cabilonenſis anno 650.

17. Hæc Synodus voluntate Clodovæi II Præſide Archiepiſcopo Lugdunenſi celebrata ſtatuit, ut conſervetur fides Nicæna, in Chalcedonenſi Synodo explicata. Ut ſerventur canonum decreta. Ut fœminarum familiaritas videtur à Clericis. Ne in una civitate duo ſint Epiſcopi, aut in uno monaſterio duo Abbates.

Tanquam necatorem pauperum eſſe habendum, qui res Eccleſiaſticas invadit. Bona defuncti Clerici intacta maneant. Epiſcopos eligendos à Comprovincialibus, clero & civibus. Clerici in oratoriis, quæ magnates in villis ſuis fundârunt, ſacris operantes, Epiſcopo in omnibus ſint ſubjecti.

Simoniacè ordinatos exauctorandos eſſe. Excommunicandos, qui in Eccleſia arma ſtrinxerint. Ruralibus operibus diebus Dominicis abſtinendum. Denique Agapius & Bobo Epiſcopi deponuntur; quia in multis contra canones deliquerint.

Specialiter autem notandus eſt canon octavus, in quo declaratur, pœnitentiam à Sacerdotibus imponendam eſſe iis, qui peccata apud ipſos confeſſi fuerint. Hunc canonem Hottingerus *in Helvet. Hiſt. ann.* 650 de *publica* confeſſione & pœnitentia intelligendum dicit. Sed more ſuo tantùm dicit, absque ulla probatione.

In præfatione idem Concilium aſſerit: *ſi fuiſſet aliquid prætermiſſum, vel per negligentiam aut ignorantiam vitiatum, in priſtinum ſtatum, ſicut dudum fuerat à SS. Patribus ſtatutum, deberet reformari.* His verbis mirè ſibi complacet memoratus Præco, quaſi jam tunc de *Reformatione* eſſet actum. Ita eſt. Quotiescunque hæreſis orthodoxam fidem violare attentavit, aut morum licentia diſciplinam corrupit, omnibus ſæculis tum Summi Pontifices, tum Epiſcopi, tanquam vigiles ſuper gregem Domini Paſtores, curam ſuam in omnem partem intendentes, tum Pontificiis Sedis Apoſtolicæ canonibus, tum innumeris Synodalibus decretis, reformârunt, quidquid reformatione indigebat; ùt perſpicuum eſt ex tot ſaluberri-

berrimis Conciliorum, quà Generalium, quà Nationalium, atque Diœcesanorum Decretis. Quorum in id labor, studium atque industria fuit collata, ut, excisis hæresum vitiorúmque loliis, & fides Christi conservetur integra, & disciplinæ nervus, alicubi relaxatus, adstringatur.

Neque ad hoc exspectavit Christi Ecclesia nuper primùm enatos homines impuros, Zwinglium aut Calvinum; qui non reformârunt, sed turpissimè deformârunt infelices sectatores suos, & sensibus suis lenocinantes, novum Ecclesiæ systema sunt commenti, nunquam antea visum, auditum nunquam.

Et cur Hottingerus cum suis contribulibus non etiam sibi applaudit, & complacet in istis Concilii verbis, quæ in eadem præfatione, imò in eadem propè linea habentur: *ipsius sancti Martyris* (Vincentii, in cujus Basilica Synodus habebatur) *Intercessionem poscentes*: cur ista, memoratu dignissima omittit? cur præterit? cur abscondit? non faciebant ad gustum nauseantis stomachi Zwingliani. Satyram in Catholicos, fabulámque, non historiam voluit scribere, certè ne unam Historici dotem in eo deprehendas.

IV.

Augustodunense.

Anno 670. Præside S. Leodegario aliquot canones edidit de Monastica disciplina. Ne scilicet monachi pecuniam habeant. Ne sint compatres. Ne vagentur in civitatibus. Ne fœminis sint familiares, aut ingressum in sua monasteria illis permittant. Ne monachus alterius Monasterii absque Abbatis licentia retineatur. Abbates observari curent, quidquid Ordo Canonicorum, aut Regula S. Benedicti præscribit. Adduntur transgressoribus pœnæ. 18.

V.

Canones Concilii Nannetensis.

Hoc sub finem Sæculi VII. decrevit, ne alieni parochiani admittantur ad missam, nisi sint in itinere, vel domicilium ibi habuerint, aut gerendum negotium. Nolentes reconciliari ex Ecclesia amandandos, donec ad charitatem redeant. Ne fœminæ Sacerdoti ad aram ministrent. Nullam omnino fœminam in domo Sacerdotis tolerandam. Pro sacra sepultura nihil exigendum. Nullum sepeliendum in ipsa Ecclesia. 19.

Unus

Unus Presbyter plures ne habeat Ecclesias, nisi plures sub se Sacerdotes habeat, qui in qualibet Ecclesia officia divina peragant. Solvendas decimas & oblationes, eásque in quatuor partes secundùm canones distribuendas. Qui ordinari petunt, per tres dies esse examinandos.

Adulteram conjugem à viro dimitti posse. Adulteræ verò per septem annos agendam pœnitentiam. Eandémque legem servandam, si maritus fuerit adulteratus. Simplicem fornicationem publica trium annorum pænitentia esse expiandam: adulterium verò soluti cum conjugata quinque annorum pœnitentia.

Confraternitates piis religionis officiis secundùm suum institutum se diligenter impendant: nec conviviis expensas inutiles faciant. Ne quidem Ecclesiam *patronatam* quis obtineat sine consensu Episcopi. Homicidio, etiam casuali, pœna dictatur. Fœminis in gyneceis de lanificio, & aliis muliebribus officiis disputandum, non verò in conventibus senatoriam velut auctoritatem usurpandam.

ARTICULUS III.

De Conciliis Hispaniæ Sæculi VII.

20. *Prænotanda,* Postquam Reccaredus, quem ab Ariano errore ad fidem orthodoxam conversum diximus, pientissimè decesserat, *Livva* ejus filius, vix annos viginti natus, Procerum studio successit. Magnáque promittere visa est indoles Principis. At altero Regni anno *Witterici* proditione periit.

Parricidæ merces sceleris regnum fuit; quod septem ferme annos tenuit, cum Romanorem in Hispania reliquiis varia sæpiùs fortuna confligens. Verùm cùm de Arianismo revocando consilia agitare crederetur, impetu in regiam facto, inter prandendum à populo est trucidatus, corpúsque ejus per plateas unco tractum, inter convitia in locum ignobilem est projectum: vindicante Numine innocentem Livvæ sanguinem.

Witterico interempto Procerum suffragiis subrogatus est *Gundemarus* anno 610. at altero mox anno defunctus, non alia re clarus, quàm quòd Vascones, qui sæpiùs erant rebelles, domuerit, & cum Romanis ducibus feliciter conflixerit.

Successit electione Optimatum *Sisebertus*, Princeps religione, liberalitate, pacis bellique artibus clarissimus. Judæos hortatu Heraclii Imperatoris ad Christianam fidem vi compulit. Quem

zelum

zelum nimium Episcopi improbârunt. Domuit Astures & Rucco-nes perduelles. Cæsarium Romanum Ducem pacem petere coëgit. Obiit plenus meritis nono regni, anno Christi 621. Regni ejus anno septimo, Præside S. Isidoro, conventus Episcoporum Hispali est celebratus, ùt modo dicetur.

§. I.

Canones Concilii Hispalensis II. anno 619.

1. Statuitur, ut Ecclesia parochialis à diœcesi hostili incursione ab- 21.
stracta, jure postliminii revertatur. *Non enim erit præscriptio temporis, ubi necessitas interest hostilitatis.*

2. Contra certos limites Diœcesis aut parochiæ non præscribitur.

3. Desertores clerici Episcopis suis restituantur.

4. Qui viduam duxit, illicitè ordinatur.

5. Presbyter invalidè ordinat presbyterum aut Diaconum.

6. Presbyter non deponendus ab uno tantùm Episcopo.

7. Presbyteri non debent erigere altaria aut illa consecrare, chrisma conficere, confirmare, publicè pœnitentes reconciliare publicè, formatas mittere, præsente Episcopo baptizare, absolvere, sacramentum corporis & sanguinis Christi conficere, populum docere.

8. Ecclesiæ liberti ingrati ad servitutem revocentur.

9. Oeconomus Ecclesiæ non sit laicus.

10. Monasteria non convellenda.

11. Monachi dirigant Monachas cum magna cautela.

12. & 13. contra Eutychianos, Acephalos, & Nestorianos definitur, unam in Christo esse personam, & duas Naturas, Divinam & humanam; ac proin Christum in Natura Divina subsistere ab æterno, immortalem, æqualem Patri, Deum verum de Deo vero, in humana verò natura, in tempore assumpta, natum ex Maria virgine, crucifixum, mortuum, & sepultum.

§. II.

Canones Concilii Bracarensis & Cæsaraugustani.

Bracarense IV. in Lusitania celebratum, novem canonibus statuit, 22.
ne Missa celebretur absque orario. Ne Evcharistia vino madida porrigatur. Ne sacras Reliquias extra thecas gestent Dia-

coni. Ne Sacerdotes uvas non expressas offerant in sacrificio Missæ, sed panem tantùm & vinum aquâ permixtum. Ne vasa sacra ad usus profanos adhibeantur. Ne Sacerdotes verberibus castigentur ab Episcopo, nisi graviora ob delicta. Additæ pœnæ in simoniacos, & rerum Ecclesiæ negligentes administratores.

Cæsaraugustanum sanxit, ne Episcopi alia die, quàm Dominica, Ecclesias consecrent. Ne sæculares ùt hospites intra claustra Monasteriorum recipiantur, nisi cum Abbatis licentia.

§. III.

Prænotanda ad Concilia Toletana.

Frequentissima hoc Sæculo VII. in Hispania fuerunt *Concilia Toletana*, ex pluribus Gothorum provinciis collecta, Episcoporum zelo, & voluntate regum; qui tot inter domesticas externásque turbas religionibus firmandam censebant coronam, nutantem alioquin in Regio vertice. Plures enim illa paucos inter annos pertransiit potiùs, quàm ornavit.

Et quidem mortuo Sisebuto, ejúsque filio Reccaredo tribus post mensibus subsecuto, rediit tandem regnum libera electione ad Reccaredi I. conversi filium *Suintbilam*, qui Vasconibus ad obsequium retractis, Romanos, quibusdam Hispaniæ locis eò usque pertinaciter insidentes, penitus tandem ejecit. At cùm infelix Princeps indolem, quam bonam natura dederat, vitiis corrupisset, & *Rechimirum* filium Regni consortem ac successorem declarâsset, (quod contra jus Gothicum & antiquam consuetudinem, atque contra suffragiorum libertatem factum querebantur) indignati Hispani, Francorum operâ Regem Suinthilam, cum conjuge & liberis in exilium ejecerunt, suffecto in ejus locum *Sisenando*, anno 631.

Sisenandus in ea temporum perturbatione, & rerum omnium colluvione, considerans, scissis Provincialium studiis, regnum diu stare non posse, in id curam & industriam intendit, ut religione populos ad fidem servandam adstringeret, séque in regno Episcoporum auctoritate fulciret.

Ex tota igitur Hispania & Gallia Narbonensi, quæ adhuc Gothis parebat, Nationale Concilium congregari voluit. In eo conventu novus Rex Sisenandus procumbens in genua coram Patribus, humillimóque totius corporis habitu, inter singultus & lacrymas preces pro se, ut Divinum Numen propitietur, fundi voluit.

Editi

Editi dein canones ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentes, quos breviter subjungimus.

§. IV.

Canones Concilii Toletani IV. Nationalis anno 633.

In hoc Concilio 62. Episcopi 75. Canones Præside S. *Isidoro* Hispalensi, ac præsente etiam Rege Sisenando constituerunt. Ex quibus, ne repetitio eorundem Canonum Lectori nauseam moveat, eos tantùm summatim referam, qui magis videntur memorabiles. 23.

In 1. can. præmittitur præclara fidei professio de SS. Trinitatis & Incarnationis mysterio, dicitúrque inter alia: *solus autem Dominus Jesus Christus, unus de sancta Trinitate, anima & carne perfectum sine peccato suscipiens hominem, manens, quod erat, assumens, quod non erat, æqualis Patri secundùm Divinitatem, minor Patre secundùm humanitatem: habens in una persona duarum naturarum proprietatem; naturæ enim in illo duæ, Deus & homo, non autem duo filii, nec Dei duo, sed idem una Persona in utraqua natura, perferens passionem & mortem pro nostra salute: non in virtute Divinitatis, sed infirmitate humanitatis. Descendit ad inferos, ut sanctos, qui ibidem tenebantur, erueret &c.* In hoc canone insuper Synodus clarè profitetur, Spiritum sanctum à Patre *Filióque* procedere.

In 2. statuitur, uniformem esse modum oportere orandi, psallendi, rituúmque Ecclesiasticorum in Missarum solenniis, in administratione Sacramentorum, prout antiqui canones decreverunt. (*Missale & Breviarium Mozarabicum, hoc est, ex antiquo Gothorum more conservatum, in hoc Concilio à S. Isidoro compositum esse existimatur.*)

In 3. commendatur Synodorum frequentia. Ad quas causæ adversus Episcopos, Judices, aut potentes, aliósque, deferantur.

In 4. forma Synodi præscribitur.

In 6. ventilata est quæstio, utrum baptismus una vel trina immersione infantis in aquam sit conferendus? statuúntque post consultam sedem Apostolicam, licèt uterque ritus sit innoxius, tamen propter majorem conformitatem, unicam deinceps immersionem esse adhibendam.

In 8. Vetatur die Parasceves finiri quadragesimale jejunium.

In 9. Lucernam & cereum in pervigilio paschæ benedicendum.

In 11. In quadragesima secundùm morem Ecclesiæ omittendum *alleluja:* quia tempus mæroris est, non gaudii.

In 12. 13. 14. 15. 16. præscribuntur variæ orandi, & canendi formulæ: ùt recitandi quotidie orationem Dominicam: *gloria in excelsis Deo: gloria honórque Patri:* varii hymni: prout alibi fieri consuevit.

In 17. librum Apocalypsis inter Divinos libros esse recipiendum: *quia illum multorum Conciliorum authoritas, & Synodica sanctorum Præsulum Romanorum decreta Joannis Evangelistæ esse perscribunt.*

In 19. Non esse ordinandos, qui se ipsos absciderunt, defectu notabili corporis laborantes, qui alteram uxorem duxerant; qui viduam vel corruptam ab alio duxerunt; servi, ignoti, neophyti, laici, milites, obligati ad ratiocinia, rudes, ætate deficientes, per saltum promoti, ambitiosi, simoniaci.

In 20. ante 25. ætatis annum non ordinentur Levitæ, nec ante 30. Presbyteri. *(ex illius temporis disciplina.)*

In 21. 22. 23. commendatur Clericis morum probitas, *ut mundi corpore, purgati mente, possumus ad sacrificium Christi digni accedere.*

In 24. ut omnes adolescentes Clerici in uno conclavi atrii commorentur, sub probatissima disciplina Senioris Clerici, qui sit magister doctrinæ, & testis vitæ.

In 25. Sacerdotes sciant sacras scripturas, & Canones & ædificent cunctos tam fidei scientia, quàm operum disciplina.

In 27. Quando presbyteri per parochias constituuntur, debent professionem Episcopo suo facere, ut castè & purè vivant.

In 30. & 31. Clerici se non immisceant bellorum negotiis, nec judiciis criminalibus.

In 32. Episcopi sint oppressorum Patroni.

In 33. Synodus invehitur in eos sacerdotes, qui oblationes in usus suos convertunt, & Ecclesias collabentes non reparant. Et additur: *Noverint autem basilicarum conditores, in rebus, quas eisdem Ecclesiis conferunt, nullam potestatem habere, sed juxta Canonum instituta, sicut Ecclesiam, ita & dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere.*

In 34. Quicunque Episcopus alterius Episcopi Diœcesin per 30. annos sine interpellatione possederit, actioni reposcendi præscripsit: Provinciarum tamen terminis illæsis. *Dist.* 16. *q.* 3.

In 36. Episcopus per se vel alios visitans quot annis diœcesin, in reditus basilicarum, reparationes, & ministrorum vitam inquirat. *Causa* 10. *q.* 1.

In 38. Qui Ecclesiæ aliquid contulerunt, si fortè ipsi aut eorum filii redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Ecclesia ipsis succurratur. 15. *q.* 7.

In 39. Diaconi agnoscant presbyteros sibi superiores, eósque subsequantur. *C. nonnulli dist.* 93.

In 41. Clerici detonso superiùs toto capite, inferiùs solam circuli coronam relinquant.

In 42 Cum Clericis extraneæ fœminæ nullatenus habitent, nisi tantùm mater, soror, amita, vel filia (*quam scilicèt ante ordinationem nactus est.*)

In 45. Clerici, qui in seditione arma sumpserint, amisso Ordinis sui gradu in monasterium ad pœnitentiam tradantur. *c. Clerici* 27. *q.* 8.

In 47. Clerici ab omni publica indictione atque labore habeantur immunes.

In 49. Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit; quidquid horum fuerit, omnis ad sæculum interdicitur regressus. *Cap. Monachum* 20. *q.* 1.

In 50. Clericos non esse impediendos ab Episcopo ab ingressu in monasterium.

In 52. Monachi ad sæculum reversi, retrahantur in monasterium, & pœnitentiæ subjiciantur, ut peccata sua defleant.

In 57. Judæi aliique, qui sub Sisebuto Rege ad fidem & baptismum coacti sunt, Christianè debent vivere. Deinceps verò nemo ampliùs ad fidem Catholicam cogatur.

In 58. Excommunicandus, qui, acceptis à Judæis muneribus, eorum perfidiæ patrocinatur. *Quia dignum est, ut à Corpore Christi separetur, qui inimicis Christi Patronus efficitur.* cap. plerique dist. 4. de consecrat.

In 60. Judæorum liberi, ne parentum ultro involvantur erroribus, ab eorum consortio separandi sunt: & vel monasteriis vel aliis piis Christianis tradendi, ut in fide instruantur & Christianè educentur. *cap. Judæorum caus.* 28. *q.* 1.

In 61. Judæi baptizati nullam communionem habere sinantur cum aliis Judæis. *cap. sæp.* 29. *q.* 1.

In 63. Judæi, Christianas conjuges habentes moneantur ab Episcopo, ut Christiani fiant. Si nolint, separentur. *cap. Judæi* 28. *q.* 1.

In 65. Judæi ad nulla officia publica admittantur. *cap. constit. 17. q. 4.*

In sequentibus 6. Canonibus de servis Ecclesiæ, eorum manumissione, & libertis Ecclesiæ tractatur. (*Hæc hodierno hominum Christianorum statui, in quo tales personæ non ampliùs habentur, non conveniunt.*)

In 73. Qui priùs fuerunt servi, sed à Domino sua perfecta manumissione plenam libertatem sunt consecuti, ut nullum Patronus obsequium aut subjectionem sibi reservârit, possunt admitti ad sacros ordines. Secùs verò, si obsequio aliquo adhuc Patrono sint devincti. *cap. quicunque dist.* 54.

In 74. Qui de familiis Ecclesiæ sunt, si manumissi sint, possunt ordinari. Nihil tamen eis licet ad extraneas personas transmittere: sed omnia post eorum obitum cedunt Ecclesiæ, à qua manumissi sunt. Neque possunt tales esse accusatores aut testes contra Ecclesiam suam Patronam.

In ultimo Canone multa decernuntur, consentiente Rege *Sisenando*, præsente in Concilio, de Regno & Regibus Hispaniæ; videlicet,
24. *De Rege Sisenando.* fidelitatem erga Regem servandam: cùm nequidem hostibus datam fidem frangere liceat. Graviter vetantur omnes seditiones civium, & conspirationes adversus Regem. Defuncto absque liberis Rege, à primatibus totius Hispaniæ & sacerdotibus communi consilio Regem esse constituendum. Denique trina acclamatione anathema dictum his vocibus: *quicumque amodo ex nobis, vel cunctis Hispaniæ populis, qualibet meditatione vel studio sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ salute, gentisque Gothorum statu, vel incolumitate Regiæ potestatis, pollicitus est, violaverit, aut Regem nece attrectaverit, aut potestati Regni exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium usurpaverit, anathema sit in conspectu Spiritus sancti, & Martyrum Christi, atque ab Eccesia Catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus, & ab omni communione Christianorum alienus, neque partem justorum habeat, sed cum Diabolo & Angelis ejus æternis suppliciis condemnetur, unà cum eis, qui eadem conjuratione nituntur, ut par pœna perditionis constringat, quos in perniciem prava societas copulat.*

Tum totus clerus cum universo populo acclamavit: *qui contra hanc vestram definitionem præsumserit, anathema, perditio in adventu Domini sit, & cum Juda Ischariot partem habeat, & ipsi & socii eorum, amen.*

Ad Regem inde conversi Episcopi, eum sunt adhortati, ut moderatus & mitis cum pietate & justitia concreditos sibi populos regat. Ne solus in causis capitalibus sententiam ferat, itáque severitatem moderatione temperet, ut et rex in populo, & populus in rege, & Deus in utrisque lætetur.

De futuris autem Regibus sic statuunt: *sanè de futuris Regibus hanc sententiam promulgamus, ut si quis ex eis contra reverentiam legum superba dominatione, & fastu regio in flagitiis & facinore, sive cupiditate crudelissimam potestatem in populos exercuerit, anathematis sententia à Christo Domino condemnetur; & habeat à Deo separationem, & judicium, propter quod præsumpserit prava agere, & in perniciem regnum deducere.*

Nota 1. hunc ultimum canonem cum tanto anathematum apparatu esse constitutum propter Regem *Suinthilam*, qui, ut Synodus ista subjungit, *scelera propria metuens, se ipsum regno privavit.* 25.
Quare id cum gentis consultu decrevimus, ut neque eundem, nec uxorem ejus Suinthila.
propter mala, quæ commiserunt, neque filios eorum unitati nostræ unquam consociemus, nec eos ad honores, à quibus ob iniquitatem dejecti sunt, aliquando promoveamus. Idem de Gilane Suinthilæ fratre statuunt. Utpote qui tam in Suinthilam, quam in Sisenandum fuerit perfidus. Relinquunt tamen Sisenando novo Regi, quid ex pietate pro sustentatione velit illis elargiri.

Nota 2. ait quidem Synodus, Suinthilam propter conscientiam scelerum se ipsum regno privâsse: sed hoc ita intelligendum est, quòd Gothis propter scelera ab eo deficientibus, à Sisenando adjuvante Gallo milite, regno fuerit depulsus. Putátque Joannes Mariana *in Hist. de rebus Hisp. lib. 6. cap.* 4. odium in Suinthilam inde exortum primitus, quòd Rechimirum filium consortem regni ac successorem designârit; atque hoc pacto, contra Gothicæ gentis in Hispania morem, regnum hæreditarium facere voluerit, quod liberæ aliàs electionis fuerat.

§. V.

Canones Concilii Toletani V. anno 636.

Haud ampliùs tribus annis regnavit Sisenandus, aut usurpátor, 26.
aut vindex Imperii. Successit *Chintila* Procerum & Antistitum suffragiis, prout superiori Synodo fuerat decretum. Novus hic Rex, ut regnum suum Sisenandi exemplo religione, & Episcoporum auctoritate, in tantis adhuc discordibus animorum fluctibus, firma-

firmaret, Concilium convocari voluit. In eo 22. Episcopi 9. leges promulgârunt.

1. Decretæ Litaniæ seu supplicationes novæ triduanæ ad impetrandam à Deo peccatorum veniam.

2. Anathema dicitur illis, qui in Regem Chintilam quid molirentur, aut pacem regni turbarent.

3. Lege de ambitu sancitum anathemate, ne quis ad regnum accedat, nisi libera electione: iisque tantum, qui ex avita Gothorum nobilitate essent prognati, pateret aditus.

4. Anathemate feriuntur, qui prensant Regis mortem, aut eo superstite de successore tractant.

5. Sed neque Principi quis maledicat.

6. Regis fideles ministri à successoribus in regno non defraudentur sua mercede.

7. In omnibus Hispaniæ Synodis legantur & renoventur canones Concilii IV. Toletani: ut imprimatur magis in Principem reverentia.

8. Jus aggratiandi competit Principi.

9. Commendatur religio Regis, eique acclamatur felix ac diuturnum regimen.

§. VI.

Canones Concilii Toletani VI. anno 637.

27. Sequenti mox anno quinquaginta ampliùs Episcopi convenerunt, ex omni ditione Gothorum, & 19. Canones proposuerunt. Repetuntur in his plura, quæ in superioribus duobus Conciliis fuerant sancita de salute & securitate Regis, de Judæis, de libertis Ecclesiæ.

Primus edit professionem fidei: ubi rursus expressum, Spiritum S. à Patre Filióque procedere, hominem habere liberum arbitrium. *Christum natum à Deo sine matre, à Virgine sine patre: & cùm tota Trinitas sit operata formationem hominis (quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis) solus tamen accepit hominem in singularitate personæ, non in unitate Divinæ naturæ, in id, quod est proprium Filii, non quod commune Trinitatis.*

Ex quo Theologi communiter inferunt, solam personalitatem verbi esse *immediatè* unitam humanitati, & incarnatam, non autem naturam Divinam: quamvis hæc mediatè, in *Filio* nempe, sit unita humanitati, & secundùm SS. PP. simpliciter dici possit, naturam

turam Divinam esse unitam humanitati, & incarnatam, quatenus nempe filius, cum natura *realiter identificatus*, est incarnatus.

Neque tamen sequitur, etiam Patrem aut Spiritum S. fuisse incarnatum: licèt enim sint idem realiter cum natura incarnata, quia tamen inter naturam & personas distinctio aliqua *virtualis*, vel alia similis intercedit, prædicatum *incarnari*, aut *uniri humanitati* à natura (mediatè tantùm unita & incarnata) non communicatur Patri aut Spiritui sancto, sicut communicatur à Filio naturæ Divinæ.

Quintus canon præcipit, ut Clericus, qui stipendium habet ab Ecclesia, scripto fateri debeat, se illud habere titulo *precariè*, ne possit præscribere proprietatam.

Sextus excommunicat Religiosas personas, ordinem deserentes, & ad monasterium revocat.

Octavus pœnitentibus junioris ætatis indulget usum matrimonii, antea contracti.

Undecimus examinari jubet, an accusator sit legitimus. Excipitur crimen majestatis.

Duodecimus excommunicat confugientes ad hostes patriæ.

Statutum etiam in hac Synodo cum consensu Regis & Procerum, ut, qui imposterum per libera suffragia esset electus Rex, antequam regni possessionem adeat, juramento, inter reliquas conditiones, promittat, nunquam se permissurum, Catholicam violari fidem: ac ne quidem toleraturum in regno alienos à fide Catholica: ùt testatur Mariana *lib. 6. cap. 6. num.* 10.

§. VII.

Canones Concilii Toletani VII. anno 646.

Chinthila pientissimo Principe quarto regni anno extincto, Pro- 28.
cerum suffragiis suffectus est *Tulga*, ætate quidem juvenis, at Religionis studio, senili prudentia, regiísque dotibus florens: quibus tamen ultra tertium annum frui non licuit Hispaniæ. Successit *Chindasvinthus*, non liberis Gothicæ gentis suffragiis, sed jus in armis ferens. Meliùs tamen gessit Rempublicam, quàm occupavit, vitæ probitate, prudentia, constantiâ emendans usurpationis vitium.

Composito is regni statu ad religionis & disciplinæ curam animum intendens Synodum congregari voluit Toleti urbe Regia. Convenerunt 30. Episcopi. A quibus editi sex canones.

In 1. conſpirantes in perniciem Regis aut regni excommunicantur.

In 2. ſtatuitur, ut, ſi Sacerdos in Miſſa infirmitate deficiat, alius Sacerdos ſacrificium compleat.

In 3. Moriente Epiſcopo vicinum advocandum Epiſcopum, qui funus curet.

In 4. Ne Epiſcopus viſitans, ultra quàm neceſſe ſit Eccleſiis, ſit oneri.

In 5. coërcendos laxos Clericos, & rudes inſtruendos.

In 6. Vicinos Toleto Epiſcopos, monitos à Metropolitano Toletano, comparere Toleti oportere ſingulis menſibus, pro Regiæ civitatis honore, & Metropolitani ſolatio.

Cæterùm etiam hoc Concilium fuit Nationale, cùm plures Metropolitani præſentes ſubſcripſerint, ùt Orontius Emeritenſis, Antonius Hiſpalenſis, Eugenius Toletanus, Protaſius Tarraconenſis.

§. VIII.

Canones Concilii Toletani VIII. anno 653.

29. Chindasvintho ſucceſſit *Reccesvinthus* filius, tribus annis patri ſuperſtiti conſors regni, Princeps religioſiſſimus. Illius voluntate Toleti convenerunt 52. ex diverſis Provinciis Epiſcopi ad Nationale Concilium. In hoc præſente etiam Rege conditi ſunt duodecim canones, de Eccleſia & Republica.

His decernitur, vota & juramenta illicita eſſe etiam irrita. Simoniacos deponendos, & excommunicandos. Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis ſervandam continentiam. Clericos ſacros, qui conjugium attentant, ſub prætextu, quòd inviti ſint ordinati, tanquam Apoſtatas excommunicandos, & in monaſterium trudendos ad perpetuam agendam pœnitentiam. Nam etiam baptizatos in infantia, ſi ad majorem ætatem pervenerint, debere ſecundùm Chriſtianas leges vivere.

Non eſſe ordinandos, niſi quos morum probitas, & litteraturæ decus commendat. Violantes quadrageſimale jejunium non admittendos ad communionem paſchalem: & integro anno ab eſu carnium prohibendos. Illos verò, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut neceſſitas arctat, non poſſe antè cibis vetitis veſci, quàm à Sacerdote licentiam accipiant.

Ele-

Electionem Regis faciendam ab Epiſcopis & majoribus palatii, non veró conſpiratione paucorum, aut ruſticæ plebis ſeditioſo tumultu. Electos verò jurare debere, ſe defenſuros Religionem Catholicam adverſus Judæorum & Hæreticorum injurias: ſéque non impoſituros ſubditis novas exactiones, aut nova vectigalia.

In Synodis ſecundùm majora ſuffragia ab omnibus pronutiandum: ſervandóſque ſacros canones, etiam Judæis, à ſuperioribus Regibus ad baptiſmum, & fidem Catholicam compulſis.

Huic Concilio non tantùm ſubſcripſerunt Epiſcopi, ſed etiam Abbates, Duces, Comites, aliíque Proceres. Hæc enim Toletana Concilia, ùt ſcribit Mariana *lib. 6. cap. 9.* erant velut Regni comitia: in quibus non tatùm tractabatur de fidei doctrina, & Eccleſiæ diſciplina, ſed etiam de politicis regni negotiis.

§. IX.

Canones Concilii Toletani IX. anno 655.

Altero pòſt anno aliud rurſus Toleti Concilium Regis Recceſvinthi diligentiâ (ùt loquitur Mariana) eſt habitum. Sexdecim in eo Epiſcopi Canones 17. promulgârunt. 30.

1. Res Eccleſiæ non alienantor.

2. Eccleſiarum fundatores jus nominandi habento. Collatio facta invito Patrono eſto irrita.

3. Si beneficati penſionem cuidam largiuntur de rebus Eccleſiæ ſuæ, cauſam inſtrumento exponunto.

4. Si Clericus patrimonialia non habeat, bona poſt ordinationem acquiſita Eccleſiæ cedunto: Si jam antè dives fuerit, bona poſtea quæſita, inter Eccleſiam & conſanguineos, etiamſi ab inteſtato deceat, dividuntor.

5. Epiſcopo jus eſto in Diœceſi ſua monaſterium exſtruendi, illíque quinquageſimam partem bonorum Eccleſiæ, cui præſidet, in dotem conferendi.

6. Epiſcopo jus eſto, tertiam redituum Eccleſiaſticorum partem, ſibi debitam, Eccleſiæ, cui voluerit, largiendi.

7. Epiſcopi defuncti hæredes hæreditatem non adeunto, inconſulto ſucceſſore aut Metropolitano: Hæredes verò Presbyteri aut Diaconi Epiſcopum prius conſulunto.

8. Contra Clericum, qui iniquum de rebus Eccleſiæ contractum iniit, præſcriptio tricennalis non inchoatur, niſi poſt mortem Clerici.

9. Episcopus ad sepulturam Coëepiscopi profectus ultra itineris expensas non accipiat.

10. Puniuntur incontinentes Clerici: eorum filii arcentur ab hæreditate parentum, & perpetuæ Ecclesiæ servituti adducentur.

11. Si servus Ecclesiæ ordinetur, Episcopus libertatem ei concedat.

12. Tempus collatæ libertatis computetur à morte concedentis.

13. Geniti ex libertis Ecclesiæ ab hujus obsequio non recedant.

14. Si liberti Eccclesiæ ad eam reverti nolint, res eorum Ecclesiæ cedant.

15. Liberti sint ab obsequio Ecclesiæ patronæ suæ.

16. Libertis Ecclesiæ nihil liceat transferre in alienos.

17. Judæi conversi celebrent festa Christiana.

§. X.

Canones Concilii Toletani X. anno 656.

31. Anno sequente pientissimus Rex Reccesvinthus iterum colligi voluit Synodum. Quæ constabat 20. Episcopis. Promulgati 7. Canones.

Primus festum Annunciationis B. V. 18. Decembris vult celebrari. Quo die hodie festum Exspectationis partus agitur.

Secundus jubet Clericos & Monachos honore & gradu dejici, qui generale fidelitatis juramentum, regi præstitum violaverint.

Tertius vetat, ne Episcopi propinquis suis parochiarum aut monasteriorum præfecturas committant.

Quartus monialibus habitûs formam præscribit.

Quintus voti prævaricatrices censurâ perstringit.

Sextus pueros, à parentibus religioni devotos, recedere vetat. Sic devovendi potestas sit parentibus usque ad 16. ætatis annum; postea quoad electionem status sibi relinquendi.

Septimus vetat, ne Christiani Judæis vendantur.

Refert P. Mariana l. 6. c. 9. in hoc Concilio Potamium, Bracarensem Episcopum, ob carnis lapsum, gradu motum fuisse, relicto tamen ob actam pœnitentiam Episcopi nomine: ad Bracarensem autem

tem Episcopatum translatum esse Fructuosum, in sanctorum fastos postea relatum.

Sub eodem Reccesvintho Rege habitum est *Consilium Emeritense* anno 666. in quo statutum de ordine Divini officii. De precibus pro Rege. De subjectione Episcoporum ad suum Metropolitanum.

De obligatione comparendi in Synodis. De reverentia Episcopis debita ab Abbatibus, Presbyteris &c. Memorabilis est Canon 19. qui præcipit, ut Presbyter singulis diebus Dominicis pro Ecclesiis, quibus præest, Missæ sacrificium offerendum procuret.

§. XI.

Canones Concilii Toletani XI. anno 675.

Post piam Reccesvinthi mortem, qui 23. annos Hispaniam, & 32.
Galliam Narbonensem rexit, Procerum suffragiis electus est *Wamba*, & ab Episcopo Toletano inunctus, postquam leges Gothicas servaturum se juravit. Ab hoc defecit Narbonensis Gallia, auctore rebellionis *Paulo* quodam, qui regiam sibi coronam imposuerat. At Wamba, non minùs bello strenuus, quàm pietate insignis, collecto confestim exercitu, eóque per Pyrenæa claustra trajecto, urbes rebelles expugnavit, captúmque Paulum cum perfidiæ auctoribus in triumphum duxit, indulta civibus venia.

Confecto hoc bello, ac Republica composita, ad religionis curam animum convertit. Quare intermissa octodecim annis consuetudô Ecclesiasticos conventus celebrandi ejus studio ac voluntate est revocata.

Habita proin undecima Toletana Synodus 17. Episcoporum, septémque Abbatum, Gratiis actis Deo ac Regi, ob instauratum morem habendi Concilia, 16. Canones sunt editi.

Vetatur iis omnis in Synodis tumultus, altercatio, contumelia. Præcipitur, ut in ritu Divini officii omnes sequantur morem Ecclesiæ Metropolitanæ. Discordes sacerdotes ab altari arcentur. Vetatur Clericis capitalem ferre sententiam, aut membrorum mutilationem decernere. Statuuntur pœnæ in Simoniacos: quare electum Episcopum ante ordinationem jurare oportere, se pro obtinendo Episcopatu nihil dedisse.

§. XII.

Canones Concilii Toletani XII. anno 681.

Licèt Wamba belli pacíſque artibus adminiſtraret præclarè Rempublicam, non deerant tamen, qui ambitione impulſi, perfi-
33. dia inſigni Regem Regnúmque irent perditum. Hos inter *Ervigius* Comes Chindasvinthi Regis ex filia nepos, Saracenos, qui univerſam Africam, à Nili oſtiis ad Herculis usque columnas ſibi ſubjecerant, in Hiſpaniam invitâſſe creditur. At cùm illi ingenti claſſe Hiſpanici maris oberrarent littora, eáque igne ferróque vaſtarent. Rex Wamba claſſe comparata 270. hoſtium naves aut cepit, aut ignibus abſumpſit, reportata inſigni ad hominum memoriam victoria, qua Saracenorum tyrannidem pro ea vice ab Hiſpaniæ cervicibus avertit.

Hac igitur proditione cum perfidia non profeciſſet, venenum Ervigius Regis potui miſcuit. Lento igitur cùm morbo contabeſceret, pietatis ſtudio poſita ultro coma, atque in ſacerdotis morem detonſus, monaſticum habitum induit, & in monaſterium ſe contulit: ubi ſeptem adhuc annos ſemi-vivus ſuperſtes fuit.

Ervigius igitur adeptus immani ſcelere votorum metam, thronum conſcendit, inunctus à Juliano Toletano Præſule.

At veritus exemplum ſuum tranſiturum in alios, potentiam parricidio partam religione firmare conſtituit. Magnopere igitur contendit, ut regni Antiſtites in Synodum collecti, ſceptrum ſibi ſuffragiis ſuis aſſererent, ſoliúmque communirent.

Convenerunt igitur Toletum Epiſcopi 35. ac ſententiis ſuis Ervigio regnum, quod arripuerat, confirmârunt. Qui enim negarent arma tenenti, ac rerum jam potito, quod ſupplicis ſpecie demiſsè rogabat? Non conſtantiæ ſed temeritatis id fuiſſet. Gothorum proin Proceres Sacramenti religione, quo Wambæ obſtricti erant, exſoluti, novo Regi litârunt homagio.

Falſum tamen eſt, quod aſſerunt quidam, ab hoc Concilio Wambam Regem fuiſſe à regno depoſitum. Nam ùt teſtatur P. Mariana rerum Hiſpanicarum ſcriptor celebris *lib. 6. c. 14.* veneno per viſcera graſſante ultro habitum monachalem induit. *Sequenti die*, verba ſunt Marianæ, *morbo tantiſper remittente ad ſe rediens, ex potenti quamvis paulò antè Rege Monachum repente factum ſe conſiderans, mutare noluit, ſive animi magnitudine, rurſus ſpernentis, quæ alii per ignes ferrúmque petunt, ſive deſperatione regnum recuperandi, cùm Ervigius re-*

rerum potiretur, intra eundem diem corona suscepta --- Itaque Wamba in Pamphlygæ Monasterium se contulit. Ubi septem annos & menses tres (alii diutius tradunt) purissimo religionis studio vitæ reliquum propagavit. Igitur Concilium Wambam non deposuit, sed se ipsum regno abdicavit.

Ipsum etiam hoc Concilium id testatur Canone primo, ubi ait, quòd Wamba suscepto religionis habitu, Chirographo suo Ervigium (cujus scelera fortè ipsum tunc adhuc latebant) successorem sibi in regno designârit. Hoc ipsum seniores palatii scriptô testatos esse. Julianum etiam Episcopum Toletanum, qui Ervigium unxisset, de hac Wambæ abdicatione testimonium deposuisse. Quibus omnibus approbatis, atque perlectis, subjungunt: *Dignum satis nostro cœtui visum est ut prædictis definitionibus scripturarum* nostrorum omnium confirmatio apponatur.

Cæterùm in hoc Concilio 13. editi sunt Canones. In 1. Ervigio, ùt dictum, confirmatum est regnum, Wambæ abdicatione vacuum. In 2 statuitur, eum, qui habitum pœnitentiæ seu status Monastici, etiam rationis non compos suscepisset, in eo permanere debere, etiam postquam rationis sit factus compos, *(mirabilis sanè quoad hoc temporis illius in Hispania disciplina!*

In 3. excommunicatos ob crimen in Regem aut Patriam, in Ecclesiasticam communionem recipiendos, ubi cum Rege in gratiam redierint.

In 6. Datum Toletano Episcopo jus confirmandi omnes in tota ditione Episcopos à Rege nominatos. *En Toletani Primatus jacta fundamenta, & Gothorum Regum jus nominandi!*

In 10. Jus asyli Ecclesiarum ad 30. passus extenditur.

In 12. renovantur superiorum Synodorum canones. Et Synodus provincialis quot annis celebranda indicitur.

Subscripserunt his veluti regni comitiis complures Metropolitani, Episcopi & Proceres gentis Gothicæ.

§. XIII.

Canones Concilii Toletani XIII. anno 683.

Ejusdem Regis Ervigii voluntate tertio post anno celebratum est 34.
hoc Concilium à 28. Episcopis, & 9. Abbatibus præsentibus etiam Rege ac Regni Proceribus. Conditi canones 12.

Quibus *Paulianæ* adversus Regem Wambam conjurationis reis venia concessa. Vectigalia Regia imminuta. Cautum securitati Re-

Reginæ ac Regiæ familiæ, si Regem Ervigium mori contingeret: vibrato in eos anathemate, qui vim intulissent. Veritum etiam Regibus successoribus Reginas viduas ducere: néve Gothorum nobilitas confuso cum plebejis sanguine obscuretur.

Nota. Canon illæ de Regiæ familiæ securitate appositus est, quia meritò timebatur, ne post mortem Ervigii populari invidia deflagrarent, propter discordias inter Chindasvinthi Regis posteritatem, & Wambæ cognatos. Quæ tandem Regnum Hispaniæ ibant perditum.

§. XIV.

Concilium Toletanum XIV. anno 684.

35. Hoc Concilium celebratum est jussu & authoritate Leonis II. Summi Pontificiis, ac voluntate regis *Ervigii*, ut acta sexti Concilii Generalis, quo Monothelitæ fuerant damnati, Hispaniæ Præsulum assensu promulgarentur. Probata est omnino à 17. Episcopis congregatis Synodus sexta Oecumenica. Sed prætermissa quinta Synodo, primo loco post Chalcedonensem est collocata. Nempe Sæculi illius vitio, Africæ atque Illyrici exemplo, quintum Concilium Generale, quod Justiniano Imperatore habitum erat de tribus Capitulis, repudiabant. Quod & Isidorum Hispalensem fecisse ex scriptis ejus erui Mariana putat. Quia scilicet non satis distinguebant inter scripta Theodori, Theodoreti, & Ibæ hæretica, & eorum personas, illísque damnatis, has, si errori renuntient absolvi posse.

Misit Synodus acta sua, ad summum Pontificem, cum expositione fidei, à Juliano Toletano Episcopo composita. In hac nonnulla Benedictus Papa, qui interim Leoni II. successerat, improbanda censuit: præcipuè, quod de sacra Triade disserens dixisset *sapientiam ex sapientia* procedere, *voluntatem ex voluntate*: quomodo Ecclesia affirmat, Deum de Deo, lumen de lumine. Quas locutiones extendi nolebat Pontifex. Illúdque præterea, quòd Christum *ex tribus substantiis* conflatum esse diceret.

§. XV.

Concilium Toletanum XV. anno 687.

36. Rex Ervigius, ut Chindasvinthi Regis, avi sui, familiam cum Wambæ exauctorati stirpe, sublatis discordiis, quæ hactenus intercesserant, amicitia conjungeret, filiam *Cixilonem Egicæ*, Wambæ

bæ propinquo, uxorem dedit, poſtquam is juraverat, ſe Reginæ, ſocrus ſuæ, ac Ervigii filiorum, curam habiturum, nec permiſſurum, ut eorum fortunæ poſt mortem Ervigii ſoceri diripiantur.

His ita peractis Ervigius pridie mortis ſuæ *Egicam* generum deſignavit ſucceſſorem, Proceribus ſacramento ſolutis, quo ipſi obſtricti fuerant, ut in novi Regis verba jurarent.

Verùm Egica Regnum à vindicta in Ervigium, & ſocerum & Patronum ſuum auſpicatus, Cixilonem, ex qua Witizam jam ſuſceperat filium, repudiavit. Sumptum etiam de Proceribus ſupplicium, quorum opera Wambam in fraudem impulſum, ac regno dejectum eſſe conſtabat.

Hanc vindictæ cupidinem ſi excipias, Egica iis pacis bellíque artibus clarus rerum clavo præſedit, ut facilè cum quovis priorum Regum de laude poſſit contendere. Religionis etiam amplificandæ ſtudio, & ſuperiorum Regum æmulatione provocatus, *Concilium Toletanum XV.* haberi curavit, à 66. Epiſcopis.

Duo majoris momenti puncta ſunt excuſſa. Nam 1. de orthodoxia Juliani Toletani Præſulis eſt inquiſitum, cujus propoſitionem geminam Benedictus Papa improbaverat. Scripſit Julianus apologeticum, itáque verborum ſuorum ſenſum temperavit, explicavítque, ut doctrina ejus à Concilio ſit laudata, atque etiam à Sergio Pontifice, Benedicti ſucceſſore.

Alterum caput diſcuſſionis erat jusjurandum, quo Egica rex promiſerat Ervigio Reginæ viduæ & filiorum ejus ſecuritatem. Cùm autem hi plura injuſtè ablata poſſiderent, quæſitum eſt, an juramento rex vetaretur pro iis pronuntiare, quibus jus ad bona illa eſſe cognoſceret? reſpondit Concilium, juramenti ſanctitatem haudquaquam patrocinari ſceleri, nec eſſe vinculum iniquitatis. Religionis eſſe officium, oppreſſis ſecundùm jura & merita cauſæ adminiſtrare juſtitiam.

§. XVI.

Canones Concilii Toletani XVI. anno 693.

Voluntate ejusdem Regis *Egicæ* convenerunt Epiſcopi 61. à quibus eſt præmiſſa prolixa profeſſio fidei, in qua ad Juliani Toletani mentem inter alia hæc habentur: *ſicut eſt Catholicum dici, Deum de Deo, lumen de lumine, lucem de luce, ita veræ fidei eſt proba aſſertio, voluntatem dici de voluntate, ſicut ſapientiam de ſapientia, eſſentiam de eſſentia:* 37.

Reginæ ac Regiæ familiæ, si Regem Ervigium mori contingeret: vibrato in eos anathemate, qui vim intulissent. Veritum etiam Regibus successoribus Reginas viduas ducere: néve Gothorum nobilitas confuso cum plebejis sanguine obscuretur.

Nota. Canon illæ de Regiæ familiæ securitate appositus est, quia meritò timebatur, ne post mortem Ervigii populari invidia deflagrarent, propter discordias inter Chindasvinthi Regis posteritatem, & Wambæ cognatos. Quæ tandem Regnum Hispaniæ ibant perditum.

§. XIV.

Concilium Toletanum XIV. anno 684.

35. Hoc Concilium celebratum est jussu & authoritate Leonis II. Summi Pontificiis, ac voluntate regis *Ervigii*, ut acta sexti Concilii Generalis, quo Monothelitæ fuerant damnati, Hispaniæ Præsulum assensu promulgarentur. Probata est omnino à 17. Episcopis congregatis Synodus sexta Oecumenica. Sed prætermissa quinta Synodo, primo loco post Chalcedonensem est collocata. Nempe Sæculi illius vitio, Africæ atque Illyrici exemplo, quintum Concilium Generale, quod Justiniano Imperatore habitum erat de tribus Capitulis, repudiabant. Quod & Isidorum Hispalensem fecisse ex scriptis ejus erui Mariana putat. Quia scilicet non satìs distinguebant inter scripta Theodori, Theodoreti, & Ibæ hæretica, & eorum personas, illísque damnatis, has, si errori renuntient absolvi posse.

Misit Synodus acta sua, ad summum Pontificem, cum expositione fidei, à Juliano Toletano Episcopo composita. In hac nonnulla Benedictus Papa, qui interim Leoni II. successerat, improbanda censuit: præcipuè, quod de sacra Triade differens dixisset *sapientiam ex sapientia* procedere, *voluntatem ex voluntate*: quomodo Ecclesia affirmat, Deum de Deo, lumen de lumine. Quas locutiones extendi nolebat Pontifex. Illúdque præterea, quòd Christum *ex tribus substantiis* conflatum esse diceret.

§. XV.

Concilium Toletanum XV. anno 687.

36. Rex Ervigius, ut Chindasvinthi Regis, avi sui, familiam cum Wambæ exauctorati stirpe, sublatis discordiis, quæ hactenus intercesserant, amicitia conjungeret, filiam *Cixilonem Egicæ*, Wambæ

bæ propinquo, uxorem dedit, poſtquam is juraverat, ſe Reginæ, ſocrus ſuæ, ac Ervigii filiorum, curam habiturum, nec permiſſurum, ut eorum fortunæ poſt mortem Ervigii ſoceri diripiantur.

His ita peractis Ervigius pridie mortis ſuæ *Egicam* generum deſignavit ſucceſſorem, Proceribus ſacramento ſolutis, quo ipſi obſtricti fuerant, ut in novi Regis verba jurarent.

Verùm Egica Regnum à vindicta in Ervigium, & ſocerum & Patronum ſuum auſpicatus, Cixilonem, ex qua Witizam jam ſuſceperat filium, repudiavit. Sumptum etiam de Proceribus ſupplicium, quorum opera Wambam in fraudem impulſum, ac regno dejectum eſſe conſtabat.

Hanc vindictæ cupidinem ſi excipias, Egica iis pacis bellíque artibus clarus rerum clavo præſedit, ut facilè cum quovis priorum Regum de laude poſſit contendere. Religionis etiam amplificandæ ſtudio, & ſuperiorum Regum æmulatione provocatus, *Concilium Toletanum XV.* haberi curavit, à 66. Epiſcopis.

Duo majoris momenti puncta ſunt excuſſa. Nam I. de orthodoxia Juliani Toletani Præſulis eſt inquiſitum, cujus propoſitionem geminam Benedictus Papa improbaverat. Scripſit Julianus apologeticum, itáque verborum ſuorum ſenſum temperavit, explicavítque, ut doctrina ejus à Concilio ſit laudata, atque etiam à Sergio Pontifice, Benedicti ſucceſſore.

Alterum caput diſcuſſionis erat jusjurandum, quo Egica rex promiſerat Ervigio Reginæ viduæ & filiorum ejus ſecuritatem. Cùm autem hi plura injuſtè ablata poſſiderent, quæſitum eſt, an juramento rex vetaretur pro iis pronuntiare, quibus jus ad bona illa eſſe cognoſceret? reſpondit Concilium, juramenti ſanctitatem haudquaquam patrocinari ſceleri, nec eſſe vinculum iniquitatis. Religionis eſſe officium, oppreſſis ſecundùm jura & merita cauſæ adminiſtrare juſtitiam.

§. XVI.

Canones Concilii Toletani XVI. anno 693.

Voluntate ejusdem Regis *Egicæ* convenerunt Epiſcopi 61. à quibus eſt præmiſſa prolixa profeſſio fidei, in qua ad Juliani Toletani mentem inter alia hæc habentur: *ſicut eſt Catholicum dici, Deum de Deo, lumen de lumine, lucem de luce, ita veræ fidei eſt proba aſſertio, voluntatem dici de voluntate, ſicut ſapientiam de ſapientia, eſſentiam de eſſentia:* 37.

Nota. De Judæis Rex ipse Egica ad Concilium retulerat, oblato libello conquestus, quòd prodendæ Hispaniæ consilia cum Judæis Africanis communicârint; eámque machinationem per totam Hispaniam serpsisse.

§. XVIII.

De Conciliabulo Toletano & Hispaniæ ruina.

Tot Concilia Toletana, piè sanctéque hactenùs celebrata, prohi-
39. bere non poterant, quò minùs res Hispaniæ ad interitum properarent. Equidem jam antè factiones Procerum impellebant in præcipitium: at sustinuerat utcumque rerum molem probitas priorum Regum; donec ultimorum duorum Regum, gentísque scelera cœlestes iras in vindictam provocarent.

Et *Witiza* quidem, ab Egica patre in societatem regni vocatus, premebat utcumque sceleratam indolem, vivente patre, sed eo fatis defuncto, totum se palam exhibuit, crudelitatis, impietatis, libidinis, scelerúmque omnium monstrum.

Nec satis erat, se esse turpem, obscœno Principi, nisi & alios faceret. Concubinarum gregem aluit, & ut subditi exemplum Regis sequerentur, legem tulit, ne Ecclesiasticis quidem personis ea lege exceptis. Quàm ea res gentis corruptionem traxerit, facilè æstimari potest; cùm generis humani vitio potentius ad malum sit exemplum ac mandatum ducis, quàm ad honestatis & arduæ virtutis decus: præsertim ubi jam aliàs malè vivendi consuetudo invaluerit.

Altera lege Romani Pontificis, cujus auspiciis hactenus religio steterat, & Gothicæ res auctæ, & bonis omnibus amplificatæ erant, authoritatem sacram in Hispaniam abrogavit. Atque ut nihil ad impietatem deesset, utramque legem (legis, inquam, portentum) communi populi consensu firmari curavit.

Convocavit proin Toletum Episcopos: qui aut ipsi etiam jam corrupti, aut scelerum licentia pellecti, aut timore perculsi, canes muti, pro grege latrare non audebant, aut denique quibus mens cordatior, regia impietate dominante non sunt auditi. Certè eo in Conciliabulo nihil actum more Majorum, aut lege Patrum. Priscæ etiam sanctiones, contra Judæos latæ, aboleri jussæ, ne videlicet ulla deesset occasio contaminandis provinciis, & in supremam ruinam impellendis.

Hanc ut suspenderet Witiza, crudelitatem in auxilium vocavit.

Super-

Superſtites erant duo Regis Chindasvinthi filii, Reccesvinthi fratres. *Theofredus* Roderici pater, & *Favila*, ex quo natus *Pelagius* (magna in Hiſpania tum ad ruinam, tum ad reſtaurationem nomina) Theofredum oculis privavit tyrannus, Favilam vitâ: filiis eorum Roderico & Pelagio fuga elapſis.

Cúmque humanus cruor ſatiare non poſſet ſæviendi ſitim, furorem convertit in urbes, quas per omnem ferme Hiſpaniam mœnibus ac munimentis nudavit. Adeò nempe tyranni, ubi ſemel pravitas eorum animos occupavit, vel ipſa præſidia metuunt; & quos neque pudor à turpitudine, neque metus ab immanitate, neque à temeritate ratio revocat, ii, dum propriæ ſecuritati providere conantur, majori periculo metúque implicantur.

Superant quidem aliqui priſci moris Sacerdotes, qui ægris oculis intuebantur tantas patriæ calamitates, & majores adhuc formidabant; ſed vel hiſcere crimen habebatur; præſertim ubi *Sinderedus*, Toletanus Præſul, fidelis ſcelerum adminiſter, omni ſuppliciorum genere vexaret, qui tantis ruinis obviam ire contenderent.

Decem annos ſolium contaminavit Witiza, & regnum attrivit; cùm morte abreptus, duos filios reliquit Ebam & Siſebutum: quibus infauſtæ memoriæ pater nocuit.

Illis igitur prætermiſſis *Rodericus* Theofredi exoculati filius, Chindasvinthi Regis nepos, Procerum ſuffragio auctoratus throno lacerati regni collegit reliquias: Princeps in quo inſignes equidem regiæ dotes lucerent, ſed quas majora vitia obſcurarent. Præterea ea erat regni facies, qua calamitoſam magìs oculis animóque ſubjicere non poſſis; urbes propugnaculis nudatæ, provinciæ in factiones ſciſſæ, Proceres, ut, quod ajunt, in turbido piſcentur, perfidi: Gothicum illud invictum robur luxuria, otio, mollíque vita adeò enervatum, ut orbis illi domitores, ut ſeditionibus & perfidiæ apti, ita defendendæ patriæ jam eſſent impares, cuivis facilè hoſtium incurſioni ceſſuri.

Huic occaſionem, ſupremæque gentis cladi complementum dedit Regis Roderici ſtuprum, illatum *Cavæ*, regio de gynecæo virgini. Pater hujus erat *Julianus* Comes, Egicæ Regis gener, qui Africæ Tingitanæ (quo eò uſque Gothis parebat) & illi Hiſpaniæ parti, quæ adjacet freto Herculeo (Gaditanum hodie vocant) præfectus fuerat, potentia tanta, ut cum quovis ex Hiſpaniæ Proceribus poſſet conferri. Erátque hoc ipſo tempore à Rege de rebus magnis legatus in Africam.

Huic patri ſuo Juliano Cava filia in Africam ſcripſit epiſtolam de illato ſibi à Rege Roderico ſtupro. Quare Julianus, jam aliàs

tacitè Regi offensus, molitúsque proditionem, cum Witizæ filiis, qui Rodericum fugientes, jam antea in Africa sibi exilium elegerant, aliísque, quos Regi inimicos noverat, conjurat, ac Saracenos in Africa ad bellum Hispaniæ inferendum sollicitat: quo in statu res Hispaniæ sint, aperit: celeritate regnum totum, munimentis nudum, milite vacuum, civibus enerve fulminis instar invadi ac prosterni posse.

Nec respuebat occasionem oblatam *Muza*, Africæ Præfectus. Re igitur priùs cum *Miramamolino*, qui universæ Saracenorum genti imperabat, communicata, paucas primùm, ad tentandam Juliani fidem copias in Hispaniæ fines mittit; quibus cùm nemo obsisteret, plures expedit, ac regias cohortes malè instructas fundit.

Tum verò Rex totam Hispaniam evocat, ac prælio ingenti funditur à Saracenis; postquam in ipso pugnæ ardore proditores Hispani suis cum cohortibus ad hostem transiere, & populares suos inopinatò sunt aggressi.

Unum hoc prælium & castra, & impedimenta, quin totam Hispaniam abstulit. Ibi Gothorum nomen extinctum, ibi virtus bellica, ibi præteriti temporis fama, ibi spes futuri deleta: imperiúmque, quod trecentis ampliùs annis steterat, à barbara gente suppressum: vindicante videlicet ultore cœlo tot gentis infanda scelera.

Rodericus Rex fugâ elapsus, nusquam ampliùs postea comparuit. Hispani, qui in acie non ceciderant, ex fuga collecti, altero prælio victi, fugatíque, in latibulis, atque Asturiæ, Cantabriæque montibus salutem quæsière.

Tum verò per totam Hispaniam, Lusitaniam, quin & Galliam Gothicam Maurorum arma circumlata, urbibus aut fuga civium, aut deditione, aut vi, aut proditione captis: nihílque erat tam sacrum sanctúmque, in quod non immani feritate ac tyrannide grassaretur barbari Victoris licentia: donec è favillis conflagrantis patriæ novus exurgeret Phœnix *Pelagius*, qui, alter velut Deucalion restauraret orbem Hispanum, & regium Gothorum sanguinem propagaret; laborante posteritate per septingentos & ultra annos, ut colligeret, quod una procella disjecerat.

De

De Conciliis Angliæ.

SÆCULI VII.

§. I.

Prænotanda de ſtatu Politico.

Extremas illas Europæ ad Occidentem Inſulas variæ olim incolebant gentes, Britanni præſertim, Hiberni, Scoti & Picti (qui ultimi ad ſeptentrionalem Scotiæ oram conſederant) variiſque, ùt finitimos inter populos fieri conſuevit, bellis inter ſe erant commiſſi: donec ab exteris etiam gentibus fuerant invaſi. 40. *Sub Romanis.*

Et primus quidem, ſubacta Gallia, in Britanniam cum claſſe hoſtili trajeciſſe legitur Julius Cæſar; qui eam partem, quæ Anglia hodie dicitur, Romano ſubjecit Imperio. Cùm autem poſtmodum Britanni jugum excuterent, Claudius Imperator per Plautium eos rurſus coërcuit, dictus propterea *Britannicus*, quo nomine etiam inſignivit ſuum filium.

Adrianus dein Imperator, ut Britanniam adverſus Scotorum Pictorúmque, quos ſubigere Romani nunquam potuerant, incurſiones defenderet, murum octoginta paſſuum millibus longum erexit, labeſcente jam Romana fortitudine; quæ antè pro muro ſteterat.

Sæculo quinto Romani inſulam omnino deſeruerunt. Cúmque dein Britanni à Scotis & Pictis rurſus invaderentur, *Anglos*, Saxoniæ populum, in auxilium vocârunt. Hi Britanniam ingreſſi circa medium ſæculi quinti, Scotos quidem ex ea fugârunt, ſed regionis amœnitate retenti, factíque ex amicis hoſtes, arma in Britannos verterunt, atque Britanniam in poteſtatem ſuam redegerunt, *Angliam* exinde ab eorum nomine appellatam.

Sub initium ſexti ſæculi Anglo-Saxones heptarchiam, ſeu ſeptemplex regnum in Anglia erexerunt; non quidem inſtituta communi aliqua diviſione, ſed manu armata, vindicantibus ſibi proprium ſeptem Saxonicis Ducibus, quantum quisque terrarum abripere poterat, regiúmque nomen ſibi imponentibus.

Atque hac ratione enata ſunt regna, *Cantiorum* ſeu *Cantii*, in quo Cantuaria, Angliæ Metropolitana. *Eſſexiæ*, ſeu *Saxoniæ Orientalis*; in qua Londinum, omnium caput. *Suſſexiæ*, ſeu *Saxoniæ, Auſtralis*; in qua Ciceſtria, regni olim ſedes. *Weſtſexiæ*, ſeu *Saxo-* 41. *Heptarchia.*

Saxoniæ Occidentalis; in qua Vintonia, à pluribus Conciliis celebris. *Ost-Angliæ* seu *Angliæ Orientalis*: In qua Cantabrigia, nobile scientiarum emptorium. *Merciæ* seu *Angliæ Mediæ*: in qua Oxonium, pariter famosissima Academia celebre. Denique *Northumbriæ*: in qua eminent Eboracum, præcipua post Londinum Angliæ civitas, Archiepiscopatu celebris: qui sæpiùs cum Cantuariensi de Primatu certavit.

42. *Reges Cantii.* In his igitur septem provinciis (quarum divisio remansit, etiam postquam sub Egberto, Westsaxonum Rege, omnes in unum regnum coaluerant) septem Reguli Saxones regnare cœperunt, sed magna inter se discordia; cùm alter alterum excutere niteretur. Britanni verò, antiqui incolæ, in *Chambriam*, seu *Walliam* sunt rejecti, quam de se satis obscuram, titulus Principis Regii postmodum nobilitavit.

Quintus Cantiorum Rex fuit *Ethelbertus*, qui ducta in uxorem Bertha, regio Francorum sanguine prognata, Principe apprimè Catholica, sanctissimos viros *Augustinum* & *Mellitum*, ex ordine S. Benedicti, à Gregorio M. Papa in Angliam missos, benevolè excepit, atque ab iis fidem & baptismum accepit, sequente exemplum magna populi multitudine. Translata dein per S. Gregorium Papam Archiepiscopali sede Londino Doroverniam seu Cantuariam, Augustinus primus factus est Cantuariensis Archiepiscopus, Mellitus verò Londinensis Episcopus, sub initium Sæculi VII.

Ethelbertus verò religionis susceptæ se dedens officiis, Cantuariæ SS. Apostolorum Petri & Pauli, Londini S. Pauli, Rocestriæ S. Andreæ cultui Basilicas excitavit. Datísque sanctissimis legibus pientissimè obiit, in sanctorum numerum relatus.

Edbaldus ejus filius ad idola primo impiè descivit. At conversus sanctam religionem coluit: eo etiam memoria dignissimus, quòd filium reliquerit *Ercombertum*, Regem pientissimum, qui omnia, quæ supererant, gentilium fana evertit, & idola contrivit. Sororem habuit *Ethelredam* Cœnobii Antistitem sanctissimam, conjugem *Sexburgam*, aliásque personas propinquas, non minùs sanctimoniæ laude florentes. Sub Lothario ejus filio celebratum est Concilium Cantuariense, Nationale totius Angliæ, cujus canones postea referemus.

Tandem in pronepotibus Ercomberti defecit Regum Cantii sanguis. Decursísque dein levi saltu aliquot capitibus, corona re sedit in *Egberto* Westsaxonum Rege, qui capto Baldreto, Rege umbratili, Cantii regnum suo univit.

Reg-

Regnum *Orientalium Saxonum* fundavit *Erchenvinus*. *Sibertum*, 43.
tertium eorundem Regem cum ſubditis convertit Mellitus. At *Sax-Orient.*
filii illius in idololatriam rurſus ſunt prolapſi. *Sigibertus* Rex ad ſacra Chriſtiana rediit, opera Ceddæ viri ſanctiſſimi, qui, ut teſtatur Beda *lib.* 3. *Hiſt. Eccleſ. gentis Anglorum cap.* 20. mortem violentam ei prædixit, quòd in domo Comitis excommunicati pranſus eſſet. *Sebba* & *Offa* Reges, poſita corona, Monaſticam vitam ſunt profeſſi, & ſanctimoniæ fama celebres obierunt. Poſt Offam regnum accepit *Setbredus*; eo mox dejectus ab *Egberto* Weſt-Saxonum Rege.

Auſtralium Saxonum regnum, cœptum ab *Ella* Saxone, ſex tantùm *Et Auſtralium.*
Reges habuit. Eorum tertius *Ethelvachius* à *S. Wilfrido*, Epiſcopo Chriſtianis ſacris cum gente illa eſt initiatus anno 681. Sub *Altinio* ultimo Rege everſum eſt hoc regnum ab *Ina*, Weſt-Saxonum Rege.

Oſt-Angliæ ſeu *Angliæ Orientalis* primus Rex fuit *Uffa*. Ter- 44.
tius *Reduvaldus*, qui primus baptizatus, in eodem templo altare, ve- *Oſt-Angliæ.*
ro Numini ſacratum, cum impia idolorum ara conjunxit. At emendavit patris ſcelus *Carpualdus* filius, ex integro Chriſto aſſertus: gentémque ſuam ad eundem convertere omni ope allaborans. Occiſus propterea ab homine gentili, chriſtianæ veritatis Martyr. Quódque opus cœperat, perfecit *Sigbertus* frater, conſiliis Felicis Epiſcopi: útque Chriſtianis inſtitutis gens imbueretur eruditiùs, Cantabrigienſi ſcholæ initium dedit, anno 630. denique vitam Regalem cum Monaſtica, hánceque cum regno cœleſti commutavit. *Annas*, ejus ſucceſſor, tres filias nactus eſt, Edelburgam, Sexburgam, & Ethelredam, ſacris poſt mortem honoribus cultas: inclareſcente non minùs ſanctitatis laude *Ethelredo* nepote, perfidè occiſo ab Offa, Merciorum Rege. Abſorptum denique & hoc regnum à Saxonibus Occidentalibus.

Regnum *Merciorum*, à *Vibba*, fundatum, propagavit *Penda*, pri- *Et Merciorum.*
mus illius gentis Rex Chriſtianus, tribus ſororibus clarus, in ſanctarum virginum numerum relatis. Filii quoque ejus nepotésque religionem orthodoxam inſigniter promovêrunt. *Offa* Rex, Romam peregrinatus, regnum ſuum ſedi Apoſtolicæ vectigale fecit. Tandem & ipſum cum Weſt-Saxonico coaluit.

In *Northumbria* primus regium nomen aſſumpſit *Idas* ſæculo 6. 45.
cui ſucceſſit *Alla*; ſub quo pueri aliquot, forma eleganti, ex Anglia *Northumbriæ.*
Romam profecti, animi commiſerationem Gregorio M. moviſſe ſcribuntur, & admittendos eò Apoſtolicos viros occaſionem de-

diſſe. *Edvinus*, Allæ filius, ab exilio revocatus ad thronum, primus Northumbriæ Regum Chriſtianus, anno 627. ope *Paulini* Epiſcopi, cum tota gente converſus. Creatus Paulinus ab Honorio I. Eboracenſis Archiepiſcopus, miſſo pallio, eminentioris poteſtatis inſigni. *S. Oſwaldus* Rex, victis hoſtibus ope S. Crucis, religionem magno zelo propagavit: cultus poſt mortem ab Eccleſia inter cœlites. Sub Oſuvio vehementer agitata eſt controverſia de tempore celebrandi paſchatis. *Cleolulphus*, cui venerabilis Beda hiſtoriam ſuam Eccleſiaſticam dedicavit, regno abdicato vitam Monaſticam ſub Regula S. Benedicti eſt profeſſus. Tandem & hoc Regnum ad *Egbertum* Weſt-Saxoniæ regem eſt devolutum.

Et Weſt-Sax. Occidentalium Saxonum, Weſt-Saxiæ Regnum auſpicatus eſt *Cerdielus* ſæculo 6. ſub ejus pronepote *Cinegislo* ad Romanam Eccleſiam adductum. Rex *Ceduvalla* Romam ad limina SS. Apoſtolorum Petri & Pauli profectus, à Sergio Pontifice eſt baptizatus. Ejus ſucceſſor *Inas*, victo Aldinio, Auſtralium Saxonum regno finem impoſuit, regnum ſuum ſummo Pontifici vectigale fecit, argenteo nummo ſingulis domibus impoſito. Qui nummus *denarius S. Petri* deinceps eſt appellatus. Leges etiam ſanctiſſimas tulit, Epiſcoporum conſilio, obſervandos videlicet Eccleſiaſticos canones, & diſciplinam. Judicia recto ordine inſtituenda, conjugia legitimè celebranda. Decimas Eccleſiæ feſto S. Martini ſolvendas. Servandam immunitatem Eccleſiarum. Denique Romam profectus Rex ſanctiſſimus habitum Religioſum induit; *Ethelburga* Regina pariter monaſterium ingreſſa. *Brithricus Egbertum*, Regii ſanguinis Principem in Galliam expulit. Qui tamen poſt mortem tyranni ad avitum regnum regreſſus, everſa heptarchia, totam Angliam ſub unum imperium collegit.

§. II.

Status Eccleſiaſticus per Concilia ordinatus in Anglia ſæc. VII.

46. *Wigorni-enſe.* Sub ipſum ſæculi initium ab Auguſtino, primo Doroberniæ ſeu Cantuariæ Archi-Epiſcopo, Ethelberti Regis ope convocata eſt Synodus *Wigornienſis*, præſentibus, præter Auguſtinum ejúſque Romanum clerum, Epiſcopis ſeptem, & Doctoribus plurimis Britannicis. Tria in ea Auguſtinus propoſuit. 1. ut paſcha tempore, in Eccleſia reliqua conſueto, celebrent. 2. ut baptiſmum ſecundùm

cundùm ritum Ecclesiæ Romanæ administrent. 3. ut genti Anglorum verbum Domini juncta opera prædicent. At miraculo etiam, in cœco sanando coram illis patrato, obtineri tunc (ùt ante insinuatum) ab Anglis nihil poterat.

Quarto pòst anno idem S. Augustinus, præsente Rege Ethelberto, clero & populo, Cantuariæ alterum celebravit conventum: in quo accepit pallium, sibi transmissum à S. Gregorio M. & Apostolicis insignibus in sede sua est investitus. Rex verò, edito diplomate, confirmavit Monasterium SS. Petri & Pauli, quod Augustinus prope Cantuariam fundaverat: quóque omnium primum erat inter Anglo-Saxones.

Cùm post mortem S. Ethelberti Eadbaldus, ejus filius ad idola rediret, Anglique idololatræ persequerentur Ecclesiam, post mortem Augustini ejus socii, Laurentius Archiepiscopus Cantuariensis, Mellitus Episcopus Londinensis, & Justus Roffensis, Cantii Concilium habuerunt, in quo decreverunt, Angliam deserere, & alibi operam suam meliùs ponere. Illis igitur viris Apostolicis, ac sanctissimis Episcopis in Galliam demigrantibus, eclipsin passa est Anglicana Ecclesia: donec revocatis tantis luminibus, splendorem reduceret.

Anno 664. cùm controversia paschalis recrudesceret, Scotis, 47.
Anglisque mori suo, quo quandoque decima quarta luna (si in illam *Pharense.*
Dominica incideret) pascha celebrabant, mordicus inhærentibus, indicta est *Synodus Pharensis*; in qua acerrimè diputatum est à Wilfrida Abbate, Eboracensi postea Archiepiscopo, & Colmanno Lindisfarnensi Episcopo, præsente etiam Rege Oswio; qui cum audisset, dixisse Christum ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves regni cælorum*, interrogavit; veréne Christus hæc ad Petrum dixerit? cúmque utraque disputantium pars id affirmaret, reposuit Rex, se igitur pascha celebraturum secundùm morem, à Petro illo traditum, cui claves regni cœlorum sint commissæ. Utinam cum hoc Rege recentiores Angli loquerentur!

Ad inducendam porro per totam Angliam majorem Ecclesia- 48.
sticæ disciplinæ conformitatem, anno 673. Lotharii Cantiorum *Herudfor-*
Regis tempore, celebratum est *Concilium Herudfordiense*, Nationa- *diense.*
le totius Angliæ, utpote cui præsentes erant Merciorum, Northumbrorum, Cantiorum, Orientalium & Occidentalium Anglorum

Episcopi, Præside Theodoro, Cantuariæ Archiepiscopo: decem in eo promulgati canones, quibus statuitur,

1. Ut pascha ab omnibus eodem die celebretur: nempe Dominica proxima post plenilunium mensis primi.

2. Ut nullus Episcopus alterius fines invadat.

3. Ut Episcopi non sint molesti Monasteriis, nec res eorum usurpent.

4. Ut Monachi ad aliud monasterium non transeant sine licentia Abbatis.

5. Ut clerici diligenter resideant in sua Ecclesia.

6. Ut peregrini non fungantur officio sacerdotali sine consensu Episcopi diœcesis, in qua versantur.

7. Ut bis quot annis cogatur Synodus.

8. Ut inter Episcopos observetur prioritas consecrationis.

9. Ut crescenti fidelium numero plures in Anglia consecrentur Episcopi.

10. Ut conjugium legitimæ contrahatur; ùtque indissolubile sit, *excepta fornicationis causa*.

Nota. Concilia aliqua particularia, uti etiam hoc ipsum Anglicanum, errârunt, dum matrimonium consummatum propter fornicationem dissolvi posse quoad vinculum putârunt, non satìs intelligentes verba Evangelii. Non dicunt illa, propter fornicationis alterius conjugum matrimonium dissolvi quoad vinculum, seu ita, ut pars innocens aliud inire matrimonium possit, vivente conjuge: sed ita sunt intelligenda, ut dicant, propter fornicationem conjugis posse partem innocentem petere divortium perpetuum, seu separationem quoad thorum & cohabitationem manente usque ad alterutrius mortem conjugii vinculo: ùt docet Apostolus, & Tridentinum explicat.

49. *Hetfeldæ.* Cùm sexta Generalis Synodus Constantinopoli esset habenda, contra Monothelitas, particularia in Occidentis provinciis Concilia sunt instituta, ut eorum placita per Legatos ad Synodum Oecumenicam mitterentur. Quare etiam Nationis Anglicæ Concilium Theodorus, Cantuariensis Archiepiscopus, totiúsque Insulæ Primas anno 680. *Hetfeldæ* celebravit. Rejecta in hoc Eutychianorum, & Monothelitarum hæresi, emissa est orthodoxa professio fidei: recepti etiam quinque Generales Synodi, qui ad idusque tempus fuerant habiti: unà cum Synodo Romana, sub Martino I. contra Monothelitas celebrata.

Con-

Concilium Berghamstedense, Præsente Withredo, Cantiorum Rege, sub Bertualdo Cantuariensi anno 697. celebratum, complures edidit canones, quibus decernitur: Ecclesia libera esto; fruitórque suis judiciis, & reditibus. Pœnæ canonicæ & civiles adulteris irrogantor. Si quis servo suo die jejunii carnem dederit comedendam, dominium in servum amittito. Episcopi & Regis verbum, etiam absque juramento, irrefragabile esto. Sacerdos verò se purgato coram altari, dicendo: *veritatem dico in Christo, non mentior.* Si quis aliquem ex clientela Episcopi accusat, Ecclesiastici fori esto judicium. Sub idem ferme tempus *Concilium Becanceldense,* auctore Withredo Cantii Rege præsente, decrevit, ut Ecclesiæ sint liberæ ab omni tributo, & exactione sæculari, earúmque res à laicorum jure & injuria eximantur. 50. Bergham.

Theodorus Archiepiscopus complura edidit capitularia, in quibus Græcæ ac Romanæ Ecclesiæ disciplinam exponit, ùt videre est initio tomi octavi Conciliorum editionis Venetæ. *Ina* etiam Saxonum Occidentalium Rex in conventu Prælatorum ac Procerum leges tulit de censu Ecclesiæ solvendo, de immunitate Ecclesiarum, de justis nuptiis, rectis judiciis, moribus populi &c.

CAPUT VIII.

De Conciliis

SÆCULI VIII.

Immani tyrannide in Ecclesiam Christi, præsertim in Oriente, furebant hoc Sæculo Iconoclastæ, præferentibus impietati vexillum sex omnino Imperatoribus. Lætior in Occidente Ecclesiæ facies, sparso per Apostolicos viros salubri semente, magis semper magísque efflorescens; præsertim in Germania. In qua prostrati sunt à Carolo illo Magno Saxones, ut ad veræ fidei decus feliciùs surgerent. In Anglia etiam ad exscindendas superstitionis ethnicæ reliquias laboratum strenuè. Hispania tamen sub impio Saracenorum jugo gemebat, vindicantibus lentè per arduos reditus postliminii jura Hispanis Proceribus.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I.

De Conciliis in Causa Iconoclastarum celebratis.

1. *Leo Isauricus primus Iconoclasta.*
2. *Cui resistunt Doctores Studitarum palatii, ostendúntque cultum imaginum esse pium & innocentem.*
3. *Leonis in eos, & S. Germanum furor.*
4. *Greg. II. in Concilio Rom. excommunicat Leonem, & ei tributa pendi probibet; si scriptoribus Græcis fides.*
5. *S. Joanni Damasceno propter defensionem sacrarum Imaginum abscissa manus prodigiosè restituta.*
6. *Concilium Romanum sub Gregorio III. pro SS. Imaginibus.*
7. *Interitus Leonis Isauri.*
8. *Copronymi Conciliabulum contra cultum SS. Imaginum.*
9. *A Concilio Gentiliacensi reprobatum.*
10. *Item à Jerosolymitano & Romano sub Stephano IV.*
11. *Copronymi interitus, & Leonis IV. filii impietas.*
12. *Conjux Leonis Irene cultum SS. Imaginum restituit.*
13. *Concilium Romanum in causa Leonis III. Papæ.*
14. *Recrudescit Iconomachia sub Leone Armeno, Michaële Balbo, & Theophilo.*
15. *Theodora, conjux Theophili, babito Concilio Constantinopoli, Imaginum religionem restituit.*
16. *Bogor Bulgariæ Rex, cum gente illa conversus ope Imaginis.*
17. *Recentiores Iconoclastæ, Petro-Bruisiani, Henriciani, Waldenses, Albigenses, Zwingliani, & Calvinistæ.*
18. *Observatio: an Gregorius II. Leonem Isaurum privaverit tributorum exactione per Italiam.*

ARTICULUS II.

19. *Canones Concilii Romani sub Zacharia Papa.*
20. *Canones Concilii Furojuliensis.*
21. *Observatio in bæc Concilia de Impedimento criminis.*

AR-

ARTICULUS III.

De Conciliis Germaniæ.

ARTICULUS IV.

De Conciliis Galliæ.

ARTICULUS V.

ARTICULUS I.

De Conciliis in cauſa Iconoclaſtarum celebratis.

Leo Iſaurus (*Canon* antea dictus) Imperio admotus, atque devictus hoſtibus, præſertim Saracenis, in eo firmatus, primus SS. Imaginibus bellum indixit, ut ſatisfaceret impio promiſſo, quod duobus impoſtoribus Judæis, Imperium ei prædicentibus, fecerat. Cùm autem populus ſe opponeret, atque innocentem religionem defenderet, incredibili tyrannide ſæviit, in Doctores præcipuè *palatii*, quod Conſtantinus M. velut ſeminarium quoddam doctorum virorum ædificaverat, ad perenne, ùt ſperabat, litterarum decus.

2. *Reſiſtunt Doctores.*

Cùm enim viri iſti doctiſſimi, in parvo velut Concilio Conſtantinopoli, collecti, Imperatori oſtendiſſent, quantum ſit diſcrimen inter idola gentilium, & Chriſtianorum imagines; illa vel coli ùt Deos, vel ùt repræſentantia Numen aliquod fictum & commentitium: idola ejuſmodi prohiberi in primo præcepto decalogi. In imaginibus Chriſtianorum neque agnoſci Numen aliquod ineſſe, aut virtutem aliquam, neque repræſentari confictam aliquam Divinitatem, ſed Chriſtum Dominum, ejúſque ſanctos, veneratione dignos, ad quos tanquam prototypa referatur cultus, qui illorum defertur imaginibus. Deum ipſum præcepiſſe, ſuper Arcam, & in templo Sa-

Salomonis collocari Angelorum imagines, atque per multa miracula demonstrâsse, gratum sibi esse innoxium hunc usum cultúmque Imaginum. A SS. Patribus multis encomiis eundem celebratum, atque à tota Ecclesia jam inde ab Apostolorum tempore receptum, licèt persecutionum gentilium tempore fuerit rarior. Quodsi denique S. Scriptura complura, & rationis, & sensus expertia, ut sacros libros, sacra vasa, Arcam, templum Propitiatorium, sepulchrum Domini, veneratione digna, atque scabellum pedum adorandum nobis proponat, propter relationem, quam habent ad Deum, cur non etiam Christi, Deiparæ, sanctorúmque Dei Imagines cultu inferiore propter sanctissima, quæ nobis per illas exhibentur, prototypa possint honorari, aut Christus ipse Deus ac Dominus noster coram ejus imagine adorari, & sanctissima ejus Mater, reliquíque sancti in suis iconibus condecente veneratione affici? hunc cultum tantùm abesse ab idololatria quantùm idolum à Christi veri Dei imagine.

3. *In quos furit Leo.* Hæc, inquam, aliáque cùm Doctorum illorum virorum cœtus Leoni imperatori demonstrâsset, ille, ùt sacra eruditione & doctrina vacuus, ita rabie & furore plenus, totum illud doctorum palatium, antiquissimam pulcherrimámque optimarum scientiarum sedem, cum instructissima Bibliotheca, ac viris istis doctissimis ac religiosissimis immani crudelitate jussit exuri.

Et in S. Germanum. Eundem furorem exercuit in sanctissimum Patriarcham *Germanum*, quem convocata *Constantinopolin* anno 730. impio *Conciliabulo* deposuit, & in exilium relegatum postea obtruncari jussit; substituto in ejus locum *Anastasio Syncello*, Iconomacho, homine impio.

4. *Excommunicatur* Pontifex Gregorius II. postquam pluribus litteris & legationibus hunc Leonem frustra placare, & ad fidem orthodoxam reducere esset conatus, nihilque aliud obtinuisset, nisi ut tum per Exarchos, tum per alios imissos sicarios iniquissimis vitæ insidiis sit appetitus, convocato *Romano Concilio* anno 730. confirmavit cultum SS. Imaginum, atque Leonem tanquam hæreticum communione fidelium privavit, eúmque porro agnoscere, aut tributa pendere omni Italiæ prohibuit, (si Græcis scriptoribus fides est adhibenda) icto cum Carolo Martello fœdere, quem Protectorem & Consulem Romanum renuntiavit.

Leo audita Italiæ defectione & anathemate, in se vibrato, adhuc altius rugiens, flagris, carceribus, exiliis, cædibus Catholicorum atrocissimè sæviit; exporrecto in alienas etiam terras furore, cui ingenti scelere victimam destinârat *S. Joannem Damascenum*, sacrarum Imaginum fortissimum doctissimúmque defensorem Damasci tunc Præfectum in Syria.

Cui,

Cui, confictâ epistolâ proditionis ab Impio Leone accusato, 5.
dextram amputari jussit Calypha Saracenus, quam tamen, cùm coram *Joan Da-*
imagine B. V. orâsset, dum postea dormiret, integram recepit: atque *asc*
abdicata, quam Calypha Syriæ ei rursus obtulerat, Præfectura, in Palæstinam concessit, Monasterio reliquum vitæ Deo, atque defendendis per doctissima scripta sanctis, eorúmque imaginibus consecraturus.

Dum Syrus iste in Oriente causam Dei Sanctorúmque invictis- 6.
simè propugnat, Syrus alter in Occidente causam eandem suscepit. *Romanum*
Is erat *Gregorius III.* qui, cùm Leo adversùs omnia monita obduratum pectus ostentaret, ipsiúsque Gregorii legatum in carcerem conjecisset, antecessoris sui exemplo convocavit *Romæ Concilium* 93. Episcoporum, in Basilica S. Petri anno 732. celebratum, præsente etiam Senatu populóque Romano. In hoc asserta denuo confirmatáque SS. Imaginum religio, dictúmque Iconoclastis omnibus anathema.

Leo furore æstuans, ut Exarchatum Romámque recuperaret, ingentem classem ex Sicilia & Calabria, quæ sub ejus adhuc gemebant tyrannide, emisit. At illa tota ventorum turbine conquassata, ac
fluctibus hausta interiit. Addita subin alia flagella ultricia, fames, 7.
pestes, bella, terræ motus, donec tandem anno 741. obluctantem *Leonis in-*
cœlo animam cum ventris profluvio effudit. *teritus.*

Ultra parentis furores, scelera, atque impietatem progressus filius *Constantinus Copronymus*, non tantùm contra SS. Imagines execrandam exeruit rabiem, verùm etiam in cœlum posuit os suum, ejúsque beatos Incolos invocari, ac *Sanctos* vocari edicto vetuit. Præcipue verò in B. V. ejus debachata est impietas, imo & in ipsum Christum Dominum, quem merum hominem ex Maria natum cum Nestorio blasphemaverat.

Tantum in solio monstrum non tulit populus; unde abrogato 8.
ei Imperio, *Artabasdum* ejus patruelem, Principem Catholicum Impe- *Coprony-*
ratorem proclamavit: qui cultum in sacras imagines plaudentibus *mi.*
bonis mox restituit. Et initiò quidem prosperè bellum gessit adversus Copronymum, tum verò sæpiùs cæsus, & expugnata Constantinopoli oculis primùm, tum etiam vita privatus est.

Copronymus verò plus quàm barbara crudelitate in urbem captam desæviit. Atque ab pertexendam persecutionis telam adversus SS. Icones, *Conciliabulum Constantinopolitanum* 338. Episcoporum convocavit anno 754. in quo damnati sunt S. Germanus, S. Joannes Damascenus, aliíque SS. Imaginum defensores: sequentibus Episcopis,

ſcopis metu perculſis, quò impius Copronymus duceret. Ab eo tempore in deterias lapſæ res Imperii, cæſi à Saracenis & Bulgaris ſæpiùs exercitus: Exarchatus, Aſtulpho Longobardo extortus, à *Pipino* Rege Francorum, donatus Eccleſiæ, cui tunc præſidebat Stephanus III. fruſtra illum Copronymo repoſcente. Licèt miſſa legatione in Galliam *Giſelam* Regis Pipini filiam Leoni ſuo Porphyrogenito Sponſam peteret, Exarchatum in dotem allaturam. Ne autem Religionis diſſidium obicem ponat connubiali fœderi, viſum eſt poſſe illud Concilio convocato dirimi, ad quod ipſe plures Epiſcopos cum ſex Patriciis mitteret.

Placuit Pipino convocari Concilium. Negotio itaque cum Paulo I. Pontifice communicato, indictum fuit anno 766. *Concilium*
9. *Gentiliacenſe.* *Gentiliacenſe*, Gentiliaci videlicet, prope Pariſios congregatum. Aderant ſex Legati Pontificis, complures Orientales Epiſcopi à Copronymo ſubmiſſi, unà cum Germaniæ & Galliæ Epiſcopis. Diſceptatum de duobus articulis, de cultu SS. Imaginum, & de proceſſione Spiritus S. Nam cùm Latini Græcis objicerent, quòd in cauſa SS. Imaginum à traditione Patrum & Eccleſiæ recederent, Græci viciſſim exprobrabant, quòd Latini addendo particulam, *Filióque* Symbolum mutâſſent. Pronunciatum in utroque articulo pro Occidentalibus.

Deciſa hac Religionis controverſia, ad reliquos duos articulos legatis reſpondit Pipinus: & ad primum quidem, Exarchatum, jure belli Longobardis ereptum, ex integro donatum eſſe Pontifici, revocari proin non poſſe. Ad alterum verò: filiam ſuam nulli alteri, niſi Franco & Catholico deſponſandam. At Giſela Chriſtum ſponſum elegit, cui in Monaſterio virginitatem devovit.

10. *Solymitanum.* Acerbè tulit Copronymus, & hæreſin ſuam à latinis damnatam, & ſponſam cum cupita dote negatam. Auctáque eſt ira, cùm intellexit, in *Concilio Jeroſolymitano* à tribus Orientis Patriarchis, Alexandrino, Antiocheno, ac Hieroſolymitano, eorúmque Epiſcopis, Iconoclaſtas pariter eſſe damnatos, ſéque à toto fermè orbe Chriſtiano haberi hæreticum.

& Romanum. Quod, ut adhuc apertiùs cerneret, Stephanus IV. Pontifex, accepta per legatos Synodali Concilii Jeroſolymitani epiſtola, *Concilium Romanum* anno 769. indixit, communicato cum Carolo & Carolomanno Franciæ Regibus conſilio, qui duodecim Epiſcopos doctiſſimos ad Synodum Romanam miſerunt. Examinata in ea denuo cauſa Imaginum. Demonſtratum inter has & idola diſcrimen: iſta prohiberi, non illas: productæ in medium ſacræ Scripturæ,

turæ, doctrina Patrum, ac perpetua Ecclesiæ traditio: damnatum Constantinopolitanum Copronymi conciliabulum: dictum anathema omnibus Iconomachis: confirmatáque Synodalis trium Orientis Patriarcharum epistola.

Additum fuit à Concilio decretum, ne quis deinceps, qui non esset Diaconus aut Presbyter Cardinalis, eligeretur Romanus Pontifex. Occasionem huic decreto dederat Constantinus quidam, quem adhucdum laicum Desiderius Longobardorum Rex in sedem Apostolicam paulò antè intruserat.

Copronymus tot fulminibus necdum se ipso factus melior, iram orthodoxorum sanguine, ac præcipuè Monachorum, qui pro veritate Catholica fortissimè dimicabant, atrocissima laniena saturare conatus est; donec tandem ultricibus flammis maturus, ex temporali incendio, quo se conflagrare clamitabat, ad æternum raptus est, anno 775. At quis credat, ex radice tam putrida fructum optimum potuisse enasci, *Anthusam* videlicet, Copronymi filiam, quam virtus singularis, vitæque sanctimonia, in aula corruptissima perpetuò conservata, sacris aris intulit? 11. *Copronymi interitus.*

Alia mens erat Leoni IV. patri quàm sorori similiori. Licèt enim initio Imperii videretur piè à patre degener; tamen ubi spe recuperandæ Italiæ excidit, totum patrem avúmque induit, hoc est, Iconoclastam impium & tyrannum immanissimum, etiam in suos. In eo duntaxat laudabilior, quòd non ultra quinquennium fureret: exurente sacrilegum verticem corona non sua, *anno* 780. *Leonis impietas.*

Gubernaculo admota *Irene*, quam ob imaginum cultum Leo repudiaverat, devictis per duces suos hostibus externis ad Religionem restaurandam animum adjecit, permissa primùm ejusdem libertate, dein pertentatis aulæ Ministris, quos ad Concilium Generale pronos invenit, ab *Adriano I.* Papa Constantinopolin convocari illud curavit, *Nicænam* inde propter tumultum ab Iconomachis excitatum translatum. Atque in hoc honos, SS. Imaginibus debitus, ex integro est vindicatus (*vid. part. 3 cap. 2. art. 7.*) 12. *Irene.*

Habitum est postea Concilium *Francofordiense*, in quo damnata est hæresis Elipandi, qui cum Nestorio duos asseruit filios Dei in Christo, alterum naturalem, ùt Deus est, alterum adoptivum tantùm, ùt homo est. Videtur etiam in hoc Concilio damnata, memorata paulò antè, Synodus Nicænæ, ex falso supposito, ex corruptis actis illius Synodi hausto, decretum scilicet fuisse imaginibus cultum latriæ absolutum, soli SS. Trinitati debitum. Unde dici potest, non Synodum Nicænam, sed aliam imaginariã, qualem ex corrupto exemplari, vel in

 libris

libris pseudo-Carolinis descriptam habebant, à PP. Francofordiensibus esse damnatam. (*vid. Part. III. cap.* 2. *art.* 7. §. 4. & 5)

Hic obiter suspicienda Joannis Jacobi Hottingeri eruditio, dum referens in sua *Helv. Hist. ad an.* 794. hoc Concilium, *Elipandum* scribit fuisse Archiepiscopum *Spoletanum.* Quæ aliàs ex hac Synodo contra SS. Imagines adducit, abundè soluta sunt *cap.* 2. *art.* 7. *cit.* eandem ostendit eruditionem paulò antè, ad an. 773. Carolum Calvum etiam vocari *Carolum Magnum* scribens. Carolus Calvus in nulla re *magnus* fuit. Sub eo Gallia in summas calamitates devenit, ob Normannorum incursiones, Proceribus pariter insurgentibus, & regnum distrahentibus.

Inter hæc *Irene* Catholica equidem, & à religione restituta commendanda, at ambitiosa & crudelis, ut sola regnare posset, Orientem miscuit, filio tandem Constantino, qui legitima uxore repudiata, aliam duxerat, proditione capto, & effossis oculis barbarè interempto.

Petierat antè huic sponsam Caroli M. filiam. At eo consilio abrupto, navalem in Italiam misit exercitum adversus eundem Carolum, ut à regno Italiæ, quod victo captóque Desiderio, ultimo Longobardorum Rege, sibi subjecerat, eum depelleret. Verum is cæso Græcorum exercitu, quietam deinceps Italiæ possessionem habuit, Sicilia duntaxat & Calabria Græcis relicta. Exarchatum verò post confectum bellum Longobardicum, confirmata Pipini parentis sui donatione, novo diplomate jam antè dederat Ecclesiæ, adjectis pluribus aliis Provinciis.

Cùm subin Leo III. Pontifex à *Pascali* & *Campulo*, Adriani I. præcessoris sui nepotibus, crudelissimè esset habitus, atque de gravissimis criminibus falsò accusatus, habitum est hac de causa, præsen-
12. Romanum IV. te Carolo, quem Leo imploraverat, *Romæ Concilium;* quod una voce conclamavit, primam sedem à nemine, præter Deum, judicari. Quare Leo conscenso ambone, ab objectis criminibus juramento se purgavit: sícque causa tota finita est. Tertio dehinc die, ipso Christi Servatoris Natali, Leo Pontifex in Ecclesia S. Petri coronam Carolo imponens, eum, nihil tale exspectantem, *Imperatorem* renunciavit, acclamante populo Romano, & applaudente.

Irene, quæ filio interfecto, sola tunc imperabat in Oriente, non tantùm non protestabatur contra hunc titulum & dignitatem, sed missa legatione Imperatorem Occidentis illum agnovit, quin etiam ejus

ejus connubium ambivit. Nec abnuebant Carolus, mortua Luitgarde, quarta conjuge, tunc viduus, ſperans, hoc pacto utrumque rurſus conjungi poſſe Imperium. At dum legati ejus venerunt Conſtantinopolim, Irene throno dejecta eſt à Nicephoro. Qui ſibi à Carolo metuens, ejusdem ad Irenem legatis honorem habuit, miſsísque in Franciam ſuis oratoribus, pariter Carolum Imperatorem agnovit, pacísque perpetuæ fœdera cum eo iniit, ſatis gnarus, Græcos jure in Occidentem jam pridem excidiſſe, Francósque amicos magìs, quàm vincinos habendos eſſe. Eadem fœdera cum Carolo renovavit Michaël Curopolates, Nicephori ſucceſſor. Quod idem poſtea fecit *Leo Armenus*.

At hic Princeps, ab impoſtoribus, ùt Leo Iſauricus, ſeductus, bellum mox contra SS. Imagines atrociter inſtauravit, coacto *Conſtantinopoli conciliabulo*, quo abjecta Nicæna generali Synodo, Copronymi conciliabulum eſt approbatum, relegatis cum Nicephoro Patriarcha ſanctis Epiſcopis. 14. *Leo Armenus.*

Eadem fermè tyrannis fuit *Michaelis Balbi*, qui miſſa legatione ad Ludovicum Pium pacis fœdera renovari petiit: miſſa ſimul profeſſione ſuæ fidei, quæ Catholica erat, excepto articulo de SS Imaginibus, quem tamen dolosè ita temperabat, ut diceret, ſe eas tantùm prohibuiſſe imagines, quibus populus per adorationem abuſus eſſet. *Balbus.*

Ludovicus in pacem continuandam facilè conſenſit; de fide verò ut reſponderet, *Concilium Pariſiis* ab Epiſcopis celebrari voluit, conſulto priùs Eugenio II. ſummo Pontifice. In illo paucorum tantùm Prælatorum conventiculo, ad eum fere modum, quo in Concilio Francofordienſi factum, damnatum eſt tam Conciliabulum Copronymi, contra SS. Imagines coactum, quàm Synodus Nicæna, pro earum cultu celebrata, ex falſo nempe ſuppoſito, quòd putarent, cultum latriæ abſolutum iſtis ab ea Synodo decretum. Quem tamen errorem depoſuerunt, ubi fideliorem Anaſtaſii Bibliothecarii translationem illius Concilii viderunt, & audierunt, illud à Synodo VIII. atque à ſummo Pontifice eſſe approbatum.

Balbus abſtracta à Saracenis Creta, totáque fermè Sicilia, Calabria & Apulia, Imperium lacerum reliquit Theophilo filio, qui dotes præclares, & virtutes politicas non paucas hæreſi paterna, & immaniſſima crudelitate, quam in cultores imaginum, ac præſertim in pictores earum, ùt Lazarum alióſque, exercuit, turpiter fœdavit. *Theophilus.*

15. *Theodora.* Conjugem habuit *Theodoram* impensè Catholicam, ſub cujus tutela reliquit Michaëlem triennem filium adjunctis ei conſiliariis Theoctiſto aulæ, & Manuele militiæ Præfecto: his adjutoribus ùt Religionem repararet, *Concilium* Epiſcoporum *Conſtantinopoli* congregandum duxit, ut peſſundata SS. Imaginum Religio in ordinem ſuum reponatur. Videre tunc fuit, pleroſque metu potiùs Imperatorum, aut eis adulandi gratiâ factos fuiſſe Iconomachos, quàm ex proprii animi ſententia. Mox enim tum lapſi Epiſcopi & Clerici, tum alii paſſim ad antiqua ſacra redierunt. Obſtinationi tamen ſuæ pertinaciter inhæſit Joannes Patriarcha ſpurius. Quapropter à Concilio depoſitus, atque in ejus locum ſuffectus eſt *Methodius*, in pluribus perſecutionibus multarum palmarum heros.

Conſtantinopolitanum.

Approbata dein Synodo Nicæna, SS. Imagines juſſæ reſtitui: pœnitentibus decreta pœna; Eccleſiæ, pulſis lupis, reſtitutæ Paſtoribus. Sícque tandem faventibus ſuperis Iconoclaſtarum hæreſis feliciter extincta eſt, ſub annum 841. poſtquam ſub ſex Imperatoribus per annos 120. barbaro furore per Orientem fuerat graſſata.

16. *Bulgari converſi.* Acceſſit ad cumulum lætitiæ Bulgarorum ea tempeſtate converſio, & quidem ope Imaginis, ultimum præferentis judicium, quam Methodus Monachus Bogori gentis illius ethnicæ *Regi* pinxerat. Hujus enim aſpectu Princeps ille, ùtùt aliàs ferox, ferociúmque picturarum amator, adeò eſt perterritus, ut in agnum mutatus, Chriſtianæ legi collum ſubjecerit, tractis exempli tam illuſtris ac doctrinæ virtute ad imitationem ſubditis.

Magna pars tanti operis tam feliciter confecti ad Theodoram pertinet, quæ ſubmiſſis in Bulgariam doctis & piis hominibus negotium mirè promovit, tantámque gentis illius venerationem eſt aſſecuta, ùt velut filii matrem pace tranquilla & obſequio colerent: qui aliàs tot Græcos Imperatores viróſque fortiſſimos graviſſimis cladibus toties affecerant: remunerante videlicet, qui ſolet Deo O. M. probitatem fœminæ, quam Mentis ſuæ æternæ decretis in tempore conſummandis delegerat.

17. *Recentiores Iconoclaſtæ.* Per trecentos deinde & ampliùs annos ab Iconomachis orbi eſſe quieto licuit, donec anno 1126. Petrus de *Bruis* erecta imaginum ſtrue, flammis, quas ſuccenderat, ipſe eſt exuſtus. Conatus eſt equidem *Henricus* quidam è Magiſtri ſui cineribus excitare rurſus imaginum incendium. At occurrens tempori ingens ille Eccleſiæ pacator, & inſuperabilis hæreſum extinctor, Divus Bernardus, ſurgentem flammam mox compeſcuit.

Pro-

Prodierunt ſubin velut ex favilla rurſus in Gallia Waldenſes & Albigenſes, ſpurcum hominum genus, novi orbis incendiarii: & poſt 200. abinde annos Wicleffitæ in Anglia, ſparſo usque in Bohemiam ad Huſſitas exitiali fumo.

Lutherus, quem ex his cineribus Phœnicis inſtar ſurrexiſſe prædicant, intactas cruces ſacráſque imagines reliquit. Quin vindicem profeſſus violati honoris, Carlſtadium novum Iconoclaſtam, ſupra Magiſtrum volentem ſapere Wittenberga omníque Saxonia exegit: ſcripſitque duos contra eundem libros, in quibus Iconomachorum damnat ſpiritum, qui aliud ſpirare neſciat, quàm furorem, ſanguinem, lanienam.

At his fulminibus Archi-Didaſcali ſui, tantíque, ſi ſuperis placet, colapſi orbis reſtauratoris non territi Zwingliani & Calviniſtæ, novi ciniflones Iconomachi, inimici crucis, ea in ſanctas cruces, ſacráſque imagines patrârunt, quæ Leonum ac Copronymorum laudent manſuetudinem. Utinam pacato tantiſper animo legerent, quæ Concilium Tridentinum, Nicænæ aliarúmque Synodorum orthodoxarum inſiſtens veſtigiis, *ſeſſ.* 25. de uſu cultúque SS. Imaginum graviter ac ſapienter ſtatuit; puderet profectò viros cordatos veríque amantes religionem innocuam abominando *Idololatriæ* probro apud imperitum vulgus diffamare.

OBSERVATIO.

Dixi ſuprà, prohibuiſſe Gregorium II. Pontificem, ne Itali Leoni Iſaurico, Iconomacho obſtinato, tributum eò usque conſuetum penderent, *ſi Græcis ſcriptoribus fides eſt adhibenda.* Nam hoc diſertè teſtantur Theophanes *ad annum Leonis Iſauri* 13. Zonaras *tom.* 3. *annal.* Cedrenus *tom.* 1. *ad an.* 13. *Leonis.* Quos ſequuntur Sigebertus in *Chron. ad an.* 731. Platina *in vita Greg. II.* Baronius *ad annum* 730. Bellarminus *lib.* 5 *de Rom. Pont. cap.* 8. Peronius, aliíque ſcriptores paſſim. Fatentúrque id ipſi Proteſtantes, ùt Magdeburgenſes *centuria* 8. *cap.* 10. *in vita Gregorii II.* 18.

Nihilominus recentiores Galliæ Critici id negant: ùt Boſſvetus *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 17. Alexander Natalis *in Hiſt. Eccleſ. Sæc.* 8. *Diſſert.* 1. Franciſcus Pagi *in geſt. Greg. II.* & cùm antiquiores Latini ſcriptores hac de re ſileant, narrationem eam Græcorum maligno in Romanos animo tribuunt. Verùm hæc quæſtio facti non pertinet ad jus Synodale, ſed ad Pontificium.

AR-

ARTICULUS II.

Canones Concilii Romani & Forojulienſis.

19. In Concilio *Romano*, ſub Zacharia Papa anno 743. celebrato quindecim pro Eccleſiaſtica diſciplina canones ſunt conditi.

In 1. &. 2 arcentur mulieres à domibus ſacrorum Clericorum, ſub pœna depoſitionis ab officio & ordine.

In 3. vetatur, ne Clerici ſæculari indumento utantur, ſed tunica Sacerdotali induti, & condecenter operti foras prodeant.

In 4. Jubentur Epiſcopi vicini Romæ adeſſe.

In 5. Sub anathemate prohibetur, ne quis *Presbyteram, Diaconam, Nonnam*, aut *Monacham*, vel etiam ſpiritualem commatrem, nefario conjugio ſibi copulare præſumat. (*Presbyteræ & Diaconæ vocabantur, quarum mariti ordinati ſunt Presbyteri vel Diaconi.*)

In 6. decernitur, ut conſobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel etiam de propria cognatione nullus præſumat conjugio ſibi copulare.

7. anathema dicitur raptoribus virginum aut viduarum.

In 8. anathema dicitur Clericis & Monachis, comam laxantibus.

In 9. anathema dicitur illis, qui Calendis Januarii ſuperſtitioſum gentilitatis ritum ſequuntur, convivandi, & per vicos & plateas cantationes & choros ducendi.

In 10. anathema dicitur Chriſtiano, qui filiam ſuam copulat Judæo, niſi perfectè crediderit, & baptizatus fuerit. Item illi, qui ſervum aut ancillam Judæis vendiderit.

In 11. quater in anno faciendæ ſacræ ordinationes. Non ordinetur Bigamus, aut qui viduam duxit: nec alterius civitatis ſine dimiſſoriis.

In 12. Clerici cauſas ſuas inter ſe coram Epiſcopo agant. Si adverſus Epiſcopum Clericus cauſam habeant, coram vicino Epiſcopo illam agat. Si ibi non conveniatur, ad Apoſtolicam ſedem eant.

In 13. Nullus Sacerdos miſſam celebret, inixus baculo, aut velato capite.

In 14. Miſſa inchoata abſolvenda ab eo, qui inchoavit.

In 15. Non licere in quarto conſanguinitatis gradu matrimonium contrahere. Clerici cum Monialibus non cohabitent.

Con-

Concilii *Forojulienſis*, anno 795. celebrati, primi canones præſcribunt clericis vitæ honeſtatem, & morum integritatem, ut paſtores ſint norma gregis, imò eundem multò antecellant: vitent ſimoniam, ebrietatem, cohabitationem cum fœminis, ne matre quidem & ſorore exceptis, venationem & omnem vitæ licentiam Abbatem, Presbyterum & Diaconum gradu ſuo dejici vetat, inconſulto Patriarcha Forojulienſi.

Reliqui pleríque canones tractant de Matrimonio. Videlicet, prohibentur nuptiæ clandeſtinæ, jubentúrque præmitti ſponſalia, cum aliqua dilationis mora inter illa & matrimonium interponenda. Exquirendum ex vicinis & ſenioribus loci, an non ſubſit impedimentum conſanguinitatis, aut affinitatis, matrimonium non contrahendum ſine notitia Sacerdotis proprii illius loci.

Si hoc ordine bona fide procedatur, & nihilominus poſtea impedimentum detegatur, ſeparentur: filii tamen ex talibus nuptiis bona fide contractis, nati, habeantur pro legitimis, & hæreditatis capaces. Si ſeparari nolint, excommunicatione & pœnitentia plectuntor, atque à ſecundis nuptiis prohibentor.

Impuberes matrimonio ne copulantor; neque ætate multúm inæquales, ut adulterii præcaveatur periculum.

Qui uxorem fornicationis cauſâ dimittit, illa ſuperſtite aliam ne ducat. Adulteræ autem, etiam mortuo marito, ſecundæ nuptiæ interdicuntur, in pœnam criminis.

§. II.

Obſervatio in hæc Concilia de impedimento criminis.

Complura ſæculi hujus Concilia ſtatuerunt varia *impedimenta criminis*, quæ ab Eccleſia univerſali non ſunt recepta, aut poſteriori- 21.
bus canonum ſanctionibus, & conſuetudine ipſa ſunt abrogata.

Sic Concilium Foro Julienſe, paulò antè memoratum, adulteræ abſolute interdicit ſecundis nuptiis, mortuo etiam marito; uti etiam illis, qui detecto impedimento conſanguinitatis nolunt ſeparari.

Concilium Compendienſe *can.* 8. 14. *&* 15. propter crimen inceſtus pro tota vita videtur lapſis interdicere omne conjugium cum quacunque perſona.

Concilium Vermerienſe can. 2. ait: ſi quis cum *filiaſtra* ſeu privigna ſua fuerit fornicatus, *nec ille, nec illa* (privigna) *aliis ſe poterunt conjungere ullo unquam tempore.* Sic etiam *can.* 5. 10. 11. *&* 12. variis inceſtus criminibus videtur imponi pœna perpetuò abſtinendi ab omni matrimonio, cum quacunque etiam alia perſona.

Ad ſecundum recentiores canones Pontificios impedimentum criminis non dirimit matrimonium cum alia, quæ non fuit complex criminis. Cum complice autem dirimit matrimonium tantùm in quatuor caſibus; nempe 1. in caſu adulterii cum promiſſione futuri matrimonii, facta complici, & ab hac acceptata.

2. In caſu adulterii cum promiſſione matrimonii de præſenti, ſeu attentatione actualis matrimonii cum complice adultera.

3. In caſu adulterii, conjuncti cum conjugicidio, vel machinatione efficaci in mortem conjugis, ab alterutro, vel utroque complice facta, ea intentione, ut cum complice adulterii contrahatur matrimonium.

4. In caſu conjugicidii (ſine adulterio) cum mutua viri & fœminæ conſpiratione in necem conjugis, ac intentione matrimonium inter ſe contrahendi.

Quare ad inducendum impedimentum criminis non ſufficit ſolum adulterium, ſed requiritur inſuper aut promiſſio matrimonii de futuro, aut de præſenti, aut cædes conjugis, phyſicè vel moraliter patrata ab alterutro complice adulterii.

Similiter neque conjugicidium ſolum eſt impedimentum criminis, ſed requiritur inſuper vel adulterium prævium, vel, ſecluſo adulterio, conſpiratio in mortem conjugis, à viro & fœmina facta cum intentione ineundi inter ſe matrimonium. Ut habetur toto titulo *de eo, qui duxit, quam polluit per adulterium.*

Cæterùm DD. communiter requirunt, ut adulterium ſit *perfectum*, cum perfecta videlicet copula. Ut ſit *formale*, ſeu utraque pars ſciat, eſſe adulterium. Ut promiſſio matrimonii non ſit ficta, ſed *ſeria* (quod pro foro externo præſumitur) ut ſit *abſoluta*, & à promiſſario ſaltem *acceptata.* (Aliqui requirunt etiam repromiſſionem) ut *non ſit revocata* ante adulterium.

Ad conjugicidium autem requirunt, ut ſit machinatio in mortem *efficax*, ſecuta nempe morte ex illa. Ut fiat ab eis *phyſicè* vel *moraliter*, nempe per ſe, vel per alium. Ut ab *ambobus* ſeu utriusque conſpiratione patretur, ſi nullum præceſſit adulterium. Si autem hoc præceſſit, ſufficit, ſi cædes ab alterutra parte patretur, etiam altera ignara.

An

An autem impedimentum hoc incurratur ab ignorantibus, illud crimini ſuo à jure annexum eſſe, major eſt inter DD. diſceptatio.

Probabilior eſſe videtur illa ſententia, quæ etiam ab ignorante incurri docet. Nam hæc eſt inter DD communior, & conſuetudini, quæ eſt optima legum interpres, praxíque tum Romanæ curiæ, aliorúmque tribunalium Eccleſiaſticorum, conformior; in illis enim, teſte Moja *tr. Miſcell. q.* 14 *num.* 17. qui in prædictos quatuor caſus adulterii & homicidii inciderunt, ad matrimonium, inter ſe contrahendum, ſine diſpenſatione nunquam admittuntur. Nec quæri ſolet; an cognitum habuerint, ejusmodi crimini inhabilitatem ad matrimonium annexam eſſe.

Sufficit nempe cognoſcere gravitatem delicti ac culpæ, ut incurratur reatus pœnæ: pœna enim eſt delictorum coërcitio. Sic enim affinitatis impedimentum incurrit cum ſponſa ſua, qui cum ejus ſorore eſt fornicatus, licèt ignoraverit, eam inhabilitatis pœnam crimini ſuo à jure annexam eſſe. Et cætera etiam impedimenta matrimonii, à SS. Canonibus ſtatuta, incurruntur, licèt fuerint ignorata.

Neque dicas, reliqua impedimenta eſſe inhabilitates, quæ etiam ab ignorante incurri poſſint, impedimentum autem criminis eſſe pœnam, quæ non incurratur, ſi ſit ignorata. Nam etiam impedimentum criminis non eſt mera pœna, ſed pariter inhabilitas ad matrimonium, ad ſecuritatem conjugum, fidémque conjugalem conſervandam, adeóque in bonum publicum, ſtatuta: ſicut impedimentum affinitatis, ortum ex crimine fornicationis, cum ſorore ſponſæ non eſt mera pœna, ſed inhabilitas ad matrimonium, à jure ſimpliciter ſtatuta.

Deinde permittamus criminis impedimentum eſſe ſtatutum in pœnam delicti. An delictum non eſt commiſſum? An non meretur pœnam? meretur pœnam, inquis, ſed non hanc, à jure tantùm poſitivo ſtatutam, & à delinquentibus ignoratam. Et cur non hanc? num leges excipiunt? quis canon ſcientiam pœnæ hujus requirit? Multos habemus in Jure noſtro Canones de hoc impedimento criminis. Nullus, nullus omnino ſcientiam hujus pœnæ requirit, nullus vel apice prodit, impedimentum hoc non incurri ab ignorante. Sed ſtatuitur abſolutè ſicut alia impedimenta.

Si adultera est in mortem uxoris aliquid machinata, secundùm Canones ab ejus consortio probibetur: & bæc probibitio perpetuò est servanda. cap. 3. de eò, qui duxit &c. *Nullus ducat in matrimonium, quam adulterio polluit* cap. 5. *Nisi alter eorum* (adulterorum) *in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea vivente sibi fidem dederint de matrimonio contrahendo, legitimum judices matrimonium.* cap. 6. *Tolerari non debent, si* (promissione matrimonii facta) *prius aut postea dum vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluisset* cap. fin.

Ita enim verò sonant sacri hac de re Canones: delicto hanc inhabilitatem simpliciter & absolutè statuunt. Nulla mentio scientiæ, nulla ignorantiæ. Et mirum profecto esset, si sacri isti legislatores tot Canones de hoc impedimento conderent, ad propositas sibi varias quæstiones enucleatim responderent, omnia distinguerent, exceptiones ac limitationes omnes accuratè apponerent: & hujus solius in re gravissimi momenti, oblivisc erentur, ut dicere negligerent, si ignorantia hujus impedimenti intercesserit, illud nequaquam contractum iri: quod tamen quàm maximè necessarium fuisset exprimere: cùm casus iste plebejos præsertim inter homines, quorum pars orbis maxima est, frequentiùs contingat.

Certè nemo prudens intendit id facere, quod scit esse impossibile. At verò, qui novit impedimentum criminis, scit, Impossibile esse, ut in quatuor illis memoratis casibus matrimonium subsistat, qua igitur ratione, quóve modo promittere potest *seriò* matrimonium complici criminis, aut quomodo potest de præsenti illud cum eodem inire, si perspectum ipsi fuerit, nec esse matrimonium, nec esse posse?

Illi igitur, qui ad impedimentum hoc incurrendum requirunt scientiam impedimenti dirimentis, videntur saluberrimam hanc sanctionem ferme frustrare.

Si quis verò (permisso etiam supposito falso, quòd impedimentum hoc esset purè pœnale) instar principii sibi sumat, pœnam non incurri ab eo, qui pœnam statutam ignorat, is profectò nimium sibi assumit. Ut parte prima hujus operis cap. 2. §. 3. me probâsse existimo: ubi ex professo quæstionem illam tractavi, *an incurrat pœnam, qui scit legem sed ignoravit pœnam.* Et plura ad hanc rem oportuna inveniri poterunt, retundíque plures exceptiones, quæ ab adversariis opponi consueverunt. Eò igitur lectorem remitto, cùm hìc non ex professo, sed incidenter tantùm quæstionem istam delibem.

Illud

Illud tamen adhuc ex Pyrrho Conrado *in praxi dispensat. Apost. lib.* 8. *cap.* 9. addere liceat: non obtineri à Pontifice dispensationem in hoc impedimento, si illud oriatur ex conjugicidio *notorio*, adducítque idem auctor insignis exemplum Clementis VIII. qui, licèt potentissimi oratores intercederent, ut in hoc impedimento, uno tantùm machinante mortem, pro utroque foro dispensaret, induci nunquam potuit, ut id faceret.

Cúmque allegaretur exemplum Davidis, qui Bethsabeam duxisset, licèt cum ea adulterium commisisset, & in Uriæ, conjugis ejus, necem machinatus esset: respondit Papa, plura in veteri lege propter infirmitatem fuisse concessa, ùt libellum repudii &c. quæ in lege nova, tum à Christo ipso, & Apostolis, tum ab Ecclesia sint prohibita.

Si verò conjugicidium sit occultum, recurri posse pro foro interno ad sacram Pœnitentiariam, quæ difficillimè, & non nisi ex urgentissimis causis dispenset, nec nisi injuncta gravi ac diuturna pœnitentia. Tum verò matrimonium de novo secretè contrahendum (cùm priùs invalidum fuerit) ac prolem etiam, antea illegitimè susceptam, legitimatum iri.

Si autem impedimentum hoc oriatur ex adulterio, sine machinatione necis, tunc faciliùs obtineri dispensationem. Et quidem, si impedimentum sit publicum, & adulteri jam de præsenti contraxerint matrimonium (hoc est, attentârint) Pontificem dispensare pro utroque foro, causa priùs probè discussa.

Si verò impedimentum occultum sit, recurri ad sacram Pœnitentiariam, quæ committat confessario, per oratores deligendo, ut eos in foro conscientiæ, injuncta salubri pœnitentia, absolvat, & de novo contrahendi facultatem tribuat; legitimata etiam prole, illegitimè priùs nata.

ARTICULUS III.

De Conciliis Germaniæ SÆCULI VIII.

§. I.

Prænotanda de Statu Germaniæ

Germaniæ invictam gentem nunquam ex integro Romani suo subjicere poterant imperio. Quamvis enim Julius Cæsar, victo 22.

 Ario-

Ariovisto, illius Rege, Rhenum transgressus, Suevos & Sicambros subegerit, & Drusus postmodum, Augusti imperatoris privignus, aliíque subin Romani Duces per tractum Rhenanum, Rhœtiam, Vindeliciam, & Noricum promoverint victoriam, pluribus tamen sæpiùs cladibus profligati Boreales trans Visurgim provincias subigere non poterant

Quin Germani Romanos terrarum Dominos non tantum Teutonicis ex Provinciis propulsârunt, sed Italiam etiam, Galliam, Hispaniam, Lusitaniam, atque Britanniam eisdem eripuerunt.

Sicut autem armis feroces & bello fortes, ita moribus ad octavum usque Sæculum non satìs culti, potissimam partem idololatræ inanium Deorum simulacris litabant. Quamvis enim jam primis Ecclesiæ temporibus Apostolici viri in Germaniam ad spargendam Evangelii sementem fuerint missi, & S. Crescens, S. Petri Discipulus Moguntinum Episcopatum S. Eucharius Trevirensem, S. Maternus Coloniensem, jam primo Sæculo fundâsse tradantur, septimo verò dein Sæculo Bojaria per S. Rupertum, baptizato Duce Theodone III. ad Christiana sacra fuerit adducta, Salisburgensi & Laureacensi Episcopatu erecto, potior tamen Germaniæ pars gentilis superstitionis tenebris jacebat sepulta, donec octavo Sæculo magnus ille Germaniæ Apostolus S. Bonifacius, à Gregorio II. & Zacharia Pontificibus missus, fundatis pluribus Episcopatibus, ùt Ratisbonensi, Eustadiano, Frisingensi, Herbipolensi, fidem latè propagavit: adjuvantibus strenuè sanctissimis viris, S. Corbiniano in Germania Superiore, S. Wilibrordo, & S. Humberto in Inferiore, S. Ludgero in Westphalia, S. Burchardo in Franconia.

Nec parùm operæ contulerunt ad Germaniæ conversionem Pipinus Herstallus, ejúsque filius Carolus Martellus, de quo Gregorius III. Summus Pontifex scripsit, ejus ope à S. Bonifacio Germaniam è potestate Paganorum esse liberatam.

Martelli filii Carolomannus & Pipinus, Majores Domus seu Præfecti Palatii apud ultimos Merovingicæ stirpis Reges, victis sæpiùs Theobaldo Alemanniæ seu Sueviæ, Utilone Bojariæ, & Theodorico Saxoniæ Ducibus, atque ad obsequium retractis, fidei dilatandæ pariter occasionem præbuerunt. Imperatum etenim Saxonibus, ne Sacerdotes impedirent, Christi Evangelium palam prædicare.

At nemini vetus illa Germania plus debere videtur, quàm Carolo M. qui, abstersa scabritie, moribus cultam politámque, reli-

religionem ſanctam reddidit. Confecto ſiquidem bello Longobardico, Thaſſilone attonſo, Saxonibus, ſæpè rebellibus, totiésque devictis, Witekindo & Albione, eorum Ducibus, ſalutaris undæ lavacro tinctis, gentem illam ferocem cicuravit, & non tam ſuo quàm Chriſtianæ legis imperio ſubjecit, erectis Epiſcopatibus Hildesheimenſi, Bremenſi, Paderbornenſi, Oſnabrugenſi, & Monaſterienſi; ut adeò tota ferme Germania Sæculo VIII. Chriſtianam ſe viderit, fundatis ubique Eccleſiis, & apertis, ad diſpellendas craſſæ ignorantiæ tenebras, Scholis publicis. Utque tum fidei doctrina, tum Eccleſiaſtica diſciplina opportuniùs inducatur, ac integra conſervetur, habita deinceps plura Concilia: quibus Carolus M. multa addidit *Capitularia*, in comitiis Eccleſiaſticorum & Sæcularium ordinum confecta.

§. II.

Status Eccleſiaſticus ordinatus per Concilia Sæc. VIII.

Cùm hoc ſæculo præſertim à S. Bonifacio religio latiùs per Germaniam propagaretur, ac plures Epiſcopatus erigerentur, Concilia etiam Epiſcoporum haberi ibidem ſunt cœpta. Et primùm quidem inveniuntur ſub initium hujus ſæculi duo Concilia celebrata Trajecti ſub S. Willebrordo, in quibus de propaganda fide & mittendis fidei prædicatoribus eſt actum. 23.

Anno 742. celebratum eſt *Concilium Ratisbonenſe* ſub S. Bonifacio. Editi ſeptem in eo canones de Eccleſiaſtica diſciplina. Primus tractat de conſtituendis Epiſcopis per civitates, quibus præſit Bonifacius, miſſus S. Petri.

In 2. interdicitur Clericis, ne arma tractent, aut venationes exerceant.

In 3. à Presbyteris Epiſcopo ratio reddenda de ſuo miniſterio circa baptismum, fidem Catholicam, preces & ordinem *Miſſarum*. Atque in cœna Domini ſemper novum *Chrysma* recipiendum ab Epiſcopo.

In 4. Ignotos Presbyteros ante probationem ad miniſterium non eſſe admittendos.

In 5 à gentilium ſuperſtitioſis obſervationibus abſtinendum.

In 6. Clerico in fornicationem lapſo poſt ternam flagellationem per annum pane & aqua in carcere pœnitentiam agendam.

In

In 7. nulli Presbytero vel Diacono permittendum, ut domi suæ mulieres habeat. Monachis & monialibus juxta regulam S. Benedicti vivendum.

Sequenti anno hæc confirmata sunt in *Concilio Liptinensi* eodem S. Bonifacio Præside.

In Concilio Moguntino I. anno 745. deposito Gervilione ob commissum homicidium S. Bonifacius eligitur Archiepiscopus Moguntinus: & Moguntia declaratur Germaniæ Metropolis, damnati etiam duo populi seductores hæretici *Aldebertus* & *Clemens*: quorum varias imposturas Bonifacius in Epistola ad Zachariam Papam describit. Inter alia docebant, non esse licitum, in sanctorum honorem Ecclesias consecrare.

In Concilio Moguntino II. anno 753. S. Bonifacius, post propagatam latè per Germaniam stabilitámque fidem ac disciplinam, S. Wilibaldo Eustettensem commisit Ecclesiam, S Burchardo Herbipolitanam. S. Sturmium primum Abbatem Fuldensem constituit, Wigbertum verò Hirschfeldensem Tum verò abdicato Episcopatu Moguntino, & in S. Lullum translato, in Frisiam rediit, ut etiam ibidem propagaret fidem Christianam, pro qua Martyr ibidem obiit.

Anno 759. celebratum est *Conciliabulum Constantiæ* sub Sidonio Episcopo contra S Othmarum Abbatem S Galli: cùm enim Warinus & Ruithardus fisci procuratores res Ecclesiæ invasissent, eáque de causa ab Othmaro accusati acritérque à Rege Pipino reprehensi, non desisterent, Othmarum, cùm iterum regem adire vellet, in itinere interceperunt, & per subornatum monachum Lambertum de crimine impudicitiæ accusârunt, atque in justa Conciliabuli sententia in carcerem detrusum fame, aliísque calamitatibus enecârunt.

Antequam Carolus M. expeditionem Saxonicam susciperet. duobus Wormatiæ Conciliis interfuit, in quibus quædam capitularia illius confecta esse dicuntur.

Anno 772. *Dingolfingæ* in Bavaria sub Tassilone Duce celebratum est Concilium, quod primus in lucem produxit eruditissimus vir Marcus Velserus, editi sunt in eo 14 Canones de disciplina Ecclesiastica. Henricus Canisius in præfatione ad hanc Synodum ita scribit: „ agnoscant hinc Bavari ante, annos plusquàm 800, „ in Bavaria receptam fuisse illam Religionem, quæ Episcopos, „ Abbates, Sacerdotes, & aliorum ordinum Clericos habet: quæ „ sacrosanctæ Missæ sacrificium pro vivis & defunctis religiosè immoiat,

„ molat quæ sacrorum Canonum decretis reverentiam exhibet mo-
„ nialium matrimonia severis pœnis coërcet. O felicem Bavariam,
„ quæ fidem Theodonis, Tassilonis, Caroli M. aliorúmque genero-
„ sissimorum heroum, tot lustris labentibus, inter fluctus & procel-
„ las sartam tectam custodisti, neque impuros Apostatas S Ruperto
„ & excellentissimis illis Regibus & Ducibus antetulisti!

Cùm Saxones, bellante Carolo M in Italia adversùm Longobardos, rebellâssent, adornans contra eos tertiam expeditionem interfuit priùs Concilio *Wormatiensi III.* anno 776. victi deinde rursus Saxones, plerique Christiana sacra susceperunt.

Triennio pòst in *Concilio Saxonico* actum est de sedibus Episcopalibus in Saxonia erigendis, ut Pastorum vigili cura populi illi recèns conversi in fide morúmque disciplina retineantur. Huc refert suam originem Episcopatus Paderbornensis.

In illo celebratum est anno 788. præsente Carolo M. *Concilium Paderbornense*, quod domita jam tota Saxonia, & Witekindo baptizato, de Ecclesia Saxonica ordinanda prolixiùs disposuit. Creduntur hìc jacta fundamenta Ecclesiæ Mindensis, eíque propositus S. Herimbertus primus illius Episcopus: *Bremensis* pariter Episcopatus hoc tempore initium sumpsit, Willetrado primo constituto Episcopo.

Anno 788. in *Concilio Ingelheimensi* Tassilo fidei violatæ damnatus cum filio Theodone attonsus & in monasterium reclusus est: Bojariis, qui ipsi adhæserant, aliquibus exilio multatis.

Sequenti anno Carolus *Aquisgrani* Synodum celebrari voluit: in qua confectum promulgatúmque est famosum *Capitulare Aquisgranense* de disciplina Ecclesiastica, quod etiam *Capitulare Caroli M* dicitur. 58. priores articuli innovant Canones veterum Conciliorum, & Pontificum. 10 sequentes adhortantur ad observantiam mandatorum Dei. Reliqui spectant Clericos & Episcopos. Addita sunt alia duo Capitularia, alterum de Monachis, alterum de rebus partim Ecclesiasticis, partim politicis.

Emerserat hoc tempore hæresis *Felicis* Hispani, Urgellis ad montes Pyrenæos Episcopi, qui ab *Elipando* Episcopo Toletano interrogatus, an Christus secundùm id, quòd homo est, sit filius Dei naturalis, an tantùm adoptivus? adoptivum esse respondit, editísque libris propugnare conatus est: Elipandus autem per Hispaniam, Felix veró per Galliam & Germaniam hæresim istam prædicavit. Quare anno 792. Carolus Rex celebrari voluit Concilium *Ratisbonæ*, quò in hyberna concesserat. Adductus in Concilium Felix, erroris con-

convictus est, atque ad Adrianum Pontificem Romam missus, in Basilica S. Petri eundem ejuravit. Restitutus proin suæ sedi, relapsus, in Concilio *Francofordiensi* rursus est condemnatus anno 794. anno verò 799. in Concilio *Aquisgranensi* ab *Alcuino* convictus, Catholicæ fidei professionem absque simulatione edidit.

§. III.

Canones Concilii Francofordiensis An. 794.

24. Magni hujus Germaniæ Concilii, quod voluntate Caroli M. congregatum, trecentis circiter Episcopis, ex Germania, Gallia & Italia collectis constabat, aliàs quidem meminimus sæpiùs, præsertim *part.* 3. *cap.* 2. *art.* 7. *§.* 4. sed ibi illa duntaxat sunt memorata, quæ adversus hæresin Felicis Urgellitani, & Elipandi Toletani Episcopi, atque in causa Concilii Nicæni II. de sacrorum imaginum adoratione gesta sunt. Juvat proin ea etiam hìc breviter subnectere, quæ ad disciplinam benè multis canonibus sunt constituta.

Actum igitur de stabili pretio annonæ pro quovis tempore, sive fertilitas abundet agrorum, sive raritas segetum penuriam invehat. Vetitum igitur, ne quis unquam frumentum annonámque vendat carius, quàm lege regia universim fuerit definitum. (*Saluberrima ejusmodi, & pauperibus etiam exoptatissima lex contra avaros annonæ flagellatores facilè tunc ferri poterat, quando unus Monarcha totam ferme Europam suprema cum potestate gubernabat.*) Monetis etiam certus statutus valor. Et has quidem geminas leges politicas Carolus M. in Synodo constituit.

Ecclesiasticorum verò canonum ista sunt capita.

Episcopus justitiam in sua Diœcesi omnibus Ecclesiastici ordinis personis administret. Iu casu autem contumaciæ ad Metropolitanum recurratur, & si necesse sit, ad regem, pro executione sententiæ.

Prohibetur iterum translatio Episcoporum & Presbyterorum ad alias Ecclesias.

Cùm contentio esset orta de limitibus Diœcesanis & Metropolitanis, causa remissa est ad Summum Pontificem.

Petrus Episcopus de conjuratione, adversus Regem Carolum cum Pipino ejusdem filio inita, accusatus, jussus est cum duobus aut tribus aliis jurare, se sceleris purum esse. Cùm autem nemo vellet

vellet cum eo jurare, hominem misit, qui duello dimicaret. Et felici dimicatione confecta declaratus est innocens. (*Eo nempe media illa ætate adhuc sæpiùs veritas explorabatur.*

Depositus Gerboldus, qui Diaconus & Presbyter canonicè non ordinatus, ad Episcopatum involavit.

Pro suscipiendis in sacrum Ordinem pecunia ne exigatur. (*Nempe titulo susceptionis, aut status religiosi*) Abbas ne eligatur, nisi cum consensu Episcopi. Clerici aut Monachi tabernas publicas ne frequentent. Episcopus & Presbyteri SS. Canones calleant. Dominica dies à vespera ad vesperam observetur. Episcopi in villis & vicis non consecrentur. Servi non ordinentur sine consensu dominorum. Omnes decimas solvant de sua proprietate. Ecclesiæ per eos restaurentur, qui beneficia habent.

Clerici non ordinentur absque deputatione ad certam Ecclesiam: neque de una migrent ad aliam. (*Intelligendum credo, sine facultate proprii Episcopi; nam quamvis hæc prohibitio pluribus in conciliis sit facta, frequentes tamen invenimus ejusmodi translationes, illa etiam ætate factas, non tantùm Episcoporum, sed inferiorum etiam Sacerdotum*)

Cùm inter Clericum & Laicum lis orta fuerit, Episcopus & comes eam decidant. Prædicatio fidei diligenter instituatur. Causa criminalis Presbyteri ab Episcopo decidatur. Episcopo extra suam Ecclesiam hærere ultra tres hebdomades vetatur. Bona, ab Episcopo post ordinationem acquisita, ad hæredes transire prohibentur. Arbores & luci, & omnes superstitionis reliquiæ tolluntor.

Oblationes, quæ in Ecclesiis, vel in usus pauperum fiunt, ad nutum Episcopi dispensantor. Presbyteri ante 30. annum ætatis ne ordinantor. (*Ita enim ferebat temporum illorum disciplina.*) Nullus credito, Deum in tribus tantùm linguis orandum: quia in omni lingua Deus adoratur, & homo exauditur, si justa petierit. (*Intelligendum, extra sacram liturgiam & Divina Officia.*

Ecclesiæ vendi permittuntur, modò non destruantur, aut in usus profanos vertantur. *Non enim venditur consecratio, sed ædificium de se pretio æstimabile.*)

Denique Rex Carolus proposuit, se ab Adriano Pontifice dispensationem petiisse, & obtinuisse, ut Hildebaldus, Archiepiscopus Coloniensis, & Archi Cappellanus, assiduè versaretur in aula (*propter utilitates Ecclesiasticas.*)

§. IV.
De Capitularibus Caroli M.

25. Celebria hæc *Capitularia* complectuntur plurimas leges, quà Ecclesiasticas, quà civiles ac politicas, in conventibus Episcoporum, Abbatum, & Comitum collectas. Leges Ecclesiasticæ, aut Clericos spectantes, fere omnes desumptæ sunt ex Canonibus Conciliorum, aut Romanorum Pontificum decretis. Aut, si quæ novæ sunt editæ, ab Episcopis promanârunt, eorúmque voluntate Capitularibus Caroli insertæ.

Non enim magnus hic Princeps, Ecclesiastici Ordinis observantissimus potestatem leges Ecclesiasticas ferendi sibi arrogavit, ut ex præfatione capitularium Aquisgranensium patet, in qua se *humilem adjutorem* ac *defensorem* sanctæ Dei Ecclesiæ appellat. Episcopos verò nominat *Pastores Ecclesiarum Christi; & Ductores gregis ejus, & clarissima mundi luminaria*, rogátque eos, ut vigili cura, & sedula admonitione populum Dei per pascua vitæ æternæ ducere studeant, *ne lupus insidians aliquem, Canonicas sanctiones, vel paternas traditiones universalium Conciliorum transgredientem inveniens devoret.* Addicens deinde suam operam, *in quo*, inquit, *operis studio sciat certissimè sanctitas vestra, nostram vobis cooperari diligentiam.* Addit denique, se *ex Canonicis Constitutionibus* aliqua capitula subjunxisse: quam curam suam benè sibi verti rogat.

Porro in his Capitularibus, potissimùm Aquisgrani collectis, præter alia, inculcatur, ut Ecclesiis, in Saxonia recèns constructis, magnus habeatur honos. Ut nemo violentè ex Ecclesia extrahatur. Ut Ecclesiæ jejunia observentur. Ut vitentur superstitiones infidelium. Ut die Dominica abstineatur ab omni opere servili, atque à placitis. Ut decimæ Ecclesiis & Sacerdotibus ab omnibus persolvantur. Ut ad fontes, arbores, & lucos vota non fiant. Capitulum octavum sic habet: *Si quis deinceps de gente Saxonum inter eos latens non baptizatus se abscondere voluerit, & ad baptismum venire contempserit, paganúsque permanere voluerit, morte moriatur.* Gens nempe Saxonica devicta Corolo M. promiserat juramento, datis etiam obsedibus, fidem Christianam recipere, & fidelitatem servare. Unde coëgit eos sub mortis pœna, ut stent promissis. Quamvis aliàs Ecclesia infideles non cogat ad suscipiendum baptismum.

Aliis Capitularibus statuit, ut Episcopis honor & obedientia ab omnibus deferatur. Ut Episcopi & Presbyteri à bellis sint immunes.

De

Decretum insuper cum consensu Leonis III. Papæ, ut Chorepiscopi Episcopales functiones non peragant: utque deinceps nulli ampliùs creentur Chorepiscopi.

Ut omnibus Dominicis Festísque diebus unusquisque Sacerdos Evangelium Christi prædicet. Ut extra Ecclesiam Missæ non celebrentur. Ut stata baptismi tempora serventur. Ut Sacerdos nullam domi mulierem habeat. Ut nullus Sacerdos ad sæcularia judicia accedere audeat. Tabernas non ingrediatur edendi aut bibendi causa. Ut Sacerdotes crimina sibi confitentibus dignam pœnitentiam imponant, & omnibus infirmis ante exitum vitæ viaticum & communionem Corporis Christi misericorditer tribuant. Ut secundùm definitionem sanctorum Patrum, si quis infirmatur, à Sacerdotibus oleo sanctificato cum orationibus diligenter ungatur.

Ut summus Pontifex à nemine in terris judicetur. Ut Episcopus non condemnetur sine 72. testibus. Aut Presbyter sine 44. ut Sacerdotes canones sciant, cantum & Ecclesiasticos ritus.

ARTICULUS IV.

De Conciliis Galliæ Sæc. VIII.

§. I.

Prænotanda de statu Galliæ.

Postquam Pipinus Herstallus, qui sub titulo *Majoris Domus* omnem 26.
potestatem ad se attraxerat, anno 714. obierat, ejus filius *Carolus Martellus*, ex Alpaide pellice susceptus à Plectrude noverca in carcerem conjectus fuit. At inde elapsus, Austrasiis suis conjunctus, Neustrasios seu Francos, eorúmque Regem Chilpericum III. Raginfridum palatii magistrum, & Eudomen Aquitaniæ Ducem, pluribus secundis præliis vicit. Tandem ut Neustrasios ac Burgundos, qui Chilperico adhæserant, sibi & austrasianis conjungeret, pace inita, sub Chilperico, aliisque deinceps Regibus magisterium palatii, & cum eo paternam potestatem exercuit.

Per Germaniam inde arma circumtulit, expeditione jam in Saxones, modò in Bojarios, rursus adversus Landfridum Sueviæ Ducem, suscepta.

His feliciter, magnáque nominis fama gestis, cum Saracenis collisus est. Hi expugnata Hispania, in Galliam irrupêre, cæsi sæpiùs

piùs repreſsíque ab Eudone, Aquitaniæ Duce. At ſub Abdirama ingenti cum exercitu reverſi, Septimaniam (*Occidaniam* ſeu *Languedociam* hodie dictam) atque in ea Toloſam & Narbonem expugnârunt; tum in Lugdunenſem Provinciam effuſi, urbem ejus principem ceperunt. Mox per totam Burgundiam, Vaſconiam, Aquitaniam, aliásque provincias, direptionibus, incendiis, cædibúsque graſſati, Galliæ omni ad funeſtum Hiſpaniæ exemplum interitum intentabant.

Jamque occupata Burdegalla, aliíſque celebribus urbibus, Pictavienſi agro victricia arma intulerant, cùm Martellus & Eudo, condonatis ruenti patriæ inimicitiis, amici facti ſociíque ex hoſtibus, vires conjunxerunt, ac Saracenos incredibili prorſus ſtrage ad internecionem ferme ceciderunt.

Mox Burgundia, Lugdunóque receptis, Martellus poſt Eudonis obitum Aquitaniam occupavit: ac Saracenos ad ultionem cladis ſuæ Galliam iterum incurſantes felici prælio fudit: captámque ab illis Avenionem recepit. Tum Narbonenſem provinciam, Hiſpaniæ Gothicæ antè attributam, expugnata Narbona aliíſque oppidis, Saracenis eripuit, cæſis, qui ad opem ferendam ſæpiùs venerant, eorum copiis. Igitur Martellus Maurorum cladibus inſignis, eorum ſpolia in triumphum duxit, expurgata tota Gallia. In his Saracenicis bellis Martello opem tulêre Germani, præſertim Alemanni & Bojoarii, ſub Theodebaldo; & Utilone, eorum Ducibus.

Poſt conſumptam bellis ætatem obiit Carolus Martellus anno 741. incurrit Eccleſiaſticorum quorundam odium, quòd quasdam Eccleſiarum facultates militibus diſtribuiſſet. Quod verò traditur de viſione quadam ejusdem inter damnatos, videtur ſapere fabulam.

Moriens Martellus Majores Domus renuntiavit *Carolomannum* & *Pipinum* filios ſuos. Qui bello ſuperârunt Utilonem Bojariæ, Theobaldum Alemanniæ, & Hunaldum Aquitaniæ Duces, qui contra illos inſurrexerant. Paulò poſt feliciter ab illis confectum eſt bellum Saxonicum.

Anno 747. Carolomannus, nuntio rebus humanis miſſo, Romæ à Zacharia Pontifice tonſuram & habitum clericalem accepit: conditóque in ſoracte monte monaſterio, vitam religioſam profeſſus eſt, translatus inde ad montem Caſſinum ad S. Benedicti monaſterium. Pipinus verò ejus frater junior anno 752. exauctorato Childerico III. octodecim annorum juvene à Francis Rex eſt ſalutatus.

Dom-

Domitis inde Saxonibus, atque ad tributi ſolutionem compulſis, Stephanum III. Summum Pontificem, ad ſe in Galliam confugientem in Italiam reduxit, Aiſtulpho Longobardorum Rege ſuperato, & ad tradendum Exarchatum aliásque urbes Eccleſiæ Romanæ adacto. Quam donationem inſigni diplomate confirmavit; Conſtantino Copronymo fruſtra Exarchatum repoſcente.

Recepto mox à Thaſſilone Boiariæ Duce homagio, geſtiſque pluribus contra Aquitanos bellis, geminam Synodum celebrari voluit; primam Attiniaci, in qua, præſentibus ſedis Apoſtolicæ legatis, auditi Copronymi Imperatoris Oratores: diſputatúmque de fidei doctrina, & traditionibus Patrum. Alteram Gentiliaci, in qua diſceptatum cum Græcis de proceſſione Spiritus ſancti, & cultu ſacrarum imaginum.

Defuncto anno 768. Pipino Regi ſucceſſerunt, diviſo Imperio, filii, Carolus & Carolomannus. At hoc tres intra annos demortuo, tota rerum poteſtas ad Carolum eſt devoluta, qui ea deinceps pro Eccleſia & Republica geſſit, quæ *Magni* nomen ei meritò pepererunt.

Longobardorum regno finem impoſuit, expugnata Papia Regia ſede, ac deſiderio in Galliam abducto. Patris Pipini diploma confirmavit, novásque Romanæ Eccleſiæ urbes addidit. Saxones penitus ſubegit, & Chriſtianos fecit. Rotgandum Forojulienſem, & Thaſſilonem Boiarium Ducem, obſequium detrectantes provinciis exuit. Saracenos bello aggreſſus, Hiſpaniarum parte multavit. Saxoniam & Bavariam in provincias redegit. Græcos in Italia profligavit, Hunnos, cum Thaſſilone conſpirantes, in Pannonia, victor ubique ac gentium domitor.

Nec minùs inclaruit pacis artibus quàm belli virute. Epiſcopatus per Germaniam & Monaſteria multa fundavit. Barbariem abſterſit, ſcientiarúmque ac bonarum artium diſciplinas induxit: Sacerdotum Doctorúmque hominum cultor & æſtimator eximius: *Alcuino* ipſe uſus præceptore, quem ſcholæ palatii ſui præfecit. Cantum Gregorianum in Germania & Gallia introduxit. Pro Eccleſiæ etiam diſciplina ex ſacris Canonibus multa capitularia colligi, ac variis in urbibus publicari curavit.

Denique meritis & ætate gravis piè deceſſit Aquisgrani anno 814. à Paſchali Antipapa in ſanctorum Canonem eſt relatus. Quod decretum, cùm à nullo legitimo Pontifice fuerit revocatum, ejus cultus in variis Germaniæ & Galliæ Eccleſiis uſu & conſuetudine invaluit. Quidam id ei objiciunt, quòd thori conjugalis non ſatis diligens fuerit cuſtos: licèt novem ſucceſſivè legitimas uxores habuerit.

§. II.

§. II.

Status Ecclesiasticus ordinatus per Concilia.

I.

Concilium *Suessionense* anno 744. decem edidit canones, quibus nihil aliud ferme decernitur, quàm id, quod in memoratis paulò antè Germaniæ Synodis est decretum. Nempe, Nicænam fidem, & Synodorum Canones in toto Francorum regno esse promulgandos. Synodos quot annis celebrandas. Clericorum causas ab Episcopis decidendas. Abbatibus ad bellum non eundum. Clericis non portandum habitum sæcularem. Devitandam venationem streperam. A Clericis rationem reddendam Episcopo sui ministerii; atque ab eo chrisma & oleum petendum. Eúmque circumeuntem ad confirmandum populum Abbates & Presbyteri suscipiunto.

Peregrini Episcopi & Presbyteri sine probatione ad ministerium non admittuntor. Episcopi providento, ne superstitio admisceatur, & ut per civitates justæ sint mensuræ. Adelberti (qui tanquam hæreticus damnatur) superstitiosæ Cruciculæ igni traduntor. Clericus in domo fœminam ne habeto, nisi matrem, sororem & neptem. Deo sacratam fœminam aut propinquam nemo ducito, nec aliam vivente priore.

Celebratum autem est hoc Concilium tempore Childerici III. Regis Francorum, præsente Pipino Duce ac Principe: qui tunc adhuc fuit *Major Domus*, & haud multò pòst exauctorato Childerico Rex Franciæ.

II.

Canones Concilii Vermeriensis.

Canones hujus Concilii, anno 753. celebrati, pleríque tractant de matrimonio.

Conjuncti in tertio gradu jubentur separari, non verò in quarto gradu, sed imponitur istis pœnitentia. Adeóque tunc juxta Ecclesiæ Gallicanæ disciplinam consanguinitas in tertio gradu erat impedimentum *dirimens* matrimonii, consanguinitas autem in quarto gradu tantùm erat impedimentum *impediens* matrimonium contrahendum.

Fornicatus cum uxoris suæ filia, ab uxore separetur. Presbyter ne ducat uxorem. Uxoris velatio est irrita, si fiat sine mariti con-

consensu: uti etiam, si invita veletur. Mulier, machinata cum alio in vitam mariti sui potest dimitti (*per divortium nempe quoad cohabitationem*.

Statuitur impedimentum dirimens *Conditionis Servilis*, si nempe Ingenuus ancillam ducit, quam putat ingenuam, aut ingenua servum ducit, quem putat Ingenuum. Aliud est, si pars ingenua conditionem servilem compartis scivit, & tamen duxit: tunc enim valet matrimonium.

Ordinatus à Vago Episcopo jubetur rursus ordinari (*quia scilicet dubium erat, an sit verus Episcopus*) Clerici non portent arma.

Eodem anno celebrata est *Synodus Metensis*. In qua pœna statuitur crimini incestûs. Tractatur de teloniis, moneta, immunitatibus, administratione justitiæ, foro competente; ubi verberari jubetur Clericus, qui Seniorem suum in palatio accusat.

III.

Canones Concilii Vernensis anno 755.

Celebratum est in Verno palatio Pipini Regis à multis Episcopis Galliæ, multíque constituti sunt Canones. Quorum magìs memorabilium hæc summa.

Metropolitano à Comprovincialibus Episcopis præstanda obedientia secundùm Canones. Ad Synodos à Metropolitano vocentur Episcopi & Abbates. Clericali ac Regulari disciplinæ, si opus, reformandæ invigilet Episcopus; si non possit emandare, referat ad Metropolitam; si neque hic possit, Synodus decernat.

Baptisteria ne sint in aliis Ecclesiis, quàm ab Episcopo designatis. Qui se injustè ab Episcopo suo excommunicatum judicat, potest appellare ad Metropolitanum Quæ tamen appellatio tantùm habet effectum *devolutivum*, non autem *suspensivum*. Hoc est: debet se pro excommunicato gerere, abstinendo à communione fidelium in Ecclesia, orationibus publicis, conviviis &c. donec absolvatur. Statuitur excommunicatio *minor*, in communicantes cum excommunicatis.

Monachis vetat peregrè abire, etiam ad sedem Apostolicam sine consensu Abbatis. Clerici ne migrent ad alias Ecclesias. Episcopis sub pœna suspensionis ab officio prohibetur, ne in aliena diœcesi ordinationes, aut alia ministeria Episcopalia peragant.

Die Dominica abſtinere jubet ab opere rurali, non tamen à faciendo itinere equo, vel curru, parandis cibis &c. A quibus tanquam ex obligatione abſtinere ad Judaicas ſuperſtitiones relegat.

Nuptiæ celebrentur publicè. Clerici ne gerant negotia ſæcularia, niſi pro Eccleſia, orphanis, viduis, aliíſque cauſis piis, ex commiſſione Epiſcopi vel Abbatis. Poſt mortem Epiſcopi ſedes ultra tres menſes ne vacet. Clerici cauſas ſuas ad ſæcularia judicia ne deferant, ſine conſenſu Epiſcopi vel Abbatis.

Immunitates Eccleſiarum ſerventur. Monaſteria fundatoribus ſuis reddant ratiocinia. Ab iis, qui piam peregrinationem ſuſcipiunt, telonia ne exigantur. Judices primò cauſas orphanorum, viduarum, & Eccleſiarum judicent. Nullus per pecunias accedat ad honorem vel gradum Eccleſiaſticum. Judices ne munera accipiant pro adminiſtranda juſtitia.

IV.

Canones Concilii Compendienſis anno 757.

Canones hujus Synodi tractant de matrimonio, ſtatuúntque conjunctos in tertio gradu, vel mixto ex tertio & quarto ſeparari, non autem conjunctos in quarto ex utraque parte. Idémque ſtatuitur de affinitate. Vir conjugem ſine ſuo conſenſu velatam poteſt repetere. Poteſt vir aliam uxorem ducere, ſi uxor monaſterium ingrediatur. *Si nempe matrimonium fuerit ratum tantùm. Quia hoc per profeſſionem Religioſam diſſolvitur. Si autem de matrimonio conſummato eſſet ſermo, ſenſus eſt, quòd poſt mortem uxoris poſſit aliam ducere.)*

Si maritus dicat, matrimonium eſſe conſummatum, uxor verò neget, credendum potius viro, tanquam capiti.

Si quis eam, quam duxit, à fratre ſuo corruptam invenit, poteſt aliam ducere. *(Quia matrimonium invalidum eſt, propter affinitatem cum ea in primo gradu.)* Idem eſt, ſi pater filii ſui ſponſam cognovit.

Privigna eſt libera, quam Vitricus invitam deſpondit. *(Ex defectu videlicet conſenſus proprii.)* Baptizatus à non baptizato eſt verè baptizatus: ſi materiam & formam cum debita intentione adhibuit. Mulier, quæ velum accepit, in profeſſione Religioſa permaneat.

Mari-

Maritus, qui uxoris ſuæ filium aut filiam ante Epiſcopum ad confirmationem tenuit, jubetur ab uxore ſeparari.

§. V.

Obſervatio in hunc Canonem.

Non ſolvitur quidem matrimonium in hoc caſu, jam antè legitimè contractum; ſed ob cognationem ſpiritualem Synodus ſeparandos eſſe quoad thorum putavit. Qui rigor veteris diſciplinæ hodie eſt mitigatus. Non enim ampliùs (ne quidem quoad thorum) ſeparantur; &, ſi ex neceſſitate, aut ignorantia juris aut facti, maritus proprium filium, vel privignum baptizârit vel levârit ſeu tenuerit in baptismo vel confirmatione, uti nihilominus liberè poteſt matrimonio, non tantùm reddendo, ſed etiam petendo debitum conjugale. Can. 7. cauſa 30. q. 1.

Imò etiam, ſi extra caſum neceſſitatis aut ignorantiæ de induſtria id fecerit, videtur probabiliùs idem dicendum, propter *cap. ſi vir. 2. de cognat ſpir.* ubi Alexander III. interrogatus: *Si vir vel mulier, ſcienter vel ignoranter, filium ſuum de ſacro fonte ſuſceperit, an propter hoc ſeparari debeant?* Et reſpondet: *Quamvis generaliter ſit inſtitutum, ut debeant ſeparari, quidam tamen, humaniùs ſentientes, aliter ſtatuerunt: ideóque nobis videtur; quod ſive ex ignorantia ſive ex malitia id fecerunt, non ſunt ab invicem ſeparandi, nec alter alteri debitum debet ſubtrahere: niſi ad continentiam ſervandam poſſint induci. Quia ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſari videtur. Si ex malitia: eis ſua fraus non debet patrocinari.*

Idem dicitur cap de eo 5. cauſa 30. q. 1. ibi: *Si autem conjuges legitimi, unus, aut ambo ex induſtria fecerint, ut filium ſuum de fonte ſuſciperent, ſi innupti* (hoc eſt continentes) *permanere voluerint, bonum eſt: Sin autem, gravis pœnitentia inſidiatori injungatur, & ſimul maneant.* Ubi ipſis permittitur ſimul manere, licèt ambo ex induſtria id fecerint. Non poſſet autem hoc ipſis permitti, ſi neuter poſſet petere uſum conjugii. Et eſſet ſanè manifeſtum periculum incontinentiæ. Quæ cauſa fuit, ut ſecundùm recentiores Canones, cognatio ſpiritualis dirimat quidem matrimonium contrahendum, non tamen privet uſu jam antè legitimè contracti.

ARTICULUS V.

De Conciliis Angliæ Sæculi VIII.

28. Concilium *Cloveshoviense* celebratum eſt anno 747 hortatu Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini & Apoſtolicæ ſedis Legati. Editique 30. Canones. Quorum hæc eſt ſumma.

Commendatur Epiſcopis cura Paſtoralis ſecundùm ſacros Canones exercenda. Servanda concordia inter Sacerdotes. Singulis annis viſitanda diœceſis. Abbates Regularem diſciplinam obſervari curent. Nemo ordinandus, niſi probus & doctus, ſcholæ in Cathedralibus Eccleſiis, & Monaſteriis erigendæ pro Clericis & Religioſis.

Clerici à negotiis & cauſis ſæcularibus abſtineant. Templorum nitorem & ornatum curent. Lectioni, orationi, Miſſarum celebrationi, pſalmorum cantui, prædicationi verbi divini, Sacramentorum adminiſtrationi, in locis, ab Epiſcopo ſibi commendatis, diligenter ſe impendant. Symbolum fidei, orationem Dominicam, ritus Sacramentorum, lingua vernacula populo proponant. Eandem in docendo, baptizando, judicando, Miſſam celebrando, rationem teneant juxta ritum Romanæ Eccleſiæ. Cantum Eccleſiæ non adulterent, ſed ſimplicem ſanctámque melodiam obſervent. Officiis Epiſcopo propriis ſe non immiſceant.

Sanctorum Natalitia ſtatis diebus recolantur, prout ſunt in Romanæ Eccleſiæ Martyrologio annotata: Dies Dominica Divino cultui impendatur. Miſſarum ſolennia & Concio ea die celebrentur, adsítque præſens frequens populus. Septem horæ Divini officii cum decente pſalmodia diligenter perſolvantur. Nihil legatur, aut cantetur, niſi quod Eccleſiæ Romanæ conſuetudo permittit. Litania major, & Rogationes tribus ante Aſcenſionem Domini diebus, cum jejunio, & Miſſarum celebratione peragantur. S. Gregorii M. & S. Auguſtini, Anglorum Apoſtoli, Natalitia ritu ſolenni ac feſtivo celebrentur. Quatuor temporum jejunia juxta exemplar Romanæ Eccleſiæ obſerventur.

Monachi ſuis Præpoſitis humiliter ſubſint. Quietam ac regularem vitam agant. Silentium ac modeſtiam ſervent. Seculares intra clauſuram non intromittant. Orantium, legentium, Dominum laudantium domus ſint monaſteria. Ebrietas tanquam lethiferum venenum fugienda Clericis & Monachis. Convivia eorum ſint ſobria & modeſta. Communione Corporis & Sanguinis Domini ſe dignos exhibeant innocentia & probitate morum. Laici etiam à labe puri, frequen-

quenter communicent. Ad professionem Monasticæ Regulæ non admittantur, nisi priùs sint probati.

Episcopi à Synodis reversi decreta promulgent. Commendantur eleemosynæ, psalmodia &c. Vetatur, ne plures in monasteria recipiantur, quàm ali possint. Ne Clerici, Monachi, aut Moniales apud sæculares commorentur; sed in domo Dei orent, non tantùm pro se, sed etiam pro Rege, Ducibus, & toto populo Christiano.

Nota, hæc ante mille annos Ecclesiæ Anglicanæ fuit disciplina! An, & hodie?

Concilium *Calcuthense* anno 787. celebrârunt Angliæ Episcopi, cum Legatis Hadriani I. summi Pontificis, promulgatíque sunt in eo 20. Canones, ad disciplinam spectantes.

1. Fides Nicæna, & reliquorum quinque Generalium Conciliorum, prout à sancta Romana Ecclesia est tradita, tenetor, ac de ea Presbyteri, qui instruere debent populum, diligenter examinantor.

2. Patrini spirituales suos filios instruunto.

3. Episcopus quot annis visitato.

4. Vita & habitus Canonicorum & Monachorum juxta decreta Romanorum Pontificum sunto.

5. Præfecti Monasteriorum vitæ integræ sunto.

6. Nullus, nisi probatæ sit vitæ, ordinator.

7. Horæ Canonicæ diligenter persolvuntor.

8. Privilegia, à Romano Pontifice concessa Ecclesiis, conservantor.

9. Clericus cibum, hypocritarum more, clàm ne sumito.

10. Ecclesiastici sæcularia ne judicanto. Calix sacer & patena ex cornu confecta ne sunto.

11. Etiam Reges in rebus Ecclesiasticis, & ad salutem animæ pertinentibus, Episcopis obediunto.

12. Contra Reges nemo insurgito.

13. Regum & Ministrorum ejus judicia, sine acceptatione personarum, justa sunto.

14. Principes inter & Sacerdotes perpetua pax esto.

15. Incestuosa & adulterina conjugia procul amandantor.

16. Filii spurii ab hæreditate excluduntor.

17. Decimæ solvuntor: usuræ & injustæ mensuræ ac pondera non usurpantor.

18. Vota fidelium adimplentor.

19 Paganæ superstitionis reliquiæ extirpantor.

20 Peccata sua omnes Sacerdoti confitentor. Fructus dignos pœnitentiæ faciunto: & Evcharistiam sumunto.

Præterea Synodus in *Northumbria* anno 705. in qua S. Wilfridus, monitu Joannis VII. Papæ, ad quem ille appellaverat, in Archiepiscopatu suo Eboracensi, à quo dejectus fuerat, est confirmatus.

Concilium *Anglicum* anno 756. statuit, ut festum S. Bonifacii, sociorúmque ejus Martyrum, quot annis solenniter celebretur.

Concilium *Bacanceldense*, præsente Kenulfo Rege anno 798. decrevit, ex mandato Leonis III. Papæ, ut sæculares super Ecclesias non habeant dominium.

CAPUT IX.

De Conciliis SÆCULI IX.

Sub Carolingicis Imperatoribus Regibúsque, in Italia, Germania, & Gallia dominantibus, gravissimos inter externos internósque motus hoc sæculum transactum est. Vidit illud cruenta bella filiorum in Patrem, fratrum in fratres, adulterina Regum connubia, Odeschalchi errores, Prælatorum in causa appellationis dissidia quæ omnia variis Conciliis causam dederunt. Hispania cum Mauris luctata lentè assurgens. Anglia in unam Monarchiam collecta, Danorum irruptionibus infesta. Non alio tamen sæculo tot celebrata sunt sacra Concilia, ac isto, quo Caroli M. ac Ludovici Pii eximia religio tum fidei doctrinam ubique disseminatam, tum morum disciplinam sanctè instauratam volebat. Suffecerit mihi ad institutum meum summa Canonum capita perstringere: Si quid verò eruditionis magis memorabilis occurrat, interserere.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I.

De Conciliis Germaniæ.

§. I.

Prænotanda de statu Occidentalis Imperii.

1. *Ere-*

§. II.

Status Ecclesiasticus per Concilia ordinatus in Germania.

ARTICULUS II.

De Conciliis Italiæ.

ARTICULUS III.

De Conciliis Galliæ.

ARTICULUS IV.

De Conciliis Angliæ.

ARTICULUS I.

De Conciliis Germaniæ Sæculi IX.

§. I.

Prænotanda de statu Occidentalis Imperii.

1. *Erectum imperium Occidentale.* Sub initium hujus sæculi Occidentale Imperium, quod jam inde ab Augustulo per trecentos annos extinctum jacuerat, faustis omnino auspicils rursus erectum, & innovatum est; atque in *Carolum M.* translatum à Leone III. Summo Pontifice; qui ipsa festiva die Natalis Domini eundem Regem, nihil tale opinantem, in Basilica S. Petri Imperatorem salutavit, & ritu solenni coronavit, gaudente & applaudente Romano populo.

2. *Quid Carolus acceperit.* Quamvis autem hoc titulo nihil terrarum acceperit, quod non antè jam possedisset; nam præter universam Galliam, Hispaniarum partem, totúmque in Italia Regnum Longobardicum, Rhœtiam, Vindeliciam, Noricum ad Pannoniæ usque viscera, omnémque, non tantùm ad Albin, sed, quò Romani nunquam pervenerant, ad Oderam, Vistulam, atque mare Balthicum usque, Germaniam, quà hæreditate, quà armis, quà deditione ultronea, in suam jam antè redegerat potestatem.

Non tamen nudum Imperatoris nomen accepit, sed dignitatem etiam, tam sublimi titulo respondentem, Advocatiam videlicet, tutelam, defensionémque Romanæ Ecclesiæ, & cum hoc amplissimo supremi Ecclesiæ Protectoris officio humani apicem fastigii, Principum Regúmque omnium dignitati ac honoribus, augusta majestate præfulgentem, ut adeò non tantùm ipse Imperator, sed ejus etiam legati primas ubique politicis in conventibus jure occupent.

3. *Ludovicus Pius.* Quatuordecim annos Carolus M. gestavit coronam Imperii; cùm decedens (mortuis jam ante Pipino & Carolo filiis) *Ludovico*, tertio loco genito, eandem reliquit, cum omnibus Provinciis, excepta Italia, quam Bernardo, suo ex Pipino, filio seniore, nepoti, concesserat. *Necdum ergo primogenituræ jura tunc introducta fuerant; aliàs Bernardus fuisset præponendus.*

Ludovicus, sola probitate ac religionis studio patri comparandus, tametsi *Pii* cognomine Antoninum Principem optimum vinceret, impar tamen tanto rerum humanarum fastigio, Caroli magnitudi-

tudinem infirmitate ſua magìs conſpicuam reddidit. Et quamvis manſuetudine & pacata indole præſtaret, in Bernardo tamen nepote ſuo, Italiæ Rege, Græcos mores imitatus, aliorum ſuggeſtionibus dedit, unde pœniteret, Juveni perduelli ereptis oculis, & ſecuta morte ex ſuplicii atrocitate.

Poſt funebres honores paternis exuviis Aquisgrani datos, conventus plures celebravit, in quibus præſentibus Epiſcopis & Imperii Proceribus multa patris exemplo promulgavit *Capitularia*, à Stephano V. ſummo Pontifice cum Irmengarde conjuge ſolenni ritu Rhemis Imperator coronatus, donationem, à Pipino avo, & Carolo patre factam Romanæ Eccleſiæ, non tantùm confirmavit, ſed etiam auxit novo diplomate, *cap. ego Ludovicus* 30. *diſt* 63. ex parte relato. (*hoc tamen diploma ſuppoſititium eſſe contendunt plures recentiores critici.*)

Anno 826. *Heraldus* Daniæ Rex, ad Ludovicum profectus, cum Regina conjuge ſua pluribúsque Proceribus eſt baptizatus, Moguntiæ: eúmque in Daniam ſunt comitati S. Anſcharius & Autbertus, ex illuſtriſſimo S. Benedicti ordine viri Apoſtolici, ad propagandam per illud regnum Chriſti Eccleſiam. 4. *Heraldus.*

Defuncta conjuge Irmengarde ſecundis nuptiis duxit Ludovicus *Judithbam*, ex qua Carolum Calvum ſuſcepit. Cui, cùm detracta reliquis filiis portione deſignata, partem regni conſtitueret, mirum, in quas calamitates à perduellibus filiis ſit dejectus: quibuscum luctatus ad mortem usque; quam oppetiit anno 840. melior Chriſtianus, quàm Rex. 5. *Juditha.*

Lotharius primogenitus Ludovici Pii, cùm diviſione Imperii, à patre facta, nollet ſtare, & fratribus dominari vellet ùt Princeps, bellum atrociſſimum exoritur. Juncti Ludovicus & Carolus gemino prælio eundem profligant, pacémque petere cogunt: quam meliorem obtinuit, quàm meruit, aut ſperare poterat. Poſito tandem ſponte ſceptro, in monaſterio vitam finiit: relicta filio primogenito Ludovico Italia, cum Imperatoris dignitate, Lothario Auſtraſiæ, parte, quæ *Lotharingia* ab eo eſt deinceps dicta, magnorum heroum altrix. Carolo, filiorum minimo, data Provincia. 6. *Lotharius.*

Ludovicus II. Lotharii filius ſtrenuè geſſit Imperium, bellis adverſùs Saracenos, in Italiam irrumpentes, potiſſimùm celebris. Obiit Mediolani anno 875. Imperii 20. Hunc anno ſequenti ſecutus eſt ejus patruus Ludovicus Germaniæ Rex. Cui debitum Imperium à fratre ejus juniore Carolo Calvo invaſum eſt, Joanne VIII. in partes ſuas pertracto; qui contendebant, Imperium non deberi ſanguinis prærogativæ, ſed electioni etiam Pontificis ac Romani populi. 7. *Ludovicus II.*

8. *Carolus Calvus.* Licèt autem *Carolus Calvus* proprias ſuas Galliæ provincias à continuis Normannorum incurſionibus non poſſet defendere, aſſidua tamen cum fratre Ludovico, Germaniæ Rege, bella gerebat. Adeò nec inter fratres, Germanum & Gallum, convenire poterat. Altero mox Imperii anno obiit Carolus: poſtquam patris, avíque exemplo multa ac varia *Capitularia* in variis Epiſcoporum & Comitum conventibus edidiſſet.

9. *Balbus.* *Ludovicus III.* à ſermonis vitio *Balbus* dictus, purpuram patris optavit potiùs, quàm veſtivit; & licèt à Joanne VIII. in Gallia coronatus, diu tamen nec titulo frui potuit, altero anno extinctus: hoc uno memorabilis, quòd nomine ſuo faſtos Auguſtos impleat. Imò ſunt, qui etiam nomen Imperatoris ei detrahant.

10. *Craſſus.* Præteritis dein Balbi liberis, Joannes VIII. Imperatorem Romæ coronavit *Carolum Craſſum*, tertium Ludovici Germanici filium, quem miro conſenſu etiam Itali ac Galli Regem ſibi delegerunt. Ut adeò Caroli M. proavi ſui imperium vaſtiſſimum, ex Germania, Italia, & Gallia conflatum, ferme totum conjungeret. Viſum, per unitam hanc potentiam, irruenti undique Saraceno, ac Normanno validum poſſe opponi aggerem. At non explevit ſpes conceptas; nam Normannis Neuſtriam, (*Normanniam* deinceps nuncupatam) conceſſit: & mente non minùs quàm corpore æger, eum in contemptum ſubditorum devenit, ut omnes ab eo deficerent, Germania ad Arnulphum, ejus ex Carolomanno fratre nepotem, Gallia ad Odonem, & Carolum Simplicem, Ludovici Balbi filium, devoluta, Italia verò Berengarium inter & Widonem ejúsque filium Lambertum diſtracta. Atque ita vaſtum illud Imperii corpus iterum diviſum eſt, nunquam ampliùs deinceps ex integro conjungendum. Craſſus vero ex potentiſſimo monarcha ad eam inopiam redactus eſt, ut vix haberet, quô vitam ſuſtentaret. Monſtratur ejus tumulus in Monaſterio Augiæ divitis cum epitaphio: quo rerum humanarum vanitatem legas.

11. *Arnulphus.* *Arnulphus* Carolomanni ex pellice filius, Craſſi nepos, à Germaniæ proceribus electus Rex, varia ſorte novem annis geſſit Rempublicam. Primus illi belli campus Germania, quam victis Bohemis Hunni invaſerant. Tum pugnatum in Belgio, Normanníque poſt populatas Gallias ſuperati, cæſis eorum, ut fertur, in prælio centum millibus. Poſtrema Martis area fuit Italia, quam Berengarius Forolivienſis, & Wido Spoletanus Dux, inteſtinis armis diſcerpebant. Wido coronatus Imperator à Pontifice, cui Lambertus filius ſucceſſit; adverſus quem à Formoſo Papa evocatus ex Germania

nia Arnulphus, capta lepusculi, per mænia fugientis, ope Roma, ab eodem Pontifice Imperator est proclamatus & coronatus. At veneno, in Italia hausto, viscera depascente, biennio pòst obiit an.
899 Successorem habuit Ludovicum IV filium puerum septennem; 12.
sub quo ingentes clades Germania est passa ab Hunnis. Cum eo exa- *Infans*
ruit Carolingica stirps Germanica.

Sub hæc tempora Rollo Normannorum Dux cum gente sua baptizatus, ducta Gisela, Caroli Simplicis filia, Normanniam & Britanniam minorem in dotem accepit.

§. II.

Status Ecclesiasticus ordinatus per Concilia in Germania Sæc. IX.

I.

De Concilio Salisburgensi & Ratisbonensi.

Anno 807. (ùt refert Brunnerus noster in annalibus Boicis *lib. 6. n. 4.*) celebratum est *Concilium Salisburgense*, sub Arnone Archi- 13.
episcopo. In quo præter alia decretum est, ut, cum SS. Canones fidelium oblationes *Decimales* in quatuor portiones, velint distribui: quarum prima cedat Episcopo, altera Clericis, tertia pauperibus, quarta Ecclesiarum fabricæ, hoc deinceps accuratè observetur. (*Ex quo patet, bona Ecclesiastica tunc necdum in Beneficia fuisse distributa: sed viguisse adhuc distributionem, à Simplicio & Gelasio factam.*)

Sub idem ferme tempus plures celebratum putant *Concilium Ratisbonense*. In quo tria sunt sancita 1. ut Chor Episcopi de ministerio Episcopali nihil attingere præsumant: 2. ut deinceps nulli ampliùs fierent Chor-Episcopi. 3. ut gesta Chor-Episcoporum haberentur irrita.

Nota, frequentior in veteri Ecclesia fit mentio de *Chor Episcopis*. Qui erant quidam Presbyteri, in pagis aut minoribus oppidis velut Episcoporum vicarii an marum curam exercentes, eum ferme in modum, quo hodie faciunt Parochi. Ampliori tamen aliquantò potestate utebantur.

Nam licèt non possent Presbyteros aut Diaconos ordinare, aut sacro chrismate fidelium frontes inungere, aut templa vel altaria con-

confecrare, cætera tamen fere omnia præſtabant, quæ præſtare poterant Epiſcopi; ùt colligitur ex Concilio Ancyrano *can.* 12. Antiocheno *c.* 12. Hiſpalenſi II *c.* 7.

Porro ex iſtis quidam erant verè conſecrati Epiſcopi, ſed dicebantur *Chor-Epiſcopi*, quia non habebant propriam Eccleſiam, ſed in aliena Diœceſi miniſtrabant, ad eum fere modum, quo hodie Epiſcopi quidam *Titulares* ſolent, qui *ſuffraganei* vocantur. Alii verò nihil aliud erant, quàm meri Presbyteri, per pagos & oppidula Epiſcopum aliquo modo repræſentantes.

Unde quando aliqui cum Concilio Antiocheno *can.* 10. dicunt, quòd *Chor-Epiſcopi* poſſint ſacros ordines conferre, id intelligendum eſt de priore genere Chor-Epiſcoporum, qui verè erant conſecrati Epiſcopi. Quando verò alii cum Damaſo Papa *Epiſt.* 3. dicunt, Chor-Epiſcopos non poſſe ſacros ordines conferre, id intelligi debet de ſecundo genere eorum, qui meri erant presbyteri. Vel ſi omnes fuiſſent Epiſcopi, dicendum eſſet, illos non potuiſſe ſacros ordines conferre ſine conſenſu Epiſcopi, potuiſſe verò illo accedente, ſicut hodie ſuffraganei.

II.

De Conciliis Aquisgranenſibus.

14. Vix in alia Germaniæ civitate tot támque magna celebrata ſunt Concilia, quàm Aquisgrani. In ea ſiquidem potiſſimùm ſunt confecta ac promulgata numeroſa illa *Capitularia* Caroli M. ac Ludovici Pii, in Conciliis Nationalibus, à Germaniæ & Galliæ Epiſcopis celebratis, & quidem hoc ſæculo nono, Caroli M. tempore habitum eſt *Concilium Aquisgranenſe I.* anno 809. mota eſt in eo quæſtio, an fidei ſymbolo addenda ſit vox illa (à Græcis impugnata) *Filióque?* at Patres Concilii de re tanti momenti ſtatuere non ſunt auſi, niſi priùs conſuleretur ſedes Apoſtolica. Miſſi igitur ad Leonem III. Legati: Qui Romæ contendebant, vocem illam, ut certam fidem de ſancto Spiritu magìs declaret, videri addendam. Verùm cenſuit tunc Pontifex, licèt proceſſio Spiritus S. à Patre & Filio ſit certa fidei veritas, ſymbolo tamen nihil eſſe addendum.

Concilium Aquisgranenſe II. anno 816. voluntate Ludovici Pii congregatum eſt ex trina natione, Germanica ſcilicet, Italica, & Gallica, ac proin propter ſuam amplitudinem fuit appellatum *Generale.* In hoc confectus eſt duplex liber: primus *de Inſtitutione Canonicorum*, alter *de Inſtitutione ſanctimonialium:* multis uterque conſtans

ſtans Canonibus, ex antiquioribus Conciliis, ac SS. Patrum doctrina depromptis, opera præcipuè *Amalarii* Diaconi Metenſis.

In 1. cap. tractatur de *prima tonſura* Clericorum; uſum hunc ab Apoſtolis eſſe introductum ad imitationem *Nazaræorum*, qui caput radebant, in ſignum, quòd ſint dicati ac ſancti Domino, detonſo autem vertice, circuli corona inferius fuit relicta. In 2. & ulterioribus tractatur, de Oſtiariis, Lectoribus, Exorciſtis, *Acolythis*, *Subdiaconis*, *Diaconis*, *Presbyteris*, *Epiſcopis*, horúmque omnium in veteri lege figura, inſtitutione, officio &c. ex S. Iſidoro, Hieronymo, Auguſtino, Gregorio, aliíſque Patribus.

Subjungitur, quales eſſe debeant Paſtores, & Præpoſiti Eccleſiæ: quomodo prælucere exemplo, docere, corripere. Non recipienda pro ordinatione munera, non uſuræ; non cohabitandum mulieribus; non habendum Epiſcopo, ùt proprium, quod inter Clericos debet diſtribuere.

Excommunicatum non admittendum ab alio; nec Clericum ſine commendatitiis. Servanda *Eccleſiæ jejunia.* Subdiaconis *Sacras Benedictiones* non faciendas. Clericis abſtinendum à tabernis, ludicris ſpectaculis, negotiationibus profanis, quæſtu, uſura, ſæcularibus judiciis, transmigratione ad aliam Eccleſiam, avaritia, ira, ſuperbia, aliíſque vitiis, ac pravis exemplis: additúrque cap. 32. luctuoſa deſcriptio Sacerdotum carnaliter viventium. Et in multis capitulis, quales moribus eſſe debeant Clerici & Canonici.

Tractatur inſuper de horis Canonicis, ac pſalmodia, de congregationibus Canonicorum, de cura puerorum, qui in iis educantur &c. adduntur denique 28. capitula *de inſtitutione Canonica ſanctimonialium:* quæ librum alterum conficiunt, collectum ex S. Cypriano *lib. de Habitu virginum:* ex S. Athanaſio *ad ſponſas Chriſti:* ex S. Hieronymo in *Epiſtolis ad Euſtochium*, *Demetriadem*, *Furiam*, *Lætam:* ex S. Cæſario Arelatenſi *ſerm. ad ſanctimoniales &c.* ex quibus antiquiſſimis Patribus monialibus, præſcribitur norma, piè, religiosè ac ſanctè vivendi in monaſterio ſub Abbatiſſa. Quarum rerum vel ideo etiam mentionem infero, ne tanquam nova explodant Hæretici, quæ eruditis ſunt antiquiſſima.

Anno ſequente Ludovicus Pius convocavit Aquisgranum, ubi Regiam ſedem fixerat, Abbates, multóſque Monachos ex Germania ac Gallia. In hoc *Conventu* 80. capitula ſunt edita de Monaſtica diſciplina, ſtatutúmque, ut omnes in Monaſteriis juxta Regulam S. Patriarchæ Benedicti religiosè vivant.

Cenſetur etiam in hoc Conventu ad inſtantiam Legati Apo-

 ſtolici

ſtolici edita à Ludovico Pio celebris illa conſtitutio *Ego Ludovicus.* Cujus fragmentum exſtat in decreto Gratiani *diſt.* 63. integra autem exhibetur in tomo 9. Conciliorum, ex monumentis vaticanis deſumpta. Per hanc Imperator confirmat diplomata donationis, à Pipino & Carolo M Romanæ Eccleſiæ factæ: enumerátque ſpeciatim omnia, quæ donatione illa comprehenduntur. Meminit etiam hujus donationis Leo Oſtienſis in Chronico Caſſinenſi. Aliis tamen eſt ſuppoſititia.

Concilium Aquisgranenſe III. anno 818. depoſuit complures Epiſcopos, qui cum *Bernardo* Italiæ Rege, Ludovici Pii ex Pipino fratre, Nepote, adverſus eundem Ludovicum conjurâſſe arguebantur: Bernardo, effoſſis oculis, vita permiſſa.

Sequenti anno Aquisgrani in palatio Imperiali præſente rurſus Ludovico habitus eſt conventus Epiſcoporum & Abbatum, tractatúmque de Eccleſiarum emolumentis. Addita etiam aliquot Capitula de cauſis forenſibus.

Concilium Aquisgranenſe IV. anno 836. hortante Imperatore Ludovico Pio, habitum eſt; ſicut priora, in palatio Imperiali. In præfatione Concilium dicit, duobus potiſſimùm hunc mundum regi, auctoritate ſcilicet ſacrata Pontificum, & regali poteſtate. In Eccleſia neminem eſſe potiorem Pontifice, & in ſæculo Chriſtiano Imperatore neminem inveniri celſiorem.

Sanxit deinde Canones 12. *de vita Epiſcoporum*, 12. Canones *de doctrina Epiſcoporum*, 16. Canones *de vita & Doctrina inferiorum Ordinum* 25. Canones *de perſona Regis, Filiorúmque ejus & Miniſtrorum.* Repetuntur in quatuor iſtis capitibus ea potiſſimùm, quæ in prioribus jam ſunt habita.

De vita Epiſcoporum ait, non eſſe Epiſcopatum ambiendum muneribus. Juxta regulam Apoſtoli eis prudenter, ſobriè, pudicè &c. vivendum, ut à populo habeant teſtimonium, populus verò ab iis imitandi exemplum: ebrium, niſi correxerit, deponendum. Remotiùs ab Eccleſia ne abeant. Canonicorum Monachorúmque curam gerant.

De doctrina, nôſſe eum oportere rectam fidem, S. Scripturam SS. Canones, cum Paſtorali S Gregorii. In cœna Domini Benedictio olei non negligenda. Res Eccleſiæ non ùt proprias, ſed ſibi commiſſas adminiſtret. Litanias Majores 25. Aprilis, & dies Rogationum juxta morem Romanum celebret. Miniſtros Eccleſiæ inſtruat. Deficientem ab Imperatore Clericum deponat, laicum anathematizet.

De vita & Doctrina Ordinum inferiorum, Abbates Canonicorum &

& Monachorum verbo & exemplo regant, Epiſcopos revereantur. Presbyteri fœminas domi ne habeant: aliàs gradum amittant.

De Perſona Regis &c. Imperatoris eſſe tueri Eccleſiam, populum cum pace & juſtitia regere, venerari Sacerdotes Dei, eorum accuſationes non admittere ſine juſta cauſa; curare, ne facultates Eccleſiæ à laicis diſtrahantur, ſed ab Epiſcopis diſpenſentur; conſtituere Miniſtros probos ac juſtos. Eccleſiaſticam libertatem non violare. Monaſteria non concedere laicis. Die Dominica ne fiant placita (ſeu judicia) nec nuptiæ. Communicatio corporis Domini die Dominica celebretur. Nec Clerici per aulam, nec Monachi per loca publica ſinantur diſcurrere. Raptores coërceantur.

Miſit deinde Concilium epiſtolam Synodicam ad Pipinum Imperatoris filium, Regem Aquitaniæ, tribus libris conſtantem, de fide, moribus, & officiis Chriſtiani Principis; collectis plurimis in hanc rem ex S. Scriptura principum bonorum ac malorum exemplis.

Plura poſtea hoc ſæculo celebrata ſunt Concilia Aquisgranenſia, in cauſa Lothariorum, patris & filii: ùt deinceps dicetur.

III.

De Conciliis Moguntinis.

Concilium Moguntinum I. voluntate Caroli M. anno 813. celebratum eſt, diſtributum in tres præſentium ordines. 15.

In primo ſedebant Epiſcopi 30. ex Evangelii Patrúmque doctrina diſciplinam Eccleſiaſticam inſtauraturi.

In altero 25. Abbates, qui legendo Regulam S. Benedicti Monaſticæ diſciplinæ erant intenti.

In tertio ordine ſedebant comites & Judices, tractantes ſtatum politicum, conſtituentes judicia, & juſtitiam adminiſtrantes.

Editi Canones Eccleſiaſtici 55.

In tribus primis commendantur virtutes Theologicæ fidei, ſpei & charitatis.

4. Baptiſma ritu Romano ubique miniſtrandum: & quidem in paſchate & pentecoſte ſolenniter.

5. Pax & concordia foveatur.

6. Epiſcopi ſint patroni orphanorum.

7. Minùs potentum bona ſalva ſunto.

8. Epiſcopi rerum Eccleſiæ adminiſtratores & diſpenſatores ſint ſecundùm Canones.

9. Cle

9. Clerici canonici canonicè vivant, ſimúlque manducent & dormiant, ſi fieri poteſt.

10. Vita Clericorum inſtituenda ſecundùm regulas Patrum.

11. Monachi vivant juxta Regulam S. Benedicti.

12. Secularia placita ne adeant.

13. Moniales Regulam S. Benedicti profeſſæ regulariter vivant: aliæ verò Canonicè in clauſtris.

14. Interdictum Clericis & Monachis ſæcularibus negotiis, luſu alearum &c.

15. Proponitur S. Paulus, imitationis exemplum.

16. Relinquere ſæculum eſt, ſæculi voluptatibus contraire.

17. Arma ne geſtent Clerici.

18. Diſcretio veræ virtutis à ficta commendatur.

19. In Monaſteria ne plures recipiantur, quàm ali poſſint.

20. Monaſteria viſitentur ab Epiſcopis & in ipſis Dominicis.

21. Ex Monaſteriis Canonicorum conceditur tranſitus ad ſtatum Monachorum, utpote perfectiorem.

22. Vagi & indiſciplinati Monachi coërcendi.

23. Qui inviti in Monachos aut Canonicos ſunt attonſi, in eo ſtatu permaneant, deinceps verò nullus invitus tondeatur.

24. De Clericis adeuntibus Imperatorem.

25. Singulis Dominicis & Feſtivitatibus verbum Dei populo prædicandum.

26. Clerici in clauſtra monialium non ingrediantur, niſi ad Miſſarum ſolennia.

27. Sacrum Chrisma ſigillo munitum cuſtodiatur.

28. Presbyteri ſemper utantur *orariis, velut inſignibus Sacerdotalis dignitatis* (quæ ultima verba Hottingerus abſcindit.)

29 Laici Presbyteros neque inſtituant, neque dejiciant.

30. Nec onera eis imponant.

31. Fugitivi Clerici ad reditum compellantur.

32. & 33 Dies 3. Rogationum ſeu Litaniam celebrent omnes.

34 Uti etiam jejunia quatuor temporum.

35. Excommunicantur, qui Eccleſiæ jejunia nolunt obſervare.

36. Tractant de ſolemnibus per annum feſtivitatibus, de decimis Eccleſiæ ſolvendis; de aſylo templorum; de placitis in Eccleſia non habendis.

41 Antiquioribus Eccleſiis ne auferantur decimæ, ut novis oratoriis addicantur.

42. Qui *Beneficium Eccleſiaſticum* habent, ad reſtaurandam Eccleſiam concurrant.

43. Pres-

43. Presbyter non cantet Missam, nemine omnino præsente. (*Semper enim requirebatur minister.*)

44. Oblationem & pacem populus in Ecclesia faciat.

45. Symbolum & orationem Dominicam omnes calleant.

46. Excommunicandi, qui ebrietatem nolunt deponere.

47. Compatres spirituales suos filios Catholicè instruant.

48. Luxurians cantus absit ab Ecclesia.

49. Clerici fœminas domi suæ ne habeant.

50. Officiales probi constituantur.

51. Absque Episcopi facultate corpora Sanctorum non transferantur in alium locum.

52. Nullus sepeliatur in Ecclesia, nisi Episcopus, Abbas, dignus Presbyter &c.

53. Incestuosi excommunicandi.

54. In quarta generatione nullus ampliùs conjugio copuletur.

55. Nullus proprium filium aut filiam de fonte baptismatis suscipiat. Nec commatrem nec susceptam filiolam ducat uxorem. Neque cum iis jungatur, quos ad *confirmationem* duxit.

56. Non tantùm à conjuge separatur, sed in perpetuum ab omni matrimonio arcetur, qui cum *Filiastra* sua (hoc est, cum filia uxoris suæ, quam duxit viduam) fornicatus fuerit, aut duabus sororibus nupserit, aut si qua duobus fratribus, aut patri, & filio nupserit. Confirmatur igitur hîc impedimentum affinitatis in primo gradu; statuitúrque pœna pro tota vita omni carendi matrimonio.

Concilium Moguntinum II. Provinciale fuit, à Rabano Archiepiscopo convocatum anno 847. in causa restaurandæ disciplinæ Ecclesiasticæ. Præmissum fuit triduanum jejunium, cum Litaniis seu publicis supplicationibus. Editi Canones 31.

Primus est de fide Catholica, à Sacerdotibus docenda. 2. De Episcoporum prædicatione. 3. Juxta Romanæ Ecclesiæ morem baptismus solenniter conferendus in paschate & pentecoste. 4. Episcopi & Comites pacem servent. 5. Excommunicantur, qui adversus Potestates Ecclesiasticas aut Politicas conjurant. 6. Aut qui possessiones Ecclesiasticas invadunt. Principis esse Ecclesiam ejúsque bona defendere. 7. Administrationem & dispensationem bonorum Ecclesiasticorum esse penès Episcopum. 8. Quæ à clericis ex bonis Ecclesiasticis comparantur, Ecclesiæ sunto. 9. Manumissiones secundùm morem Italiæ celebrandas.

10. Servanda distributio bonorum Ecclesiasticorum in quatuor partes. (*Quamvis igitur jam aliqua Beneficia Ecclesiastica essent erecta, ùt constat ex can.* 42. *Concil. Mogunt. I. tamen potissimùm adhuc vivebant secundùm illam distributionem.*) 11. antiquis Ecclesiis nihil detrahatur. 12. Simoniacè ingressus deponatur. Nullúsque Patronus Ecclesiam concedat, sine consensu Episcopi (*Quia illius est instituere presentatum*) 13. curandum Episcopo, ut Clerici, & Monachi rectè vivant &c.

14. Monachi nihil proprium habeant. Et si Parochias regant, Episcopo aut ejus Vicario rationem reddant. (*Multi tunc Regulares, propter penuriam Sacerdotum, in Germania erant Parochi*) 15. Clerici ne laxent comam. 16. Sanctimoniales ad horas canonicas adstringuntur. 17. Rex sit pater pauperum & orphanorum. 18. Minùs potentes ne obrui sinantur. 19. Ne judices munera accipiant. 20. Parricidis matrimonio & millitia interdicitur. 21. Mulierculæ, quæ post fornicationem fœtum enecant, pœnitentiæ publicæ subjiciuntur, secundùm veteres canones. Sequentes etiam plures canones variis criminibus, ùt homicidis, falsis testibus &c. pœnitentiam statuunt.

26. *Ab infirmis, in mortis periculo positis per Presbyteros pura inquirenda est confessio, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ - - - sacra unctione animati, secundùm statuta SS. Patrum, communione viatici reficiantur.* 27. Si patibulo suspensi propter scelera, confessi fuerint, posse pro illis oblationes offerri, ac Missas celebrari. 28. Incestuosos excommunicandos, & si non resipuerint, sæculari potestate coërcendos. 29. Incestuosæ nuptiæ invalidæ. Et in pœnam omni matrimonio in perpetuum careant incestuosi. 30. Consanguinitas in quarto gradu impedimentum dirimens.

31. Peccata confitentibus secundùm canonum antiquorum constitutionem, sanctarum scripturarum auctoritatem, & Ecclesiæ consuetudinem, pœnitentia imponi debet à Sacerdotibus, delictis proportionata, privata pro peccatis occultis, publica pro publicis.

Concilium Moguntinum III. damnavit Gotheschalcum: ùt postea dicetur. Insuper alia duo Moguntiæ hoc sæculo celebrata sunt Concilia; quorum tamen acta interierunt.

Concilium Moguntinum IV. anno 888. sub initium regni Arnulphi, statuit, exponendum esse eidem, quodnam sit officium Regis. Ecclesiæ ejúsque bonorum administrationem pertinere ad Episcopum. Sine ejus consensu nulli concedendam Ecclesiam, nec auferendam. Sacerdotium non vexandum. Nec res Ecclesiæ invadendæ.

dendæ. Ad condemnationem Episcopi requiri 72. testes: Presbyteri *Cardinarii* 42. Diaconi *Cardinarii* urbis Romæ 26. Summum verò Pontificem à nemine in terris judicandum. Reliqui canones tractant de solvendis decimis, de pace, monasteriis, viduis &c.

IV.

De aliis Germaniæ Conciliis.

In *Concilio Ingelheimensi* anno 826. Ludovicus Pius legem tulit adversus exercentes rapinam: ut scilicet in triplum condemnentur: addita insuper pecuniaria & corporali pœna. 16.

In *Wormatiensi I.* anno 829. decreta est in eos publica pœnitentia, qui, uxore relicta, aliam ducere attentant. Et, si contumaces fuerint, ferro eos vinciri, & in arctam dari custodiam præcipitur.

In *Hamburgensi* anno 831 institutus Archiepiscopatus Hamburgensis, à Ludovico Pio fundatus. Electúsque est primus Archiepiscopus S. Anscharius, consecratus à Drogone Metensi, Imperatoris Archi-Capellano: adstantibus Moguntino, Trivirensi, & Rhemensi Archiepiscopis. Ac deinde anno 850. in Concilio quodam Germaniæ, etiam Bremensis Ecclesia Hamburgensi unita fuit. Hæcque unio anno 857. à Concilio *Wormatiensi II.* accedente consensu sedis Apostolicæ, confirmata fuit: quamvis Coloniensis Archiepiscopus protestaretur, & ad annum 890. in Concilio *Wormatiensi* rursus suscitaret, & ad ipsum etiam Pontificem Formosum deferret hanc causam.

Concilium Wormatiense III. Nationale 868. edidit canones 44. quibus statuitur, ut solus Episcopus chrisma consecret. Ecclesiam gratìs consecret, nec nisi ritè dotatam. In sacrificio Missæ nihil aliud offeratur, præter panem, & vinum, aqua mixtum. Confirmationem, Chrismatis confectionem, dedicationem Ecclesiæ & Altarium, Benedictionem virginum, reconciliationem publicè pœnitentium, ad Episcopum pertinere.

Clerici Majores gradu dejiciantur, si continentiam non servent. Accusati de fornicatione, juramento se purgent, si non sint convicti. Propter leves causas neminem à communione suspendendum. Episcopus canes aut accipitres ad venandum alens à communione trimestri suspenditur, Presbyter bimestri, & Diaconus uno mense.

Clerici Episcopo non obedientes, & non residentes, excommunicantur, donec se emendent. Pueri ac puellæ, à parentibus Monasterio oblati, ne redeant ad sæculum. Excommunicantur calumniantes Clericum.

Pœnitentia peccatoribus imponenda, proportionata delictis &c. nuptiæ vetantur, quousque consanguinitatis memoria habetur. Incestis statuuntur pœnæ. Post peractam pœnitentiam publicam matrimonii usus indulgetur. Excommunicantur deficientes ad hostes patriæ. Adulteris septennis pœnitentia publica indicitur.

Notandi sunt canones decimus, & decimus quintus. In priore dicitur, quòd, *si Episcopo, aut Presbytero causa criminalis, hoc est, homicidium, adulterium, furtum, & maleficium imputatum fuerit, is Missam celebrare, & communicare debeat*, sicque se purgare. Quod si non fecerit, per quinquennium ab Ecclesia esse arcendum. (*At hoc purgationis genus, in Germania tunc usitatum, meritò est abrogatum propter periculum sacrilegii.*)

In decimo quinto simile quid decernitur; nempe, quòd, si in Monasterio furtum contigerit, & auctor ignoretur, sub missa, ab Abbate celebranda, omnes corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi percipiant, & sic innocentes se ostendant.

At hoc ab Ecclesia est reprobatum; ùt ostendunt S. Thomas *part.* 3. *quæst.* 80. *art. 6. ad* 3. Bellarminus *lib.* 2. *de Concil. cap.* 8.

Adduntur huic Concilio in tomis Conciliorum adhuc 35. canones, qui tamen, ùt notat Surius, non sunt ab eo editi, sed aliunde collecti, & Wormatiensi Concilio suppositi. Ex his erroneus esse videtur canon 36. cùm in eo dici videatur, matrimonium validè initum propter certa adulterii & incestus crimina esse dissolubile etiam quoad vinculum, ita, ut pars innocens alteri possit nubere. Fortassis tamen canon non plus vult, quàm partem innocentem *post mortem* conjugis nocentis posse transire ad alias nuptias: partem verò nocentem in pœnam criminis etiam post mortem conjugis debere abstinere à matrimonio contrahendo. Quia, ùt aliàs notavimus, juxta rigidam temporum illorum disciplinam ab aliquibus Conciliis propter crimina quædam, præsertim incestus, nocenti pro tota vita prohibitum fuit matrimonium cum quacunque persona, etiam post mortem conjugis.

Concilium Coloniense anno 887. edidit 6. Canones.

Primu

Primus confirmat Drogonem, electum Mimidonensem Episcopum.

Secundus anathemate ferit raptores Ecclesiarum.

Tertius standum decernit decretis Patrum ac Conciliorum. Episcopum debere Clerum & populum defendere contra oppressiones potentum.

Quartus Laicos ab Ecclesiasticis bonis arcet.

Quintus æquitatem horum decretorum proponit.

Sextus pœnas statuit in adulteros & incestuosos.

Concilium Metense præsente Trevirensi, Metensi, Virodunensi, Tullensi; aliisque, anno 888. statuit: Decimas Ecclesiæ ex integro persolvendas. Pro *manso* Ecclesiæ nullum censum exigendum. Presbyter unam tantùm habeat Ecclesiam: nullam verò in domo fœminam. Presbyteri libros suos & vestimenta Episcopo exhibeant. Chrisma sub sera custodiant: arma ne portent. Habitum clericalem gestent. Unus tantùm de baptismo infantem levet. Nemo cum Judæis edat aut bibat.

In locis non consecratis ne celebretur Sacrificium Missæ. Basilicæ consecrentur ab Episcopo, non verò Chorepiscopo, quia juxta decreta Damasi, Innocentii, & Leonis vacuum est atque inane, quidquid Chorepiscopi in summi Sacerdotii egerunt Ministerio: cùm sint meri Presbyteri (*hic sermo est de altero genere Chorepiscoporum, frequentiori: qui non habebant consecrationem Episcopalem.*)

Excommunicatus, qui Sacerdotem se corripientem castraverat. Diaconus lapsus addictus carceri. Excommunicatus, qui, occiso marito, ejus uxorem duxit, nec dimisit. Cum excommunicatis neque post mortem communicandum. Orandum pro Rege Arnulpho, cum triduano jejunio, litaniis, & magna corporis afflictatione.

Eodem anno 888. cum Caroli Crassi provinciæ ubique distraherentur, *Agauni* in Vallesia Inferiore celebrata est Synodus; in qua Rudolphus, Conradi Comitis in Suevia filius, Rex Burgundiæ Superioris, seu *Trans-Juranæ*, dictus & coronatus est. Huic Burgundiæ Regno postmodum *Regnum Arelatense*, à Bosone cœptum anno 877. unitum est sub Rudolpho II. anno 926. ac denique ad Conradum Salicum Imperatorem devolutum anno 1032.

Concilium Triburiense haud procul Moguntiâ celebratam anno 895. in villa Regia ad Rhenum, præsentibus, Hattone Moguntino,

tino, Hermanno Colonienſi, Ratbodo Triverenſi, & ipſo Rege Arnulpho. Conditi Canones 58. de diſciplina.

In nono dicitur, quodſi Epiſcopus & Comes eodem die placitum (ſeu judicium) indixerint, differendum eſſe placitum ſæculare Comitis, ut populus ad placitum Epiſcopi convenire poſſit. In 10. Epiſcopum non deponendum, niſi à 12. Epiſcopis: Presbyterum à 6. Diaconum à 3.

In 18. habetur, Zephyrinum Papam patenis vitreis celebrari *Miſſas* conſtituiſſe. Hunc Canonem corrumpit Joannes Jacobus *Hottingerus* in Helvetica ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica ad annum 895. ubi, mutato nomine *Miſſæ* in nomen *Cœnæ*, ait, in 18. Canone haberi, quòd Zephyrinus in S. *Cœna* vitrea *vaſa* præceperit adhiberi. Cur autem hoc crimen falſi? timuit videlicet, ne Tigurini ſui viderint Catholicam veritatem, ſi legerent, jam primis Eccleſiæ temporibus fuiſſe *Miſſas* celebratas. *Zephyrinus in patenis vitreis Miſſas celebrari conſtituit:* ſunt verba Concilii. Ubi etiam vocem *patenis* corrumpit, dum pro ea vocem *vaſa* ſuppoſuit.

In 19. dicitur, *Chriſti ſanguinem eſſe in calice -- majorémque eſſe majeſtatem ſanguinis Chriſti &c.* Hunc Canonem rurſus corrumpit *loc. cit.* dum illud ad *ſignum* ſanguinis Chriſti detorquet. Quæſo! quare in re tanti momenti non poſuit hæc formalia verba Canonis: *Cujus* (Chriſti) *ſanguis in calice eſt?*

Can. 21. expreſſè dicitur per manus Sacerdotum *corpus & ſanguinem Chriſti confici.* 22. Probatio per candens ferrum decernitur (quod meritò eſt abrogatum) *can.* 23. Excommunicatur, qui monialem uxorem duxerit.

Canon 30. ſic inchoatur: *In memoriam B. Petri Apoſtoli, honoremus ſanctam Romanam & Apoſtolicam ſedem, ut quæ nobis Sacerdotalis eſt mater dignitatis, eſſe debeat magiſtra Eccleſiaſticæ rationis. Quare ſervanda eſt cum manſuetudine humilitas, ut, licèt vix ferendum ab illa ſancta ſede imponatur jugum, feramus, & pia devotione toleremus.* (Notent hîc Hæretici, hanc Germanicæ Nationis, dudum ante Gregorium VII. fuiſſe ſententiam, in præſentia Imperatoris pronuntiatam) quod idem in *Capitularibus* Caroli Magni anno 801. ſtatutum fuerat.

Canon 40. impedimentum dirimens ſtatuit in eum, qui fœminam adulterio polluit, cum promiſſione eam ducendi.

Can. 41. Si quis fratris ſui uxorem cognoverit, ab utroque ſeparandam. (*Quia cum utroque contraxit affinitatem.*)

Can.

Can. 42. Si criminoſus fugiat in aliam diœceſin, Epiſcopus loci in eum animadvertat.

Canon. 45. Cum duabus ſororibus fornicatus, usque ad finem vitæ absque ſpe matrimonii continens maneat.

V.

De Conciliis celebratis in cauſa rebellionis filiorum in patrem Ludovicum Pium.

Ludovicus, Chriſtianus multò optimus, Réxque pientiſſimus, ſed infelix pater ex Irmengarde, priore conjuge, tres ſuſcepit filios, Lotharium, Ludovicum, & Pipinum; primo Italiam, ſecundo Germaniam, tertio Aquitaniam deſtinaverat. Jámque Lotharium primogenitum in imperii conſortem aſciverat, à Paſchali Papa coronatum Romæ, cùm is inde redux in Franciam, rebellioni, quam Pipinus, adverſus patrem Ludovicum interea moverat, ſe caput conſtituit, à ſeditioſis quibusdam Proceribus, ſicut antea Pipinus, incitatus, ea maximè ex cauſa, quòd Ludovicus *Bernardum*, hominem Hiſpanum, cubiculo ſuo præfeciſſet, atque per eum, arcanorum omnium conſcium, moderaretur Imperium. Addebant alia, quæ homines ſcelerati, quietíſque impatientes, ac Ludovici probitatem non ferentes facilè confinxerant.

Principes igitur filii, Lotharius & Pipinus, bellum adverſus patrem optimum parant. Majórque Gallorum pars iis acceſſerat. At verò cordata atque infracta Germanorum fides ſpem patris ſuſtentabat; eámque in gentilitio eorum candore, virtute, ac robore collocabat fiduciam, ut rempublicam ſeditione turbatam facilè componendam exiſtimaret, ſi in urbe aliqua Germaniæ generalis quidam ordinum conventus haberetur, atque ad illum rebelles filios poſſet pertrahere.

Res evenit ex ſententia. Indicta *Noviomagenſis Synodus*: quò cum Germanis Epiſcopis atque Proceribus etiam conjurati Galli convenerunt. Et quidem, ùt Imperator caverat, nemini armato adeſſe licuit. Hîc pater Lotharium filium blandè complexus, in gratiam recipit: atque oratione deinde ad conjuratos habita, ſuavi ſermone ferociam eorum ita demulcet, ut pax ex integro reſtituta videretur.

Viſum tamen, poſtquam Imperator auctoritatem ſuam firmaverat, in conjurationis principes, qui Regios Filios inſtigaverant, ſeve-

ſeveriùs animadvertere. Pronunciata igitur à Conventu Neomagenſi in quosdam mortis ſententia: cui tamen Ludovici manſueta indoles interceſſit, mutata mortis pœna in clauſtralem cuſtodiam. Quam ipſam etiam brevì pòſt iis remiſit.

Inter alia perduellionis capita erat *Jeſſeus* Ambianenſis Epiſcopus, in Synodo Noviomagenſi ab Eccleſiæ Præſulibus depoſitus, ſed intercedente eadem clementia, & Imperatoris gratiæ, & dignitati ſuæ eſt reſtitutus: perfidiam ſuam poſtea reſtauraturus.

Cæterùm ut omnis impiæ conſpirationis ignis, etiam ſub cineribus latens, extingueretur, eadem conjurationis cauſa pluribus in Synodis eſt judicata, ut in Synodo *Ingelhemienſi*, Aquisgranenſi, & in *Theodonis villa.*

Verùm non ita extingui favilla poterat, quin in majus ſubinde incendium prorumperet, incentore rurſus præcipuo *Pipino,* Ludovici filio tertio genito, quem Pater Aquitaniæ regem dixerat.

Poſtquam enim Imperator, ſoluto omnium gratulatione, Neomagenſi conventu, majori in præſens Clementia, quam in futurum providentia, Regios liberos dimiſiſſet, Lotharium in Italiam, Ludovicum in Germaniam, & Pipinum in Aquitaniam; hic inquieti ſanè ingenii Princeps, refractarius patri res novas rurſus moliri cœpit. Quare Ludovicus eum Trevirim in cuſtodiam abduci jubet.

At ille fuga è cuſtodum manibus elapſus, Aquitanos ſuos in ſeditionem rurſus concitavit. Propter quod novum ſcelus pater eum regno Aquitaniæ privavit, omníque paternæ hæreditatis ſpe dejecit, diviſâ Aquitaniâ inter *Lotharium,* & *Carolum* (qui *Calvus* poſtea dictus eſt) ex Juditha, ſecunda conjuge, ſuſceptum.

Tum verò Pipinus, jactura regni multò ferocior, correptis armis tentabat omnia, ut fratres à patre abduceret. Aquitanici regni in Carolum, natu minimum, traducta pars, tumultus fomes & alimentum. in id vergere (inſinuabat Lothario) novercæ vota atque conſilia, ut privignos Regnis, diviſione paterna jam acceptis, deturbaret, ac Carolum illum ſuum iis locupletet. In ſe primum tentatum experimentum: ſi ſucceſſerit, haud dubiè progreſſuram ultra, & ab ipſo Lothario Imperii coronam repetituram. Patrem, præſtigiis dementatum, in ejus poteſtate eſſe conceſſurum facilè, quidquid aut maternus amor, aut novercale odium ſuggereret. Quid ſui, innoxiæ ætatis, peccâſſent liberi, qui ad regiam amplitudinem nati, nulla ipſorum ratione habita, cum

cum patre ad miserrimam inopiam redigerentur? arma proin simul corriperent, & amoto patre, per ignaviam, & novercæ ambitum jam diu inepto, emortuam penè Francorum gloriam vindicarent.

Eadem ferme Pipinus Ludovico fratri, Germaniæ Regi, ingerebat: illud præcipuè, ut iram pientioris in patrem animi excitaret, insusurrans, quòd Aquitaniâ Lotharium inter & Carolum divisâ, fuisset præteritus, novercali contemtu.

Ita abreptis in suam sententiam fratribus, undequaque bellicum insonat, & contractis magno numero copiis, filii in patrem rursus ferociter insurgunt: obducto armis fuco, quòd vir uxorius pravo affectu regnum ac filios perditum iret. Nobiles & promiscuum vulgus magnam partem adjuncti filiis, ipsíque antistites severiorem morum censorem exosi, tuba ferali bellum accendunt. Hósque inter eminebant *Agobardus* Lugdonensis, *Ebbo* Rhemensis, & *Jesse* Ambianus; cui jam ante crimen læsæ Majestatis Imperator remiserat.

Prodierunt igitur anno 833. filii cum armatis exercitibus adversus patrem, paucis copiis instructum, in campum, Basileam inter & Argentinam. Cúmque Imperator per nuntios ad pacem filios esset cohortatus, (sequestro etiam Gregorio IV. summo Pontifice, qui ad pacem conciliandam Româ accurrerat) filiíque amantem pacis animum præseferrent, Pater inermis obviàm eis processit. At perfidi mox Juditham Reginam, à latere ejus abstractam, Tortonam in Italiam relegârunt, Carolum ejus filium, admodum puerum, in Prumiense prope Treviros Monasterium, Patrem verò captivum in castra sua abduxerunt: Pontifice mœrore pleno Romam redeunte.

Postquam autem totum Imperium trina sectione inter se divisserant, populo & exercitibus juramento adstrictis, Pipinus in Aquitaniam, & Ludovicus in Germaniam reversus est. Lotharius verò Patrem captum Suessionem in Galliam abduxit, ibíque in monasterio S. Medardi in arctam dedit custodiam.

Quia autem ad tam nefarium facinus omnes boni inhorruerant, ut sceleri fucum inducerent, Agobardus pessimam causam publico scripto tueri conatus est, objectis pientissimo Imperatori ejúsque conjugi gravissimis criminibus, útque majus pondus levissimo scripto adderent, Episcoporum authoritate id muniendum censuêre.

Coactum proin *Conciliabulum Compendiense*, Præside *Ebbone*, vel potius Lothario, in quo damnatus Ludovicus *Pius*, absens, non auditus, regnóque privatus, ob gestum, ùt calumniabantur, malè Imperium, ob perjuria, scandala, aliáque scelera. Tum verò, ut tristi catastrophe finiretur hæc tragœdia, ad impiam hanc Synagogam captivus adductus Imperator, exutus ornamentis regiis, pulláque indutus veste, arcta pressus custodia, sub tectum quoddam, ùt loquitur auctor ipsius vitæ, detrusus est. Ut verò populo persuaderet sceleratum hoc Synedrion, omnia jure acta esse, sparsit in publicum Agobardo præcipuè auctore, Ludovicum omnia objecta sibi crimina sponte sua esse fassum, atque ut Deo & Ecclesiæ satisfaciat, eam pœnitentiam expetiisse. Alexander Natalis contendit quidem, Ludovicum non à Synodo Compendiensi, sed ad Lothario fuisse Imperio dejectum. Verùm ejus argumenta plus non probant, quàm Lotharium præcipuum fuisse auctorem illius tragœdiæ, quàm Synodali auctoritate confirmari voluit.

Altero post anno, videlicet 834. Ludovicus & Pipinus tetri facinoris pœnitentia ducti, Patrísque de se optimè meriti, calamitatibus moti liberum eum dimitti ac throno restitui petierunt à fratre Lothario. Quod cùm ille detrectaret facere, copias adversus eum armatas educunt. Dimisit ille tum quidem Patrem, ab armis tamen, oblata licèt ab eodem venia, non discessit. Cùm autem conjunctæ jam essent in campo ad conferendam pugnam partis utriusque copiæ, Pater alios adhuc ad filium legatos misit, qui ipsi pacem & veniam denuo offerrent, quam ille tandem acceptavit, cúmque suis permissu Patris ad regnum Italiæ rediit. Ludovicus verò Imperator in Regiam suam Aquisgranum est reductus, Pipino in Aquitaniam, Ludovico Germanico in Bojariam recedente.

Quia vero plures Episcopi participes erant sceleris, in Imperatorem patrati, voluit Ludovicus, ut per Episcopos judicetur, an jure fuerit regno dejectus. Convocatum ad hoc 40. Episcoporum Concilium in palatium Cæsareum in *Theodonis Villa* anno 835. omnes depositionem iniquissimam, restitutionem verò multò æquissimam proclamârunt, & datis etiam singulis libellis sunt contestati.

Habitum paulo post *Concilium Metense* ab iisdem Episcopis, præsente Imperatore, in quo *Drogo* Metensis, Ludovici Pii frater naturalis, Concilii Præses, prælegit singulorum Episcoporum libellos, cùmque omnes essent conformes, inter missarum solennia Ludovici reductio est celebrata, populo omni in gratiarum actionem effuso.

Re-

Reductum deinde eſt *Concilium* in *Theodonis Villam*, ubi *Ebbo* Rhemenſis fax turbarum, qui pariter cum reliquis Epiſcopis voce & ſcripto omnia adverſus Cæſarem acta, tanquam inquiſſima damnavit, & officio Epiſcopali indignum ſe profeſſus eſt, rogavit Synodum, ut ſibi liceat ſecundùm SS. Canones tres Epiſcopos cauſæ ſuæ Judices eligere. Quibus electis, causáque diſcuſſa, ab Epiſcopali munere, quo ſe indignum ipſemet fateretur, fuit depoſitus, ſubſcripsêre huic ſententiæ 43. Epiſcopi.

Tum verò Ebbo in Fuldenſe Monaſterium eſt adductus. *Agobardus* Lugdonenſis, cùm ter vocatus à Concilio ad dicendam cauſam comparere detrectâſſet, ab Eccleſiæ ſuæ regimine eſt remotus, donec actorum ſuorum rationem redderet. De aliis Epiſcopis, qui cum Lothario in Italiam profugerant, nihil pronuntiatum. Satis enim eſſe putabat Concilium, quòd relictis Eccleſiis ſuis ſe ipſos damnâſſent ad exilium.

VI.

De Conciliis celebratis in cauſa diſcordiæ inter Ludovici Pii filios.

Compoſitis per pacem bellis Ludovicum inter & filios exortis, Regina Juditha filii ſui Caroli Calvi ſollicita ab Imperatore impetrat, ut eundem in aliquam regni partem admitteret. Quare eum, jam puberem, in *Conventu Cariſiaco* palàm enſe cinxit, & corona impoſita Neuſtriæ Regem dixit: cúmque Pipinus eodem fermè tempore obiiſſet, Carolo Aquitaniam adjunxit, nulla ratione habita duorum filiorum, quos Pipinus reliquerat. 18.

Utque, poſt fata etiam Ludovici, Caroli firmaretur poſſeſſio, urgente Regina cum Lothario fœdus initum, quo, relicta Ludovico Germanico ſe Bojaria, reliquum Imperii ampliſſimum Regníque corpus Lotharium inter & Carolum fuit diviſum.

Acerbè Ludovicum Germanicum ea partitio habuit: unde bellum movit, exercitu ad Rhenum trajecto. At cum pater majoribus obviam iret copiis, in Bavariam ſuam receſſit. Pater verò Wormatiam concedens, in morbum incidit, quo detentus, diebus quadraginta ad ſupremum agonem ſe præparans, quotidie Drogoni Metenſi peccata confeſſus, & SS. Euchariſtia refectus, pientiſſimè, ùt vixit, obiit, anno 840.

Mortuo Ludovico Pio Lotharius filius ejus primogenitus Imperatoris dignitate cum regno Italiæ potitus eſt, Ludovicus Germania,

 Caro-

Carolus Calvus verò natu minimus Gallia (nam Pipinus secundo genitus, Rex Aquitaniæ jam obierat) Lotharius igitur factus Imperator bello civili fratribus moto, longè perniciosissimo, cùm initio fortunam faventem aliquantùm experiretur, in conventu Episcoporum Ebbonem sedi Rhemensi restituit. At cùm Lotharius inde à fratribus gemino prælio esset fractus, in fugam Ebbo, malè sibi conscius, se dedit, nunquam rediturus: quamquam Lotharius Imperator multa pro eo restituendo tentaret.

Anno 842. *Synodo Aquisgranensi* visum, Deum jura regni Francorum in Ludovicum & Carolum transtulisse, eò quòd Lotharius pientissimum suum patrem, dolo sub spe data pacis interceptum, ac regno privatum, adduxerit captivum: populum Christianum cupiditate sua toties perjurum fecerit; atque ipsemet perfidè sæpiùs infregerit, quod patri fratribúsque juraverat: post obitum etiam patris fratres ab hæreditate sua excludere conatus: moto propterea bello multò atrocissimo, quo penitus ferme conciderit Imperium, tot curis atque vigiliis à Carolo M. constitutum: redundantibus etiam hoc furore in Ecclesiam malis innumeris.

Verùm dum anno sequenti post geminam cladem fractus pacem petiisset, pinguiorem, quàm optare poterat, à fratribus impetravit, nempe præter Imperatoriam dignitate cum regno Italiæ ac Phocensi provincia, quæ jam antè habuerat, insuper Germaniam inter Galliámque provinciam mediam, eam videlicet Austrasiæ partem, quæ postea dicta fuit *Lotharingia*: multorum deinceps Heroum fœcunda patria.

Ut autem pacis & unionis fraternæ vinculum tres reges eò firmiùs teneret colligatos, ipsis volentibus & præsentibus anno 844. convocatum est *Theodonis Villam* Episcoporum Concilium Præside Drogone Metensi, trium Regum patruo. Edita in eo sex Capitula. In 1. adhortantur tres Principes, ut mutuam deinceps charitatem & concordiam conservare studeant. In 2. Ecclesiis bellorum tumultu viduatis, providendos absque peste Simonaicæ hæresis bonos Episcopos. In 3. Monasteria laicis concessa concedenda esse Religiosis. In 4. Res Ecclesiarum non invadendas. In 5 providendum locis religiosis. In 6. ordinem Ecclesiasticum pristino vigori esse restituendum.

Anno 845. in *Concilio Bellovacensi Hincmarus*, Monachus Sanct. Dionysianus, Rhemensis electus est Archiepiscopus, (postquam ea sedes jam per decennium à depositione Ebbonis vacasset) ac deinde consecratus, vir eximia pro illo ævo eruditione celeberrimus.

mus. Condita ſunt inſuper octo Capitula, de conſervanda poteſtate Eccleſiaſtica, honorandis Epiſcopis, reſtituendis Eccleſiæ ablatis, de Eccleſiis defendendis contra oppreſſores. Quæ omnia Carolus Rex obſervaturum ſe promiſit.

Biennio pòſt in *Concilio Moguntino*, cui præſedit *Rabanus Maurus*, ex Abbate Fuldenſi factus Archiepiſcopus Moguntinus, vir ſæculi ſui ſcriptórque celeberrimus. Conditi quos ſuprà memoravimus, canones, de fide catholica, baptiſmo, pace, immunitate rerum Eccleſiaſticarum, poteſtate Epiſcopali in adminiſtrandis rebus, ad Eccleſiam pertinentibus, de decimis in 4. portiones dividendis, de vita & honeſtate Clericorum, de votis Religioſis, de mulierculis fœtum necantibus, pœnitentiæ publicæ addicendis.

VII.

De Concilii in cauſa Gotheſchalci habitis.

Erupit circa medium hujus ſæculi IX. error *Gotheſchalci*, Mona- 19.
chi vagi, qui abuſus libris S. Auguſtini in errores *Prædeſtinatianorum* incidit. Aſſerebat enim, omnes, quos Deus vult ſalvos fieri, certò ſalvari. Deum non omnes velle ſalvari, ſed tantùm prædeſtinatos: & pro his tantùm mortuum eſſe Chriſtum. Deum alios ad vitam, alios ad mortem æternam præordinâſſe ac creâſſe. Prædeſtinationem ad mortem facere, ut etiam inviti homines peccent. Ecce pus! quod plura poſt ſæcula Calviniana & Janſeniana hæreſis refricuit.

Refutavit mox errores iſtos *Rabanus*, edito libro de prædeſtinatione. Probat in eo, licèt Deus peccatum præſciat, non tamen ad illud prædeſtinare, nec eſſe cauſam perditionis: cùm in ſacris Scripturis minis etiam à peccando deterreat, & adhortetur, ut peccatores à peccando deſiſtant: atque proteſtetur, ſed nolle mortem impii, ſed ut convertatur, & vivat. Voluntate ſua quemlibet cadere, qui cadit. Quia præſciti ſunt caſuri, non fuiſſe prædeſtinatos: fuiſſe autem prædeſtinandos, ſi eſſent reverſuri, & in ſanctitate ac veritate manſuri. Ac proin prædeſtinationem multis eſſe cauſam ſtandi, nemini verò cauſam labendi.

Poſtquam Gotheſchalcus Italiam, Dalmatiam, Pannoniam, ac Noricum percurriſſet, quà voce quà ſcripto lolium geminæ ſuæ prædeſtinationis diſſeminans, venit Moguntiam. Quo comperto, Rabanus mox Synodum convocavit anno 848. Cui præſens etiam fuerat Ludovicus Rex Germaniæ. In hoc *Concilio Moguntino* dam-

natus eſt Gotheſchalcus cum doctrina ſua: remiſſúſque ſub cuſtodia ad Hincmarum Rhemenſem, in cujus diœceſi ſe ſacerdotem ordinatum eſſe dicebat, ut ibidem incluſus nemini deinceps nocere queat.

Igitur ad Hincmarum abductus, auditus rurſus eſt in *Concilio Cariſiaco.* Cúmque inventus eſſet hæreticus atque incorrigibilis, primùm à Sacerdotali Officio depoſitus, deinde præſente Synodo ſecundùm Agathenſes Canones & S. Benedicti regulam, tanquam improbus, virgis cæſus, atque exuſtis ejus ſcriptis, ad perpetuos carceres damnatus eſt. In quibus hæreſi ſuæ contumaciter inſordeſcens anno 868. miſerè interiit.

Sunt equidem hodiedum, qui Gotheſchalcum ab hæreſis probro vindicent, contendúntque, eum tantùm docuiſſe, peccatores ad pœnam prædeſtinari, non autem ad culpam. Verùm Rabani & Hincmari, quibus optimè perſpecta erat hominis doctrina, major eſt auctoritas, quàm ut ab ea recedi debeat. A Gemino etiam Concilio eſt damnatus, Moguntino ſcilicet in Germania, & Cariſiaco in Gallia; à nullo verò abſolutus. Licèt enim ob quæſtiones, de prædeſtinatione motas, multa ferveret diſceptatio, (de nomine tamen potiùs, quàm de re) inter Epiſcopos, neque Eccleſia Lugdunenſis tamen, neque Synodus Valentina (quas pro innocentia Gotheſchalci producunt) unquam negavit, eum docuiſſe, quòd Deus aliquos ad peccandum prædeſtinet. Quam hæreſin in una confeſſione aſſeruit, licèt in altera doloſè ſubticeret. Unde, qui eum innocentem putabant, ex eo decepti erant, quòd tantùm unam illius confeſſionem legerant, non vero alteram hæreticam.

Cæterùm, ut ſciamus, qua mentis præparatione Gotheſchalcus evaſerit hæreſiarcha, quáſque animi dotes ad reformandam Eccleſiam attulerit, effigiem ejus Hincmarus in ſua ad Nicolaum Papam Epiſtola exhibet. Scribit enim, quòd fuerit *homo animo elatus, quietis impatiens, novorum verborum cupidus, inſatiabili honoris ambitione incenſus, protervus & tumultuoſus, ut inani animi oſtentatione, & falſa quadam novitate ſui nominis famam adipiſceretur, adeptam latiùs opinionem propagaret, & propagatam ab oblivionis injuria vindicaret, certos articulos falſarum doctrinarum elegit & collegit &c.* Hem bellam imaginem hæreſiarchæ! ſed an ſolius Gotheſchalci.

Synodus Cariſiaca poſt damnationem iſtius hæretici quatuor capitula edidit contra Prædeſtinatianos. In 1. dicitur, quòd Deus ex maſſa perditionis elegerit, ſecundùm præſcientiam ſuam, quos per

per gratiam *prædestinavit* ab vitam: cæteros verò ex inscrutabili Dei judicio in massa perditionis relictos, *præscitos* esse perituros propter peccata sua, sed non esse prædestinatos, ut peccarent, aut perirent. Electos proin esse *prædestinatos* ad gratiam congruam & gloriam, reprobos verò *præscitos* esse peccaturos, & propter peccata commissa perituros; decreta illis pœna æterna propter sua peccata.

In 2. Asseritur libertas humani arbitrii ad bonum & malum.

In 3. Licèt non omnes salventur, Deum tamen velle, ut omnes salventur. Quòd autem quidam salventur, salvantis esse donum; quòd verò alii pereant, pereuntium esse meritum.

In 4. Christum pro omnibus omnino hominibus esse passum, licèt non omnes passionis ejus mysterio *redimantur:* eò quòd poculum humanæ salutis habeat quidem in se, ut omnibus prosit, non tamen medeatur, si non bibatur.

Quatuor hæc Capitula Concilii Carisiaci, uti universim quæstiones de prædestinatione à Gotheschalco motæ varias per plures annos controversias, turbásque excitârunt in Gallia. Quidam verbis magis, quàm re ipsa dissentiebant, qui enim unam tantùm prædestinationem adstruebant, contenderunt, reprobos non debere dici *prædestinatos ad pœnam æternam*, sed tantùm *præscitos*. Unde Hincmarus Concilii Carisiaci Præses, ad Gotheschalcum captivum scripsit, ex SS. Patrum, præsertim Augustini & Prosperi testimonio: *Deum & bona præscire & mala: sed mala tantùm præscire: bona verò & præscire & prædestinare: & quia bonos præscivit, prædestinavit ad regnum, malos autem præscivit tantùm, non prædestinavit, nec ut perirent sua præscientiâ compulit.*

Alii verò, quamvis contra Gotheschalcum assererent, Deum nullatenus prædestinare ad peccata, aut esse causam interitus, dicendum tamen putabant, quòd Deus malos *prædestinet ad æternas pœnas* propter ipsorum peccata, absolutè prævisa. Hos inter, qui ita loquebantur, erat Prudentius Trecensis Episcopus.

Sic etiam, quando aliqui dicebant cum Hincmaro & Concilio Carisiaco, non omnes per passionem & mortem Christi esse *redemptos*, nullatenus dicere volebant, quòd Christus, quantùm erat ex parte sua, non pro omnium hominum salute passionem & mortem suam Patri cœlesti obtulerit, aut quòd per passionis & mortis suæ infinita merita non omnibus media necessaria ad salutem consequendam præparaverit; sed id solùm per eum modum loquendi intelligebant, quòd non omnes media e. g. baptismi &c. ita sibi appli-

applicent, ut re ipsa, & in actu secundo, à peccatis & consequente inde Pœna redimantur: quia scilicet culpa sua media illa neglexerunt, vel spreverunt. Et hinc dicunt, Christum pro omnibus quidem esse mortuum, sed non omnes esse redemptos, quia scilicet media, quæ Christus per merita passionis & mortis suæ omnibus præparavit, cum seria intentione omnes omnino sanandi & salvandi, culpâ humanâ effectu à Christo intento fuerunt frustrata. Preme exemplum medicinæ de se salutaris à medico præparatæ & oblatæ, sed ab ægroto aut neglectæ aut contemptæ.

Hæc animadvertere placuit propter modernos Prædestinatianos, Calvinistas & Jansenistas, qui plures ex Patribus noni sæculi, qui occasione hæresis, quam Gotheschalcus suscitavit, scripserunt de prædestinatione & redemtione generis humani, pro erroribus suis falsissimè citant, quibusdam eorum formulis loquendi contra loquentium intentionem abusi; prout S. Augustini quibusdam verbis contra mentem ejusdem abutuntur.

Aliqui tamen à veritate longiùs abibant: quales erant quidam Episcopi *Conventus Valentini*, qui equidem errores Gotheschalci de prædestinatione damnabant, asserebántque Catholicè & orthodoxè, Deum bonos præscisse per gratiam suam bonos futuros, & per eandem gratiam æterna præmia accepturos, malos autem præscisse per propriam malitiam malos futuros, & per justitiam suam (Divinam) æterna ultione damnandos: in electione salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum: in damnatione autem perituorum meritum malum præcedere justum Dei judicium, ad malum neminem esse prædestinatum.

Negare tamen videntur capitulo 4. Christum pro infidelibus & impiis obduratis fudisse sanguinem. Et hinc etiam cavillantur Synodum Carisiacam, in qua contrarium est assertum. Quare Hincmarus, qui ob depositos Clericos, ab Ebbone antecessore suo post reditum ad Ecclesiam Rhemensem ordinatos, apud plures odio flagrabat, tres libros de prædestinatione ac Christo pro omnibus mortuo scripsit, atque Synodum Carisiacam defendit. Id quod dein etiam in Tullensi Nationali Concilio est comprobatum; velle nempe Deum omnes homines salvos fieri, Christúmque pro omnibus mortuum, omnibus parâsse salutis media, atque gratiarum auxilia; quibus liberum hominis arbitrium præveniatur, & adjuvetur.

VIII.

De Conciliis in causa Lotharii Junioris celebratis.

HÆc ubi tempestas sedata est, altera mox Ecclesiam perturbare cœpit pluribúsque Conciliis aut causam aut occasionem præbuit. Lotharius Ludovici Pii filius varios inter tumultus, & variantis fortunæ vicissitudines quindecim annos gesto Imperio, turbarum pertæsus & humanarum rerum, reliquum vitæ in Prumiensi S. Benedicti cœnobio Deo ac saluti suæ consecravit, divisis jam antè inter tres filios provinciis. Et Ludovico quidem natu maximo dedit regnum Italiæ cum Imperiali dignitate, Lothario regnum Austrasiæ, Carolo regnum Burgundiæ.

Jam verò *Lotharius* hic junior (à quo nomen *Lotharingiæ*) divortium facere cogitarat cum *Theutberga* legitima conjuge, ut *Waldradam* pellicem possit ducere. At ubi jura deficiunt, fraudes vocantur in subsidium. Spargitur in vulgus, Reginam commisso cum fratre suo Huberto incestu abortum procurâsse. Committitur sententia, pro temporis illius inhumano more, aquæ ferventis judicio. Exit inde illæsus Theutbertæ Vicarius.

Recepta tum quidem à Lothario conjux. Sed paulò post data in custodiam, vi ac dolo compellitur, ut ream se illius facinoris coram Episcopis fateatur. Indicitur *Concilium Aquisgranense* plurium Episcoporum, quorum principes erant, *Guntharius* Coloniensis, & *Theutgandus* Trevirensis Archiepiscopi, celebres in hac fabula actores. In hoc Synedrio adducta regina fatetur crimen: atque ad publicam pœnitentiam condemnatur: Lothario verò vel imperitè vel malignè renuntiatur, non licere eam amplius habere uxorem.

Retruditur in Monasterium. Ex quo, ulteriores timens insidias, profuga, ad fratrem Hubertum accurrit; atque à tam iniquo synodi judicio ad sedem Apostolicam appellans, Nicolai I. opem implorat. Mittunt etiam Episcopi Synodi Aquensis nomine ad eundem Pontificem litteras, in quibus ultroneam criminis confessionem à Theutberga in Concilio factam, nuntiant, eamque publicæ pœnitentiæ addicendam.

Dici non potest, quanto molimine tum ipse Lotharius tum Episcopi quidam, Principis cupidini lenocinantes, egerint, ut matrimonium cum Theutberga habeatur irritum, novumque cum alia concedatur. Coactum proin anno 863. alterum *Aquisgranense*

Conciliabulum. In quo, licèt quidam Episcopi demonstrârint incestum Theutbergæ non esse probatum, confessionem gravissimo terrore inique esse extortam: & quod rei caput est, licet Theutberga cum fratre suo commisisset incestum, licitum tamen fuisse validúmque ejus cum Lothario Rege matrimonium, cùm inter Lotharium & Theutbergam nulla omnino impedimento fuerit consanguinitas aut affinitas: adeóque matrimonium istud legitimè contractum, & suscepta jam ex eo prole consummatum, rescindi non ampliùs posse quoad vinculum; adeóque Regi nullatenus licere, dimissa Theutberga aliam ducere.

Hæc, inquam, aliáque licèt quidam doctè piéque opponerent, & Hincmarus etiam Rhemensis sæpiùs consultus per plures litteras responderet, atque inculcaret, nihilominus conciliabulum illud Aquisgranense decrevit, Theutbergam non potuisse esse legitimam Lotharii conjugem, permisitque Lothario aliud contrahere matrimonium.

Tum verò Lotharius assecutum se ratus votorum metam, expulsa Guntharii Coloniensis nepte, quam ducturum se antè promiserat, *Waldradæ*, quam deperibat, publicè nupsit, eámque Reginam coronavit.

Publicum hoc scandalum non tantùm Lotharii fratres, Ludovicum Imperatorem ac Carolum Burgundiæ regem, ejusdemque patruos Ludovicum Germaniæ, & Carolum Calvum Galliæ Regem vehementer afflixit, sed omnem etiam Europam offendit. Quare Lotharius, ut majori auctoritate facinus suum firmaret, scripsit ad Nicolaum summum Pontificem, ad quem Theutberga jam ter appellaverat, Episcopos regni sui concessisse sibi Waldradam ducere. Sin ea res minus probaretur, rogare se legatos sedis Apostolicæ, qui in Synodo de ea recognoscerent.

Misit Papa duos legatos, qui *Metis* Synodum congregent, simúlque ad reges scripsit, ut quilibet duos Episcopos ad eam Synodum mittat. Acta autem Synodalia dein ad se mitti petit. Corruptis legatis Pontificiis *Synodus Metensis* approbavit repudium Theutbergæ, eò quòd Lotharius adhuc junior, ante nuptias cum ea initas, à Patre suo fuerit desponsus Andradæ, quódque cum ea tanquam uxore vixerit, donec minis Huberti fuerit compulsus, Theutbergam ejus sororem ducere, quæ propria confessione inveniatur rea incestus, cum eodem suo fratre commissi.

Vani hi erant prætextus. Nihil enim legitimè fuerat probatum. Quare ut Nicolaum Papam in partes suas traherent, Guntharium

Colo-

Coloniensem & Theutgandum Trevirensem, factionis capita Romam legatos miserunt.

At Nicolaus intellecta legatorum suorum prævaricatione, quòd litteras Pontificis ad Reges missas, quibus duos à quolibet Episcopos, ad Synodum Metensem mittendos, petierat, occultaverint, quódque in illa Synodo, in qua soli Episcopi Lotharii convenissent, nihil sit actum eorum, quæ mandatis dederat, his, inquam, intellectis *Synodum Romæ* congregavit, in qua edita 5. capitula.

In 1. damnatur Synodus Metensis, tanquam adulteris favens prostibulum, & cum Ephesino latrocinio comparandum.

In 2. Guntharius Coloniensis & Theutgandus Trevirensis Archi-Episcopi ab Episcopali & Sacerdotali officio deponuntur. Et si ausi fuerint aliquid de sacro ministerio attingere, nullam ampliùs spem fore restitutionis: eò quòd ipsimet præsentes confessi fuerint, se judicâsse, licere Lothario dimissa Theutberga Andradam ducere, atque plures alias sanctiones canonicas violaverint.

In 3. Synodus eandem pœnam minitatur aliis Episcopis, qui in Metensi conciliabulo facinoris illius fuerunt complices, nisi resipiscant.

In 4. *Ingeltrudem* Bosonis Comitis uxorem, quæ, relicto hoc suo marito, jam per septem annos cum adultero quodam in terras Lotharii profuga, vagabatur, & in Gunthario & Theutgando, malarum causarum patronis, refugium invenerat, iterum excommunicat, donec pœnitens Apostolicæ sedi se sistat.

Quintus canon sic habet: *Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta, pro Catholica fide, pro Ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium vel futurorum malorum, à sedis Apostolicæ Præside salubriter promulgata contempserit, anathema sit.*

Guntharius & Theutgandus, hac ratione à Nicolao Papa & Concilio Romano condemnati ac depositi, ad Ludovicum II. Imperatorem profugerunt. Qui auditis eorum querelis indignè ferens, fratris sui Lotharii legatos tam acerbè habitos, cum armata manu Romam accurrit, ulturus, quam irrogatam putabat, injuriam. Irruptioni hostili similis videbatur ejus ingressus, militibus furendi permissa licentia. Tandem à Pontifice, qui antè in basilicam S. Petri velut in asylum confugerat, placatus Imperator, legatos in patriam remisit.

Interea autem Guntharius epiſtolam, furoribus plenam & calumniis in Pontificem, ad Epiſcopos ſuos, & ad ipſum Pontificem miſerat, omnem eidem obedientiam abnegans, hæreticorum more, qui juſtè condemnati bilem omnem deſpumant in legitimum Judicem: Cúmque Coloniam attigit, munere Epiſcopali contra interdictum fungi perrexit.

At inopinato à Lothario, in cujus favorem tanta molitus fuerat, depoſitus ab Archiepiſcopatu Colonienſi, ſpirans vindictam Romam rurſus accurrit, ut contextam hactenus in Theutbergæ cauſa fraudum ſtropham coram Pontifice retexeret. Miſit etiam Lotharius, ut fulmen averteret, ſuos Romam legatos, Nicolao perſuaſuros, ſe facti pœnitentem imperata facturum.

Ablegavit igitur Pontifex ad Lotharium Nuntium ſuum Arſenium Epiſcopum, qui convocata Synodo Theutbergam revocavit, ac cum Lothario rurſus (ut videbatur) conciliavit. Andrada vero Romam ad cauſam dicendam eſt evocata. At iſta ſimulato itinere Romano, ad Lotharium reverſa, à Pontifice eſt excommunicata. Cúmque eandem cenſuram timeret Lotharius, variis machinis ſententiam avertit.

Mortuo Nicolao Romam profectus eſt, ea ſpe fretus, fore, ut Adrianus II. ejusdem ſucceſſor Andradam ei concederet conjugem. Verùm is Synodo habita, Theutbergam ejus uxorem legitimam eſſe declaravit; Andradam verò amoveri præcepit. Tum Lotharius ſimulata rurſus pœnitentia, atque abjurato omni cum pellice illa commercio, ſacram communionem ex manu Papæ accepit. Sed properantem rurſus ad ſuum regnum intercepit Divina ultio. Cùm enim Placentiam veniſſet, Princeps infelix ſubita febri obiit. *Anno* 868. Regnum ejus inter ſe diviſerunt patrui, Ludovicus Germaniæ, & Carolus Calvus Galliæ Rex, fruſtra proteſtante fratre Ludovico Imperatore.

Anno 864. habitum eſt *Romæ Concilium*, in quo *Rhodoaldus* Portuenſis Epiſcopus, bis legatus Pontificis, bis prævaricator, & mandatorum transgreſſor, & in Conciliabulo Photiano Conſtantinopoli, & in Conciliabulo Metenſi, ubi cauſam Eccleſiæ prodidit, Epiſcopatu & communione fidelium privatus eſt.

IX. De

IX.

De Conciliis in causa Rothadi Episcopi appellantis.

MAgna doctrinæ laude hoc sæculo floruit *Hincmarus* Rhemensis Archiepiscopus, de quo jam sæpius mentionem fecimus. At magnos etiam probósque aliàs viros nævi quidam solent inficere. Gemina eum cum Nicolao Romano Pontifice collisit controversia, altera in causa Rothadi, in causa Hincmari nepotis sui altera: utraque appellationum jura potissimum concernente.

Rothadus Suessionensis Episcopus presbyterum suæ Diœcesis in stupro deprehensum in Concilio 33. Episcoporum deposuit. Hincmarus Metropolitanus eundem ad se confugientem restituit, Presbytero, quem Rothadus substituit, excommunicato & in carcerem detruso. Cùm autem Rothadus contra hæc acta Hincmari sui Archiepiscopi constanter protestaretur, ille coacto *Concilio Suessionensi* Provinciali Rothadum tanquam contumacem communione privavit, donec obediat. *Anno* 861.

Biennio post in *Concilio Pistensi*, cui Hincmarus præsedit, Rothadus de Presbytero illo jussus rationem reddere, cùm cerneret plures sibi adversari, ad sedem Apostolicam appellavit. Detulit tum quidem ea Synodus appellationi. Sed cùm præfixo dierum numero iter Romanum non esset ingressus, citatus est ad *Concilium Suessionense* In quo cùm comparere detrectaret propter appellationem interpositam, depositus, excommunicatus, & in carcerem datus est à Concilio.

Nicolaus Papa Hincmarum propterea graviter objurgavit, jussitque sub interminatione censuræ Rothadum restitui: tum verò veniendum Rothado cum reo Presbytero Romam ad agendam caussam. Simulque Hincmarum Romam citat, si suam adversus Rothadum causam porro velit defendere.

Rothadus igitur è custodia dimissus Romam profectus est, & cùm ultra sex menses ejus accusatoros non comparuissent, absolutus sedique suæ Episcopali est restitutus à Romano Concilio. Scripsitque plures epistolas de hac restitutione Nicolaus in Galliam: si quis eam causam Rothadi ulteriùs velit impugnare, veniret Romam, & ibi agat.

Hincmarus plurésque alii Galliæ Episcopi omnia egerunt, ne restitueretur Rothadus. Unde in suis ad Pontificem epistolis profi-

tebantur quidem ſuam ſubjectionem & obedientiam erga Romanam ſedem: putabant tamen, hanc cauſam Epiſcopi judicandum eſſe in Gallia à comprovincialibus Epiſcopis, adjunctis etiam, ſi Pontifici placeat mittere, Romanis legatis, ùt in Concilio Sardicenſi & Carthaginenſi in cauſa appellationum ſtatutum ſit: exiſtimare ſe, omnia decretalia Pontificum in corpore Codicis canonum deſcripta contineri.

De hoc argumento acrem ac prolixam Epiſtolam Nicolaus Papa ſcripſit ad Galliæ Epiſcopos, in qua jura S. Sedis & Decretales illius, eas etiam, quæ Corpori Juris non ſunt inſertæ, ferventer defendit. Reſtitutus tandem Rothadus, ùt voluit Pontifex.

X.

De Conciliis in cauſa utriusque Hincmari.

22 ALtera, eáque gravior erat controverſia Hincmaro Rhemenſi (quem *Seniorem* appellant) cum *Hincmaro Juniore*, ſuo nepote, cui Epiſcopatum Laudunenſem impetraverat. Eúmque omni ope & cura paterna initio fovebat; usque dum ita inſoleſceret, ut crudelitate, violentia, depoſitionibus & excommunicationibus Clericorum, contumacia, virulentis verbis ſcriptisque in ipſum etiam Hincmarum Patronum ſuum, atque in ipſum adeò Regem inſurgeret. Unde tandem Rhemenſis ſanguinis affectu ſepoſito judicis in nepotem perſonam aſſumpſit.

Magna tunc erat Metropolitani in ſuffraganeos ſuos poteſtas, quam deſcribit Rhemenſis, Laudunenſem nepotem *opuſc. 33. c. 6.* alloqueus: uti ſunt: convocare illos ad provinciale Concilium, judicare in prima inſtantia, conſecrare; conſtituere Vicarium mortuo Epiſcopo: electioni præeſſe. Ubique habere prærogativam loci dignitatis, honoris, appellationes admittere; conſenſum dare circa alienationes, dubia ſolvere; dare licentiam diſcedendi: corrigere delinquentes ſuffraganeos &c.

Hæc aliáque Jura (quæ antiquis temporibus Metropolitani in Epiſcopos ſuos habebant) ex triplici ratione ſunt imminuta 1. *ob diviſionem regnorum;* ſic enim ſuffraganeus facilè ſe tueri poterat authoritate ſui Principis adverſus Metropolitanum, in alterius regno exiſtentem. 2. *ob frequentiam appellationum.* His enim fatigati Metropolitæ multum juris remiſerunt. 3. ob *exemptiones & privilegia* variis Epiſcopis à ſede Apoſtolica conceſſa.

Hinc-

Hincmarus Laudunensis anno 869. in Concilio *Vermeriano* accusatus, cùm causæ suæ diffideret, ad sedem provocavit Apostolicam. Romam tamen, quo etiam ab Adriano Papa vocabatur, eundi licentiam non obtinuit. Magna tunc inter eos orta est contentio. *Romæ judicari volo*, dicebat Hincmarus Junior. *Prius in Provincia*, reposuit Hincmarus Senior. Sequenti anno in *Synodo Attiniaca* rursus accusatus à Rege & Hincmaro avunculo, quòd correctionis impatiens adversus Regem & Metropolitanum suum insolesceret. At rursus ad sedem Apostolicam provocavit. Tandem in Concilio *Duziacensi* condemnatus, ab Episcopali officio depositus ferro vinctus, ac denique à regiis ministris oculis cæcatus est, ut inhabilis reddatur Episcopali muneri.

Adrianus Papa datis ad Hincmarum Rhemensem & Regem Carolum Calvum litteris graviter conquestus est de appellatione rejecta aut neglecta, vetuitque alium Episcopum Laudunensem substitui. At Episcopi illius Concilii significarunt Pontifici, Laudunensem, sæpiùs quidem ad S. Sedem appellasse, sed non aliam ob causam, nisi ut judicia eluderet & pœnam effugeret. A nemine ipsi fuisse prohibitum Romam proficisci, quin jussum esse à Patribus Concilii, atque ab ipso etiam Rege, ut non tantùm voce appellet, sed appellationem etiam opere ipso prosequatur. Insuper Patres Synodi ita in Laudunensem exercuisse judicium, ut sententia sua salvam per omnia voluerint auctoritatem Sedis Apostolicæ, quam singulari obsequio venerentur. More institutóque Majorum judicandum prius fuisse in provincia, tum, si sententia iniquè se gravatum existimet, quin ab eadem ad altius tribunal appellet, à nemine esse prohibitum. Satis eum ostendere, quo animo Romam provocârit, cùm nunc damnatus à Synodo appellationem deserat.

Cæterùm mortuo Adriano ejus successor Joannes VIII. acta *Concilii Duziacensis* & condemnationem Laudunensis confirmavit, aliúmque eidem substitui voluit. Cúmque mortuo Carolo Calvo, quem reclamante Ludovico Germaniæ rege Imperatorem dixerat, venisset in Galliam, *Trecense* Concilium convocavit. In quo Hincmarum juniorem Sacerdotali, non autem Episcopali officio restituit.

Nota. Hincmarum Seniorem in his controversiis non impugnâsse appellationum jura, Sedi Apostolicæ competentia, sed id unum contendisse, secundùm canones primum judicium, seu primam *instantiam* in provincia, in qua lis orta est, posse institui, tenerique reum à Metropolitano vel Concilio Provinciali citatum comparere

parere & rationem reddere: ac tum demum, si sententia se cæsum existimet, ad sedem Apostolicam appellare posse.

Cùm Carolus Crassus, qui paulo antè Germaniam, Galliam atque Italiam sub unum Imperium rursus collegerat, à suis desertus in extremas miserias redactus esset, substituto illi Arnulpho ex fratre Carolomanno nepote, congregata est anno 888. *Synodus Moguntina*, in qua confecti sunt 26. Canones, quibus de corrupta disciplina Ecclesiastica, ut supra meminimus, tractatum est, cum exhortatione ad regem Arnulphum, ut Ecclesias statúmque Sacerdotalem contra invasiones & rapinas defendat.

ARTICULUS II.

De Conciliis Italiæ SÆCULI IX.

Concilium Altinense celebratum est anno 802. in causa Joannis Venetorum Ducis, qui Gradensem Patriarcham occidi jussit, quòd Græcum quemdam hominem noluerit consecrare Episcopum. Paulinus igitur Aquilejensis Patriarcha congregata Synodo deliberavit, qua ratione tantum crimen puniendum sit. Placuit implorare Carolum M. Imperatorem, data ad eum Synodali epistola, ut ordini Sacerdotali illatam injuriam vindicet.

Concilia Romana duo sunt habita: alterum anno 849. alterum anno sequente, in causa Anastasii S. R. E. Presbyteri Cardinalis, qui à Leone IV. Pontifice fuit excommunicatus ac depositus, eò quòd absque facultate Pontificia Parœciam suam deseruerit, & ad alienam transmigrârit. Alia Romana Concilia alteri occasioni reservamus; ubi de Jure Pontificio differetur.

Concilium Ticinense à Longobardiæ Episcopis celebratum anno 850. statuit, ut Episcopi non tantùm diebus Dominicis, & præcipuis festivitatibus Missam celebrent, sed quotidie. A venatione ac superflua equorum & mulorum cura abstineant. Publicis ac enormibus peccatis publicam pœnitentiam imponat. Subjicitur deinde *can. 6.* secretorum peccatorum confessionem Sacerdotibus esse faciendam: en verba Concilii: *qui verò occultè deliquerint, illis confiteantur, quos Episcopi, & plebium Archipresbyteri idoneos ad secretiora vulnera mentium medicos elegerint.*

Canon Octavus tractat de Sacramento extremæ unctionis: atque his verbis inchoatur: *Illud quoque salutare Sacramentum, quod commendat S. Jacobus Apostolus, dicens, infirmatur, quis in vobis, inducat*

cat Presbyteros &c. solerti prædicatione populis innotescendum est; magnum sanè ac valde appetendum mysterium: per quod, si fideliter poscitur, & peccata remittuntur, & consequenter corporalis salus restituitur &c. ac paulò post subjungitur, illum, qui publicæ pœnitentiæ addictus est, non esse admittendum ad hoc Sacramentum, *nisi priùs reconciliatione percepta, communionem corporis & sanguinis Christi meruerit.*

Can. 9. parentes monentur, ut filias matrimonio maturas non diu domi innuptas retineant, propter incontinentiæ periculum.

In reliquis cavetur, ne Principes Monasteria iis dent, quibus non licet. Ne adhibeant Clericos ad sæcularia negotia. Ne Judæi permittantur esse Judices Christianorum.

Can. 21. prohibentur usuræ, jubetúrque, ut fœneratores usuras restituant iis, à quibus acceperunt, vel eorum hæredibus.

OBSERVATIO
In hunc Canonem de usuris.

SAnctissimus Dominus noster Benedictus XIV. Romanus Pontifex anno 1745. litteras Encyclicas dedit ad Episcopos Italiæ, 24.
occasione novæ cujusdam de usuris controversiæ. In his decernit supremus Ecclesiæ antistes, peccatum usuræ, quod in contractu mutui propriam suam sedem & locum habet, in eo esse repositum, quòd quis ex ipsomet mutuo, quod ex sua natura tantundem duntaxat reddi postulat, quantùm receptum est, plus sibi reddi velit, quàm est receptum; ideóque ultra sortem lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea ejusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum & usurarium esse.

Neque verò ad istam labem purgandam ullum arcessiri subsidium posse, vel ex eo, quòd id lucrum non excedens & nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit, vel ex eo: quòd is, à quo id lucrum solius causa mutui deponitur, non pauper, sed dives existat, nec datam sibi mutuo summam otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coëmendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis, utilissimè sit impensurus.

Contra mutui siquidem legem, quæ necessariò in dati atque redditi æqualitate versatur, illum agere, qui plus aliquid, vi mutui ipsius, cui per æquale jam est satisfactum, exigere adhuc non veretur; proindéque, si acceperit, restituendo obnoxium esse, ex ejus obligatione justitiæ, quam *commutativam* appellant; & cujus est,

in humanis contractibus æqualitatem, cujúsque propriam, & sanctè servare, & non servatam exactè reparare.

Per hæc tamen nequaquam negari, posse quandoque unà cum mutui contractu quosdam alios titulos, naturæ mutui minime innatos & intrinsecos, fortè concurrere, ex quibus justa omnino legitimáque causa consurgat, quiddam ampliùs, supra sortem, ex mutuo debitum ritè exigendi.

Neque item negari, posse multoties pecuniam per alios contractus, à natura mutui diversos, rectè collocari & impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam & negotiationem exercendam, honestáque inde lucra percipienda.

Quemadmodum verò in tot ejusmodi contractuum generibus, si sua cujusque non servatur æqualitas, quidquid plus justo recipitur, sin minùs ad usuram (eò quòd omne mutuum, tam apertum, quàm palliatum absit) at certè ad aliam veram injustitiam, restituendi onus pariter afferentem, spectare; ita, si ritè omnia peragantur, & ad justitiæ libram exigantur, dubitandum non esse, quin multiplex in iisdem contractibus licitus modus & ratio suppetat, humana commercia, & fructuosam ipsam negotiationem ad publicum commodum conservandi ac frequentandi. Procul enim à Christianorum animis abesse debere, ut per usuras, aut similes alienas injurias, florere posse lucrosa commercia existiment; cum contra ex ipso Divino discamus oraculo, quòd *justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum.*

Sed illud diligenter animadvertendum esse, falsò sibi quemquam, & non nisi temerè persuasurum, reperiri semper, & præstò ubique esse, vel unà cum mutuo titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum vel contractuum præsidio, quotiescunque pecunia, frumentum, aliúdque id generis alteri cuicunque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultrà sortem integram salvámque, recipere.

Ita si quis senserit, non modò Divinis documentis, & Catholicæ Ecclesiæ de usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi adversaturum; neminem enim id saltem latere posse, quòd multis in casibus teneatur homo, simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso præsertim Christo Domino edocente: *volenti mutuari à te, ne avertaris*, & quod similiter multis in

cir-

circumſtantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero juſtóque contractui locus eſſe poſſit.

Quisquis igitur ſuæ conſcientiæ conſultum velit, ei inquirendum diligenter, verénecum mutuo juſtus alius titulus, veréne juſtus, alter à mutuo, contractus occurrat; quorum beneficio, quod quærit, lucrum, omnis labis expers & immune reddatur.

Prohibet deinde ſua ſanctitas, ne quis audeat, huic doctrinæ contrarium litteris aut ſermonibus docere: ſi quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium, & ſubjectum declarat pœnis, per ſacros Canones in eos propoſitis, qui mandata Apoſtolica contempſerint ac violaverint.

Adhortatur Italiæ Præſules, ut verbis graviſſimis populis oſtendant, uſuræ labem à Divinis litteris vehementer improbari; illud quidem vitium varias formas ac ſpecies induere, ut fideles in extremam ruinam præcipites impellat. Quocirca ſi pecuniam ſuam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate rapiantur, ſed potiùs ab illis, qui doctrinæ ac virtutum gloria ſupra cæteros efferuntur, conſilium expoſcant. Iis verò, qui reſponſum ferunt de iis quæſtionibus (quæ tamen haud exiguam ſacræ Theologiæ & Canonum ſcientiam requirunt) ab extremis, quæ ſemper vitioſa ſunt, longè ſe abſtineant. Etenim aliquos tanta ſeveritate iis de rebus judicare, ut quamlibet utilitatem, ex pecunia deſumptam, accuſent, tanquam illicitam, & cum uſura conjunctam; contra verò nonnullos indulgentes adeò, remiſſóſque eſſe, ut quodcunque emolumentum ab uſuræ turpitudine liberum exiſtiment.

Eos, qui ab omni uſuræ labe ſe immunes atque integros præſtare volunt, ſuámque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum ſolummodo inde percipiant, admonendos eſſe, ut contractum inſtituendum antea declarent, & conditiones inſerendas explicent, & quem fructum ex eadem pecunia poſtulent. Hæc magnopere conferre, non modò ad animi ſolicitudinem & ſcrupulos evitandos, ſed ad ipſum contractum in foro externo comprobandum.

Denique hortatur eosdem Præſules, ne aditum relinquant ineptis eorum ſermonibus, qui dictitant, de uſuris hoc tempore quæſtionem inſtitui, quæ ſolo nomine contineatur: cùm ex pecunia, quæ qualibet ratione alteri conceditur, fructus ùt plurimùm comparetur. Etenim quàm falſum id ſit, & à veritate alienum, planè deprehendi, ſi perpendatur, naturam unius contractus à natura alterius prorſus diverſam, & ſejunctam eſſe, &

ea pariter magnopere inter ſe diſcrepare, quæ à diverſis inter ſe contractibus conſequuntur.

Revera diſcrimen apertiſſimum intercedere fructum inter, qui jure licito ex pecunia deſumitur, ideóque poteſt in utroque foro retineri, & fructum eum, qui ex pecunia illicitè conciliatur, ideóque fori utriusque judicio reſtituendus decernitur. Conſtare igitur, haud inanem eſſe de uſuris quæſtionem, quòd ùt plurimùm ex pecunia, quæ alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

Ex hac doctiſſima atque fundatiſſima. ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ Benedicti XIV. epiſtola encyclica habetur, uſuram oriri ex mutuo, quando creditor aliquid ſupra ſortem exigit titulo mutui: hócque ſolo titulo ne minimum quid licitum eſſe exigere: & ſi mutuans, hoc ſolo nomine mutui aliquid ultra ſortem ſeu ſupra ſummam capitalem recipiat, teneri eum ad reſtitutionem ex juſtitia commutativa, quæ æqualitatem inter acceptum & redditum in contractibus præſcribit.

Poſſe tamen unà cum mutuo juſtos titulos alios, aut contractus, à mutui natura omnino diverſos, concurrere, quibus liceat aliquid ultra ſortem exigere: hujusmodi tamen titulos aut contractus non ſemper præſtò eſſe; cùm in multis caſibus teneatur homo, nudo ac ſimplici mutuo ſuccurrere (e. g. quando neceſſitas proximi non admittit alium contractum) diligenter proin examinandum eſſe, veréne alius juſtus titulus aut contractus legitimus occurrat, vi cujus lucrum ſeu auctarium ſupra ſortem, absque uſuræ vitio, poſſit exigere. Ideóque contractum inſtituendum antea eſſe declarandum, & conditiones inſerendas eſſe explicandas, quemque fructum ex pecunia poſtulet, ut pateat, an nulla uſuræ, ſaltem palliatæ, labes lateat. Denique quæſtionem de uſuris non eſſe quæſtionem inanem de nomine: cùm plurimum referat, an quis ex titulo aut contractu juſto atque legitimo, an verò ex injuſto atque illegitimo aliquid conſequatur.

Certè per Contractum mutui, & factam traditionem, rei dominium transfertur in mutuatarium; contra jus autem naturæ eſt, ex alieno velle lucrari (cùm res fructificet domino ſuo) ſive deinde parvum ſit illud lucrum, ſive magnum. Contractus enim mutui, ut ſit juſtus, plus operari non poteſt, quàm ut tantundem reſtituatur, quantum fuit acceptum; cùm in æqualitate dati & redditi juſtitia illius vertatur. Idque verum omnino eſt, ſive mutuatarius lucrum aliquod capiat ex pecunia mutuata, ſive nullum; ſive accipiens pecuniam mutuatam ſit dives, ſive pauper. Quamvis utique

que graviùs peccet, qui uſuras exigit à paupere, quàm is, qui exigit à divite. Sicut, qui pauperi furatur, graviùs peccat, quàm qui diviti. Eſt autem & uſura quædam furti ſpecies.

ARTICULUS III.
De Conciliis Galliæ
SÆCULI IX.

SUb initium hujus Sæculi Caroli M. voluntate complura celebrata ſunt Concilia, totidem velut regni comitia, in tres claſſes diſtributa, Epiſcoporum, Abbatum, & Comitum. Sic 25.

Concilium Arelatenſe VI. Caroli M. voluntate celebratum eſt anno 813. præmiſſa profeſſione fidei, in qua Spiritus ſancti proceſſio à Patre *Filióque* creditur, ſtatutum eſt, ut pſalmodia, Miſſarùm ſolennia, & Litaniæ pro Rege ejusque liberis perſolvantur. Ne Patroni Presbyteros de Eccleſia ejiciant, nec immittant ſine examine, approbatione, & inſtitutione Epiſcopi: néve munera exigant intuitu præſentationis. Ne plures in numerum Canonicorum aut Monachorum aſſumantur, quàm ali poſſint. Decimæ & primitiæ offerantur: prout Jure Divino ſancitum *Exodi* 22. Sacrum Chriſma ſub ſigillo cuſtodiendum. Patrini filiolos inſtruant, quia pro eis fidejuſſores exiſtunt. Qui *Beneficium* de rebus Eccleſiæ habeat, ad eam inſtaurandam concurrant. Publicè peccantes pœnitentiam publicam agant ſecundùm Canones. (*Hæc tunc ferme ab uſu receſſerat.*)

Concilium Rhemenſe eodem anno ſanxit, ut pro peccatis occultis, confeſſione percepta, pœnitentia ſecreta imponatur à Sacerdotibus, pro publicis publica: utque Epiſcopi & Presbyteri examinent, qualiter confitentibus peccata *dijudicent.* Ut Epiſcopi & Abbates pauperes ſecum habeant ad menſam, quæ ſacra lectione condiatur.

Concilium Turonenſe III. pariter eodem anno, decrevit, ut Epiſcopi bonis Eccleſiaſticis utantur, non ut propriis, ſed ad diſpenſandum Clericis & Eccleſiis, ſibi commiſſis: ut Presbyteri ante 30. ætatis annum non ordinentur; atque ut priùs in *Epiſcopio*, ſeu Seminario Epiſcopi ſint probati. Ut alienus Clericus ſine *commendatitiis* non admittatur ad ſacra miniſteria. Ut Clericus in eo maneat titulo, ad quem ordinatus eſt. Ut chriſtiana doctrina vertatur in

linguam Romanam rusticam, aut Germanicam. *(Quæ tunc in Gallia vigebat.)*

Presbyteri Missas celebrantes pueris *corpus Domini* non tribuant indiscretè. Clerici tabernas publicas ne adeant. Exceptis Dominicis & tempore paschali preces flexis genibus persolvantur. Christiani in Ecclesia modestè ac devotè se gerant. Laici ter in anno ad minimum communicent.

Concilium Cabilonense II. itidem eodem anno 813. est congregatum. (quia Carolus M. in tota Gallia Provinciales Synodos institui volebat, ad reformandam Ecclesiasticam & Monasticam disciplinam.) Statuitur, ut Clerici sint alieni ab avaritia Ne annonam congregent, ut eam cariùs vendant. Ne sint villici. Ne cogantur jurare in ordinatione, quòd sint digni. Ne graventur ab Episcopis exactionibus indebitis. Nihil pendant pro chrismate, Ecclesiarum dedicatione, ordinatione.

Sacramentum *Confirmationis* ne iterator. *can.* 27. peccata in confessione plenè exponenda, & singillatim, cùm ea, quæ per corpus gesta sunt; tum ea, quibus in sola *cogitatione* delinquitur. *can.* 32. Non tantùm Deo, sed etiam *Sacerdoti* confidenda esse peccata. *can.* 33. In omnibus *Missarum* solenniis fiat commemoratio *Defunctorum*. In cœna Domini omnes Eucharistiam sumant. *Missa* in dom bus privatis ne celebretur. Ultimi canones tractant de vita Monastica, & sanctimonialibus canonicis, præsertim de accurata clausura.

Nota. In hoc Concilio omnia ferme circa Sacramenta contineri, quæ ab hodiernis sectariis infeliciter negantur. Hinc Joannes Jacobus Hottingerus in Ecclesiastica sua Historia ad annum 813. *pag m.* 406. more suo ad corrumpendos istos canones se accinxit, ut Tigurinis suis glaucoma obducat.

Præsertim verò vitiat canonem 46. cùm enim hic expressè dicat, *perceptionem corporis & sanguinis Dominici* non esse nimiùm differendam, fallarius hic Conciliorum supponit, *observationem S. Cœnæ* non esse nimium differendam; Textus verò S. Scripturæ, *nisi manducaveritis carnem filii hominis &c* quos canon adducit, penitus silet. Sed neque fideliter refert præparationem, quam canon requirit ad sanctissimum hoc atque divinissimum Sacramentum.

Nec minùs depravat canonem 48. in quo tota ratio Sacramenti extremæ unctionis refertur his verbis: *Secundùm B. Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, à Presbyteris ungi debent.* Additúrque,

non

non ſpernendam hanc *medicinam*, *quæ animæ corporisque medetur languoribus.* In referendo hoc canone tria ſubſtantialia omittit prævaricator, 1. quòd *infirmi* ungi debeant. 2. Quòd oleum illud *ab Epiſcopis benedicatur.* 3. Quòd *à Presbyteris* ungi debeant. Omittit etiam effectum Sacramenti. Sed cur iſta omnia omittit? ne cæci videant.

Propter eandem cauſam canones plures graviſſimi ſanè momenti penitus præterit, *ùt vigeſimum tertium* de *Ordinatione Clericorum*, ſtatutis temporibus facienda. *Vigeſimum ſeptimum;* ubi ſermo eſt de Sacramento *Confirmationis.* *Quadrageſimum nonum;* in quo de *Miſſa* celebranda agitur.

Concilium Meldenſe Nationale anno 845. confirmavit canones ſuperiorum Synodorum, ac conſtituit, ut Presbyteri in Eccleſiis ſuis reſideant. Mulierum frequentationem vitent. Monaſteria ablata reſtituantur. Epiſcopi neminem ordinent, niſi pro certa Eccleſia, Monaſterio, aut Xenedochio. Neminem excommunicent ſine certis ac manifeſtis peccati cauſis, ac prævia monitione.

Communione privandi, qui bona Eccleſiaſtica diripiunt, aut ex eis cenſum exigunt. Uti etiam raptores virginum, & eorum complices. Poſt mortem mariti poteſt adulter ducere, quam vitiavit, niſi adultera pars occiderit maritum. Dies octo paſchatis feriari jubentur. Capitularia Caroli M. & Ludovici Pii obſerventur. Abbatiæ, Capellaniæ, Beneficiàque laicis ne dentur in Commendas. *(hic abuſus jam tunc in Gallia Procerum avaritiâ & Caroli Calvi ignaviâ invaluit.)*

Concilium Valentinum III. anno 855. prohibuit, in judicio forenſi ab utraque parte juramentum exigi. Vetat uſuras. Duellantes excommunicantur; & occiſus privatur Eccleſiaſtica ſepultura. Scholæ inſtaurandæ, in quibus divinæ & humanæ litteræ docentur: utì etiam cantus Eccleſiaſticus.

Concilium Viennenſe anno 892. præſidentibus Formoſi Papæ legatis quatuor Canones conſtituit.

In 1. excommunicantur ſæculares, qui res Eccleſiæ injuſtè detinent; niſi admoniti ſe correxerint.

In 2. excommunicantur, qui Clericum occiderint, mutilârint, aut dehoneſtârint.

In 3. excommunicantur, qui eleemoſynas defraudant Epiſcopi, ægroti, aut defuncti.

In 4. vetatur, ne Clerici à laicis Eccleſiam accipiant, ſine approbatione Epiſcopi, & ne ratione introitus aliquid exigatur.

Concilium Pariſienſe VI. voluntate Ludovici Pii celebratum can. 3. aſſe-

3. asseruit, Ecclesiæ corpus in duas eximias personas divisum esse, in *Sacerdotalem* nempe & *Regalem:* in Ecclesia neminem Pontifice potiorem: in sæculo neminem Christiano Imperatore celsiorem inveniri.

Pax esto inter Episcopos & Patronos laicos. Si hi idoneum Clericum præsentent, ab illis non debet rejici.

Quot annis Concilium Provinciale celebrandum.

Parochiarum presbyteri diligenter resideant, ne homines sine confessione, aut infantes sine baptismo mori contingat.

Episcopi Sacramentum confirmationis administrent jejuni.

In altari portatili Missa celebrari potest in necessitate, *ne populus Dei sine Missarum celebratione, & corporis & Sanguinis Domini perceptione maneat.*

Die Dominica, nec mercatus, nec placita, nec opera ruralia exercenda.

Usuram esse, quidquid exigitur ultra sortem, non solùm in pecunia, sed in quacunque specie. (*nempe si mero titulo mutui exigatur.*)

Reddendam rationem Deo à Principibus sæculi, si Ecclesiam non defendant. Quod Sacerdos efficere non potest per doctrinæ sermonem, potestas principis hoc imperet per disciplinæ terrorem.

Judices ac Ministros probos eligendos esse à Regibus; alioquin ipsos coram supremo Judice reos fore. Pietatem, justitiam, & misericordiam esse stabilimenta Regnorum: publicas calamitates, Regnorúmque translationes, ob Principum ac populorum peccata à Deo vindice infligi.

Regi fidem servandam & obedientiam exhibendam.

Ecclesias præ templo Jerosolymitano honore dignos esse: *In quibus non jam taurorum sanguis effunditur, sed corpus & sanguis Christi conficitur, & à fidelibus percipitur.*

Collapsæ Ecclesiasticæ disciplinæ causam esse, quòd *Principalis potestas in causas Ecclesiasticas prosilierit, & Sacerdotes partim negligentia, partim ignorantia, partim cupiditate, in sæcularibus negotiis & sollicitudinibus, ultrà quàm debuerant, se occupaverint.*

Specialiter autem notandi sunt canon 15. quo dicitur, *nulli Sacerdotum licere, res Deo dicatas sibíque commissas, ùt proprias tractare, & ad multifarios eas usus retorquere, sed secundum auctoritatem canonicam, sanctorúmque Patrum dicta & exempla administrare vel dispensare; qui scientes, nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vindicaverunt in usus suos ùt proprias, sed ùt commendatas, pauperibus diviserunt.* Et

Et canon 16. in quo dicitur, Clericos de patrimonialibus suis bonis posse pro lubitu disponere: res autem post ordinationem ex facultatibus Ecclesiæ ab iis comparatas, pertinere ad Ecclesiam, cui præsunt.

ARTICULUS IV.
DISSERTATIO JURIDICA DE PECULIO CLERICORUM.

§. I.
De Veteri Ecclesiæ Disciplina Circa *BONA ECCLESIASTICA.*

Ut meliùs intelligantur varii Canones antiquorum Conciliorum, sanctorúmque Patrum de *Bonis Ecclesiasticis* sententiæ, juvat breviter annotare, quæ diversis temporibus circa illa fuerit Ecclesiæ disciplina.

Atque imprimis sub initium Ecclesiæ, ut habetur Actorum 4. *Nullus* (Christianorum) *aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes, offerebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.*

Igitur etiam Clerici unà cum reliquis fidelibus sub voto paupertatis, sponte edito, ex communi illo peculio sustentabantur, septem Diaconis administrationis curâ commissâ. Bona autem immobilia neque in communi possidebant *can. 2. causa 12. quæst. 1.* neque enim illis persecutionum temporibus ipsis fuissent relicta. Cùm vel hodie inter Christianos, nescio quas *Amortizationis* leges videamus.

Tempore deinde Constantini M. Clerici prædia etiam ac bona stabilia acquisiverunt. *12. q. 1. c. 15.* in communi tamen illa possidebant, in commune viventes, sub administratione Episcopi, & œconomorum, ab eo constitutorum. *12. q. 1. c. 16.*

Relinquebant ergo Clerici ſua bona patrimonialia, & in unum collecti, edito voto paupertatis, ex agris, decimis, & oblationibus, Eccleſiæ factis, ſub adminiſtratione Epiſcopi, communem, & quodammodò religioſam, vitam vivebant. Si quis autem Clericus bona ſua patrimonialia relinquere nolebat (quod S. Auguſtinus aliquibus Clericis ſuis infirmioribus indulſit. *12. q. 1. c. 18.*) tunc ille de communi maſſa, ſeu reditibus Eccleſiæ, nihil acquiſivit, ſed ex ſuis propriis ſe ſuſtentare debebat. *12. q. 1. c. 25.*

Atque hæc Clericorum vivendi ratio tenuit ferme usque ad finem quinti Sæculi. Nulla certa erant erecta Beneficia Eccleſiaſtica, nullæ Præbendæ, ſtabiliter in titulum collatæ, nullus (ex illis communiter viventibus) aliquid proprium habebat, ſed voto paupertatis tenebantur; Epiſcopus non erat Dominus Bonorum Eccleſiaſticorum, ſed Adminiſtrator duntaxat, qui reditus ex prædiis, decimis, & oblationibus fidelium provenientes in unam maſſam collectos, pro ſua, & Clericorum ſuſtentatione, pro fabrica, aliisque neceſſitatibus Eccleſiæ per œconomum diſpenſabat, & ſi quid reliquum fuerat, pauperibus diſtribuebat, ùt conſtat ex pluribus Canonibus *cauſa 12. q. 1.*

Atque ex his facilè colligitur, quàm parùm contra hodiernam proprietatem Clericorum probent, quæ à nonnullis ex Canonibus conciliorum vel Pontificum primorum ſæculorum, vel ex S. Ambroſio, S. Hieronymo, S. Auguſtino, S. Baſilio, S. Chryſoſtomo, objiciuntur. Omnes iſti ſcripſerunt ante Bonorum Eccleſiaſticorum diviſionem, dum omnia adhuc erant communia, nullúsque proprium aliquid poſſidebat, ſed voto paupertatis ligabantur.

Ita eſt; contra *juſtitiam*, contra *religionem*, contra *Jus Divinum*, ac *naturale* tunc peccabat, *furtum*, *rapinam*, *Sacrilegium*, & quidquid Sancti iſti Patres expreſſerant, committebat, quisquis ex iis, quæ totius erant communitatis, aliquid ùt proprium uſurpabat, aut in uſus profanos diſpenſabat. Ideam tibi propone Religioſæ familiæ, non Superior, qui eſt adminiſtrator ac diſpenſator, non ſubditus, poſt profeſſionem aliquid proprium poteſt habere.

At verò, cùm in immenſum per diverſas orbis provincias creſceret fidelium numerus, ac proin etiam augeri oporteret Miniſtros Eccleſiæ, difficilis nimium viſa eſt illa vitæ communis ratio, proprietatisque per votum incapacitas. Quare inclinante Sæculo quinto primùm *Simplicius* Papa (*can. 28. cauſa 12. quæſt. 2.*) omnes reditus Eccleſiaſticos, ſive ex agris, ſive ex decimis & oblationibus provenientes, in quatuor partes juſſit diſtribui, quarum prima obtingeret Epiſcopo, altera

altera Clericis, secundùm singulorum dignitatem & merita, tertia fabricis Ecclesiarum, & quarta pauperibus. Idem haud multò post statuit *Gelasius* Papa (*12. q. 2. can. 23. 26. 27.*) aliique post eum Pontifices.

Neque in hoc rerum statu erecta adhuc erant Beneficia in titulum perpetuum. Sed ex massa communi proventuum omnium Episcopus memoratas quatuor portiones faciebat, & cuilibet suam distribuebat. Post factam istam distributionem quilibet illius, quod accepit, acquisivit proprietatem ac dominium. Sicut aliàs etiam contingit; quando inter singulos dividitur, quod priùs pluribus commune erat: quilibet enim portionis suæ fit Dominus

Unde non satìs aptè hìc aliqui Legistæ objiciunt, per divisionem illam Clericos non potuisse acquirere dominium, eò quòd Papa non fuerit Dominus illorum bonorum, adeóque dominium Clericis dare non potuerit.

Nam isti non considerant, quòd Papa non dederit Clericis dominium, sed tantùm ordinârit, ad publicum Ecclesiæ bonum, & evitandas multas lites & querelas, ut inter se dividant, quod ipsis erat commune. Num Judex dat dominium, qui jubet hæreditatem, pluribus communem, inter eos dividi? quid in contractu societatis frequentius? an ignorant leges de communi dividundo proditas? Summus Ecclesiasticorum bonorum Administrator est Pontifex, an non possit ad publicam Ecclesiæ utilitatem decernere, ut dividatur, quod pluribus commune est: præsertim ubi consentiunt, quorum interest, administratoris est, meliori modo rem administrare. Etiam tutor, etiam curator potest res, pluribus pupillis communes, si bonum eorum exigat, inter eos dividere.

Cæterùm in hoc statu divisionis, episcopus ex justitia tenebatur cuilibet suam portionem ex communibus proventibus extradere. Qua ratione plures etiam Canones possunt, debéntque intelligi, dum e.g. Gregorius VII. *can. 13. causa 1. q. 3.* ait: *Quòd Episcopus, qui propriæ Diœcesis decimas, atque Christianorum oblationes, non sacerdotibus, sed potiùs laicalibus personis confert, Divini præcepti sit transgressor.* Quamvis hic Canon intelligi etiam facilè possit de temporibus posterioribus, quibus erecta jam erant Beneficia. Nam etiam in istis Episcopus præcepti Divini ac naturalis est transgressor, si decimas Parochis debitas, vel reditus ex Clericorum Beneficiis provenientes Laicis confert.

Non tamen ubique ſolus Epiſcopus portiones illas diſtribuebat; ſed pro varietate locorum & temporum quandoque partem unam Epiſcopus, alteram Clerus accipiebat diſpenſandam.

Sæculo deinde nono & decimo novus ſurrexit peculii Clericalis ſtatus (quamvis Baronius ad Sæculum ſextum ejus originem referat, certè idea jam fuerat aliqua prioribus Sæculis, ùt eruditè oſtendit Thomaſſinus de *nova* & *vet. Eccleſ. diſcipl. part. 3. lib. 2. cap. 16. & ſeq.*) erecta videlicet ſunt *Beneficia Eccleſiaſtica*, tum ex pia ac liberali fundatione fidelium, tum ex bonorum Eccleſiaſticorum in hæc beneficia converſione.

Non igitur ampliùs ex quarta illa Clericorum portione Beneficiatis diſtribuebatur peculium: ſed ex reditibus ſeu proventibus ſui Beneficii vivebant, iiſque uſufructuario jure utebantur, fruebantur. Prout hodiedum fieri cernimus.

Quatuor igitur peculii Clericorum erant ſtatus. Primus initio Eccleſiæ, in quo Clericis cum Laicis omnia erant communia. Secundus dein usque ad ſæculum quintum; in quo Clerici vivebant in communi, & tam Epiſcopus, quàm Clerici, & Eccleſia, idem commune habebant peculium, ſub adminiſtratione Epiſcopi, ubi dominium erat penes totam communitatem Eccleſiaſticorum, quamvis ſinguli ob votum paupertatis illius eſſent incapaces. Tertius à Sæculo quinto usque ad Sæculum nonum: in quo vigebat quadruplex illa diviſio. Quartus à Sæculo nono: in quo Clerici erectis fruuntur Beneficiis.

Quò autem devenerit portio, pauperibus à Simplicio & Gelaſio deſtinata, non ſatis conſtat. Credibile eſt, quòd impenſa ſit vel in hoſpitalia, vel ſeminaria vel monaſteria, vel fabricam Eccleſiarum, vel in fundationem neceſſariam novorum Beneficiorum curatorum, vel in pauperes clericos, vel in bella ſacra, vel etiam, quòd aliqua devenerint in manus ſæcularium, ſicut multæ decimæ, de jure communi Parochis debitæ.

Jam verò his notatis facile eſt intelligere Canonem 15. Concilii Pariſienſis VI. mox citatum, alióſque plures ejusdem tenoris. Nam Canon loquitur de Epiſcopis, quòd ſcilicet poſt factam illam proventuum Eccleſiaſticorum in quatuor partes diviſionem, portionem ad Clericos, ad fabricam & ad pauperes pertinentem, non potuerint tractare ùt propriam, ſed, tanquam ſibi commendatam; *pauperibus* Clericis, qui tunc aliunde non habebant ſuſtentationem, aliiſque pauperibus, ſecundùm portiones illis competentes, debuerint diſtribuere. Quia ſcilicet Epiſcopus unius tantùm portionis erat

erat dominus, non autem reliquarum; cùm iſtarum tantùm eſſet administrator, & diſpenſator.

Canon autem 16. qui ait, res ex Eccleſiæ facultatibus comparatas pertinere ad Eccleſiam, intelligendus eſt de comparatis ex portione illa, quæ deſtinata erat ad Eccleſiæ fabricam, ornatum &c. res enim ex ejusmodi facultatibus comparatæ pertinebant ad Eccleſiam; ſicut hodiedum contingit.

Jam verò loquendo de eo potiſſimùm temporum ſtatu, quo erecta cernimus Eccleſiaſtica pro Clericis Beneficia, quæſtio admodùm controverſa ventilatur, an Clerici ſint Domini redituum, ex Beneficiis provenientium, etiam ſuperfluorum? & ſuppoſito, quòd ſint Domini, an, & quo titulo ſuperflua erogare teneantur in cauſas pias? haud abs re fuerit, de quæſtionibus iſtis hic pauca diſſerere.

§. II.

An Clerici ſint Domini redituum Beneficialium, præſertim ſuperfluorum?

BOna Eccleſiaſticorum varii ſunt generis; alia enim ſunt *Patrimonialia*, quæ ex hæreditate, donatione, præſcriptione, arte vel induſtria, aliisque titulis temporalibus conſequuntur. Et horum Clerici certò ſunt Domini, (cùm Dominium non abdicârint, ſintque illius capaces) poſſunt proin de iis, ſive per actum inter vivos, ſive per ultimam voluntatem liberè diſponere pro lubitu. Sicut etiam canon 16. Concilii Pariſienſis VI. clarè indicat.

Idem dicendum de *quaſi-patrimonialibus*, ſeu iis, quæ Clericis obveniunt tanquam ſtipendium, quo digni ſunt operarii, intuitu laboris, e. g. in concionando, docendo, Miſſas legendo &c. quò etiam revocantur *funeralia*, aliáque, quæ *Reditus ſtolæ* appellari conſueverunt: imò etiam *Diſtributiones quotidianæ*, præſentibus in Choro ac rebus Divinis tribui ſolitæ. Quæ, ſi laborem ac merita exſuperent, liberaliter donata eſſe cenſentur. Atque hæc quaſi-patrimonialia, poſt Clericatum aſſumptum, in filio familias habentur inſtar peculii quaſi-caſtrenſis, non verò adventitii: unde non debetur ex iis patri uſu fructus. Deinde ad iſtam claſſem quaſi-patrimonialium revocari etiam poſſunt *Parſimonialia*, quæ videlicet parciùs ac frugaliùs vivendo ex reditibus Beneficialibus Clericus comparſit.

Horum, inquam, omnium juxta communem DD. ſententiam Clerici ſæculares conſequuntur Dominium, idque plenum, ac nullo modo

ligatum: ut adeò expendere illa possint in usus honestos, etiam profanos. Sique contingeret, ut ex istis patrimonialibus, aut quasi-patrimonialibus aliquid expensum esset in causas pias, possent deinde ex reditibus beneficialibus, congruam sustentationem superantibus, compensationem sibi facere; licèt patrimonialia non fuissent erogata animo compensandi.

Rursus alia strictè ac simpliciter vocantur *Bona Ecclesiastica*, bona nempe mobilia vel immobilia ipsarum Ecclesiarum, destinata ad earum fabricam, ornatum; alendos Ecclesiæ Ministros, aliásque necessitates: item fundi, agri, villæ, aut prædia, ex quibus reditus Beneficiales proveniunt. Et horum bonorum Ecclesiasticorum dominium est penes Ecclesiam: sive deinde illa consideretur tanquam persona quædam ficta, sive ùt communitas capitulorum, aut aliorum etiam fidelium, sive, ùt quidam volunt, penes Christum Dominium illud esse censeatur. Placet mihi illa sententia, quæ dicit, penes Ecclesiam velut personam fictam esse Dominium, Clericos verò tantùm esse administratores istorum bonorum. Hoc certum videtur, Clericos de istis bonis, saltem regulariter, & extra necessitatem, disponere non posse, nisi in utilitatem Ecclesiæ. Neque enim Beneficiatus alienare potest fundos, cujus fructus ad ipsius sustentationem sunt designati: cùm non sit eorum dominus, sed usu fructuarius.

Alia autem bona dicuntur simpliciter *Beneficialia*; reditus nempe seu fructus annui, qui Clericis ratione sui Beneficii Ecclesiastici, in titulum stabilem collati, obveniunt, ùt fructus agrorum, decimæ &c. Et de his reditibus disputatur, ad quem proprietas ac dominium eorum spectet.

Sunt autem aliqua ex istis bonis Beneficialibus ad congruam sustentationem Beneficiati necessaria, alia eandem excedentia, quæ dicuntur *superflua*. Et de his non pauci ex antiquis, & recentioribus etiam quibusdam Legistis tenent, Beneficiatos non esse eorum Dominos, sed meros administratores.

Rationes afferunt, quia hæc bona sunt patrimonium Christi, res Dei, patrimonium pauperum. Quique illa impendunt ad profana, dicuntur committere furtum, rapinam, Sacrilegium. Clerici autem tantùm vocantur eorum dispensatores & administratores, ut adeò non possint de iis testari, aut pro lubitu disponere, sed debeant ea determinatè ad pias causas applicare.

Verùm hæc nullatenus eò dicuntur, ut Beneficiati Sæculares reditus Beneficiales non faciant suos, sed dicuntur *res Dei*; quia à fidelibus sunt Ecclesiæ donatæ, & ab Ecclesia ordinatæ ad cultum & hono-

honorem Dei. Et quia amore Christi sunt donatæ, *patrimonium Christi* jure appellantur. *Patrimonium* verò *pauperum* dicebantur antiquitus, quia Clericis, qui, utpote nullum in particulari dominium habentes, verè tunc pauperes erant, ad sustentationem debebantur. Imò reditus Beneficiales, congruæ sustentationi superstites, etiam hodie vocari possunt patrimonium pauperum; quia in pauperes aut alias pias causas erogari debent.

Furtum autem dicebantur committere, quando nihil habebant proprium, sed in communi vivebant; nam tunc Episcopus & Oeconomi non erat illorum domini, sed administratores, & dispensatores communis massæ. Hodie etiam sunt fures, qui res ad ipsam Ecclesiam pertinentes aliò impendunt, aut fundos Beneficiorum alienant: horum enim Clerici non sunt domini sed administratores, ac usufructuarii: & hinc etiam de illis nullatenus testari possunt. Quòd autem neque de reditibus Beneficialibus perceptis possint testari pro lubitu, non provenit ex defectu dominii, sed ex lege positiva, id vetante, quia fructus, *congruæ* superstites, expendere debent in causas pias. Neque pupillus de rebus suis testari potest, ob legem positivam, & tamen est earum dominus.

Cæterùm clericos proventuum Beneficialium esse dominos, & quidem omnium, etiam superfluorum, satìs clarè videtur erui ex Tridentino, quod *sess. 23. c. 1. & sess. 24. c. 12. de Ref.* ait, quòd non residentes, aut professionem fidei, intra duos menses post quietam possessionem Beneficii curati, aut canonicatus, non emittentes *fructus non faciant suos.* Ergo Tridentinum supponit, quòd si hæc diligenter præstent, fructus faciant suos; imò *sess. 24. c. 12.* expressè ac positivè ait, quòd ratione residentiæ fructus faciant suos: & quidem omnes, nam nihil excipitur; quod tamen fieri debuisset, ne in errorem inducantur Clerici. Idem habetur *cap. un. de Cleric. non residentibus in 6.*

Et confirmatur: Clerici olim per divisionem communium fructuum aut proventuum consequebantur dominium totius suæ portionis: ergo etiam omnium redituum Beneficialium proprietatem hodie consequuntur.

Hoc ipsum dilucidè satìs asserit Julius III. qui in Bulla, *cùm sicut* ann. 1550. die 3. Junii edita ait: *Nos attendentes, fru-*

ctus,

ctus, pecunias, & alias res, occasione Ecclesiarum vel Beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore provenientes, postquam ad manus Beneficiariorum pervenerint, non amplius in Ecclesiasticis, sed potiùs in ipsorum Beneficiariorum propriis, & ab iis acquisitis bonis judicari & propterea quodammodo pro sæcularibus & profanis haberi.

Sicut ergo officiales Ecclesiarum sæculares, ùt musici, æditui &c. omnes reditus sui officii faciunt suos, licèt aliquando excedant sustentationem eorum congruam, sic etiam Beneficiarii. Certè non constat, quòd liberales fundatores quoad hoc Clericos magìs voluerint gravatos, aut parciores se erga illos exhibuerint, ut voluerint esse meros usuarios. Stat igitur pro illis præsumptio dominii: præsertim, cùm melior sit conditio possidentis. Et quid aliud sunt reditus Beneficiatorum, quàm stipendium intuitu functionum constitutum? atqui de ratione stipendii est, ut transeat in dominium operarii: licèt sit liberalius, ùt patet in stipendiis officialium militarium, curialium &c. Sicut enim Principem, sic Ecclesiam decet, Ministros suos liberaliter remunerari.

Unde jure optimo Lucius III. Pontifex *cap. pervenit 2. de fide juss.* mandavit, ut ex reditibus Clericorum solvantur eorum debita. Ergo Clerici supponuntur redituum habere dominium. Nam ex re aliena debita sua injustè solverent. Deinde, si Beneficiati reditus Beneficiales expenderint in causas profanas, Ecclesia non compellit Clericos, & eos, qui aliquid ab iis acceperunt, ad restitutionem. Quod tamen facerè deberet, si rem alienam expendissent.

Atque ex his rectè infertur, Clericos pariter acquirere dominium, non tantùm eorum, quæ ex patrimonialibus suis per emptionem aut alium contractum legitimum sibi comparârunt, sed etiam eorum, quæ ex reditibus Beneficialibus sunt consecuti. Cùm enim sint domini redituum, fiunt etiam domini rerum, quas per reditus illos sunt adepti: *Subrogatum siquidem sapit naturam ejus, cui subrogatur.* Aliud proin est de comparatis per res Ecclesiæ proprias; nam illa haud dubiè pertinent ad Ecclesiam: cùm illius peculio sint comparata.

Quando autem dubium est, an res aliqua sit donata, aut legata Clerico, an verò Ecclesiæ: item, cùm dubitatur, quo titulo sint comparata, an relicta à Clerico pertinuerint ad Beneficiatum, an verò ad Ecclesiam; præsumptionibus & conjecturis, ex circumstantiis & qualitate rei donatæ &c. personæ donantis, &

dona-

donatarii &c., necesse est id decidere; si aliunde veritas erui non possit.

§. III.

An, & quo titulo Clerici reditus Beneficiales superfluos erogare debeant in causas pias?

PEr reditus *superfluos* hîc, ùt diximus, intelliguntur illi, qui congruam Beneficiati sustentationem excedunt. *Congrua sustentatio* autem complectitur omnia, quæ sunt necessaria, ut Clericus honestè vivat secundùm suum statum, dignitatem, nobilitatem, labores, gradum, aliásque qualitates personæ & regionis. Unde in ea etiam includuntur moderata convivia, moderatæ donationes, in signum gratitudinis aut benevolentiæ, etiam divitibus factæ: convenientes item recreationes &c. Adeóque congrua sustentatio non est æqualiter pro omnibus taxanda, sed juxta qualitatem personæ &c. Neque consistit in indivisibili, sed, sicut in pretiis rerum, datur supremum, medium, & infimum, etiam respectu ejusdem personæ: ut adeò, sicut permissum est, rem summo pretio (æquo tamen adhuc) vendere, ita licitum est Clerico, summum gradum suæ congruæ sibi attribuere. Determinata tamen regula alia vix dari poterit, nisi usus & praxis aliorum, qui timoratæ sunt conscientiæ, & ejusdem dignitatis.

Jam verò, licèt Clerici sæculares redituum Beneficialium, etiam superfluorum, seu eorum, qui congruæ sustentationi, sic explicatæ, supersunt, sint verè domini, obligantur tamen illos expendere in pauperes, aut alias pias causas, sub culpa ex genere suo mortali: utì docet communis & certa omnium Theologorum ac Canonistarum sententia, sic interpretantium Conciliorum Canones, Pontificum decreta, & effata Patrum.

Neque obscurè id colligitur ex Tridentino. Si enim *sess. 25. c. 1. de Ref.* vetat, ne Clerici ex reditibus Ecclesiæ consanguineos augeant, aut familiares suos; quantò potior est ratio prohibendi, ne in alios usus profanos eos profundant?

Quam autem concors est auctorum in adstruenda hac obligatione sententia, tantùm discordant in assignando illius titulo ac radice.

Multi ex antiquis & recentioribus existimant, obligationem illam oriri ex titulo *Justitiæ*. Verùm si Clerici omnium indistin-

ctè fructuum seu proventuum, etiam eorum, quæ congruæ sustentationi supersunt, proprietatem ac dominium consequuntur, ùt ex Tridentini loco citato, Doctorúmque consensu, satis communi, videtur erui, non satis apparet, ex qua radice pullulet titulus justitiæ. Non enim oritur ex *re accepta*; cùm sint Domini: neque ex *injusta acceptione*; cùm sint fructus sui beneficii, legitimè obtenti. Neque ex aliquo *pacto* vel *contractu*: cùm tale non appareat.

Licèt enim pii ac liberales pinguium Beneficiorum fundatores bona sua Ecclesiæ dederint ad honorem Dei, ac salutem animarum, opténtque, proventus fundationis bene impendi; probari tamen non potest, quòd pacto aliquo, etiam tacito, obligationem *Justitiæ* Beneficiatis velint imponere, erogandi aliqua in pauperes, aut in alias pias causas. Sed ex liberalitate abundantem esse voluerunt fundationem, ut acuant diligentiam ministrorum Ecclesiæ, eísque liberaliter provideant: non alia obligatione Beneficiario imposita, quàm ut sacras & Ecclesiasticas functiones, in fundationis instrumento expressas, vel alias de jure, vel consuetudine debitas, diligenter obeat. Excessus proin redituum liberalitatis est & beneficii, atque gratuitæ donationis, non verò instar depositi, aut crediti, quod restitui debeat. Unde Pontifices, Sixtus IV. Julius III. Paulus V. dederunt facultatem Episcopis, aliisque Clericis de bonis Beneficialibus etiam superfluis testandi ac disponendi ad causas profanas. Quod non fecissent, si jus naturale justitiæ obstaret.

Certè si Beneficiati tenerentur *ex justitia* omnes fructus Beneficiales, qui congruæ sustentationi supersunt, in pias causas expendere, tenerentur sub reatu æternæ damnationis omnia restituere, quæ ex superfluis ad profanos usus expenderunt. Quam tantam obligationem, nescio, an omnes Beneficiati aut agnoscant, aut usu ipso se agnoscere ostendant. Et quid faciendum illis, ad quos ejusmodi bona, pauperibus ex justitia debita, pervenerunt? an etiam musici, æditui &c. hac lege tenentur?

Mitiùs aliquantò sentiunt, qui obligationem illam, superflua in causas pias erogandi, in titulum *charitatis* refundunt. Verùm, quamvis decentissimum & apprimè conveniens sit, ut Sacerdotes Domini sint patres pauperum, strictam tamen gravémque obligationem charitatis aliam habere non videntur, quàm eam, quam omnes divites habent dandi eleemosynam. Lex autem charitatis & misericordiæ largiendi eleemosynam sub peccato mortali non obligat, nisi in extrema, vel saltem gravi necessitate proximi, ùt cum S. Thoma

2.2. q.

2.2. q. 32. art. 5. docent communiter Theologi. Igitur aliam obligationis illius, Clericis inhærentis, radicem esse necesse est. Aliás planè Clerici etiam reditus stolæ, distributiones quotidianas, bona parsimonialia, imò etiam patrimonialia, tenerentur omnia ex charitate distribuere in pauperes. Quin & illud absurdum sequeretur, quòd Clerici peccarent contra charitatem, pauperibus debitam, si proventus superfluos in alias pias causas, e. g. in ornatum Ecclesiæ expenderent. Cæterùm etiam Principes, aliique divites Laici debent esse patres pauperum: an propterea omnia, quæ congruæ sustentationi supersunt, ex stricto charitatis præcepto debent in illos elargiri?

Et fac, nullos in provincia esse pauperes, aut aliunde illis esse provisum, profectò tunc deficeret obligatio exercendæ in pauperes charitatis, atque misericordiæ, an propterea etiam obligatio deficeret in Clerico, proventus Beneficiales superfluos in pias causas expendendi? negabis, opinor; & rectè. Sed ex qua tunc radice hæc obligatio succrescet? aliam certè radicem, eámque universalem adstruas, oportet.

Hanc alii in titulo *Religionis* collocant, cùm Cardinale de Lugo præcipuo hujus sententiæ Patrono, qui *tom. 1. de just. dis. 4. sect. 2. n. 16.* ait: *hæc obligatio, erogandi bona superflua in pauperes, oritur non ex solo jure humano, sed naturali: quæ non tam est eleemosynæ faciendæ; quàm probibitio dissipationis, orta, non tam ex conditione personæ, quàm ex conditione & qualitate ipsorum bonorum. Quia nimirum res Dei sunt, ùt ait Tridentinum. Et quamvis Ecclesiæ sint donatā à fidelibus sine ullo pacto & conditione, ideóque validè de illis possit disponere, ad quemcunque usum: ipsa tamen bonorum conditio, & qualitas facit, ut indecens & turpe sit, ea expendere aliter, quàm in res pias, & Deo gratas, ad cujus obsequium & honorem sunt donata.*

Verùm non satis apparet ista *bonorum conditio & qualitas*, cùm decimæ, aut fructus agrorum, utì etiam alii proventus Beneficiorum secundum se & naturam suam, sint res merè temporales sicut bona laicorum; ergo conditio illorum bonorum non potest esse ratio, cur virtus religionis prohibeat, illa expendi in usus profanos.

Quòd autem ex ipsa fundatione in proventus Beneficiales resultet ista qualitas, probari non potest; cùm, ùt memoratum antea, fundatores noluerint *Beneficiarios* suos hac obligatione onerare. Illi enim finem suum obtinent, si Clerici diligenter suis fungantur officiis.

Res autem *Dei* dicuntur, tum quòd omnium rerum Deus sit Dominus, tum præcipuè, quòd ad fundandum Beneficium Ecclesiasticum ad colendum Deum, Ecclesiæ sint donatæ, quòd oriantur ex bonis Ec-

clesiæ, & ex præcepto Ecclesiæ expendi debeant ad causas pias, quæ speciali modo ad Deum ejúsque cultum referuntur. Sæpiùs etiam vocantur *res Dei*, *patrimonium Christi*, bona Ecclesiæ, quæ in communi possidebantur. Postquam autem facta est divisio, & Clericis sua determinata assignata portio, & præsertim ubi Beneficia fuerunt erecta, proventus annui facti sunt res propriæ Clericorum.

Cæterùm argumentum Lugonis probaret nimium, si enim ex eo, quòd pii homines illa bona dederint Clericis ad cultum Dei, sequeretur, expendi ea debere ad pias causas titulo religionis, eodem titulo etiam reditus stolæ, & distributiones quotidianæ, propter præsentiam fieri solitæ, imò etiam reditus, qui musicis, æditRuis, aliisque laicis ministris obveniunt, titulo religionis ad causas pias expendi deberent, si quos acquirant, ad congruam sustentationem non necessarios. Nam etiam ista bona à fundatoribus Ecclesiæ data sunt ad cultum Dei: adeóque etiam ista qualitatem illam religiosam induerent.

Quamvis autem obligationem illam ex solo titulo religionis oriri non putem, aliquid tamen, ùt postea dicetur, huic sententiæ concedendum existimo, accedente videlicet præcepto Ecclesiastico.

Nam communior nostra ætate est sententia, obligari Clericos, ea, quæ ex proventibus Beneficialibus congruæ sustentationi superfluunt, in pias causas expendere, non quidem ex justitia, charitate, religione, aut alia lege naturali, sed ex præcepto Ecclesiæ, quæ vetat, illa insumi in usus profanos.

Sic Tridentinum interdicit, ne iis bonis consanguinei, aut familiares augeantur: neque allegat jus aliquod naturale, sed se refert ad decretum Concilii Carthaginensis, & Canones Apostolicos: adeóque ad præceptum Ecclesiæ. Audiri meretur ipsum Tridentinum, dum S. 25. cap. 1. ita loquitur: *omnino verò eis interdicit* (Concilium) *ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiarésve suos augere studeant; cùm & Apostolorum Canones probibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis d.nent: sed si pauperes sint, iis ùt pauperibus distribuant.*

Huc faciunt etiam omnes illi Canones, qui adstruunt obligationem, bona superflua erogandi in causas pias, e. g. Canon. 8. *causa* 12. *q. 1.* in quo S. Gregorius M. sic præcipit: *Omne, quod superest, in causis piis & religiosis erogandum est.* Cùm autem hic aliíque ejusmodi Canones non sint intelligendi de obligatione aliqua naturali justitiæ, charitatis aut religionis, ùt probatum esse putamus, dicen-

cendum eſt, eam obligationem ex præcepto poſitivo, & quidem humano Eccleſiaſtico deſcendere.

Addit equidem S. Gregorius l. c. hanc clauſulam: *dicente Domino: quod ſupereſt, date eleemoſynam.* Verùm hîc non adſtruitur aliquod ſtrictum præceptum Divinum, *omnia*, quæ ſuperſunt, erogandi in pauperes: ſed tantùm commune omnibus præceptum dandæ eleemoſynæ innuitur. Quod non requirit, ut omnia dentur, niſi extrema neceſſitas proximi id exigat: nec minùs Sæculares quàm Eccleſiaſticos concernit, dici etiam poteſt, ex mente S. Gregorii *Conſilium* eſſe Divinum, ut omne, quod congruæ ſupereſt, erogetur in eleemoſynam, non verò ſtrictum præceptum Divinum.

Certè, ſi Clerici Jure Divino vel naturali tenerentur fructus omnes ſui beneficii, ad congruam non neceſſarios, expendere in pauperes vel in alias pias cauſas, non poſſet ſummus Pontifex in eo diſpenſare, ut liceat Clerico ſuperflua in cauſas profanas expendere (cùm inferior diſpenſare non poſſit in lege ſuperioris) atqui plures in hoc diſpenſârunt Pontifices, ut poſſent Clerici diſponere de Beneficialibus perinde ac de Patrimonialibus, aut Quaſi-patrimonialibus.

Nam ita diſpenſatum eſt cum Clericis, in urbe, & ejus diſtrictu ad decem milliaria degentibus; ùt habetur in conſtitutionibus plurium Pontificum: nominatim in conſtitutione *etſi diverſis* Sixti IV. edita 1. Jan. 1474. in Bulla *cupientes* Julii III. edita 13. Maji 1550. Bulla *in eminenti* Pauli V. 18. April. 1606.

Quamvis autem Clerici ex præcepto Eccleſiaſtico obligentur, proventus Beneficiales in pias cauſas expendere, non tamen ea virtus, quam per hoc exercent, ad ſolam *obedientiam* ſpectat, ſed etiam, & quidem præcipuè ad *religionem.* Siquidem præceptum Eccleſiæ pro *objecto ſuo formali*, ſeu pro motivo ſuo habet cultum Dei, ſeu honeſtatem illam, quæ relucet in eo, quòd Clerici fructus Beneficiales ſuperfluos erogent in cauſas pias: item in honeſtatem illam & indecentiam, quæ datur in eo, quòd reditus Eccleſiaſtici, à piis fundatoribus ad cultum Dei deſtinati, expendantur ad cauſas profanas. Cùm igitur, ſicut peccata, ſic etiam virtutes, earúmque præcepta *ſpecificentur ab objecto ſuo formali* (ùt loquuntur Theologi) virtus, quæ Clericis exercenda præcipitur, præcipuè ad religionem ſpectat.

Hanc tamen virtutem religionis per hos determinatè actus exercere non tenerentur, ſaltem ſub gravi peccato, niſi præceptum

Ecclesiæ superveniret, quod illos imperaret. Non enim quælibet æquitas aut decentia statim inducit obligationem naturalem, saltem strictam; alias omnia, quæ præcipiuntur legibus positivis, jam ante has leges, per se & directè, jam præcepta fuissent lege naturali; cùm omnis Lex positiva, hoc ipso, quòd rationabilis esse debeat, præsupponat in re præcepta aliquam honestatem, decentiam, & æquitatem.

Exemplum clarum habemus in præcepto die Dominica audiendi Missam, & abstinendi à labore servili. Præceptum hoc est merè Ecclesiasticum, & tamen præsupponit honestatem ac decentiam in materia præcepta: neque tantùm intendit virtutem obedientiæ, à fidelibus exercendæ, sed præcipuè virtutem religionis. Habet enim pro fine suo & simul pro motivo honestatem illam ac decentiam, quæ relucet in eo, quòd fideles diem Dominicam feriando à labore servili & audiendo Missam cultui divino dedicent, atque hoc pacto actus isti cultus Divini ad virtutem religionis exercendam ab Ecclesia referuntur.

Idem exemplum habemus in præcepto Ecclesiastico jejunii; nam quia hoc præceptum pro objecto suo formali non tantùm habet honestatem obedientiæ, sed præcipuè honestatem temperantiæ, hoc modo exercendæ, ideò jejunii virtus ad temperantiam principaliter refertur.

Pari ergo ratione dicere possumus, virtutem religionis solam, absque præcepto Ecclesiastico, non inducere quidem obligationem gravem, ut Clerici superflua ex fructibus Beneficialibus impendant ad causas pias. Quia tamen Ecclesia pro ratione & motivo sui præcepti habet honestatem cultus divini, per hanc piam elargitionem promovendi, dici potest, actus istos piæ erogationis non tam ad virtutem obedientiæ (quam solam Ecclesia per leges suas universales non solet intendere) quàm ad virtutem Religionis pertinere.

Quamvis deinde Ecclesiæ præcepto quoad substantiam satisfaciat, qui facit id, quod Ecclesia præcipit, hoc est, si actus illos erogationis in pias causas etiam *materialiter* tantùm exerceat, licèt non intendat reflexè illam honestatem religionis, quam Ecclesia intendit. Sicut præcepto jejunii satisfacit quoad substantiam, qui re ipsa jejunat, licèt id non faciat ex motivo temperantiæ, quam intendit Ecclesia: Et sicut satisfacit obligationi justitiæ, qui solvit debitum, licèt non operetur reflexè ex motivo honestatis, quæ est in tribuendo cuique suum; dicitur enim nihilominus exercere actum justitiæ, modò ponat actus imperatos à virtute justitiæ. Sic etiam

dici

dici poteſt, quòd Clericus, largiendo ſuperflua in cauſas pias, exerceat actum religionis, licèt non intendat reflexè illius honeſtatem, modò ponat actus, ab Eccleſia ex motivo religionis præceptos. Dixi autem, quod ſic *materialiter* jejunans, ſolvens debitum, expendens ſuperflua in pias cauſas, ſatisfaciat ſuæ obligationi *quoad ſubſtantiam:* nam re ipſa nihil meretur, niſi operetur ex motivo alicujus virtutis, aut cum bona intentione, quæ eſt anima operis meritorii.

§. IV.

Quænam ſint cauſæ piæ, ad quas Clericus ſuperflua tenetur expendere?

NOmine *cauſæ piæ* hìc venit, quidquid ſervit ad cultum Dei, vel in ſolatium pauperum; adeóque cauſæ piæ ſunt Eccleſiæ, Monaſteria, Seminaria pauperum Studioſorum, hoſpitalia, piæ Confraternitates, omnéſque piæ fundationes, ad honorem Dei ac Sanctorum, ad ſalutem animarum atque ad pauperum ſuſtentationem, veſtitum, habitationem, conducentes: adeóque opera omnia miſericordiæ, ſpiritualia, & corporalia: eleemoſynæ proin omnibus pauperibus datæ.

Nomine *pauperum* autem intelliguntur non tantùm illi, qui non habent alimenta, aliáque ad vitam neceſſaria, ſed etiam illi, qui ſecundùm ſtatum ſuum non poſſunt decenter vivere.

Adeóque poteſt Beneficiatus ex reditibus ſuis ſuperfluis ſuccurrere etiam conſanguineis, aut familiaribus ſuis, ut ſecundùm ſtatum ſuum poſſint convenienter vivere: non verò, ut ad altioris ſtatus dignitatem attollantur. Quamvis aliqui putent, quòd, ſi Clericus promoveatur ad Beneficium dignius, hoc ipſo ſtatus conſanguineorum aliquantùm elevetur: poſſéque illis dein ſuppeditari, ut ſecundùm illius conditionem poſſint decenter vivere.

Cauſa etiam pia cenſetur *Dotatio* egentium puellarum, præſertim conſanguinearum, ut poſſint matrimonium, ſtatui ſuo conveniens, contrahere. *Solutio item debitorum*, quæ aut ipſe Clericus contraxit, aut ejus conſanguinei; ſi aliunde ſolvi non poſſint.

Licitum etiam eſt Clerico ex reditibus ſuis conſanguineis ſuppeditare ſumptus, ut litterarum ſtudiis poſſint vacare, aut artem addiſcere, ſi parentes aut non poſſint, aut nolint ſuppeditare media.

Equidem Innocentius XII. in Bulla *Romanum*, anno 1692. edi-

ta, nec sibi licere voluit, Ecclesiæ bona in consanguineos non indigos profundere, decernens, ut & cæteri Prælati discant suo *exemplo & præceptis* de bonis Ecclesiasticis juxta *æquitatis* & *justitiæ* leges disponere. Quæ autem ab antecessoribus secùs facta sunt, rescindi, revocari, & cameræ Apostolicæ applicari jubet.

Verùm hîc Pontifex imprimis non vetat, subvenire consanguineis pauperibus, & indigentibus, quales etiam sunt illi, qui juxta statûs sui conditionem non possunt vivere: item, qui non habent media necessaria ad studendum litteris, aut ad discendam artem.

Deinde bulla illa instaurat præceptum Ecclesiasticum, reditus beneficiales superfluos applicandi ad causas pias (*suo exemplo & præceptis*)

Neque obstat, quòd dicat, de bonis Ecclesiasticis juxta *æquitatis* & *justitiæ* leges esse disponendum. Nam hoc intelligendum est de *justitia distributiva*, quæ in bonorum Ecclesiasticorum, & beneficiorum distributione non attendit carnem & sanguinem, sed merita.

Denique intelligi etiam potest de *justitia commutativa:* quatenus Prælati, ac ipse etiam summus Pontifex, tanquam administratores, stricto jure tenentur, bona, ad Ecclesiam ipsam, aut ad Ecclesiæ Ministros, spectantia, eisdem impendere.

ARTICULUS V.

De Conciliis Angliæ.

§. I.

Prænotanda de statu Angliæ.

26 Egbertus ab exilio ex Gallia redux anno 801. Westsaxonum regnum adiit, debellatisque Merciorum & Canticorum Regibus, heptarchiam evertit, totamque Britanniam in unam monarchiam collegit.

Successorem habuit anno 838. Ethelvvolphum filium; qui repressis Danorum incursionibus, totum virtutis ac religionis studiis se dedidit, singulari erga Ecclesiasticum ordinem reverentia, & munificentia, usque eò, ut Romam ad Leonem IV. summum Pontificem profectus, Inæ, aliorúmque Regum exemplo, regni sui partem Ecclesiæ Romanæ vectigalem fecerit. Missæ sacrificium pro se suisque Ducibus, vivis ac defunctis, à Sacerdotibus stata die quot hebdomatis offerri voluit: teste Wilhelmo Malmesburiensi *lib. 2. de gestis Regum Anglorum cap. 2.* pientissimam vitam finiit anno 857.

Post

Post Ethelwolfum regnârunt quatuor ipsius filii, *Ethelbaldus*, *Ethelbertus*, *Ethelredus*, & *Afredus*: priores tres singuli quinque duntaxat annis variam belli sortem cum Danis Angliam incursantibus experti. *Alfredus* verò, utì ætate minimus, ita regni diuturnitate, virtute, religione, rerúmque gestarum gloria multò maximus utramque expertus fortunam, utramque vicit. Cùm gesto novennali cum Danis & Frisonibus bello, totum ferme regnum amitteret, à sui possessione nunquam dejectus, dispersas regni collegit reliquias, & propitiato religionibus Numine, Danos ingenti strage profligat, atque provincias regni universas recuperat.

At majorem à se ipso victoriam retulit, dum Gothurno Danorum Regi, jam prostrato, & in potestatem redacto, non tantùm veniam, quod Christianum est, sed etiam Orientalis Angliæ & Northumbriæ provincias, quod regiæ est munificentiæ, clientelari jure possidendas dedit. Gothurnus non magìs armis, quàm victoris tanta victus clementia, cum triginta Danis Proceribus, ac magna populi multitudine, Christianæ legis jugo collum submisit, levatus sacro è fonte ab ipso Alfredo rege, Christi potiùs regno, quàm suo amplificando jugiter intento: exemplo eo clariore, quò rariore.

Leges tulit sanctissimas Princeps sanctissimus, quas Conciliorum acta nobis exhibent. Quadragesimale jejunium sanctè observari voluit, uti etiam quatuor anni temporum, ac certos per annum festos dies. Prostituti pudoris mulierculas regno facessere jussit. Patris exemplo Sacerdotio eximium honorem & habuit ipse, & haberi voluit. Missam quotidie audiebat. Clàm nocturno etiam tempore ad fundendas preces Ecclesias adire solitus. Ad thuribulum manum nunquam extendit. *Quod nunc rarò invenitur in terris* (verba sunt Malmesburiensis) *illam maximam Regis credidit dignitatem: nullam in Ecclesiis Christi habere potestatem. Illa, inquiebat, regnantis dignitas, si se in regno Christi, quod est Ecclesia, non Regem, sed civem cognoscat; si non in Sacerdotes legibus dominetur, sed Christi legibus, quas promulgaverunt Sacerdotes, humiliter subjiciatur.* Hic olim Regis Angliæ sensus: hæc religio; hæc disciplina.



§. II.
Status Ecclesiasticus ordinatus per Concilia in Anglia.

27. IN *Concilio Glovesboënsi* anno 803. promulgatum est Decretum Leonis III. Summi Pontificis, quo statuerat (imploratus ab Atthelardo Cantuariensi Archiepiscopo) ut Ecclesia Cantuariensis eam dignitatis prærogativam atque amplitudinem obtineat semper, quam S. Gregorii M. institutione, & successorum ejus Romanorum Pontificum privilegiis consecuta fuerat, utque pristina jura, ab Offa, Merciorum Rege imminuta, eidem restituerentur. Lata proin est in hoc Concilio à 12. Angliæ Episcopis excommunicationis sententia in eos, qui Metropolitanam hanc Ecclesiam dividere præsumerent.

Prohibitum insuper fuit sub eadem excommunicationis pœna, ne Monasteriis præficiantur sæculares. Additurque sicut in privilegiis, ab Apostolica Sede datis habetur: *seu etiam ab Apostolicis viris in initio nascentis Ecclesiæ est traditum per sanctos Canones*, Monastica jura studeant observare. (*Ecce! jam in initio nascentis Ecclesiæ traditos à viris Apostolicis canones de vita Monastica, ut testatur hoc Concilium Anglicanum.*)

In *Concilio Celichytensi*, Præside Ulfredo Archi-Episcopo Cantuariensi, ac præsente Kenulpho Merciorum Rege, anno 816. undecim editi sunt canones.

Primus statuit, fidem *Catholicam*, atque præcepta canonica, à sanctis Patribus instituta, cum omni diligentia incorrupta & illibata custodire, aliósque hoc idem docere & firmare (*utinam in Majorum vestigia irent posteri.*)

Secundus præcipit, ut Ecclesia ædificata *consecretur* ab Episcopo, *aqua benedicta* aspergatur, *sacris reliquiis*, in capsa reconditis instruatur: & præsentim *Corpus & Sanguis* Domini nostri Jesu Christi ibi asservetur. *Hæc ante nongentos annos Angliæ fides: hæc disciplina*

Tertius ad pacem hortatur & concordiam.

Quartus Monasticæ vitæ addictis consulit, & continentiam commendat.

Quintus interdicit, ne Scoti permittantur sacris ministrare, *Missas* celebrare, aut Eucharistiam populo præbere: quia incertum est, unde, & an ab aliquo ordinentur.

Sextus mandat, ut ea, quæ decretis Synodalibus statuta sunt, firma & irrefragabilia permaneant. *Sep-*

Septimus Abbatibus, & Abbatiſſis vetat, *ne agros Eccleſiæ minuant, vel alicui in hæreditatem deputent, niſi in dies vitæ & ſpatium unius hominis, & hoc cum facultate & licentia familiæ, & iterum reddatur Eccleſiæ.*

Octavus jubet, Monaſteria eorúmque res perpetuò permanere: ſicut in Concilio Chalcedonenſi, & aliis canonibus, atque ab Apoſtolicis viris initio primitivæ Eccleſiæ ſtatutum eſt. (*Ecce! etiam hoc Concilium Anglicanum ad initium Eccleſiæ refert vitam Monaſticam.*)

Nonus vult, Synodorum judicia in Eccleſiis deſcripta aſſervari.

Decimus decernit, ut pro *anima defuncti* Epiſcopi orationes & eleemoſynæ fiant, & unusquisque Epiſcopus & Abbas 120. *Miſſas* pro ea celebrari faciat; " ut communi interceſſionis gratia, com- " mune cum ſanctis omnibus Regnum percipere mereatur æternum.,,

Undecimus vetat, ne quis alterius Parochiam invadat.

Duo deinde *Concilia Clovesboæ* ſunt habita. In quibus actum de reſtitutione Bonorum, quæ Eccleſiæ ablata fuerant.

In *Concilio Londinenſi* anno 833. in præſentia Egberti Weſt-Saxonum, & Withlaſii Merciorum Regis, actum de cohibendis Danorum irruptionibus. Nováque Monaſterio Croylandiæ conceduntur privilegia à Withlaſio Rege, qui inter alia jus aſyli conceſſit omnibus, qui gratiam ſanctiſſimi Confeſſoris *Gutblaci*, ididem corporaliter quieſcentis, *invocarent.*

Meminiſſe hìc liceat aliquarum legum, quas, ùt habetur *tom* 1. *Concil Britan.* circa medium Sæculi IX. tulit *Kenetus* Rex Scotiæ.

Prima inter eas, quæ ad cultum Dei ſpectant, ſic habet: aras, templa, Divorum ſtatuas, ſacella, Sacerdotes, omnésque ſacræ familiæ viros ex animo venerator.

Secunda: Feſtos & ſolennes dies, jejunia, vigilias, & omnifarias ceremonias, quas Chriſto Regi, & ſacratiſſimæ ejus militiæ decrevit humana pietas, multo honore obſervato.

Tertia: Lædere Chriſti Sacerdotem dicto, factóve, exitiale ſit.

Anno 855. *Ethelvulfus* Rex Weſt-Saxoniæ in *Concilio Wintonienſi*, Nationali Angliæ, inſignes donationes, Eccleſiæ factas, confirmavit: poſtquam à ſacra peregrinatione, quam cum *Alfredo* filio Romam ad limina Apoſtolorum inſtituerat, fuit reverſus. (" Hic Alfredus Angliæ Rex poſtea circa annum 885. ſapientiſſi- " mas leges tulit, pietate ac religione plenas.,,)

Sub finem ſæculi IX. Eduardus Senior Rex Angliæ in synood renovavit ſeptem Epiſcopatus, qui pluribus annis Paſtoribus viduati

 fuerant.

fuerant. Electique sunt septem Episcopi in eodem Concilio ad mandatum Formosi Papæ.

§. III.

Observatio de Antiquitate status Religiosi.

28 QUoniam Concilia Angliæ, Gloveshoënse & Celichytense vitam Monasticam ad ipsam Ecclesiæ originem referunt, juvat hìc de antiquitate illius pauca subjungere.

Et quidem multi præclaríque Scriptores illius epocham jam inde à primis conditi orbis Patriarchis repetunt, ac postea in lege Mosaica florentem adstruunt, atque eam in rem argumenta non levia nec obscura afferunt.

Sic enim de Patriarcha *Enos Gen.* 4. sacra asserit pagina: *iste cæpit invocare nomen Domini.* Quibus sanè verbis Religiosius quoddam Deóque consecratius vitæ genus indicatur. Nam etiam Adam, Abel, Seth &c. invocarunt Deum: & tamen Enos primus dicitur invocâsse nomen Domini.

Nazarei postmodum, ùt *Num. 6.* legimus, speciali ratione per vota Divino cultui se adstringebant. Quos imitati Prophetæ *Elias*, & *Elisæus*, illíque, quos Prophetarum filios Scriptura appellat, cœlibem, pauperémque, addictam Deo vitam agebant. Hos S. Hieronymus *epist. 4.* quæ est ad Rusticum, " Monachos veteris te-"stamenti vocat: qui derelictis turbis urbium ad Jordanem ædifica-" bant sibi casulas, ac polenta & herbis agrestibus victitabant „

Idem S. Hieronymus, in *Epist. 13.* ad Paulinum, ait, nepotes *Rechab*, quorum religiosa vita *Jerem. 35.* describitur, fuisse typum Monachorum novi testamenti.

Et quid aliud Magnus ille Joannes Baptista, nisi vitæ Monasticæ atque Eremiticæ cultor eximius? certè SS. Patres eum passim hac laude commendant. Audiamus Chrysostomum, qui *Homil. in Marcum* ait: *Sicut Sacerdotum Principes sunt Apostoli, sic Monachorum Princeps Joannes Baptista.*

Quin ipsos Apostolos meritò compellamus primos Christianos Monachos, quorum vita, cum voto paupertatis edito, ipsis omnia essent communia, vitam planè cœnobiticam referebat. Non tamen omnium Christianorum erat illa vivendi ratio, sed eorum duntaxat, qui sublimiorem perfectionis statum consectabantur; quem voto etiam emisso firmârant, teste S. Augustino *lib. 17. de civit. Dei cap.* 4.

Aposto-

Apostolorum exemplo propagatum illum perfectiùs vivendi modum testantur Patres Hieronym. *de viris illustr. in Phil.* Augustin. *serm. 2. de vita comm. Cleric.* Possidius *in vita Augustini.* Euseb. *l. 2. hist. c. 16.* Cassianus *collat. 18. c. 5.* ubi ait: *cœnobitarum disciplina à tempore prædicationis Apostolicæ sumpsit exordium.*

Idem Cassianus *lib. 2. cap. 5. de instit. cœnob.* ait, à S. Marco Ægyptios Monachos accepisse vivendi regulam. Idem testantur Beda *prolog. in Marcum*, Sozom. *l. 1. c. 12.* Niceph. *l. 2. c. 15.*

Imò etiam Philo Hebræus Apostolis coævus, *in lib. de vita contempl.* prolixè describit vitam & mores Monachorum, & sacrarum virginum, quos S. Marcus in Ægypto instituit. Ubi inter vitæ illius religiosæ disciplinam collocat, professionem continentiæ, paupertatis, psalmodiæ, jejuniorum &c. Neque verum est, Philonem loqui de Essenis tantùm, Judæorum secta. Nam de Christianis locutum esse testatur S. Epiphanius *hæres. 29.* & S. Hieronymus *de viris illustr. in Philone.*

Post Philonem Dionysius Areopagita, Apostolis pariter coævus, eorúmque discipulus, Epistolam scripsit ad Demophilum Monachum; *& lib. de Eccles. Hierarch. cap. 6.* prolixè describit Monasticam professionem. Negant quidem hæretici, cum Erasmo, & Valla, libros illos esse Dionysii Areopagitæ. At nomine Dionysii eos citant multi veteres scriptores, ùt Gregorius M. *homil. 34. in Evang.* Martinus I. Papa, & Martyr in Concilio Romano, S. Agatho *in Epist.* ad Imperatorem Constantinum IV. S. Nicolaus I. *in Epist.* ad Imperatorem Michaelem. Item Concilium Generale *IV. act. 4.* Concilium Generale VII. *act. 2.* Denique sancti Doctores plurimi, qui in opera S. Dionysii Areopagitæ scripserunt commentaria, ùt S. Maximus Monachus, S. Thomas, Sophronius Patriarcha Jerosolymitanus, Damascenus, Euthymius &c. quos citat Bellarminus de membris Ecclesiæ militantis *lib. 2. cap. 5.*

Quòd autem ante S. Gregorium M. nemo horum operum nominatim meminerit, causa videtur esse, quòd alicubi latuerint; ùt sæpè multa alia auctorum opera latuerant iis temporibus, quibus typographia necdum inventa, & inter tot tantásque persecutiones manuscripta erant abscondita: & non raro ab Hæreticis suppressa.

Cæterùm S. Gregorius Dionysium citans, vocat antiquum & venerabilem Patrem; adeóque oportet esse auctorem antiquissimum; alias cognitus fuisset SS. Hieronymo, Ambrosio, Augustino &c.

Tertullianus etiam antiquissimus librum scripsit *de velandis virginibus*;

nibus; in quo benè distinguit inter virgines in sæculo castitatem voventes, & inter sanctimoniales, quæ relicto sæculo vitam religiosam erant professæ.

Similiter S. Cyprianus librum de habitu *Virginum scripsit*, ita, ut facilè sit colligere, eum specialem quandam atque religiosam vivendi formam commendare.

Damasus item scribit, Dionysium ex Monacho factum esse summum Pontificem, paulò ultra medium tertii sæculi.


Denique S. Athanasius in vita S. Antonii testatur, antea jam fuisse Monachos, qui in agris, & civitatibus monasteria constituerint, & S. Antonium, cùm Monachus fieri vellet, ad senem quendam accessisse, qui ineunte ætate Monasticam vitam exercuerit. Scripsisse autem S. Athanasium vitam illam S. Antonii, testantur plures SS. Patres, ùt Nazianzenus in Athanasio; Hieronymus de viris illustr. in Antonio, Ruffinus lib. 1. Hist. c. 8. Socrates l. 4. c. 18. &c.

Falsum proin est, quod dicunt Hæretici, ante sæculum IV. nullum de Monachis inveniri vestigium. Falsum pariter est, illud vitæ genus casu tantùm ortum nempe occasione persecutionum, quas fugissent; ùt ex hactenùs dictis patet, cùm Monachatus exstiterit ante omnes persecutiones; certè S. Antonium non metu persecutionis, sed vitæ perfectioris studio secessisse in solitudinem, ac discipulos congregâsse constat.

Falsum denique est, quod dicunt, hodiernos Monachos nihil cum antiquis illis habere commune. Nam substantia Religiosi status stat in paupertate, castitate, & obedientia, quam sicut olim profitebantur, sic etiam hodie Religiosi: ùt aliàs uberius dicendum occurret.

Quia in hac nova editione ordo capitum aliquantùm fuit immutatus in tertia parte, in quartam partem citationes aliquot capitum erroneæ irrepserunt, quas discretus lector sic velit corrigere, ut locò capitis quarti legat secundum e g.

pag. 90. lin. 12. *cap. 4* lege cap. 2. &c.



APPARATUS ERUDITIONIS AD JURISPRUDENTIAM PRÆSERTIM ECCLESIASTICAM,

in quo reviſo, auctoque
Præter Juris Univerſalis Principia,
JUS NATURÆ, GENTIUM, DIVINUM,
APOSTOLICUM, & PONTIFICIUM, JUS SYNODALE
OECUMENICUM NATIONALE AC PROVINCIALE,
Unacum
Provinciarum ac Regnorum Eccleſiaſtico & Politico
Statu, Diſciplina Eccleſiæ, Hæreſibus exortis &c. continua Sæculorum
ſerie ad præſens usque tempus deductum, inſertíſque in hac præſertim
nova editione pro re nata multis obſervationibus criticis, ac
controverſiis Juridicis, Publicis, ac Polemicis
METHODO HISTORICO-DOGMATICA
colliguntur, & brevi ac clara idea delineantur,
In Utilitatem eruditionis amantium, quibus vaſta Conciliorum, Decretorum,
Hiſtoriarum &c. volumina perlegendi aut occaſio aut tempus deficit,

AUTHORE
P. JOSEPHO BINER, S. J.
SS. Theol. & SS. Canonum Doctore, horúmque in alma Cæſareo-Leopoldina
Univerſitate Oenipontana Profeſſore Ordinario ac Publico.

PARS V.

De Jure Synodali Provinciali, ac Provinciarum Statu.

CUM FACULTATE SUPERIORUM AC PRIVILEGIO CÆSAREO.

Auguſtæ Vindelicorum & Friburgi Brisgojæ,
Sumptibus Fratrum IGNATII & ANT. WAGNER Bibliop. MDCCLIV.



CAPUT I.
De Conciliis Sæculi X.



Sæculo iſto Romæ tumultuatum ſæpius propter comitum Tuſculanorum aliorúmque Procerum tyrannidem, qua Eccleſiam Romanam presſerunt, & complures, indignos etiam tanto faſtigio, in Sedem ſanctiſſimam intruſerunt. Perturbatus etiam mutatúsque Status Politicus. Italia inter plures coronæ procos diſcerpta; donec Otto M. eam ſibi ac Germaniæ vindicavit. In Germania extincta ſtirpe Carolingica novus Regum ac Imperatorum ordo, varios tamen inter civiles hoſtilésque motus. Gallia ſub ultimis Carolinis Regibus turbida, ſciſsáque in partes, ad tertiam ſtirpem delata. Anglia ſub pientiſſimis Regibus felix, ſatíſque pacata, Catholicæ Religionis ornamentis florens. Hiſpania adhucdum cum Saracenis colluctans, ac reparandis ruinis ſuis occupata.

Fuit tamen hoc ſæculum ab hæreſiarchis liberum. Quin magnis Eccleſia incrementis eſt aucta, in Poloniam, Daniam, Ruſſiam feliciter propagata, ſequentibus Principum exemplum ſubditis. Normanni pariter, Galliæ per multos jam annos graves, conceſsâ ſibi Neuſtriâ, & filiâ Regis eorum Duci in conjugem datâ, cicurati & ad Chriſtianam Religionem perducti. Morum denique diſciplina, multis in locis laxata, per multorum Conciliorum Canones adſtricta: prout modò imus expoſitum.

SUMMARIUM.

Articulus I.

De Conciliis Germaniæ Sæculo X.

§. I.

Prænotanda de Statu Germaniæ.

1. *Extincta Carolina stirpe Imperium fit electivum, ac Conrado I. defertur.*
2. *Ejus hostes: & virtutes.*
3. *Sub eo Suevia erecta in Ducatum.*
4. *Imperium Henrici aucupis. Hunni ab eo attriti. Marchiones limitibus præfecti. Torneamentorum ludi equestres instituti.*
5. *Imperium Ottonis M. bellum cum fratribus, & filio., Hunni contriti. Regnum Italiæ extinctum. Confirmatæ donationes Ecclesiæ. Erecti Episcopatus.*
6. *Imperium Ottonis II.*
7. *Imperium Ottonis III.*

§. II.

Status Ecclesiasticus Ordinatus per Concilia.

8. *Concilium Altheimense.*
   - *Confluentinum.*
   - *Erfordiense.*

   Concilium Ingelheimense.
   - *Trevirense.*
9. *Canones Concilii Augustani, ab Hottingero corrupti.*

Articulus II.

De Conciliis Italiæ.

10. *In duobus conciliabulis Romanis depositi Joannes X. & Benedictus V. Pontifices, intruso ab Ottone M. Leone VIII. Antipapa.*
11. *Concilium Ravennatense I. & II.*
    - *Romana quinque.*

Dissertatio.

12. *In Concilium Romanum, de* Translatione Episcopi.

Arti-

Articulus III.

De Conciliis Galliæ.

§. I.

Prænotanda de Statu Galliæ.

13. *Rejecto Carolo ſimplice Galli contra legem Salicam Regem eligunt Carolum Craſſum, & Odonem.*
14. *Tandem aſſumptus Carolus ſimplex, Rolloni filiam & in dotem Normanniam cedit; qua occaſſione converſi Normanni. Bellum propter Lotharingiam.*
15. *Abdicato Carolo ſimplice Galli eligunt primò Robertum, dein Rudolphum, ac denique Ludovicum Transmarinum, qui Normanniam perfidè conatur reducere.*
16. *Poſt Lotharium & Ludovicum V. ultimos Reges Carolingicos, Regnum defertur Hugoni Capeto, præterito Carolo Lotharingo, Ludovici Transmarini filio.*

§. II.

Status Eccleſiaſticus Ordinatus per Concilia.

17. *Concilium Troslejanum I. II. III. & IV. Narbonenſe I. & II. Viennenſe. Turonenſe. Sueſſionenſe. Remenſe. Pictavienſe.*

Articulus IV.

De Conciliis Angliæ.

§. I.

Prænotanda de Statu Angliæ.

18. *Regnum Eduardi Senioris pientiſſimum.*
19. *Utì etiam trium ipſius filiorum, Adelſtani, Edmundi, & Ethelredi: S. Dunſtano Magiſtro.*
20. *Edvinus à Patre Edmundo degener.*
21. *Edgarus Fratris Edvini vitia emendat. Et Regnum relinquit Eduardo filio Principi ſancto ac Martyri. Non æquis paſſibus ſequente Ethelredo fratre.*

§. II.

Status Eccleſiaſticus Ordinatus per Concilia.

22. *Concilium Londinenſe I. & II.*
23. *Anglicum Nationale, & Wintonienſe. In quibus lis inter Clericos & Monachos fuit agitata.*
24. *Canones Concilii Grateleani.*
25. *Conſtitutiones Odonis Archiepiſcopi Cantuarienſis.*

Articulus V.

DISSERTATIO.

De Cœlibatu Sacerdotum.

QUÆSTIO I.

26. An Cœlibatus Jure Divino ſit annexus Sacris Ordinibus?

27. *Solo Jure Eccleſiaſtico Clericis Sacris Cœlibatus eſt præceptus.*

QUÆSTIO II.

28. De Antiquitate Cœlibatûs.

29. *An Apoſtoli habuerint uxores.*
30. *Probatur Antiquitas ex Conciliis, & Patribus.*
31. *Imò etiam ex Jure Juſtinianeo.*

QUÆSTIO III.

32. An ante Siricium Papam *præcepta* fuerit Sacerdotibus continentia?

33. Præceptam fuiſſe, *probatur ex S. Paulo.*
34. *Ex Patribus, Origine, Epiphanio, Cyrillo Jeroſol. Cypriano, Gregor. Nyſſ. Ambr. Chryſoſt. Hieron.*
35. *Ex Concilio Nicæno I. Can.* 3.
36. *Exceptio Alexandri Natalis*
37. *Refellitur.*
38. *Aliæ Natalis objectiones ſolvuntur.*
39. *Narratio de Paphnutio fabuloſa.*

QUÆSTIO IV.

40. Quænam fuerit in utraque Eccleſia quoad hoc diſciplina?

41. *Minoriſtæ licitè & validè contrahunt nuptias.*
42. *Amittunt tamen ipſo jure beneficia.*
43. *Certum eſt, Sacerdotibus in utraque Eccleſia ſemper fuiſſe prohibitum poſt ordinationem contrahere.*
44. *In Eccleſia Latina Matrimonium Majorum Clericorum certò invalidum. Imò etiam in Græca.*
45. *Ante Trullanum Concilium neque in Græca Eccleſia licuit uti matrimonio, poſt Sacros Ordines ſuſceptos.*

46. *Cleri-*

QUÆSTIO V.

An conveniens fuerit præceptum continentiæ ?

* *

ARTICULUS I.

De Conciliis Germaniæ Sæculo X.

§. I.

Prænotanda de Statu Germaniæ.

Hæreditarium erat Regnum Franciæ Orientalis (utì appellabatur) seu Germaniæ, quamdiu Caroli Magni propago Teutonica florebat. At verò illa per mortem Ludovici Infantis extincta, Germani Proceres, antiquæ suæ restituti libertati, nulla ratione habita *Caroli simplicis*, qui, ex Carolino sanguine prognatus, Franciæ Occidentali, seu Galliæ dominabatur, *electivum* fece- 1. *Conradus I.*

fecerunt: atque, Ottone Saxoniæ Duce recuſante coronam, concordi ſuffragio *Conrado*, Franconiæ Comiti, eandem detulerunt (*Anno* 912.)

Quamvis autem *Conradus I.* magni vir eſſet animi, paríque virtute capeſſeret Imperium, non ita tamen patienter complures Teutoniæ optimates novum illius ferebant dominatum, ut non varias adversùs illum ſeditiones, quin & bella concitarent.

2. *Ejus hostes* Præcipui hos inter erant, *Raginerius* Lotharingiæ Dux, qui Carolo ſimplici, Galliæ Regi, ſubjicere ſe conabatur: alter *Arnulphus* cognomento *Malus*, Dux Bojariæ, qui à Conrado victus ad Hungaros confugit, eósque ad vaſtandam Germaniam incitâſſe ſcribitur: quæ res ipſi multa ac magna damna accivit. Tertius, qui magnis viribus Conrado ſe opponebat, fuit *Henricus Auceps*, Saxoniæ Dux, qui indignatus, non eandem ſibi, quam Otto pater ſub Carolingicis Regibus obtinebat, relinqui potentiam, bello moto Conradum ad Merſeburgum prælio vicit. At Conradus bellicam virtutem vel in hoſte collaudans, eúmque, præ reliquis Imperio dignum æſtimans, proceribus moriens commendavit, ultionis libidine poſthabita Reipublicæ.

Varias igitur inter Germaniæ turbas, frequentésque Hunnorum incurſiones ſeptem annis geſto Imperio, mortuus, in Fuldenſi Monaſterio fuit ſepultus (*Anno* 919.)

& virtutes. Princeps erat Germani pectoris: erga Eccleſias & Monaſticum Ordinem non minùs beneficus, quàm reverens. Præcipuo verò ſtudio complectebatur Monaſterium S. Galli, jam tunc temporis, magnorum virorum fama, erectísque publicis etiam ſcholis, ad quas undique litterarum amantes affluebant, celeberrimum. Quin ipſe Conradus Imperator, Caroli M. exemplo, ſcholas illas ſubiiſſe perhibetur, & data ab adoleſcentibus doctrinæ ſpecimina collaudâſſe.

3. *Sueviæ Ducatus.* Sub eo Alemannia ſeu *Suevia in Ducatum* eſt erecta, qui Comiti Burchardo eſt collatus. (*Vide eruditiſſimum Opus Magnifici ac Clariſſimi Viri Pauli Joſephi Riegger*, *quod* ſyſtema Hiſtoriæ Romano Germanicæ *inſcripſit*, *ſpecim.* 2. *in Conrado I.*) Conrado I. liberis Principum ſuffragiis ſuffectus eſt, quem ille commendaverat, *Henricus Auceps*, Saxoniæ (Germaniæ nempe ſeptentrionalis) Dux. Qui Imperio ſumma cum poteſtate præfectus, parem tantæ moli animum addidit. *Hunnos*, ob negatum tributum, in Germaniam irrumpentes, ingenti prælio (cæſis eorum quinquaginta millibus) victos repreſ-

repreſſit, edito priùs voto, extirpandi Simoniacam, quæ tunc nimium quantùm invaluerat, hæreſin.

Utque aggerem perpetuum annuis fermè Hunnorum irruptionibus objiceret, apertam hoſtili injuriæ Germaniam urbibus ac propugnaculis communivit. Atque inſuper ſtrenuos viros limitibus, quos propterea *Marchiones* dixêre, præfecit. Sic Auſtriacum Marchionem Hungaris, Slesvicenſem Danis, Brandeburgenſem Vandalis, Miſnenſem Sclavis oppoſuit: poſtquam Vandalos ad Mare Balthicum inſigni clade multavit; Hunnos repreſſit; Wenceslaum Bohemiæ Principem Pragæ obſeſſum ad deditionem & tributi ſervitutem adegit; Canutum Daniæ Regem Chriſto ſubjecit; Lotharingiam, quæ ſub Conrado I. ad Carolum ſimplicem, Galliæ Regem defecerat, ad Imperium reduxit. Burchardum Sueviæ Ducem, & Arnulphum Malum Ratisbonæ obſeſſum, ſuo arbitrio ſe dedere coëgit.

4. *Henricus Auceps.*

Nec minùs Regnum ſuum ampliſſimum belli artibus ac legibus ſanctiſſimis excoluit. Utque inclita Germaniæ Natio & Familiarum nobilitate, & armorum uſu cunctis per orbem Provinciis præſtaret, ludos Equeſtres inſtituit (quos *torneamenta*, aut *baſtiludia* appellabant) ad perenne armorum exercitium, & certiſſimum vetuſtæ nobilitatis argumentum.

Frequentiùs deinceps Teutonica antiquitas illuſtrem hanc diſciplinam ad uſum revocavit, tantámque Nobilitatis prærogativam, ac sereniſſimarum Domorum frequentiam eſt nacta, ut pleraque tandem per Europam Regna ex Germania ſibi Reges accerſendos putarent, id, quod hodiedum ad immortale Teutonicæ Nationis decus datur cernere.

Cæterùm ſatis exploratum eſt apud eruditos, Henricum poteſtatem exercuiſſe Monarchicam, in totam Germaniam, nullíſque *capitulationibus* circumſcriptam; *Duces* verò (ſic dictos, quòd exercitum ducerent) & *Comites* (à comitando Rege nuncupatos) veluti Vicarios Regis adminiſtrâſſe commiſſas ſibi Provincias, introductis necdum, quæ hodie videmus, juribus *ſuperioritatis territorialis.* Certum nihilominus eſt, quòd jam ſub ultimis Regibus Carolingicis, præſertim Ludovico Infante; ac deinde etiam ſub Conrado & Henrico Germaniæ quidam Proceres varia ſibi jura arrogârint in Provincias, quibus erant præfecti. Hinc tot eorum adversùs Reges, qui Regalia ſua jura vindicabant, motus, ſeditiones & bella. Quibus etiam occaſionem dabant turbæ, quæ ex tot ir-

ruptio-

ruptionibus Hunnorum, aliarúmque exterarum gentium nascebantur.

Decessit Henricus I. anno 936. per 16. annos gesto præclarè Imperio. Nec minùs beneficum se erga Ecclesias exhibuit, quorum ultra viginti fundavit, cum *Quedlinburgensi* virginum cœnobio. Atque ut priscæ religionis fervorem agnoscas, *Lanceam Longini*, qua latus Christi aperuit, magno studio à Rudolpho Burgundiæ Rege sibi comparavit, & inter cætera Imperii insignia reposuit, asservatam hodie Norimbergæ.

Nota. Multi scriptores, præsertim Itali, Conradum I. & Henricum I. inter Imperatores non numerant; imò nec Ludovicum Infantem: eò quòd post Caroli Crassi Imperium Italia inter Widones, Berengarios, Lambertos, Rudolphos Burgundos, & Hugones Arelatenses, fuerat distracta, quolibet Imperii Coronam sibi vindicante, & à Pontificibus extorquente (*qui plura desiderat, legat laudatum systema Magnifici & Clarissimi D. Rieggeri in Henrico Aucupe.*)

5. *Otto I.* Henrico I. Electione Procerum successit *Otto I.* major magno parente filius; rerum gestarum amplitudine *Magni* cognomentum promeritus. Primum illi Martis campum aperuerant, qui minimè debuerant, fratres & filii. *Tancwardus* major natu frater, prærogativa ætatis tumidus, bellum fratri movit; at Merseburgi in prælio cæsus, morte culpam luit. *Henricus* frater ætate minor, sed à patre jam Imperatore genitus, eandem tentavit aleam, ascito in perduellionis socium Gisilberto Lotharingiæ Duce. Verùm feliciùs victus, veniam ab Ottone fratre, & Bojariæ Ducatum obtinuit: ejecto *Arnulpho*, Arnulphi Mali filio; eò quòd Parentis exemplo Imperatori bellum moveret.

Post fratres & Arnulphum victos, cum *Lutholpho* proprio filio, alteras patris nuptias acerbiùs ferente pugnandum fuit; qui excitis etiam Hunnis, Francorúmque Principum auxilio, surrexit in patrem. Sed fractus, vitæ obtinuit veniam, amisso tamen Sueviæ Ducatu: quem in Comitem Helffensteinium Otto transtulit.

Eosdem Hunnos in campo Lycio prope Augustam tanta clade contrivit, ut centum eorum millia scribantur in acie cæsa: præsente S. Udalrico, victrice crucis signo ostentato in æthere, ut victoriæ auctorem demonstraret.

Post pacatam Germaniam lauros metendos obtulit Italia, à Berengario Juniore ejúsque filio Adelberto Regni nomine vastata. Ter alpes transmissæ, conflictum sæpiùs; donec anno 968. Adalberto in acie occumbente, extinctum est regnum Italiæ, Ottone potissi-

potiſſimam ejus partem occupante: præſertim ubi Saracenos expulerat, & Calabros Apulósque, Græcis adhuc Imperatoribus parentes, vectigales fecit.

Coronatus tum quidem Otto Imperator à Joanne XII. donationes ampliſſimas, à Pipino & Carolo M. Eccleſiæ factas, nova diplomate confirmavit, novis etiam adjectis urbibus. Verùm tum iis cum Pontifice colliſus eſt turbis, quas aptiùs exponam, ubi de jure Pontificio erit tractatio. Nempe & ſol ſuas habet maculas: & ecclypſin quandoque patitur.

Reſtituta haud diu pòſt inter Principem Eccleſiæ filium & patrem gratia, defenſorem ſe inſignem religionis Otto exhibuit. Eccleſias plures Regali munificentia fundavit, ùt Archiepiſcopatum Magdeburgenſem; Epiſcopatus, Brandenburgenſem, Miſnenſem, Merſeburgenſem: infelici metamorphoſi heu quantùm hodie mutatos ab illis, quales per ſexcentos annos fuerant!

Obiit Magnus hic Imperator anno 973. regni 36. ætatis 57. vindicata Germaniæ firmatàque Imperiali dignitate, geſtiſque bellis domi foriſque clariſſimus. Nam præter bella domeſtica, cum fratribus, filio, ſororio, genero conſerta, proſperè pugnavit cum Hunnis, Italis, Saracenis, Græcis, Bohemis, Sclavis, Danis, finéſque Imperii in Italiam, Belgium, Lotharingiam, ac Burgundiam protendit: verè Imperator *ſemper Auguſtus*.

Non æquis paſſibus patrem ſecutus eſt *Otto II.* victor victúſque, 6
variantis fortunæ Martíſque exemplum. A Lothario Galliæ Rege *Otto II.*
primùm aquisgrano pulſus, deinceps eundem Pariſios usque armatus egit; ab eodem rurſus multa cæde ad Axonam fuſus.

Eadem propè ſorte cum Græcis, Calabriam atque Apuliam Saracenorum auxilio repetentibus, conflixit in Italia, victor primùm, tum victus, ne caperetur, natando evaſit. Iram vertit in Italos, à quibus fugæ initium, Benevento flammis dato, Romanis verò Proceribus ex convivio abductis ad mortis ſupplicium. Quam ob crudelitatem *ſanguinarii* ei macula adhæſit. Tædio ac merore contabuit anno 983. Imperii 10. ætatis 28.

Reliquit filium *Ottonem III.* duodecim annorum adoleſcentem: 7
qui ſub diſciplina Willigiſi Moguntini Archiepiſcopi, & Gerberti, *Otto III.*
poſtea ſub nomine Sylveſtri II. Summi Pontificis, bonarum artium ſcientiarúmque ornamentis adeo fuit excultus, ut *Mirabilia mundi* diceretur. At nihil ipſi infelicius fæminis. Maria Aragonia, conjux impudica, comitem Mutinenſem, adulterium oblatum recuſantem, adulterii accuſavit. Cúmque necatus propterea eſſet, uxor

ejus *purgatione vulgari* candentis ferri innocentem probavit. Unde Regia ſceleris convicta igne cremata eſt: Ottone præcipitatæ in comitem ſententiæ pœnam à S. Romualdo flagitante.

Antequam autem religioſa, quæ Romualdi ſuaſu conceperat, exequeretur conſilia, Creſcentii Conſulis Romani uxor, nimiùm priùs, quàm oportebat, amata, reſipiſcenti chyrothecas veneno infectas miſit, quarum uſu luem & mortem attraxit, anno Chriſti 1002. imperii 19. ætatis 29. ita videlicet Principem, ætate florentem, optimè inſtitutum, atque ad ſumma natum, fecerunt infelicem fæminæ, tantò magìs, quòd ne quidem ſuperſtes manſerit in prole, cui tam vaſtam hæreditatem relinqueret.

Nota. Ad Ottonis III. tempora antiqui ſcriptores referunt originem ſeptemviralis Collegii Electorum; recentiores autem multi multò poſteriorem fuiſſe contendunt. Hoc certum, quinque Imperatores ſæculi X. liberis ſuffragiis à Germanis eſſe electos, habita tamen etiam ratione ſanguinis, ùt patere videtur in Ottonibus: nam Otto II. decimo octavo, & Otto III jam duodecimo ætatis anno fuit electus; quod factum ſanè non fuiſſet, niſi ratio ſanguinis fuiſſet habita.

Cæterùm his temporibus turpis invaluit litterarum ignorantia; quâ factum, ut laxatâ Eccleſiæ diſciplinâ, plena vivendi licentia inveheretur. Unde Imperatorum ac Præſulum curâ plura in Germania celebrata ſunt concilia, ad eliminanda ſcelera, & Eccleſiaſticam diſciplinam reducendam. Ut nunc breviter referemus.

§. II.

Status Eccleſiaſticus per Concilia ordinatus in Germania ſæculi X.

8. *Altheimenſe.* Et quidem prima hoc ſæculo in Germania celebrata eſt ſynodus *Altheimenſis*, nempe Altheimii in Rhœtia, præſente Apocriſiario ſeu legato Joannis X. Pontificis, qui ferventem adhortationem ad Patres congregatos habuit de reformandis moribus. Dein confecta plura capitula.

In 1. adulterium cum viventis conjuge ſtatuitur impedimentum matrimonii. (*quando adulterium ſit impedimentum criminis, aliàs diximus*)

In 2. & 3. non communicandum cum excommunicatis.

In

In reliquis tractatur de bono exemplo & correctione Episcoporum, ac Clericorum. Cap. 10. statuitur, ut Richuvinus Episcopus, qui alienam Ecclesiam invaserat, nisi in synodo se purget, Romæ coram Domino Papa & sancta Ecclesia reddat rationem: interim autem à proprio gradu abstineat.

Hæc synodus celebrata fuit tempore Conradi I. Tempore verò Henrici Aucupis habitum est à Germaniæ Episcopis Concilium *Confluentinum*. Extensum in eo consanguinitatis impedimentum ad septimum usque gradum. Statutum insuper, ut laici presbyteris decimas persolvant etiam ex iis locis, in quibus laici capellas habent. Ut monachi quoad curam animarum exercendam Episcopo sint subditi. *Confluentinum.*

Sub eodem Rege Henrico anno 932. in synodo *Erfordiensi* statutum est, ut natalitia Apostolorum Petri & Pauli summa solennitate celebrentur, & in Vigiliis, antiquitus statutis, jejunia diligenter serventur. Certæ etiam determinatæ feriæ, in quibus à strepitu forensi ac judiciis abstineatur. In Ecclesia nemo judicialiter conveniatur. Apud Episcopum diffamatus Clericus, ter moneatur, ut vel fateatur crimen, & puniatur, vel cum assumptis collegis juramento se expurget. *Erfordiense.*

Cùm Hugo Magnus comes Parisiensis, Hugonis Capeti parens, rebus adversus Normannos fortiter gestis elatus, Ludovicum Transmarinum Galliæ regem per annum habuisset captivum, omniáque in regno pro potestate ageret, Ludovicus Othonis I. Imperatoris, cujus sororem habebat conjugem, armis est restitutus. Habitúmque anno 948. Concilium *Ingelheimense* ad Rhenum, in præsentia ejusdem Othonis Imperatoris, Ludovici Galliæ Regis, & Marini Pontificii Legati, ac 32. Episcoporum, quos inter erat S. Udalricus Episcopus Augustanus, & S. Conradus Constantiensis. In eo excommunicatio intentata Hugoni Comiti (quòd regnum Ludovici invasisset, & Rudolphum Lugdunensem Archiepiscopum ab Ecclesia sua expulisset) nisi veniret ad synodum, eíque satisfaciat propter hæc facinora. *Ingelheimense.*

Excommunicatus etiam est Hugo Episcopus, quòd pulso Artaldo Archiepiscopatum Rhemensem invaserit. Ordinatoribus verò ejusdem Hugonis intentata est excommunicatio, nisi veniant, & pœnitentiæ se subjiciant. Artaldus autem sedi suæ est restitutus. *Can.* 4 sancitum est, *ut Laici sine Episcopali licentia presbyteris Ecclesias dare, vel eos dimittere non præsumant. Can* 5. cavetur, ne Laici Clericos vexent. In 7. ut in Litania majore, sicut in Rogationibus

ante ascensum Domini, jejunium observetur. In 8. de oblationibus fidelium Laici nihil participent. In 9. declaratur, causas decimales non pertinere ad forum sæculare.

Trevirense. Cùm autem Hugo comes se non sisteret, in Concilio *Trevirensi*, paulò pòst celebrato in præsentia ejusdem Marini Pontificii Legati, excommunicatus est; unàque cum ipso aliquot Episcopi, quos Hugo in Rhemensem Episcopatum intrusus ordinaverat. Quam excommunicationem Agapitus Papa instituta Romæ synodo confirmavit.

Otho M. debellatis undique hostibus, atque Dania, Bohemia, Hungaria atque Italia subacta, quin & Gallia regi suo restituta, Ecclesiæ etiam Defensorem & Advocatum quàm pientissimè se probavit, fundatis pluribus Episcopatibus, habitísque ipsius consilio & adhortatione conciliis.

9. *Augustanum.* Hæc inter erat Concilium *Augustanum*, Præside Archiepiscopo Moguntino anno 952. à Germaniæ, Italiæ, & Galliæ Episcopis celebratum, pro reformamda morum disciplina. Editi in hunc finem undecim canones:

In 1. sic statuitur: *Si quis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconarum, Subdiaconorúmque, uxorem accepit, à sibi injuncto officio deponendus est, sicut in Concilio Carthaginensi tenetur cap.* 25.

Nota. Hunc canonem truncavit Hottingerus in hist. Helvet. *Hottingeri fraudes.* ad ann. 952. nam *Presbyteros* omittit. Si enim hanc vocem posuisset, lector manifestè vidisset, quòd concilium per *Presbiteros* intelligat sacerdotes. Hoc autem nolunt isti inimici veritatis. Addit, ex hoc canone colligendum esse, quod aliqui uxores duxerint, postquam statum Ecclesiasticum amplexi sunt. Non video autem, quomodo hoc ex illo canone possit colligi: cùm non tantùm prohibeantur, quæ actu fiunt, aut facta sunt, sed sæpe etiam, quæ fieri possunt. Deinde falsissimum est, quòd hoc antea fuerit licitum, & primùm ab hoc concilio prohibitum, ùt ex multis antiquissimis etiam conciliis ostendimus: & ipse memoratus canon se refert ad Concilium Carthaginense. Deinque licèt aliqui Presbyteri, aut etiam Episcopi duxissent uxores, an propterea licitè id factum concludemus? etiam fornicationes & adulteria fiunt; an licitè? an non eadem res sæpius prohiberi potest?

In 2. prohibentur viris Ecclesiasticis canes venatici & accipitres.

In 3. prohibentur iisdem aleæ. Hunc etiam canonem vitiat idem Tigurinus præco, dum simpliciter dicit, prohibitum iis esse ludere:

ludere: quaſi omnis luſus eis ſit prohibitus. De ſolis aleatoribus canon iſte loquitur.

Torquet etiam canonem quartum, in quo dicitur: *nullus in clericatûs officio manens mulierem ſubintroductam ſecum habitare permittat &c.* Ille autem mulierem ſubintroductam mutat in *peregrinas mulieres.*

In *can.* 5. præcipitur, ut religioſi in clauſtro maneant, *ſicut in Concilio Chalcedonenſi præcipitur.* Igitur non tantùm contra hunc canonem, ſed etiam contra generale Concilium Chalcedonenſe, quod eſt inter prima quatuor, atque à Proteſtantibus etiam paſſim receptum, egerunt Lutherus, Oecolampadius, Petrus Martyr, Bucerus, Viretus, Marlæratus, Pellicanus, Ochinus etc. Ultimus canon rurſus præcipit continentiam Clericorum. Quando autem addit, etiam Clericos, *cùm ad maturiorem ætatem pervenerint, licèt nolentes, ad continentiam eſſe cogendos.* Id intelligendum eſt de Clericis, qui unum ex majoribus ordinibus liberè receperunt. Cùm anno 972. S. Udalricus, Epiſcopus Auguſtanus, in Monaſterium vellet ſecedere, habito Othonis voluntate *Ingelhemii Concilio* Epiſcoporum, eſt prohibitus.

ARTICULUS II.

De Conciliis Italiæ Seculi X.

Joannes XII. Pontifex circa annum 962. à Berengario prætenſo Italiæ Rege iniquè vexatus, evocavit ex Germania Othonem I. Romam, ubi eum Imperatorem proclamavit ac coronavit. Otho verò edito diplomate confirmavit donationem à Pipino & Carolo M. Eccleſiæ Romanæ factam, novámque inſuper addidit: exacto tamen à Romanis juramento, quòd nihil velint adverſùs Imperatorem moliri.

At Joannes, indignè ferens, quòd Imperator duos Cardinales, Eccleſiæ inobedientes, in gratiam ſuam admiſiſſet, promiſſis non ſtetit; cùm enim Otho Berengarium obſideret, Adalbertum ejus filium in urbem Romam admiſit, ejúsque partibus adhæſit. Quo 10.
audito Romam cum exercitu advolans Otho, *conciliabulum* ibidem *Leo VIII.*
collegit 40. Epiſcoporum, in quo de gravibus criminibus accuſatus *Anti-papa.*
Joannes, cùm citatus comparere nollet (fugâ enim erat elapſus cum Adalberto) inaudito ad id tempus facinore à Pontificatu eſt depoſitus, atque in ejus locum intruſus Leo VIII.

Digresso Româ Imperatore, ac fugiente Leone, Romani Ioannem rursus in urbem admittunt; qui habita ibi *synodo* damnat prius illud conciliabulum, omnésque qui Leonem eligere & consecrare attentârant. Cùm autem paulò post moreretur, Romani *Benedictum V.* eligunt ordinántque Pontificem. At imperator expugnata Roma intrusit rursus Leonem, qui coacto *synedrio*, in Benedictum præsentem sæviit, eúmque Pontificalibus vestimentis exutum Hamburgum in exilium misit; ubi piè est mortuus. Cúmque etiam Leo anno 965. obiisset, legitimè electus est Joannes XIII.

Quo tamen ab inquietis Romanis expulso, & ab Othone I. restituto præsente Pontifice & Othone Imperatore celebrata est synodus *Revennatensis* anno 967. in qua depositus est Heroldus (alii Gerardum appellant) Archiepiscopus Salisburgensis, quòd contra Imperatorem Hungaris (infidelibus adhuc) se conjunxisset. Egit insuper in hoc concilio Imperator de fundatione Archiepiscopatus Magdeburgensis, ad corroborandam in fide Sclavorum gentem, recèns ad Christiana sacra conversam.

II. *Ravennense.*

Adelbertus Monachus primus fuit à Joanne XIII. Papa consecratus Magdeburgensis Archiepiscopus, simúlque Metropolitanus dictus. Ad idem tempus Episcopatus Pragensis sua refert initia.

Romana.

Idem Ioannes XIII celebravit Concilium *Romanum*, in quo Episcopatus Beneventanus elevatus est ad Archiepiscopatum, cum Jure *Pallii*; ea etiam de causa, quòd corpus S. Bartholomæi Apostoli ibi requiescat.

In altera *Romana* synodo, sub eodem Pontifice congregata, à Rege Angliæ Edgardo concessa privilegia Monasterio Glastoniensi, sunt confirmata.

Anno 993. celebratum est Concilium *Romanum*, in quo à Joanne XV. publicè in numerum Sanctorum relatus est *S. Udalricus*, Episcopus Augustanus, periecta vita & miraculis ejusdem. Nullum habemus antiquius monumentum ejusmodi solennis canonizationis, ab Episcopo loci, in quo sancti corpus sepultum erat, ad summum Pontificem remissæ.

Ravennatense.

Tempore Ottonis III. anno videlicet 993. habitum est Concilium *Ravennatense*, Præside Gerberto, ejusdem Ecclesiæ Archi Præsule, ac postea sub nomine Sylvestri II. Romano Pontifice.

In hac synodo plura sunt constituta, ad disciplinam Ecclesiasticam spectantia. Atque imprimis graviter invehitur in eum abusum, quo chrisma, Archipresbyteris gratìs distribuendum, venditur.

tur. Deinde ſancitur, ut omnes Archipresbyteri ſingulis annis ſolvant duos ſolidos in recognitionem ſedis Metropolitanæ.

Deinde renovantur variæ irregularitates, quæ à ſuſcipiendis ſacris ordinibus impediunt: ùt, ætas immatura, crimen, inſcitia, infamia, debilitas, mutilatio, officii vilitas, ſimonia, recens converſio, bigamia, obligatio ad ratiocinia, aut canon aliquis prohibens.

Anno 996. ejusdem Ottonis III. tempore à Gregorio V. primò inſtitutos in Concilio *Romano* Germaniæ Electores multi, præſertim antiquiores, aſſerunt, penes quos ſolos videlicet eſſet Imperatorem eligendi poteſtas. Verùm hoc valde eſt dubium, & à multis eruditis hodie negatur. Videtúrque conſtare, multo adhuc poſt Gregorium V. tempore ab omnibus Germaniæ Principibus Imperatores fuiſſe electos.

Anno 998. in *Concilio Romano*, ſub Gregorio V. præſente Ottone III. Imperatore, conditi ſunt octo canones.

Primus ſic habet: *Ut Rex Robertus conſanguineam ſuam Bertam, quam contra leges in uxorem duxit, derelinquat, & ſeptem annorum pœnitentiam agat, ſecundùm præfixos Eccleſiaſticos gradus, judicatum eſt. Quod ſi non fecerit. anathema ſit. Idémque de eadem Berta fieri præceptum eſt.* (fuit hic Robertus Rex Franciæ, Hugonis Capeti filius, qui mox obſequens Concilii decreto Bertham dimiſit, aliámque duxit.)

In 2. Excommunicatur Erchembaldus, Turonenſis Archiepiſcopus, qui conjugium illud benedixit, cum omnibus Epiſcopis conſentientibus: donec ad ſanctam ſedem Apoſtolicam veniant, ſatisfacturi.

In 3. Epiſcopatus Merſeburgenſis, à ſede Apoſtolica & Ottone I. fundatus, atque ab Ottone II. deſtructus, reſtituitur.

In 4. decernitur de cauſa Giſeleri. (qui à Merſeburgenſi Epiſcopatu ad Magdeburgenſem tranſierat) quòd ſi ex ambitione aut avaritia à minori ſede ad majorem tranſierit, ab utraque ſit deponendus. Si Cleri & populi invitatione migraverit, retinere poſſit Magdeburgenſem Metropolitanam. Si abſque invitatione migraverit, non tamen per ambitionem aut avaritiam, redeundum ipſi eſſe ad priorem.

In 5. ab ordine ſacerdotali deponitur Stephanus, quòd à Widone avunculo ſuo Vallevenſi in Gallia Epiſcopo fuerit deſignatus ſucceſſor, ſine Cleri & populi voluntate: ac poſt ejus mortem à duobus tantùm Epiſcopis, & quidem non comprovincialibus fuerit ordinatus.

In 6.

In 6. Excommunicantur illi duo Episcopi propter ordinationem Stephani, donec ad sedem Apostolicam veniant, & satisfaciant.

In 7. datur Clero & populo Vallevensi potestas, alium eligendi Episcopum, ab ipso Papa deinde consecrandum.

In 8. prohibetur, ne Rex Robertus Stephano deposito faveat.

§. III.

DISSERTATIO

In hos Canones, de Translatione Episcopi.

12. Ut vidimus, Concilium Romanum *can.* 4. decidit, Gislerium posse retinere Episcopatum Magdeburgensem, si Cleri & populi invitatione ad illum sit translatus.

Innocentius III. autem severiùs de translatione Episcoporum ab una ad aliam Ecclesiam pronuntiavit; ùt videre est toto titulo *de translatione Episcopi.*

Nam *cap.* 1. Patriarcham Antiochenum à confirmatione Episcoporum suspendit, eò quòd Archiepiscopum quemdam, jam confirmatum, ad sedem aliam Episcopalem transtulerit, propria auctoritate. Additque, translationem Episcoporum, tanquam majorem Ecclesiæ causam ad solum Apostolicæ Sedis Antistitem de jure pertinere: nec super his quidquam sine ejus assensu debere immutari. Hócque intelligendum esse de eo etiam Episcopo, qui tantùm est confirmatus, necdum autem consecratus.

In *cap.* 2. ait, inter Episcopum & ejus Ecclesiam spirituale conjugium intercedere: hujúsque dissolutionem suo Deum judicio reservâsse: qui carnalis etiam conjugii dissolutionem suo tantùm judicio reservârit, præcipiens: *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Non autem humana, sed Divina potiùs potestate spirituale conjugium dissolvi, *cùm per translationem, depositionem, aut cessionem, auctoritate Romani Pontificis (quem constat esse Vicarium JEsu Christi) Episcopus ab Ecclesia romovetur.* Et hinc tria hæc non tam constitutione Canonica, quàm Divina institutione soli Romano Pontifici esse reservata: *(hoc est, Papam hanc potestatem, Episcopos transferendi, deponendi, eorúmque cessiones seu renuntiationes admittendi, non habere per constitutionem aliquam humanam, sed immediatè à Deo, tribuente ipsi potestatem omnem, quæ ad necessitatem & utilitatem Ecclesiæ gubernandæ spectat.)*

Sicut

Sicut enim consecratus Episcopus sine licentia summi Pontificis suam non debet derelinquere Ecclesiam; sic & electum & confirmatum eandem non debere deserere: cùm etiam eam inter & Episcopum confirmatum spirituale conjugium intercedat.

Dicitur equidem *can.* 1. *dist.* 100. Ecclesiam esse *viduatam*, quamdiu Episcopus non est consecratus: adeóque non videtur, inter eam & Episcopum, tantùm confirmatum, conjugium intercedere. At Innocentius III. *cap* 2. *cit.* hanc exceptionem solvit, aítque, non dici *viduatam*, *quasi sponsum non habeat: sed quia sponsus ejus necdum sit consecratus:* quia quoad quædam (potestatem nempe Ordinis Episcopalis) quasi viri solatio sit destituta. Sicut Ecclesia dicitur viduata, quæ Episcopum habet inutilem, ad obeunda officia Episcopalia.

Eadem *dist.* 100. *c.* 1. additur quidem, quòd Archiepiscopus possit Episcopum confirmatum, qui ultra quinque menses negligit consecrari, compellere, ut cedat Episcopatu: adeóque videri posset, quòd Metropolitanus de jure possit Episcopum deponere, & à fortiori ad alium Episcopatum transferre.

Verum etiam ad hoc respondet Innocentius, nempe in hoc casu à Sede Apostolica per *cit. can.* dari Metropolitano potestatem, ejusmodi Episcopum negligentem dejiciendi. Hunc tamen casum non esse extendendum ad alium: præsertim cùm in pœnam negligentiæ illud Metropolitano sit permissum.

In *cap.* 3. decernit idem Pontifex, quòd Episcopus Hildesiensis, qui, relicta sua Ecclesia, ad Herbipolensem propria auctoritate se transtulit, debeat carere utraque Ecclesia. Addítque rursus, Christum Dominum Episcopos transferendi potestatem ita sibi retinuisse, ut soli Petro Vicario suo, & per ipsum successoribus, speciali privilegio tribuerit: sic testari antiquitatem, decreta Patrum, & Canonum sanctiones. Non enim ab homine separari, sed à Deo, quos Romanus Pontifex, Christi Vicarius, considerata Ecclesiarum necessitate & utilitate, separat.

In *cap.* 4. rursus idem Pontifex repetit, quòd solius Papæ auctoritate possit fieri translatio Episcopi: eò quòd, sicut vinculum matrimoniale dissolvi non potest, ita neque illud, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, nisi à Papa, Christi Vicario. Quòdque hoc spirituale fœdus conjugii, in electione sit *initiatum*, in confirmatione *ratum*, & in consecratione intelligatur *consummatum:* hæc Pontifex. Estque tota summa tituli de *translatione Episcopi.*

Cæterùm etsi matrimonium carnale consummatum dissolvere non possit Pontifex, potest tamen dissolvere vinculum conjugii spiritualis, quod est inter Ecclesiam & Episcopum, licèt hic jam sit consecratus, & sic conjugium spirituale jam consummatum. Ratio disparitatis est: quia coujugium spirituale Episcopi cum sua Ecclesia non ita perfectè repræsentat conjunctionem omnimodam & perpetuam Christi cum Ecclesia, sicut conjugium carnale consummatum; ut habetur ex certa Pontificum, Conciliorum, Patrum & Ecclesiæ doctrina; qua nobis traditur, datam esse Pontifici à Christo *Matth.* 16. potestatem, dissolvendi conjugium illud spirituale, etiam consummatum per consecrationem, non autem carnale consummatum inter virum & mulierem, quoad vinculum.

Neque dicas, matrimonii spiritualis vinculum esse *fortius,* quàm carnalis *cap.* 2. *cit.* nam non dicitur fortius ratione indissolubilitatis (quoad hanc enim potius est paritas cum matrimonio carnali *rato*) sed ratione spiritualis dignitatis, & characteris indelebiis. Adeóque dicitur *fortius:* hoc est dignius & nobilius: quia ex natura sua est spirituale: carnale verò tantùm extrinsecus elevatum ad rationem sacramenti. Posset etiam illud dici fortius: quia sine authoritate summi Pontificis Episcopus nullo casu potest separari à sua Ecclesia; vir autem à muliere separari potest quoad thorum & cohabitationem, etiam postquam fuit consummatum matrimonium.

Aliud esset, si Episcopus tantùm esset *electus*, & necdum confirmatus. Nam is ante confirmationem (licèt eam jam petiisset) sicut sine authoritate Pontificis potest liberè renuntiare, sic etiam ad aliam Ecclesiam transire.

Quamvis autem Pontifex non tantùm possit (ex causa necessitatis vel utilitatis) dispensare, ut possit Episcopus ab inferiore Episcopatu transire ad altiorem, sed etiam ab altiore ad inferiorem; tamen, si quis expressè est dispensatus, ut ad altiorem possit transire, non est hoc ipso dispensatus, ut possit transire ad inferiorem; ut expressè est decisum *cap. fin. cit.* & meritò, quia ejusmodi indultum, utpote juri communi pugnans, est strictæ interpretationis; adeòque extendi non debet ad casum non expressum.

Effectus translationis est, quòd vacet prior Ecclesia ipso jure, quamprimùm translatus acceptat translationem auctoritate Sedis Apostolicæ factam: ùt tenet communis. Quia tunc jam est junctus sponsæ posteriori. Duas autem habere non potest; nisi in hoc ipso etiam Papa dispenset; ùt sæpe fieri videmus, præsertim in Principum filiis. Si igitur Episcopus aliquis ad aliam Ecclesiam electorum

tum suffragiis designetur, postulari debet à Papa. Si is postulationem admiserit, vocat prior Ecclesia: nisi in hoc ipso etiam specialiter sit dispensatum, ut utramque retinere possit, vel adhuc plures.

Si autem quis à dignitate inferiore promoveatur ad Episcopatum, non vacant Beneficia prius obtenta, donec promotus sit constitutus in pacifica possessione Episcopatus, vel alterius dignitatis, aut Beneficii, ad quod est translatus. Quia Prælati aut Beneficiati Episcopo inferiores non habent conjugium spirituale propriè dictum cum sua Ecclesia.

Unde, ad translationem inferiorum Prælatorum aut Beneficiatorum ad aliam Ecclesiam, non semper requiritur auctoritas Papæ; sed sufficit authoritas immediati Superioris. Cùm igitur illorum, qui non sunt exempti, Superior immediatus sit Episcopus, sufficit, si ille consensum suum impertiat. Et si ad Ecclesiam alterius Diœcesis transire quis velit, requiritur consensus utriusque Episcopi. Ut autem Prælatus exemptus transferatur, requiritur consensus Papæ: quia exempti à jurisdictione Episcopali immediatè subsunt sanctæ Sedi Apostolicæ.

De cætero si Prælati aut Beneficiati non sunt exempti, potest etiam capitulum sede vacante facultatem impertiri, transeundi ad aliam Ecclesiam. Quia hæc facultas est actus jurisdictionis ordinariæ, quæ ad capitulum sede vacante devolvitur.

ARTICULUS III.

De Conciliis Galliæ Sæculo X.

§. I.

Prænotanda de Statu Galliæ.

His temporibus Gallia internis externísque ruinis fatiscens, magnis rerum conversionibus locum dedit. Ludovicus Balbus 13. *Legis Salicæ neglectus.*
tres filios reliquit, Ludovicum, Carolomannum, & Carolum Simplicem. Successerunt in regno, primo quidem Ludovicus, dein verò Carolomannus. At illis brevì sine prole defunctis, præterito tertio fratre Carolo Simplici, puero septenni, ac proin ad resistendum Normannis, annuis fermè hostibus, & ambitiosis Proceribus,

impati, ad Carolum Craſſum Imperatorem Galliæ etiam coronam detulerunt.

Huic, poſt infeliciter geſtum Imperium, Galli Regem ſubrogârunt *Eudomen* ſeu *Odonem*, Comitem Pariſienſem, materno ſanguine ſtirpi Carolingicæ innexum: prætérito iterum Carolo Simplice, tertio Ludovici Balbi filio.

Quamvis autem Odo ſtrenuè reſiſteret Normannis, impedire tamen non potuit, quin Neuſtriam, à Carolo Craſſo ipſis conceſſam, retinerent, & varii Principes Galliæ corpus diſtraherent. Nam eo tempore *Rudolphus*, ex Suevica ſtirpe comes, Sabaudia & Helvetia occupata, Agauni, ſeu ad S. Mauritium, Burgundiæ Trans-Juranæ Rex eſt coronatus. *Ludovicum* verò *Boſonis* filium Burgundiæ Cis-Juranæ, quæ Provinciam, Delphinatum & tractum Lugdunenſem complectebatur, regem renuntiavit Concilium Valentinum.

14. *Carolus Simplex.* Carolus Simplex interea ex Anglia, quò abductus fuerat, redux, regnum avitum repetebat. Quia autem vires deerant, cum Normannis, infidelibus adhuc, fœdus inire adverſùs Odonem cogitabat. At deterritus eſt ab eo conſilio à Fulcone Archiepiſcopo Rhemenſi, qui minitabatur, ſe ab ejus fidelitate receſſurum, aliósque etiam abducturum, ſi fœdus illud perficeret. Adeò videlicet tunc Chriſtiano indignum eſt viſum, cum Infidelibus inire fœdera.

Quamvis autem Odo bella cum Carolo gereret, tamen poſt novem annorum regnum moriens, Principibus illum commendavit, ut regnum avitum ipſi reſtituerent.

Itáque Carolus Simplex inauguratus throno, ut Normannos ex infeſtiſſimis hoſtibus amicos & ſocios faceret, anno 912. *Rolloni*, Normannorum Duci, cum tota illa effera gente converſo, *Giſelam* filiam ſuam nuptui dedit; conceſſa in dotem tota Normannia ac minore Britannia. Qua ratione barbaro illo populo chriſtianis legibus & juſtitiæ ſeveritate per Rollonem cicurato, res Chriſtiana mirè aucta, potentem defenſorem, & munificum patronum accepit. Enatáque eſt ex ea radice fortium virorum propago, Angliæ, utrique Siciliæ, aliíſque Europæ Provinciis Reges datura: ſimúlque validum adverſùs Saracenos robur.

Pacatis Normannis diuturnum Carolo Simplici bellum fuit cum Conrado I. & Henrico I. Imperatoribus, propter Lotharingiam, quam, defuncto ſine prole Ludovico Infante, ad ſe traxerat, Imperatoribus eam Germaniæ vindicantibus.

Tandem

Tandem infelix Princeps, cùm in quemdam mediæ ſortis hominem ſummam potentiam regníque adminiſtrationem contuliſſet, deſertus à ſubditis, in caſtellum quoddam velut in carcerem conjectus eſt, atque in eo detentus ad mortem, quam oppetiit anno 928. infauſti regiminis anno 30. ætatis 49. 15.

Galliæ verò Proceres abdicato Rege ſuo, ad coronam vocârunt primò quidem *Robertum* (ſuprà memorati Regis Odonis fratrem, ac parentem Hugonis Magni) dein verò, illo brevi in acie cæſo, *Rudolphum* Burgundiæ Trans-Juranæ Regem: qui 13. annos regnavit.

Ludovicus IV. Caroli Simplicis filius, capto patre & abdicato, cum matre Brittanna in Angliam fugit, unde *Transmarinus* dictus eſt. Is, mortuo (*anno* 936) Rudolpho Rege, ab Hugone Magno (Hugonis Capeti patre) Pariſienſium & Aurelianenſium Duce, ab exilio revocatus, throno avito imponitur. Cúmque varii Proceres in eum inſurgerent, Stephanus VIII. Papa, miſſa ad eos legatione, ſub excommunicationis pœna præcepit, ut eidem parerent: accurrente etiam in auxilium Wihelmo Normanniæ Duce, Rollonis filio. Nec defuit officio Otto M. Imperator, cujus ſororem Ludovicus conjugem habuit. Nam illius auctoritate rebelles cum Rege ſunt conciliati.

Cùm deinde Wilhelmus, Normaniæ Dux, à Sicariis Arnulphi Flandriæ Comitis perfidè fuerat interemptus, Ludovicus Normaniam ad Regnum Francorum reducturus, Richardum Wilhelmi filium, puerum decennem, in Regiam ſuam abduxit. Actúmque fuiſſet de ſalute Richardi, niſi ipſus moderator faſciculo fœni involutum crudelitati ſubduxiſſet. Armis igitur, quod perfidia non poterat, evicturus Ludovicus, validum adverſùs Normannos educit exercitum. Quo tamen, veniente Daniæ Rege popularibus ſuis in auxilium, in pugna cæſo, ipſe captus eſt Ludovicus. Datísque obſidibus obiit anno 954. regni 18. ætatis 38.

Duos reliquit filios, *Lotharium* & *Carolum*. Ille ſucceſſit patri: 16.
ac bellum movit Ottoni II Imperatori propter Lotharingiam; poſt *Regni*
victorias & clades pace tandem compoſita, illam Ottoni reliquit: *translatio.*
fruſtráque poſtea rurſus Germaniæ eripere eſt conatus. Obiit Rex Lotharius anno 986. regni 31. ætatis 46 nulla re memorabili geſta.

Succeſſorem habuit filium *Ludovicum V.* ultimum Carolingicæ ſtirpis Regem. Qui vertente anno improlis obiit.

Spectabat tum quidem hæreditaria in regno ſucceſſio ad *Carolum*, Lotharingiæ Ducem, Ludovici V. patruum, Ludovici IV.

 ſeu

ſeu Transmarini filium. Sed quia Gallis exoſus erat, quòd Lotharingiam clientelari obſequio ab Ottone II. obtinuiſſet, animóque eſſet in Germanos propenſiore, quàm Gallis placeret, ad Hugonem Capetum ſceptrum delatum eſt.

Hugonis Capeti genus paternum referunt quidam ad Pipinum Herſtallum, Caroli M. proavum, maternum verò ad Henricum Aucupem, cujus filia Hadvidis mater erat Hugonis Capeti. Qui proin erat Henrici Aucupis nepos ex filia, & Ottonis M. nepos ex ſorore.

Patrem habuit Hugonem Magnum, ſeu *Abbatem*, ſic dictum, quòd plures pingues Abbatias (jam veteri Galliæ vitio) poſſideret, comitem primùm Pariſienſem, tum Ducem Francorum, magnæque potentiæ Principem: cujus pater Robertus tempore Caroli Simplicis in Regem electus fuerat.

Armis equidem regnum, ſibi debitum, reducere tentabat *Carolus*, Dux Lotharingiæ; at captus à Capeto, & in Aurelianenſem turrim abductus, obiit circa annum 992. relictis duobus filiis, *Ottone* & *Ludovico:* qui à Gallis expulſi, in Germaniam abierunt. Et Otto quidem improlis deceſſit; ex Ludovico verò deſcendunt Landgravii Thuringiæ, imò etiam (Juditha Thuringica propagante ſanguinem) Marchiones Miſniæ, & Duces Saxoniæ.

Porro Hugo Capetus non tantùm in politicis optimè regnum adminiſtravit, ſed Eccleſiaſtici etiam Ordinis, præſertim Monachorum munificus patronus exſtitit. Abbatias, ſub ultimis Carolingicis Regibus Monaſteriis ademptas, reſtituit, &, quantum ferebant tempora, ab aliis reſtitui voluit.

Aſſumpto deinque Ordinum conſenſu, ut Regnum in familia ſua firmaret, in regni conſortem filio *Roberto*, piè defunctus eſt anno 996. regni 9.

Nota. Patet ex iſtis, decimo ſæculo vel necdum exſtitiſſe *legem Salicam*, vel parùm à Gallis fuiſſe obſervatam, cum præteritis Carolingicæ ſtirpis Regibus tot alios aſſumpſerint, puta, Odonem, Robertum, Rudolphum, Hugonem Capetum, nullo, vel non niſi remotiore, ſanguinis jure munitos, ſed à Proceribus electos.

§. II.

§. II.

Status Ecclesiasticus per Concilia ordinatus in Gallia Seculo X.

Ea esse consuevit statum inter Ecclesiasticum & Politicum arcta connexio, ut unus sinè altero suam tueri incolumitatem vix possit. Constitutio unius, bona vel mala trahit sortem alte- 17.
rius. Videre hoc fuit in Gallia. Sæculo octavo & nono, dum sub piis ac fortibus gubernatoribus florebat respublica, complura Concilia sunt celebrata, quibus aut afferta aut restaurata est Ecclesiastica disciplina. At sæculo X. quo generosus Caroli M. sanguis in vappam degenerans Regnum perturbationi, confusioni, ruinæ exposuit, pauca, quæ alicujus memorabilis momenti sint, inveniuntur habita.

Et quidem primum *Troslejanum* ab Heriveo Rhemensi Archiepiscopo convocatum, tempore Caroli Simplicis, quindecim Canones constituit.

In 1 decernitur, ut illæsa conservetur Ecclesiarum immunitas: útque Principes personis Ecclesiasticis patrocinium præstent (*illo namque tempore, quo quisque rapiebat, quantùm poterat, etiam Ecclesiarum bonæ rapaces manus pati cogebantur*)

In 3. Monachis Abbates Regulares præficiendos: causam namque colapsæ Monasticæ disciplinæ eam esse, quòd externi homines Monasteriis fuerint præfecti.

In 4. Anathemate feriuntur, qui bona Ecclesiastica diripiunt, aut Sacerdotes divexant.

In 6. vetatur, ne Laici censum exigant de dotibus Ecclesiarum: sed solvant decimas.

In 7. & 8. multa afferuntur ex legibus Theodosianis & Capitularibus Regum Francorum, contra prædones, raptores virginum, incestas nuptias.

In 9. ex antiquis Conciliorum Canonibus, Pontificum decretis, ac Patrum sententiis, multa afferuntur contra cohabitationem Clericorum cum mulieribus, ac familiaritatem cum istis.

In 11. Juramentum debere habere tres comites, veritatem, judicium, & justitiam. Sine necessitate non esse jurandum ostenditur multis S. Scripturæ Testimoniis.

In 14. defendendam esse contra Photium processionem Spiritus Sancti à Patre & Filio.

In

In 15. dicitur, Ecclesias Italiæ, Galliæ, & Hispaniæ speciali quadam ratione esse filias Romanæ Ecclesiæ, utpote fundatas à S. Petro, & ejus successoribus.

Concilium *Troslejanum II.* anno 921. excommunicavit Erlebaldum Comitem, tanquam *pervasorem* terræ, ad Archiepiscopum Rhemensem pertinentis. Cùm autem paulò pòst ab hostibus occisus, in excommunicatione esset mortuus, rogante Rege, Corolo Simplice, ab Heriveo Rhemensi Antistite ab excommunicationis vinculo est absolutus pòst mortem.

Concilium *Troslejanum III.* anno 924. Comitem quemdam, qui castellum Cameracensis Episcopi incenderat, citavit, & ad satisfactionem condemnavit, centum argenti libris in pœnam injunctis.

Concilium *Troslejanum IV.* Herluinum Comitem, qui vivente uxore sua aliam duxerat, ad pœnitentiam suscepit.

In Conciliis duobus *Narbonensibus* agitata est controversia, an Ecclesia Ausonensis tributaria esse debeat Ecclesiæ Narbonensi; ac tandem pronuntiatum, illam liberam esse debere à tributo.

Concilium *Viennense* decidit controversiam in causa decimali, ortam inter duas Ecclesias Regulares, & stante dubio illi adjudicavit decimas, in cujus territorio erant sitæ. (*Quia illa præsumptionem pro se habebat.*)

Concilium *Turonense* celebratum in causa translationis corporis S. Martini: nam Normannorum, Turonibus jamjam imminentium metu Antisionorum illud translatum fuerat. At Rollone eorum Duce Christianis sacris initiato anno 912. Turonas reportatum est. In quo reditu plurima sunt miracula.

Concilium *Suessionense* habitum in causa Archiepiscopatus Rhemensis. Cùm enim Heribertus Comes filium suum *Hugonem*, puerum quinquennem, eligi curâsset Archiepiscopum, sexto pòst anno Rudolphus Rex *Artaldum* Monachum ordinari jussit. Post octo dein annorum lapsum Heribertus, Rhemis rursum captis, Artaldum Episcopatu cedere coëgit; jussítque Suessione celebrari Concilium, cujus decreto Hugo, cæteris ordinibus jam antè initiatus, Rhemensis Archiepiscopus est consecratus. Eò quòd Artaldus violentè fuisset intrusus, & jurâsset, nullum Archiepiscopatum se accepturum.

In *Rhemensi*, anno 975. celebrato, excommunicatus est Theobaldus, usurpator Episcopatus Ambianensis, impetratis Româ obreptitiis litteris, intrusus. Præsedit Concilio Stephanus Diaconus, Benedicti VII. Papæ Legatus.

Alterum

Alterum *Rhemense*, & *Sylvanectense* anathema dixerunt invasoribus bonorum Ecclesiasticorum, & civitatis Rhemensis.

Conciliabulum Rhemense anno 991. Hugo Capetus congregavit. Qui, excisurus omnem Lotharii Regis progeniem, Arnulphum ejus ex concubina filium Archiepiscopatu dejici, & *Gerbertum*, Roberti filii sui Præceptorem intrudi curavit. At vera deinde Synodus *Rhemensis*, jussu Romani Pontificis sacris interdixit Episcopis, qui Arnulphum dejecerant, jussítque eundem restitui: quod tamen non nisi post mortem Hugonis Regis evinci potuit.

Concilium *Pictaviense* anno 999. tres Canones edidit.

Primus vetat privatas vindictas, præcipítque, causas ad judicium deferri.

Secundus vetat, ne Episcopi propter pœnitentiam, aut confirmationem, munera accipiant; nisi quis ultro donaverit.

Tertius præcipit, ut Presbyter, & Diaconus gradu dejiciantur, & à Sacris arceantur, si fæminam in domo sua teneant. (*Notent Protestantes hanc Ecclesiæ Gallicanæ sæculo X. disciplinam.*)

ARTICULUS IV.

De Conciliis Angliæ Sæculo X.

§. I.

Prænotanda de statu Angliæ.

Alfredo pientissimo Principi anno 899. successit *Eduardus Senior*, 18.
non minùs fortitudinis & pietatis laude celebratus. Nam & *Eduardus.*
Danos, eorúmque socios, Scotos, strenuè repressit, & legibus optimis regnum instruxit: justitiæ adeò sanctè tenax, ut ne quidem contra æquitatem delinquere posse sit visus. Sex filias genuit; quarum duas Christo in religioso claustro despondit, reliquas potentissimis per Europam Principibus conjuges dedit: primam Gormo Daniæ Regi, secundam Hugoni Magno, Hugonis Capeti parenti, tertiam Carolo Simplici, Galliæ Regi, quartam Ottoni M. Imperatori. Tres item filios, omnes successivè Angliæ Reges reliquit, Adelstanum, Edmundum, & Ethelredum.

Et quidem *Adelstanus* patri successit anno 924. patris exemplo 19.
regnum à religione exorsus, Ecclesiis tutelæ, hostibus terrori, sub *Adelstanus.*
ditis

ditis amori fuit. Concilium Grateleanum ipsius ope celebratum fuit. Ab Alfredo quodam insidiis petitus, causam ad Joannem X. Romam detulit, ubi reus perjurii Alfredus ipsam ad aram cecidit exanimis: ejúsque bona Monasterio Malmesburiensi adjudicata. Pluráque alia piissimus Rex exstrui dotaríque curavit. Nec minùs belli gloria erat inclitus: nam & Scotos sibi vectigales fecit, & Danos, perpetuos illo tempore Angliæ hostes, fortiter contrivit. Obiit, ùt vixerat, sanctissimè anno 940. regni 16.

Edmundus. Cúmque improlis decessisset, successit frater *Edmundus*, patri fratríque æqualis. S. Dunstani usus consilio & auxilio leges sanctissimas promulgavit: Ecclesias coluit, defendítque. Monasterium condidit, cui ipsum S. Dunstanum Abbatem præfecit. Vita longiore dignissimus à sicario occisus est anno 948. regni 8.

Ethelredus. Præteritis ejus filiis successit *Ethelredus* frater, à patre & fratribus non degener; cultor & ipse amatórque S. Dunstani insignis. Volstanum Eboracensem Archiepiscopum ira præcipiti in exilium expulit, at sibi redditus, mox revocavit, & reverentia, quam Sacerdotali ordini eximiam deferebat, est prosecutus. Scotos & Northumbros parere recusantes ad obsequium flexit, totámque Angliam tranquillè rexit, donec anno 954. pientissimè decederet, regni 6.

Avo, patri, patruísque multùm dissimilis regnum capessivit *Edvinus*, Edmundi Regis filius, infami libidine vitam corrumpens. Aliquando ex Gynecæi consortio à S. Dunstano, vi etiam admota, extractus ad regni comitia, rigidiorem censorem ac correctorem exilio multavit. Quarto jam anno regni obiit, postquam plures Angliæ provinciæ ab eo defecerant.

...us. *Edgarus* Edvino fratri succedens, illico S. *Dunstanum* ab exilio revocatum, primùm Wigorniensi, dein Londinensi, ac demum Canturariensi Ecclesiæ Archiepiscopum præfecit. Davidis exemplo lapsus, in eodem S. Dunstano Nathanem habuit, septenni pœnitentia ab eodem mansuetissimè suscepta. Ad perversos Cleri mores corrigendos plura ejus ope habita sunt Præsulum Concilia. Denique meritis in Ecclesiam & Rempublicam plenis ad Regnum cœleste transiit anno 975. regni 16. dicitur, octo Regulos habuisse vectigales, iisque remigibus aliquando navi vectus. Classem, incredibili navium numero instructam, semper conservavit, ut exteros absterreret, & subditos in officio contineret.

S. Eduardus. Regnum excepit *Eduardus* filius, quarto regni anno Elfredæ novercæ jussu interemptus; qui propter innocentiam & insignem vi-

tæ

tæ ſanctimoniam, miraculis etiam comprobatam, ſanctos inter Martyres ab Eccleſia colitur.

Et viſus eſt innocuus ſanguis ultrices de cœlo pœnas expoſcere. Nam *Ethelredus*, Elfredæ filius, ſancti Eduardi frater tum quidem regno eſt admotus, ſed tum ipſum tum univerſam Angliam immanes deinceps calamitates vix non oppreſſerunt, Danis præſertim regnum invadentibus, & igne ferróque vaſtantibus: ut adeò quàm felix Britanniæ ſub piis Regibus ſæculum decimum fluxit, tam turbatum infauſtúmque ſucceſſerit undecimum; ùt *cap. ſeq.* exponetur. *Ethelredus.*

§. II.

Status Eccleſiaſticus per Concilia ordinatus.

Concilium *Londinenſe* confirmavit fundationem monaſterii Croylandenſis, à Rege Ethelredo, liberaliſſimè ditati. 22.

Edmundus Rex plures leges tulit ſanctiſſimas unà cum Epiſcopis in altera *Synodo Londinenſi:* de caſtitate Clericorum: de decimis & nummo Eleemoſynario ſolvendo: de ſacris ædibus ornandis: de conſervanda publica & privata pace, puniendisque iniquis aggreſſoribus.

Cùm pars magna Angliæ ab *Edvino* Rege ſcelerato ad fratrem ejus *Edgarum* defeciſſet, cruentum inter fratres bellum ſuſceptum eſt. Edgarus tandem potior & meritis & viribus convocato *Brandanfordienſi Concilio*, fratris Edvini acta reſcidit: ablata Eccleſiis & Monaſteriis reſtituit, atque Dunſtanum ad priſtinum honorem revocavit.

Anno 969. S. Dunſtanus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, *Concilium Anglicum* Nationale convocavit, in quo, præſentibus etiam S. Oswaldo Wigornenſi, & S. Ethelwaldo Wintonienſi Epiſcopo, amotis Clericis conjugatis ſubſtituti ſunt Monachi.

Pulſi igitur opera & authoritate Regis Edgari ex Monaſteriis omnes Canonici, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi, qui nolebant caſtè vivere. Sed jubebantur aut monachalem habitum induere, aut diſcedere. 23.

Unde S. Ethelwaldus, Wintonienſis Antiſtes, quàm plurimos Monachales cuculos die quadam, in chorum delatos, projecit in medium, dixítque: *Apprehendite diſciplinam, veſtem ſcilicet monachalem; aut loci iſtius beneficiis, & converſationi, hinc eliminati, cedite.* Itaque nonnulli

nulli ex illis ſtatim abjecto clericali habitu, Monachi facti ſunt: cæteris verbo Pontificis de Eccleſia eliminatis.

Magnas hæc res turbas, & lites inter Clericos & Monachos in Anglia excitavit. Quare S. Dunſtanus *Wintonienſe Concilium* convocavit; cui etiam Edgarus Rex præſens adfuit. Agitabatur in eo vehementi contentione quæſtio, an Clerici, ex Monaſteriis ejecti, eſſent reſtituendi. Jámque eò deventum erat, ut Rex, poſtquam emendationem morum promiſerant, reſtitutionem decernendam putaret: cùm ſubitò crucifixi imago eandem clara voce prohibuiſſe, à pluribus ſcribitur: ac propterea pro Monachis pronuntiatum.

Concilium *Kirtlingtonienſe*, præſente Rege Eduardo à S. Dunſtano habitum, approbavit ſacram peregrinationem ad Eccleſiam S. Mariæ Abbandunenſem.

24. *Grateleanum.* Maximè verò memorabile ex Angliæ Conciliis, ſæculo X. celebratis, videtur eſſe *Concilium Grateleanum*, anno 928. celebratum, pro reſtauranda diſciplina Eccleſiaſtica. Conditi in hunc finem 13. Canones.

In his decernitur 1. de decimis diligenter ſolvendis ac alendis pauperibus. 2. De cenſibus Regi & Eccleſiæ perſolvendis. 3. Singuli Regis Præpoſiti ſingulos alant pauperes. 4. 5. & 6. Tractatur de pœna infligenda invaſoribus Eccleſiarum, falſis monetariis, ſagis & veneficis.

In 7. & 8 Can. plura ſtatuuntur de *Ordalio*, ſeu de probatione per ferrum ignitum, aut aquam frigidam. Quod judicii genus tunc frequens erat. In 9. emptionem celebrandam coram teſtibus. Die Dominica nullam actionem forenſem aut negotiationem ſuſcipiendam. Perdendum aliàs capitale.

In 10. perjurum ad nullum ampliùs juramentum admittendum, nec in loco ſacro ſepeliendum: niſi Epiſcopus teſtetur, eum pœnitentiam excepiſſe. In 11. multa dicuntur de Officio Epiſcopi, quæ tamen non tam ad Jus Canonicum, quàm doctrinam moralem, & naturalem obligationem pertinent. Inter alia tamen additur, eum debere intereſſe ſæcularibus etiam judiciis, ut omnia rectè fiant.

In 12. omnibus diebus veneris in cœnobiis, ſeu Eccleſiis majoribus cantandos eſſe 50. Pſalmos pro Rege & populo. Plures ex iſtis conſtitutionibus deprompta ſunt ex veteri Jure Saxonico. Quia Anglo Saxones ſub Adelſtano Rege tunc dominabantur in Anglia.

Tales Conſtitutiones plures in Anglia editæ ſunt ſub Edmundo, Edgaro, aliíſque Angliæ Regibus; & præſertim ab *Odone* Archiepiſcopo Cantuarienſi ad annum 943. inprimis de immunitate Eccleſiaſtica:

ſiaſtica: ubi ait, *non liceat alicui cenſum ponere ſuper Eccleſiam Dei, quia filii Eccleſiæ, id eſt, filii Dei ab omni cenſu terreſtri liberi ſunt in omni regno.* Ambroſius ait: *Eccleſia Dei libera eſt ab omni cenſu Principis.* 25. *Conſtitutiones Odonis.*

In 2. cap. ait: *Admonemus Regem & Principes, omnéſque, qui in poteſtate ſunt, ut cum magna humilitate ſuis Archiepiſcopis, omnibúſque aliis Epiſcopis obediant.*

In 3. Officii ſui admonet Epiſcopos, ut videlicet exemplo bono præluceant, ſingulis annis Diœceſin circumeant viſitando, prædicando verbum Dei; Epiſcopus tanquam Paſtor vigilans lupos arceat, ac gregem ſibi commiſſum paſcat, non turpis lucri gratia, ſed ſpe ſalutis æternæ, absque ullo timore aut adulatione &c.

In 4. & 5. de vita & honeſtate Clericorum diſſerit: ut ſicut ſtatus ſublimitas eos altiùs extulit, ita & morum probitate ſuperent alios, præbendo omnibus piæ converſationis exemplum.

In 6. hortatur Monachos ad religioſam vitam, ac votorum obſervantiam: ut non evagentur extra monaſterium, ſed labore manuum, lectione ſacra, & aſſiduis orationibus ſe exerceant.

In 7. prohibentur inceſta connubia. Additúrque ex S. Gregorio: *Si quis Monacham in conjugio duxerit, anathema ſit.* (atqui Lutherus duxit Monacham) *& reſponderunt omnes, Amen.*

In reliquis capitulis commendatur pax inter ſacerdotium & regnum, omnémqne populum: jejunium item quadrageſimale, quatuor temporum, aliáque legitima jejunia feriæ quartæ & ſextæ. Dominici quoque diei, & Eccleſiæ feſtivitatum cultus: *ſicut canon & præcedentium exempla affirmant.* Denique præcipitur, ut omnes fideliter dent decimas de omnibus, quæ poſſident.

Adducere hæc placuit, ut appareat, quæ ſæculo X. in Eccleſia Anglicana circa Clericos, Monachos, Moniales, votorum obſervantiam, Eccleſiæ jejunia, ſanctorum feſtivitates fuerit diſciplina. Quamvis hæc omnia, etiam in Anglia fuerint multò antiquiora; ùt ex Conciliis præcedentium ſæculorum conſtat. Frequens etiam in conſtitutionibus, Eduardi, Edmundi, Edgari, aliorúmque Regum Angliæ mentio, de Sacerdotibus, Miſſæ Sacrificio, ſacris ordinibus, cœlibatu Sacerdotum, conſecratione Altaris, ſacris Benedictionibus, ſalis, thuris, panis, aquæ; de peragenda confeſſione peccatorum: SS. Euchariſtia tantùm à jejunis ſumenda: de Euchariſtia decorè aſſervanda, & cuſtodienda: de ſacro chriſmate ab Epiſcopo gratis diſtribuendo, de conſecratione Eccleſiarum, de ſacris imaginibus &c.

Memento dierum antiquorum; cogita generationes ſingulas: interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: majores tuos, & dicent tibi. Deuter. 31.

ARTICULUS II.

De Cœlibatu Clericorum.

Quia complura ex iis, quæ retulimus, Concilia, hoc ſæculo ac ſequentibus de cœlibatu & continentia Clericorum tractârunt, résque quàm maximè ad Jus Canonicum pertinet, juvat materiam illam, cùm hæreticis præſertim multùm controverſam hîc examinare.

DISSERTATIO

Hiſtorico-Juridica, in tit. de Clericis conjugatis; & in tit. qui Clerici vel voventes matrimonium contrahere poſſint

De Cœlibatu Clericorum.

QUÆSTIO I.

An Cœlibatus Jure Divino ſit annexus ſacris ordinibus?

26. Pauci quidam DD. exiſtimârunt cum Joanne Majore *in* 4. *diſt*. 24. *q*. 2. Thoma Waldenſi *de ſacrament. c.* 28. Cœlibatum Clericorum jure Divino eſſe præceptum: ex ea ratione, quòd à primis Eccleſiæ naſcentis incunabulis fuerit obſervatus. Atque in eam rem dictum eſſe à S. Paulo 2. Tim. 1. *nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*. Addúntque rationem naturalem: miniſterium nempe puriſſimum ſanctiſſimúmque non niſi à puris ac continentibus eſſe peragendum.

27. *Jure Eccleſiaſtico.* Verùm hæc tanti non ſunt, ut recedendum propterea ſit à communi DD. ſententia, quæ conſtanter tenuit, cœlibatum ſolo jure Eccleſiaſtico ſacris ordinibus annexum eſſe. Ita ſiquidem docent Theologi & Canoniſtæ paſſim, cum Bellarm. *l.* 1. *de Cleric. c.* 18. Suarez *tom* 3. *de Relig. l.* 9. *c.* 13. Sanchez *l.* 7. *de Matrim. D.* 72 Lay-

Layman *l.* 5. *tract.* 9. *c.* 1. Panormit. & Barbosa *in cap.* 6. *de Clericis conjugatis.* Gonzal. & Zoesius *in idem cap. n.* 3. Wiest. *n.* 17. Engel. *n.* 33. Schmaltzgr. *n.* 26. Pichler *ad tit. qui Clerici vel voventes n.* 2. *&* 3. Atque ante hos omnes S. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *in corp.* ubi ait. votum continentiæ esse annexum ordinibus sacris ex solius Ecclesiæ decreto, ac proinde esse dispensabile. Colligitur etiam ex Tridentino *sess.* 24. *can.* 9. *de Matrim.* ubi anathema dicitur illi, qui asseruerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos posse matrimonium contrahere, contractúmque validum esse, *non obstante lege Ecclesiastica vel voto.*

Et quomodo aliàs Orientalibus permitti potuisset usus matrimonii, ante sacros ordines initi? certè Jus Naturale ac Divinum relaxari nequit ab humana potestate. §. 11. *Inst. de J. N. G. & C.*

Ratio ulterior est, quia non constat ex verbo Dei, scripto vel tradito, Clericis matrimonium esse interdictum. Neque enim verbis illis Apostoli 2. *Tim.* 1. continetur præceptum propriè Divinum prohibens nuptias: multáque in ejus epistolis habentur, quæ solùm sunt præcepta humana, vel consilia, præsertim ubi virginitatem & cœlibatum commendat.

Sed neque Jus Naturale sacerdotibus continentiam præcipit; licèt enim illa Clericali Ordini sit admodum conveniens, non tamen ita est necessaria, ut lex æterna Dei necessariò eandem sanciat.

Quapropter observantia cœlibatus, jam inde ab Ecclesiæ initiis continuata, non probat, obligationem illam ex jure naturali aut Divino descendere, sed Apostolicæ duntaxat disciplinæ ac traditioni suam debere originem. Verùm de hoc uberiùs nunc disputatum imus.

QUÆSTIO II.

De Antiquitate Cœlibatus Sacerdotum.

Hæretici Præcones, ad nuptias anhelantes, cœlibatum ordinis Ecclesiastici tanquam novellum Papisticæ tyrannidis, ùt loquuntur, inventum explodunt; quod nullum in antiquitatis monumentis fundamentum habeat. Verùm aut inscitiam suam, aut, quod malunt, fallendi voluptatem in hoc produnt. 28.

Quæstio facti est testibus ac tabulis decidenda.

Atque

29. *An Apostoli conjugati.* Atque imprimis Tertullianus, idoneus utique & vetuſtus ſatis teſtis, *lib. de Monogamia* perhibet, ex Apoſtolis ſolum Petrum habuiſſe uxorem. Hoc certum, eos Apoſtolos, qui uxores habuerant, poſtquam à Chriſto ad Apoſtolatum vocati ſunt, renuntiâſſe uſibus matrimonii; ùt teſtatur S. Hieronymus *lib.* 1 *in Jovinianum.* Et quomodo aliàs dicere potuiſſent: *ecce! nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te?* ubi Chriſtus vitam æternam promiſit iis, qui propter nomen ejus omnia reliquerint: inter *omnia* autem etiam *uxorem* nominatim exprimit.

Neque objiciatur nobis interrogatio illa Apoſtoli 1. Corinth. 9. *nunquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, ſicut cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?* nam, ùt exponunt, Tertullianus *lib. de Monogamia,* Hieronymus *lib* 1. *in Jovinianum*, Auguſtinus *lib. de opere Monach. c.* 4. Ambroſius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophilactus, aliíque Patres in 1. Cor. 9. per *ſorores mulieres* non intelliguntur uxores, ſed piæ fæminæ, quæ ſequebantur Apoſtolos, ſicut etiam Chriſtum ſequebantur *Lucæ* 8. certè ſi fuiſſent uxores, tanquam ſorores eas habebant, absque uſu matrimonii. Audiri hac ſuper re meretur Clemens Alexandrinus, qui *lib.* 3. ſtromatum ſcribit: *Apoſtoli prædicationi attendentes, non ùt uxores, ſed ùt ſorores circumducebant mulieres, quæ unà miniſtraturæ eſſent apud mulieres, per quas etiam in gynæceum absque mala ſuſpicione ingredi poſſet doctrina.*

Specialiter autem S. Paulum, cujus illa ad Corinthios erat interrogatio, non fuiſſe uxoratum, teſtantur paſſim SS. PP. ùt Hilarius *in Pſal.* 127. Epiphanius *hæreſi* 58. *Valeſiorum.* Chryſoſtomus *in* 1. *Corinth.* 9. Hieronymus *in epiſt. ad Euſtachium de virg.* Ambroſius *in cap.* 7. 1. *Corinth.* & quomodo S. Paulus, ſi fuiſſet uxoratus, ſcribere potuiſſet 1. *Corinth.* 7. *innuptis & viduis dico: bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego?*

30. *Ex Conciliis.* Conſentit exemplo doctrina Apoſtolorum. Teſtem locupletem habemus ſynodum Carthaginenſem II. ultra undecim ſæcula Lutheranâ ſectâ antiquiorem. Hæc canone 2. ſic habet: ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: *Omnibus placet, ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, etiam ab uxoribus ſe abſtineant, ut in omnibus & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui Altari deſerviunt.* Et additur ulterior ratio: *Ut, quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.*

Taceo, canone Apoſtolorum 25. iis tantùm Clericis permitti matrimonium, qui necdum in majoribus ordinibus ſunt conſtituti. Licèt enim Canones illos neque ab Apoſtolis traditos, neque à S. Cle-

S. Clemente conscriptos censeam, sunt tamen antiquissimi; ut adeò ad comprobandam antiquitatis disciplinam apprimè sint idonei.

Huic sanctissimo Apostolorum instituto suffragantur antiquissima Ecclesiæ Concilia, in variis orbis provinciis celebrata, atque imprimis *Neo-Cæsariense* in Oriente; cujus canon 1. *presbyter*, inquit, *si uxorem duxerit, ordine suo moveatur.* Imò ipsa etiam Græcorum synodus *Trullana can.* 6. vetat, ne Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Sub-Diaconi post ordinationem matrimonium ineant. Et *can.* 48. prohibet, ne Episcopus cohabitet uxori. Et jam dudum antea Concilium Nicænum vetuit *can.* 3. ne Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, introductam habeat mulierem, præter matrem, sororem, amitam. Et hæc quidem in Oriente ab ipsis Græcis sunt sancita.

In Ecclesia Latina habentur innumera Conciliorum testimonia: & quidem ex Africa Concilii *Carthaginensis II. cap.* 2. suprà allegato: *Carthaginensis V. can.* 3. Ex Italia, Concilii *Romani* sub Sylvestro I. quod *can.* 8. etiam Sub-Diaconis matrimonium prohibet. Ex Hispania, Concilii *Elibertini can.* 33. *Toletani II. cap.* 1. *Toletani VI. cap.* 26. Ex Gallia, *Arelatensis II. can.* 2. *Turonensis I. can.* 1. *&* 2. *Turonensis II. can* 20. *Aurelianensis III. can* 2. cavet, *ut nullus Clericorum à Subdiacono & suprà propriæ, si fortè habeat, misceatur uxori.* Ex Germania Concilii *Aquisgranensis* tempore Ludovici Pii cap. 6. *Wormatiensis cap.* 9. *&c.*

Conciliis consentiunt summi Pontifices, magno numero. Imò ipsi etiam veteres Imperatores testimonium deponunt. Sic *Novell.* 22. *cap.* 42. ait Justinianus: *Sed & si quis inter reverendissimos constitutus Clericos (ultra lectorem aut cantorem dicimus) omnino contraxerit nuptias: hunc ex nostra constitutione cadere sacardotio constituimus, atque volumus.* Et *Novell.* 6. *cap.* 5. *Si autem*, ait, *aliquis Presbyter, Diaconus, aut Subdiaconus, postea ducat uxorem, aut concubinam, aut palàm aut occultè, sacro statim cadat ordine.* 31. *Ex Jure Civili.*

Item Authent. *multò magìs* Cod. de Episcopis & Clericis: *multò magìs ergo cessent eorum conjugia. Soli enim Cantores Lectorésque nuptias contrahere permittuntur. Aliis autem omnibus penitus interdicimus.*

Et Authent. seq. *Episcopo nullam mulierem secum habere permittitur. Sed si habere probetur, ab Episcopatu dejiciatur: quo se fecit indignum.* Videant hîc hæretici, quid vel ipsum Jus Cæsareum, antiquissimum, statuat. Quamvis enim illi non sit potestas decernendi de matrimonio,

monio, præſertim perſonarum Eccleſiaſticarum. Validum tamen inde habetur teſtimonium veteris in hac re diſciplinæ.

Si jam luberet colligere SS. Patrum ſuffragia, integrum teſtium nubem ab omni retro ætate poſſemus producere. Interim unum audiamus Epiphanium, qui ad finem ſui operis contra hæreſes clariſſimè deſcribit antiquitatis obſervantiam. *Sanctum*, inquit, *ſacerdotium ex virginibus, ùt plurimùm, aut ex ſolitariis, aut ſi hi ad miniſterium non ſuffecerint, de his, qui ſe à propriis uxoribus continent, & ſi quis ab initio continens viduus fuerit, habere poteſt locum Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi.* Plures alios Patres in quæſtionibus ſequentibus producemus.

QUÆSTIO III.

An ante Siricium Papam præcepta fuerit Sacerdotibus continentia?

32. Non tantùm Acatholici univerſim negant, ante Siricium Papam (qui anno 384. Pontificatum adiit) ullum exſtitiſſe in Eccleſia præceptum, quo Sacerdotibus continentia præciperetur; ſed etiam quidam ex Catholicis. Hos inter Natalis Alexander *diſſert.* 19. *in Hiſt. Eccleſ. ſæculi IV.* fatetur quidem, Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos perpetuam continentiam ſervâſſe, *ex Eccleſiæ diſciplina, diuturno uſu, & ab Apoſtolicis temporibus derivato, firmata*, quam tamen primùm Siricius, aliíque poſt eum Pontifices, atque Concilia decretis ſuis roborârint.

Differunt tamen auctores iſti Catholici ab hæreticis in hoc, quòd illi facilè concedant, vetitum fuiſſe jam à primis Eccleſiæ initiis Sacerdotibus poſt ordinationem uxorem ducere: ſed id ſolùm opinantur, licuiſſe ipſis uti matrimonio, ante ordinationem inito. Hæretici verò conantur evincere, utrumque fuiſſe licitum. Contra quos

33. *Antiquitas præcepti.* Dico. Non tantùm prohibitum fuit, jam ante Siricium Papam, Sacerdotibus poſt ordines ſuſceptos matrimonium contrahere, ſed etiam jam priùs contracto uti; ut adeò perpetuam debuerint ſervare continentiam.

Probatur 1. ex S. Paulo Apoſtolo, qui 1. *Corinth.* 7. jubet, conjugatos ad tempus vacare ex conſenſu ab opere conjugali, ut orationi inſtare poſſint. Ex quo infert S. Hieronymus *lib.* 1. *in Jovinia-*

vinianum, S. Paulum præcipere perſonis ſacris, ut ſemper vacent ab opere carnali conjugii, cùm quotidie orationi debeant inſiſtere.

Eodem argumento ex hoc loco petito utitur *Origenes*, Siricio multò antiquior, *homil.* 23. *in lib. Numer.* ubi ait: *Certum eſt, quia impeditur ſacrificium indeſinens iis, qui conjugalibus neceſſitatibus ſerviunt. Unde videtur mihi, quod illius ſolius eſt offerre ſacrificium, qui indeſinenti & perpetuæ ſe devoverit caſtitati.*

Adhuc clarius loqui videtur *S. Epiphanius* hæreſi 59. quæ eſt Catharorum: *Sed &*, inquit, *adhuc viventem & liberos gignentem unius uxoris virum Eccleſia non ſuſcipit, ſed eum, qui ſe ab una continuit, vel in viduitate vixit, Diaconum, & Presbyterum, & Epiſcopum, & Hypodiaconum: maximè ubi ſinceri ſunt canones Eccleſiaſtici.* Solvit deinde objectionem: *At dices mihi, in quibusdam locis adhuc liberos gignere Presbyteros, & Diaconos, & Hypodiaconos: at non eſt juxta canonem, ſed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit.* Ergo ante Siricium exſtabat canon, qui prohibuit Sacerdotibus liberos gignere. Nam Epiphanius ante Siricium ſcripſit. Scripſit enim *Panarium* ſuum de hæreſibus anno Chriſti 371. adeóque 13. annis ante Siricii Pontificatum. Natalis ad hunc locum reſpondet, S. Epiphanium ſæpiùs contra Hiſtoriæ leges peccare. Verùm quando quæſtiò facti antiqui vertitur, malim ego S. Patri Epiphanio credere, quàm heſterno ſcriptori, quatuordecim ſæculis juniori.

34. Probatur ex Patribus.

Idem S. Pater Epiphanius docet *Hæreſi* 48. Chriſtum ipſum hujus diſciplinæ eſſe authorem, atque de ea Apoſtolos leges condidiſſe & canones. *Id quod Apoſtoli deindè honeſte & religioſè decreverunt per Eccleſiaſticam Sacerdotii regulam.*

Siricio antiquior pariter eſt *S. Cyrillus Ieroſolymitanus*, utpote qui jam obiit anno 386. Siricius verò primùm 398. certè Catecheſes ſuas ſcripſit ante Pontificatum Siricii: cùm eas in juventute ſcripſerit, ùt teſtatur S. Hieronymus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, & Baronius ad annum Chriſti 386.

Jam verò hic S. Pater *Catecheſi* 12. ait: *Qui apud JEſum bene fungitur Sacerdotio, abſtinet à muliere. Ipſe JEſus quomodo ex viro & muliere proditurus eſſet?* At certè præceptum eſt bene fungi Sacerdotio.

Multo etiam antiquior Siricio eſt S. Cyprianus, qui toto libro *de ſingularitate Clericorum* probat, Clericos nullas domi ſuæ mulieres habere debere. Et etiamſi fortè liber ille non ſit S. Cypriani, ùt plures eruditi exiſtimant, eſt tamen antiquiſſimus.

Et quot alii SS. Patres Siricio aut antiquiores aut ſuppares continentiam Sacerdotum non ſub arbitrariam obſervantiam, ſed

strictam obligationem ponunt! certè S. Gregorius Nyssenus lib. *de virginit. cap. ult.* ait, Sacerdotem non *obtemperare legi prohibenti*, qui nuptiali opere impurus sacrificium offerat.

S. Chrysostomus *homil.* 2. *de patient. Job*: oportere omni prorsus castitate Sacerdotem ornatum esse.

S. Ambrosius *lib* 1. *de officiis cap. ult.* Sacerdotes alloquens asserit, inoffensum exhibendum & immaculatum ministerium, nec ullo *conjugali coitu violandum.*

S. Hieronymus in *Apolog. ad Pammach. pro libris adversus Jovinianum* ait, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & universum chorum Sacerdotalem, & Leviticum, hostias offerre non posse, si operi serviant conjugali. Et *lib.* 1. *adv. Jovin.* testatur, Episcopum, qui uxore utitur, tanquam adulterum damnari. Epist. 50 scribit: *Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes, Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium in æternum pudici.* Et ne putet quispiam, S. Patrem tantùm loqui de actibus vel omissionibus meræ facultatis vel arbitrariis, *lib.* 1. *adversus Jovinianum cap.* 19. obligationem continentiæ Sacerdotum ferventer proponit, aitque semper iis ab opere conjugali abstinendum.

Consentiunt SS. Patribus Concilia, etiam antiquiora Siricio: sic Concilium Illiberitanum *can.* 33. *placuit*, inquit, *in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, Diaconibus & Subdiaconibus, positis in ministerio, abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios.*

35. *Ex Nicæno.* Denique, ut alia particularia Concilia prætercam, ipsa Nicæna synodus prima atque æcumenica, Siricio multis annis antiquior, non tantùm Ecclesiæ disciplinam, consuetudinem ac traditionem continet, sed veram prohibitionem. Sic enim statuit: *Vetuit omnino magna synodus, ne liceat Episcopo, nec Presbytero, nec Diacono, nec ulli penitus eorum, qui sunt in Clero, introductam habere mulierem, præterquam utique matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas mulieres, quæ omnem suspicionem effugiunt.*

36. *Exceptio Natalis.* Verùm contra argumentum, ex hoc Concilio petitum insurgit Natalis Alexander *Dissert.* 19. *in Hist. Eccles. quarti sæculi propos.* 1. per *subintroductas mulieres* non intelligi uxores, sed extraneas duntaxat:

1. Quia illæ tantùm intelliguntur, quæ suspicionem malam adversùs sanctitatem Clericorum parere possunt, uxores autem non esse tales.

2. Quia posteriora Concilia non interdixerunt Clericis convictu uxorum, ante ordinationem ductarum, sed tantùm extranearum.

3. Quia

3. Quia tota retro antiquitas nomine *ſubintroductarum* mulierum nusquam intellexit uxores aut conſauguineas.

Reſpondetur. Imprimis Gentianus Hervetus, celeberrimus Conciliorum interpres, non habet vocem *ſubintroductas*, ſed *introductas*. Deinde falſum eſt, quòd ex mente Concilii per *ſubintroductas* mulieres tantùm intelligantur extraneæ. Nam etiam mater, ſoror, & amita inter *ſubintroductas* à Concilio collocantur. Aliàs enim non fuiſſet opus iſtas excipere. Sic qui diceret: nullus doctus Catholicus Concilium Nicænum ita interpretatur; præterquam Natalis, utique Natalem inter doctos Catholicos collocat. Cùm igitur etiam uxor eodem jure, imò meliore, inter ſubintroductas cenſeri poſſit, illámque ſynodus non excipiat, ſicut tamen excipit matrem, &c. vetuit ſynodus etiam, ne quis Clericus uxorem in domum ſuam introductam habeat. Et cur aliàs S. Baſilius *epiſt.* 17. Peragorium, decrepitæ jam ætatis Sacerdotem graviſſimè increpuiſſet, quòd uxorem ſuam, quam ante ordinationem duxerat, rurſus in domum ſuam admiſerit, excommunicationem ei comminatus, niſi eandem dimitteret, ſi Concilium generale id conceſſiſſet?

37. *Replica.*

Videtur etiam ſecum ipſo pugnare Natalis, dum ait, ſynodum illas tantùm mulieres è domo Clerici velle excluſas, *quæ ſuſpicionem malam adverſùs ſanctitatem Clericorum parere poſſent:* ſimúlque dicit *propoſit.* 2. temporibus Concilii Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos perpetuam continentiam ſervâſſe *ex Eccleſiæ diſciplina, diuturno uſu, & ab Apoſtolicis temporibus derivato, firmata.* An non autem etiam uxores, domi retentæ, ſuſpicionem parere poterant, ne aliquid contra ſanctitatem illam Clericorum, continentiam, & Apoſtolicam Eccleſiæ diſciplinam ageretur? An perpetua uxoris præſentia & converſatio nullum libidini fomitem præbere poſſet?

Falſum pariter eſt, quod poſteria Concilia non interdixerint Clericis convictu cum uxoribus, ùt in hac quinta parte frequenter oſtendetur: & oſtenſum jam eſt ex *can.* 2. Concilii Arelatenſis II. aliiſque multis.

At opponit Natalis ulteriùs, aítque, Nicænam ſynodum ſacris Miniſtris uxorum, ante ordinationem ductarum, uſu non interdixiſſe, vel ex eo patere, quòd omnibus Clericis, etiam inferiores Ordinis interdixerit, ſubintroductas habere mulieres. Clericis autem Minoribus, neque in Latina nec Græca Eccleſia legem perpetuæ continentiæ fuiſſe impoſitam.

38. *Aliæ Natalis objectiones.*

Respondetur 1. per *Clerum* præcipuè & *antonomasticè* intelligi personas in sacris ordinibus constitutas: adeóque Nicænum de his posse intelligi, nempe de Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & insuper de *Subdiaconis*. Certè SS. Patres & Concilia non rarò istos solos appellant *Clerum*. Sic S. Leo M. *in epist.* 82. *ad Anastasium*, dum ait, extra *Clericorum* ordinem constitutis licitas esse nuptias & liberorum procreationem, per Clericos intelligit ordinibus majoribus insignitos, non autem minoribus solummodo initiatos, quia illis semper licitæ fuerunt nuptiæ.

Respondetur 2. Quamvis directè & absolutè Clericis Minoribus lex continentiæ non fuerit imposita, potuerintque (sicut hodiedum) inire matrimonium, tamen, si volebant ad altiores ordines ascendere, debebant servare continentiam, atque ad sacros ordines se habiles reddere.

Sed legibus Ecclesiasticis & Imperialibus, inquit, sancitum fuit, ut Clerici curam gererent uxorem, & ipsis castè conviverent. Et sanctissimi viri ad Sacerdotium assumpti, post Nicænæ synodi tempora, cum uxoribus commorati sunt eadem in domo, sicut *Paulinus* cum Therasia, *S. Hilarius* cum uxore, quam ante Sacerdotium & Episcopatum duxerat.

Respondetur. Aliud est curam gerere uxoris, ante sacros ordines ductæ, aliud in eadem domo aut habitatione eandem secum habere. Hoc posterius nusquam est sancitum Ecclesiasticis aut Imperialibus legibus. Imò colligitur ex iis contrarium: dum inter domum Ecclesiasticam & sæcularem (in qua degit uxor Clerici) distinguunt. Sic Concilium Turonense II. *can.* 12. monet Episcopum (qui ante ordinationem uxorem duxerat) ut domum tam Ecclesiasticam quàm propriam ita gubernet, ut nulla de eo suspicio consurgat.

Cæterùm illud probè notandum; licèt post Nicænum Concilium permissum fuisset in pluribus locis, ut sacerdotes habitarent in eadem domo cum uxoribus, ante ordinationem ductis, imò etiam matrimonio tali uterentur, nullatenus tamen sequitur ex eo, à Nicæno Concilio hoc non fuisse prohibitum. Sicut ex eo, quòd post Concilium plures sacerdotes habuerint in domo sua œconomas & famulas extraneas, & hodiedum habeant, non sequitur, id à Synodo Nicæna non fuisse prohibitum. Plura nempe circa disciplinam successu temporis mutari contingit; & toleranda non rarò ab Ecclesia, quæ impediri non possunt.

Deni-

Denique Natalis affert Historiam, quam Socrates *Hist. Eccles.* 39.
lib. 1. *cap.* 8. narrat de *Paphnutio:* quòd videlicet Patres Nicænos à lege perpetuæ continentiæ ab uxoribus, ante ordinationem ductis, sacris Ministris imponenda, intercessione sua deterruerit, cùm in eam legem ferendam maximè propenderent. *Narratio de Paphnutio*

Verùm hanc narrationem videri à Socrate confictam cum Cardinalibus Baronio & Bellarmino aliísque, ùt Thomassino *vet. & nov. discipl. p.* 1. *l.* 2 *cap.* 60. dixi *part.* 3. *cap.* 4. §. 3. quia scriptores, *Socrate* antiquiores & veraciores, de re tanti momenti nihil meminerunt. Imò oppositum omnio docuerunt de continentia majorum Clericorum, ùt ostendimus. Sanè incredibile est, omnes scriptores per integrum sæculum de re adeò memorabili, & contra disciplinam Ecclesiæ ab ipsis Apostolis traditam & propagatam, nullam omnino mentionem facturos fuisse. Præsertim cùm tempore, inter synodum Nicænam I. & Socratem medio plurimis doctissimis & sanctissimis scriptoribus orbis floruerit. *fabulosa.*

Scripsit enim Socrates Historiam suam primùm circa medium sæculi V. sub Theodosio Juniore, circa annum videlicet 440. ac brevi post eandem narrationem ex Socrate descripsit Sozomenus. Tempore autem illo intermedio scripserunt S. Athanasius, qui Concilio Nicæno interfuit, & multa de illo scripsit, Serapion, Julius Maternus Firmicus, Lucifer Calaritanus, Victorinus Afer, Pacianus, Dydimus Alexandrinus, Optatus Milevitanus, S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Ephrem, S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Damasus, Faustinus Diaconus, S. Epiphanius, S. Ambrosius, Idacius Clarus, S. Gregorius Nyssenus, S. Hieronymus, Theophilus Alexandrinus, Diadochus, Ruffinus, S. Gaudentius, Aurelius Prudentius, S. Joannes Chrysostomus, S. Augustinus, S. Maximus, Ausonius, S. Paulinus Nolanus, Severus Sulpitius, Paulus Orosius, S. Cyrillus Alexandrinus.

Hi, inquam, omnes, aliíque plures viri eruditissimi, scripserunt post synodum Nicænam, & ante Socratem & Sozomenum, & tamen nullus eorum quidquam meminit de intercessione illa Paphnutiana, in œcumenio illo celiberrimóque concilio, circa rem magni momenti, atque ad Clerum totius orbis pertinentem, proposita: donec tandem post centum & ultra annos duo Novatiani Hæretici, Socrates videlicet & Sozomenus, quorum Historia alioquin, ùt eruditi dudum observârunt, erroribus & mendaciis scatet, rem inauditam antea orbi narrârunt. Et cur de hac intercessione Paphnutii nihil meminerunt Orientales Episcopi, in synodo

Trul-

Trullana congregati? cùm enim illi reprehenderent Romanam Ecclesiam, quòd Sacerdotibus & Diaconis matrimonii usum prohibeat, & unde argumenta conquirerent, disciplinam illam carpendi, vel maximè ad eorum propositum faciebat Socratis illa narratio, ut ostenderent, etiam à Nicæno œcumenico concilio Clericis majoribus permissum usum uxorum. Profectò tam memorabile factum in favorem sui decreti allegare non omisissent, si Historicis, illud narrantibus fidem habuissent.

Sed neque causa deerat Socrati hujus figmenti. Nam Novatiani docebant, quoad matrimonii usum nullum inter Clericos & Laicos debere intercedere discrimen, teste S. Epiphanio *Hæresi* 59. ubi ait: *Quæ Sacerdotio propter singularem functionis illius dignitatem præcipuè tributa sunt, ea ad omnes communiter pertinere judicant.* Excipit quidem Natalis contra fidem S. Epiphanii, aítque, eum Novatianis illum errorem affingere. Sed quantùm ejusmodi exceptio hesterni Scriptores, cujus Historia Ecclesiastica Romæ fuit publicè prohibita, valere debeat, contra celebrem adeò eruditum, sanctúmque Ecclesiæ Patrem, judicent æqui arbitri.

Illud mirabilius videri possit, S. Epiphanium & S. Hieronymum, qui tam clara de continentia sacerdotum, canonibus sancita, testimonia deponunt, Natali nimis seros esse scriptores, eò quòd 80. circiter annis à Nicæni Concilii tempore sint remoti, & non seros nimiùm scriptores ipsi esse Socratem & Sozomenum, qui 110. annis circiter à Nicæni Concilii tempore sunt remoti. Si variari (ùt inquit) interea potuit disciplina: an non etiam variari potuit postea quibusdam in locis disciplina, *can.* 3. à Nicæno sancita, circa continentiam Clericorum? Cadunt ergo omnia illa, que ipse pro incontinentia Clericorum, & enervando canone tertio Concilii Nicæni, operosè adeò collegit.

Et planè, cùm continentia sacerdotum ab Apostolica descendat traditione, atque perpetua Ecclesiæ disciplina, ùt Natalis ipse fatetur, verisimile non est, *S. Paphnutium*, cujus castimoniam, à prima juventute in monasterio serverissimè cultam, tantopere dilaudat Socrates, matrimonia sacerdotum, eorúmque usum tantis encomiis celebrâsse. Profectò, si subsistunt, quæ tum ex Socrate, tum ex se ipso affert Natalis, videtur ex illis plùs inferri posse, quàm ipse velit, imprudenter videlicet egisse Ecclesiam, dum sacris Ministris matrimonio interdixit, & conjugatos non alio pacto ad sacros ordines admittit, nisi promissa ab utroque conjuge separatione & continentia.

Per

Per hæc tamen, quæ de lege ſervandæ continentiæ hactenus dicta ſunt, nolim evincere, primis ſtatim Eccleſiæ temporibus exſtitiſſe legem ſcriptam claram, qua expreſsè Clericis Majoribus præciperetur continentia. Sed conſuetudo illa, & Eccleſiæ diſciplina, ab ipſis Apoſtolis derivata (quam fatetur Natalis) pro lege fuit. Quis enim neſcit, diuturnos populi mores & conſuetudinem legem inducere?

QUÆSTIO IV.

Explicatur diſtinctiùs quænam in Eccleſia, tum Latina tum Græca, circa continentiam Clericorum viguerit vigeátque diſciplina.

Cœlibatum Sacerdotum non eſſe Juris Divini, neque tamen arbitrio Sacerdotum permiſſam, ſed antiquiſſima lege Eccleſiaſtica præceptam iis continentiam, diximus hactenus. Jam enucleatiùs atque diſtinctiùs aliquantò explicandum, quænam in hac re diſciplina fuerit atque etiamnum ſit in Eccleſia, tum Latina, tum Græca, & quodnam inter utramque diſcrimen. 40

ARTICULUS I.

Quænam in hac re ſint certa?

Certum eſt primò, Clericos, qui minoribus duntaxat Ordinibus ſunt initiati, & validè & licitè contrahere poſſe matrimonium; nulla ſiquidem lege id ipſis invenitur prohibitum. Imò tum aliis Canonibus tum præſertim *can. ſeriatim* 14. *diſt.* 32. id ipſis apertè intelligitur conceſſum, *Oſtiariis* videlicet *Lectoribus*, *Exorciſtis*, & *Acolythis*. Neque aliquod quoad hoc in Eccleſia Orientali & Occidentali diſcrimen. 41. *Minoriſtæ licitè contrahunt.*

Dubium quidem movere poſſet Canon Apoſtolorum 25. qui *Lectoribus* tantùm & *Cantoribus* videtur indulgere facultatem illam. At, præterquam quòd Canones illi non deſcendant ab ipſis Apoſtolis, *Lectorum* & *Cantorum* nomine reliqui etiam minores Clerici poſſunt intelligi; præſertim cùm eadem ſit de omnibus ratio. Quamvis enim Ordines illi probabiliùs ſint Sacramenta, iiſque initiatos,

ex Laicorum conditione extractos, Clericos inter constituant, atque Beneficiorum Ecclesiasticorum capaces efficiant (quod & prima jam Tonsura præstat) remotiùs tamen ad sacris ministrandum ordinant, quàm ut propterea voto aut præcepto castimoniæ adstringendos Ecclesia censeat, aut *sacrorum* ordinum nomenclatione insigniat: hac appellatione majoribus tantùm Ordinibus per antonomasiam reservata.

42. *Amittunt tamen Beneficia &c.* Si tamen minores ejusmodi Clerici matrimonium contrahant, amittunt, quæ habent, Beneficia; & ad alia obtinenda redduntur inhabiles. *cap.* 3. *&* 5. *de Cleric. conjug. malè enim*, ùt inquit ibidem Innocentius Papa, *concordat cithara cum psalterio.* Et qui alligatus est uxori, ùt ait Apostolus, cogitat, quomodo placeat uxori, abstractus à cura Clericalis ministerii. Sed neque per uxoratos Clericos rebus Ecclesiæ satis esset consultum, in filiorum nepotúmque necessitates distrahendis.

Ipso facto. Neque per sententiam primùm Judicis, sed jure ipso Beneficiis excidunt, si matrimonium ineant *validè*; tenentúrque restituere fructus, à die conjugii perceptos. Quia ex juris dispositione non alia intentione aut conditione, quàm cœlibatûs, confertur Beneficium: censentúrque renuntiare, qui statum alium, pugnantem cum clericatu, assumendo conditionem non implent. Quamvis enim citati suprà canones dicant, eos *spoliandos*, *privandos*, *compellendos*, eæ tamen voces non designant, per sententiam Judicis eos privandos *jure* ac *titulo* Beneficii, (quo jam exciderunt) sed *possessione* solummodo, si eam adhucdum retineant. Neque enim hæc lex est pœnalis (cùm matrimonium contrahendo nulla culpa sit contracta) sed in bonum status Ecclesiastici ac clericalis ministerii lata, ex dispositione Ecclesiæ, ùt passim agnoscunt DD. privans jure Beneficii.

Imò non tantùm amittunt Beneficium, sed etiam gratias exspectativas, ùt vocant, pensiones, titulo clericali ipsis assignatas, & quævis alia jura spiritualia ad Beneficia Ecclesiastica, quæ ante matrimonium illis competebant, ex collatione, nominatione, præsentatione, háncque privationem non tantùm operatur matrimonium jam consummatum, sed etiam ratum: ita quidem, ut solus Summus Pontifex dispensare cum iis possit ad Beneficia conservanda.

Dixi autem: si matrimonium *validè* sit contractum. Nam si illud ex quacunque causa esset irritum, non privarentur ipso jure. Quia cessaret ratio: & per se *non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum*, ùt habet regula Juris 52. in 6.

Certum

Certum est secundo, semper in Ecclesia, tam Græca, quàm Latina, vetitum fuisse Sacerdotibus post ordinationem contrahere matrimonium. Hoc enim fatentur non tantùm scriptores universim omnes catholici Ecclesiæ Occidentalis, sed etiam Græcæ ac Orientalis. Exstátque in hanc rem Canon Apostolicus 25. qui ait: *Ex his, qui cœlibes in Clerum pervenerunt, jubemus, ut lectores, tantùm & cantores, si velint, nuptias contrahant.* 43. *Sacerdotum cœlibatus.*

Ipsi etiam Trullani Patres, licèt concesserint Presbyteris, & Diaconis usum uxorum, quas ante ordinationem duxerant, prohibuerunt tamen, ne ullus illorum post sacram ordinationem matrimonium contrahat; durátque hæc Græcorum disciplina in hodiernum usque diem.

Probat hoc ipsum illa etiam Historia, quam Hæretici toties nobis obtrudunt, de intercessione Paphnutii, in Concilio Nicæno facta. Nam si narratio illa Socratis atque Sozomeni subsistat, Paphnutius expressè voluit prohibitum, ne ullus ex Clericis Majoribus post ordinationem, nuptias celebret: ipsíque in hoc totus Patrum Senatus assensum præstitit.

Innumera Conciliorum, Patrúmque, tam Græcorum quàm Latinorum, testimonia luculenta in rem hanc conferri possent, si opus foret. Nullus scriptor orthodoxus, imò ne quidem ex Græcis, Schismate abstractis, ullus facilè inveniri poterit, qui afferat, licuisse unquam Sacerdotibus contrahere matrimonium, postquam per ordinationem ad Episcopatum, aut Presbyteratum, fuerant promoti. Nullùmque in tota retro antiquitate exemplum exstat, hoc ritè esse factum.

Certè omnia argumenta, quæ Hæretici contra cœlibatum Sacerdotum coacervare solent, plus non probant, quàm aut aliquos Ecclesiasticos ante Ordines sacros susceptos habuisse uxorem, aut Græco ritu post ordinationem usos esse matrimonio, ante sacros Ordines contracto. Nunquam autem probant, aliquem Episcopum, aut Sacerdotem, licitè contraxisse matrimonium.

Videant proin Protestantes, quid de eorum Protoplastis, Luthero, Zwinglio, Calvino, Oecolampadio, Bucero, Vermilio, Vireto, Pellicano, Ochino, Carlstadio, Minzero, Marlorato, Bugenhagio, aliisque apostatis, sit sentiendum: qui novo & inaudito in orbe Christiano exemplo post susceptum in Ecclesia catholica sacerdotium, sacratósque ordines, ad sacrilegas nuptias, tanquam famelici corvi ad escas, malè olentes, convolârunt.

44. *Matrimonium invalidum.* Certum eſt tertiò, non tantùm illicitum eſſe matrimonium Clericorum, qui majoribus Ordinibus ſunt inſigniti, ſed etiam *invalidum*, ſaltem in Eccleſia Latina. Apertè enim hoc diciſum habemus *c. de Diacono* 1. *qui Cleric. vel vov.* & à Tridentino Concilio *ſeſſ.* 24. *can.* 9. ubi anathema dicitur aſſerenti, Clericos in Majoribus conſtitutos, Presbyteros nempe, Diaconus & Sub-Diaconus poſſe matrimonium contrahere, contractúmque validum eſſe.

Dixi autem, *ſaltem in Eccleſia Latina.* Nam de Græca id quidam in dubium volebant trahere. Sed certum eſſe videtur, in illa etiam matrimonium, à Clericis Majoribus poſt ordinationem contractum eſſe irritum; ùt docent Palud. *in* 4. *diſt.* 3. *q.* 1. *art.* 1. Archid. Gemin. Turrecrem *in c. Diaconi diſt.* 28. Sylveſt. *pract. quæſt. V. matrim. q.* 8. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. diſt.* 28. *n.* 4. Filiuc. Pignatelli. Schmaltzgr. &c.

Ratio eſt, quia quoad matrimonium, poſt ordinationem contractum, nullum in utraque Eccleſia invenitur diſcrimen. Neque enim vel Trullana Synodus quoad matrimonium, poſt ordinationem contractum, diverſum quid ab Eccleſia Romana ſtatuit. Fuítque antiquiſſima & univerſalis Eccleſiæ regula, etiam ante exortum ſchisma, SS. PP. Teſtimoniis roborata, Sacerdotum matrimonia eſſe irrita.

Unde Innocentius II. *cap. ut lex cauſa* 27. *q.* 1. dicit, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos & Sub-Diaconos, Regulares &c. qui uxores ſibi copulare præſumpſerint, eſſe ſeparandos: *hujusmodi namque copulationem, quam contra Eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contractam, matrimonium non eſſe cenſemus.*

Deinde Græci etiam, tanquam ſubditi Apoſtolicæ Sedis, tenentur legibus univerſalibus Eccleſiæ. Cùm igitur tum ſacris Canonibus, tum Oecumenici Concilii Tridentini oraculo generaliter declaratum ſit, ejusmodi matrimonia eſſe invalida, atque contrarium aſſerenti dicat anathema, de omnium ſacerdotum matrimoniis id oportet intelligi.

Neque obſtat *cap. aliter diſt.* 31. ubi dicitur, Clericos in Eccleſia Orientali matrimonio copulari. Nam præterquam, quòd Gratianus hoc capitulum tribuat Stephano Papæ (non determinando, quis aut quotus ille fuerit) in Synodo Lateranenſi ita loquenti ibidem autem non inveniatur; dici congruenter ad alios Canones poteſt, capituli illius ſenſum non eſſe, quòd Orientales Clerici poſt Ordines ſacros ſuſceptos copulentur contrahendo matrimonium, ſed quòd copulam conjugalem exerceant, utendo matrimonio, jam ante ordinationem contracto.

Certum

Certum eſt quartò, nunquam (ne quidem in Eccleſia Orientali) licitum fuiſſe Epiſcopis uti matrimonio, etiam ante conſecrationem Epiſcopalem contracto. Nam Concilium Trullanum (quod omnium maximè à diſciplina Eccleſiæ Romanæ recedit) licèt Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis dederit facultatem utendi matrimonio, ante Ordines ſacros contracto, expreſſè tamen excepit Epiſcopos, quibus ab uxoribus ſe continere ſeverè præcepit: ùt videre eſt *can.* 48. ubi præcipitur, ut Epiſcopus ne quidem cohabitet uxori.

Certum videtur quintò, ante ſynodum Trullanam neque Presbyteris Orientalibus conceſſum fuiſſe uti matrimonio, etiam ante ordinationem contracto. Hæc aſſertio eſt quidem non tantum contra Hæreticos, ſed etiam contra Natalem Alexandrum; contra quos tamen ſatìs demonſtratam putamus *quæſt.* 3. 45. *Nec uti licuit antè contracto.*

Unum hic addo vel alterum veritatis hujus argumentum. Innocentius I. ſummus Pontifex, ſummúſque in terris Eccleſiæ Legislator, qui tribus ferme ſæculis ſynodo Trullana fuit antiquior *epiſt.* 2. *ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum cap.* 9. ſic ſcribit (ùt habetur *cap.* 4. *diſt.* 31.) *tenere debet omnino Eccleſiæ, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus ſuis non miſceantur.* Additque plures præcepti hujus rationes. Idem ſcribet ad *Exuperium cap.* 1.

Pariter S. Leo M. ultra duo ſæcula antiquior Trullano ſynedrio, *epiſt.* 90. *cap.* 3. ſcribens Ruſtico Narbonenſi Epiſcopo, ait: *Lex continentiæ eadem eſt Altaris miniſtris, quæ Epiſcopis atque Presbyteris, qui cùm eſſent laici, ſive lectores, licitè uxores ducere, & filios procreare potuerunt; ſed cùm ad prædictos pervenerunt gradus, cœpit eis non licere, quod licuit. Unde, ut ſpirituale fiat conjugium, oportet eos nec uxores dimittere, & quaſi non habeant, ſic habere: quo & ſalva ſit charitas, & ceſſent opera nuptiarum.*

Ex quibus ſanè ſummi Legislatoris declarationibus patet, ante Trullanum conventum (qui circa finem ſeptimi ſæculi Conſtantinopoli eſt habitus) ſacerdotibus non licuiſſe uti matrimonio, ante ordinationem contracto. Nam ſummi Pontificis, Eccleſiæ totius Capitis, & Chriſti Vicarii præceptis etiam orientalis tenebantur.

Taceo, ipſam etiam Generalem Nicænam ſynodum (utique in Oriente celebratam) vetuiſſe, ne Presbytero, Diacono, &c. uxor cohabitet, ùt ſupra oſtenſum. Quem etiam in ſenſum S. Epiphanius, S. Chryſoſtomus, S. Gregorius Nyſſenus, aliíque Eccleſiæ orientalis Patres loquuntur, ùt pariter ſuprà indicatum.

Dixi autem, ante *Synodum Trullanam.* Poſt illam enim alia in Oriente, quam dixi, cœpit diſciplina, dum Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi utebantur matrimonio, ante ordinationem contra-

ſto: non quòd ipſis hoc ſtatim licitum fuerit (nam conciliabulum Trullanum, quod à Sergio, illius temporis Pontifice, eſt reprobatum, hoc licitum eis facere non poterat: ùt Hubertus Cardinalis in ſua cum Niceta diſputatione Græcis exprobat, hoc licitum facere non potuerat) ſed quod ab eo tempore abuſus ille irrepſerit, quem tandem, cùm extirpare non poſſet, Eccleſia tolerandum cenſuit, hodiéque, etiam in unitis cum Romana Eccleſia, tolerat. *c. cùm olim 6. de Cleric. conjug.*

Certum eſt denique ſextò, non tantùm præceptam eſſe jure Eccleſiaſtico Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis perpetuam continentiam, ſed ejusdem etiam votum ſolenne Ordinibus eorum ſacris annexum eſſe: ùt clarè deciſum habemus à Bonifacio VIII. *c. un. de voto in 6.* ubi ait, hoc votum per ſuſceptionem ſacri Ordinis *ſolennizari.*

46. *Votum.* Diſceptari tamen ſolet, an obligatio continentiæ immediatè deſcendat ex voto, & tantùm mediatè ex Præcepto, quatenus Eccleſia ordinandis præcipit votum, quo dein ſolo immediatè obligentur continere?

Doctoribus in diverſas opiniones abeuntibus, cenſeo tam ex præcepto, quàm ex voto illam obligationem immediatè deſcendere, nam Eccleſia non tantum præcipit ordinandis votum, ſed etiam immediatè continentiam, ùt ex ſupra adductis præceptis patet. Votum verò & ipſum, expreſſè vel tacitè emiſſum, immediaté obligat.

Quo ſanè fit, ut, licèt quis in ſuſceptione ſacrorum ordinum abſolutè nollet votum continentiæ emittere, ſervare tamen eandem deberet ex præcepto Eccleſiæ; hoc ipſo, quòd voluntariè ac liberè ſuſcipiat ſacros Ordines. Aliud enim eſſet, ſi infans ordinaretur, aut ſimpliciter invitus.

ARTICULUS II.

Quænam in hac re videantur controverſa?

47. Controverſum videtur primò, an Diaconis poſt ordinationem unquam licitum fuerit inire matrimonium. Dubium movere cuipiam poſſet *cap. Diaconi. 8. diſt. 28.* deſumptum ex Concilii Ancy-

Ancyrani *can.* 10. ibi: Diaconi *quicunque, cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes, velle se habere uxores, nec posse se continere, hi si postea ad nuptias venerint, maneant in ministerio, propterea, quòd his Episcopus licentiam dederit. Quicunque sanè tacuerunt, & susceperunt manûs impositionem, professi continentiam, si postea ad nuptias venerint, à ministerio cessare debebunt.* Ex quo canone P. Schmalzgrueber *in tit. de Cleric. conjug. n.* 19. putat, non obscurè colligi, Diaconis quibusdam in locis permissum fuisse uxores ducere.

At hoc non obstante certum videtur, id nunquam Diaconis post ordinationem licuisse, saltem absque dispensatione. Evincunt hoc testimonia & argumenta suprà producta: quorum pleraque non tantùm de Sacerdotibus, sed etiam de Diaconis loquuntur; ùt patet ex iis, quæ ex Innocentio I. Leone I. aliisque adduximus. Imò ipsa etiam Trullana synodus *can.* 6. Diaconis quoque severè prohibuit post ordinationem contrahere matrimonium. 48. *Diaconis nunquam licuit.*

Sed neque Doctrinæ huic obstat cap. *Diaconi* paulò antè citatum: imò ex illo magìs confirmatur. Nam si tales in ordinatione protestantes possunt postea uxorem ducere, tunc ideo, quia, ùt ait capitulum, Episcopus cum illis dispensavit: *Propterea, quòd his Episcopus licentiam dederit.* Ergo manifestè colligitur, fuisse ipsis prohibitum, uxorem postea ducere: aliàs non fuisset opus dispensatione, aut licentia Episcopi.

Cæterùm Jacobus Pignatelli *tom.* 8. *consult.* 81. longè alium sensum canonis illius esse asserit, cum glossa *in cit. c.* glossa sic habet: *Statutum fuit in synodo Ancyrana, quodsi aliqui in Diaconos ordinentur, & dicant, se nolle, aut non posse continere, & Episcopus nihilominus ordinat eos, si postea contraxerint, ab uxore separabuntur, sed in ministerio remanebunt, quòd Episcopus eis licentiam dederit* (non quidem contrahendi matrimonium, sed eo irrito declarato, remanendi in ministerio) *si vero in ordinatione sua tacuerint, videntur continentiam profiteri, & ideo, si postea contraxerint, officio & beneficio privabuntur.* Hæc glossa.

Accedit, quòd Martinus Bracarensis in sua collectione canonum *c.* 39. longè aliter canonem illum legat: nempe ùt exstat *c. Diaconus dist.* 27. *Diaconus, qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit, non posse in castitate permanere, hic non ordinetur. Quodsi in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & postea matrimonium desideraverit, alienus sit à ministerio, & vacet à Clero.* Quocunque ergo sensu dictus canon intelligatur, nunquam ex eo probatur, licitum fuisse (saltem absque dispensatione) Diaconis matrimonium, sed omnino oppositum.

Plus

49. Plus dico. Certum videtur, quòd in Ecclesia Latina Diaconis nunquam licuerit uti matrimonio, etiam ante ordinationem contracto, & in Ecclesia orientali nunquam ante synodum Trullanam. Nam hoc pariter evincunt citata Patrum & Conciliorum testimonia.

Neque uti antè contracto.

Sic S Epiphanius *hæres.* 59. ait, Ecclesiam non suscipere Diaconum, adhuc liberos gignentem. Objectionem deinde solvit, quòd in quibusdam locis adhuc liberos gignant: respondétque, *hoc non esse juxta canonem:* contrarium fieri, *ubi sinceri sint canones* Ecclesiastici.

Siricius Papa in epist. ad Himerium Taraconensem *cap.* 7. vehementer invehitur in Sacerdotes & Levitas, qui continentiam, etiam ab uxoribus, non servant: vocátque crimen carnale eorum commercium. Addítque: *Si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus deinceps talis fuerit inventus, jam sibi omnem indulgentiæ per nos aditum intelligat obseratum: quia ferro necesse est exscindantur vulnera, quæ fomentorum non senserint medicinam.*

S. Innocentius I. *l.c tenere*, inquit, *omnino debet Ecclesia, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus suis non misceantur.* Per Levitas autem utique intelliguntur etiam Diaconi. Similiter S. Leo I. *l. cit.* non tantùm Episcopis & Presbyteris, sed aliis etiam Altaris Ministris legem continentiæ impositam esse denuntiavit, vi cujus ipsis nec matrimonium contrahere, nec antea contracto uti ampliùs liceat. Idèmque repetit in epistola ad Anastasium Episcopum Thessalonicæ *cap.* 4.

S. Hieronymus libro contra Vigilantium circa initium, *quid facient*, inquit, *Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habeant, mariti esse desistunt?*

Consentiunt antiquissima concilia: ut Elibertinum, quòd *can.* 33. præcipit etiam Diaconis abstinere à conjugibus, & non generare filios. Idem præcipit apertissimis verbis Concilium Carthaginense II. *can.* 2. ad Apostolorum traditionem se referens. Idémque jam in Concilio Nicæno statutum in Asia diximus, quod *can.* 3. vetat cohabitare cum muliere, præterquam cum matre, sorore, amita. Ecclesiæ Africanæ disciplina constat ex Concilio Carthaginensi V. anno 398. celebrato. Quòd *can.* 5. ita decernit: *Placuit, Episcopos, Presbyteros & Diaconos, secundùm priora statuta, etiam ab uxoribus continere. Quod nisi fecerit, ab Ecclesiastico removeantur officio.* Ubi, ùt DD. advertunt, sub nomine Diaconorum etiam comprehendun-

tur

tur Subdiaconi: eò quòd olim, cùm pauciores essent fideles, Diaconi etiam Subdiaconorum fungerentur officio.

Major adhuc controversia est de cœlibatu & continentia Subdiaconorum. Quidam enim existimant, ante Gregorii M. tempora Subdiaconos non fuisse obligatos ad continentiam, imò post ordinationem etiam potuisse uxores ducere. Argumenta ipsorum sunt: 50. *Subdiaconi.*

1. Quia in primitiva Ecclesia Subdiaconatus non erat ordo *sacer*; imò neque ante Gregorium M. hoc est, ante finem sexti sæculi. Ut testatur Innocentius III. *cap.* 7. *de serv. non ord.* & *c.* 9. *de ætat. & qualit.* Ergo neque obligatio castitatis fuit eidem annexa: sicut non est annexa minoribus Ordinibus: quia non sunt Ordines sacri.

2. Quia Gregorius M. *cap. ante triennium dist.* 31. abrogavit decretum Pelagii Papæ, sui antecessoris: quo prohibuerat Subdiaconis Siciliæ, ne uterentur matrimonio, ante ordinationem contracto.

3. Quia Siricius Papa *epist.* 1. *c.* 9. *ad Hymerium Tarraconensem* concedit Subdiacono uxorem, quæ fuerit virgo. *c.* 3. *dist.* 77.

4. Quia Alexander III. in Concilio Lateranensi tolerandum censuit, ut quidam Subdiaconi nuptias celebrarent.

5. Quia in multis locis Subdiaconi utebantur matrimonio.

6. Plura concilia Presbyteris & Diaconis præcipiunt continentiam, non autem Subdiaconis.

Verùm licèt non adeò manifestum sit, quæ fuerit Ecclesiæ circa Subdiaconorum continentiam temporibus antiquis disciplina, probabile tamen admodum est, in tota ferme Ecclesia etiam Subdiaconos semper adstrictos fuisse ad continentiam, sicut Diaconos. Et certum est, illam ante Gregorii M. tempora fuisse præceptam. Propositio ista est contra Natalem. 51. *Continentes.*

Sed non desunt, ad illam stabiliendam valida argumenta, ac Patrum Conciliorúmque veterum testimonia.

Certè S. Leo M. sæculo uno ac dimidio antiquior est S. Gregorio M. is autem *epist.* 82. *c.* 4. ad Anastasium Thessalonicensem in Oriente Episcopum scripsit: *Ad exhibendam perfectæ continentiæ puritatem, ne Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur: ut, & qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares.*

Adhuc multò antiquior est S. Innocentius I. qui ad Victricium *c.* 9. scripsit: *Tenere debet omnino Ecclesia, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus suis non misceantur.* Per Levitas autem palàm est Diaconos & Subdiaconos intelligi. Dicit quidem Alexander Natalis, *nugato-*

rium esse, nomine *Levitarum* etiam Subdiaconos intelligere; sed hoc ideo tantùm videtur dicere, quia contrarium nec probat, nec probare potest.

Et ante utrumque hunc S. Pontificem Concilium Elibertinum *can.* 33. præcepit etiam Subdiaconis continentiam; *Placuit*, inquit, *in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis, abstinere se à conjugibus, & non generare filios.* Quod idem Concilium Turonense I. *can.* 1. *&* 2. Sacerdotibus & Levitis prohibet: addens, id se sancire secundum constitutiones Patrum.

Idem statuit Concilium Aurelianense III. *can.* 2. *Ut nullus Clericorum, à Subdiacono & supra, qui uxores in proposito suo accipere inhibentur, propriæ, si fortè jam habeat, misceatur uxori.*

Similiter Concilium Toletanum I. *cap.* 1. & Toletanum IV. Subdiaconis usum uxorum prohibent. Citatur etiam Concilium Romanum II. sub Sylvestro I. quod *can.* 8. etiam Subdiaconis prohibet, ne uxores dicere ullo modo audeant. Sed quia hoc Concilium videtur ex mercibus Isidori Mercatoris profluxisse, illo nobis nequaquam est opus, cùm aliunde sufficientia nobis præstò sint testimonia, certa & indubitata.

Ejusmodi testimonium habetur etiam ex Concilio Carthaginensi II duobus integris sæculis antiquiore Gregorio M. hoc *can.* 2. Sacerdotibus & Levitis, qui sacramentis Divinis inserviunt, perfectam continentiam præcipit.

Idoneus etiam & sat vetustus testis est S. Epiphanius, ex illustrissimis Ecclesiæ orientalis Patribus; qui *hæres.* 59 ait, quòd in quibusdam locis adhuc Presbyteri, Diaconi, & Hypodiaconi (seu Subdiaconi) adhuc liberos gignant, esse contra canonem. Ubi sinceri sint canones Ecclesiastici, etiam Hypodiaconos esse continentes, & ab uxoribus abstinere.

Fortassis S. Pater in mente habuit canones Apostolorum, certè antiquissimos in Ecclesia: nam canon 27. lectoribus tantùm & cantoribus permittit uxores.

Gregorio M. pariter antiquior est Justinianus Imperator, qui conformiter ad Ecclesiasticos canones, imperiali etiam edicto *Novell.* 6. *cap* 5. vetuit, ne Presbyter, Diaconus, aut *Subdiaconus* uxorem ducat.

Neque videntur vim magnam habere ea, quæ pro ratione dubitandi sunt allata. Nam resp.

Ad 1.

Ad 1. Licèt in primitiva Ecclesia Subdiaconatus non fuerit computatus inter sacros Ordines, continentiæ tamen obligationem annexam habuit; ùt patet ex testimoniis allatis. Est enim penes Ecclesiam statuere, quinam Ordines pro sacris haberi debeant, & quibus continentiæ obligatio annexa esse debeat: sicut est penes Ecclesiam decernere, quænam vota solennia, aut non solennia esse debeant. Cæterùm Urbanus II. manifestè supponit, suo tempore fuisse Ordinem sacrum Subdiaconatum. Nam *c.* 11. *dist.* 32 ait: *Erubescant impii, & apertè intelligant, judicio Spiritus S eos, qui in sacris Ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu sunt positi, nisi mulieres abjecerint, & castè vixerint, excludendos ab omni eorundem graduum dignitate.*

52. *Solvuntur objectiones.*

Ad 2. Ex cap. *ante triennium* non probatur, Subdiaconos post ordinationem potuisse contrahere matrimonium; nam de hoc nec vocula exstat in toto capitulo. Quare perperam P. Schmalzgrueber in *tit. de Cleric. conjug.* ex eo colligit, quibusdam in locis Subdiaconis permissum fuisse uxores ducere.

Sed id solùm probatur, in Sicilia (de hac enim sola loquitur) Subdiaconos usos fuisse matrimonio, jam ante ordinationem contracto. Hunc usum vel abusum Pelagius Papa triennio antè sustulerat, voluítque, & Subdiaconi in Sicilia, more Ecclesiæ Romanæ, à conjugibus abstinerent. At Gregorius M. successor decretum Pelagii mitigavit, sanxítque, ut Subdiaconis Siciliæ uxores, quas ante ordinationem duxerant, relinquerentur; Episcopi verò deinceps nullum Subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit. Addítque: *Eos autem, qui post prohibitionem factam se à suis uxoribus continere noluerint, ad sacrum Ordinem nolumus promoveri. Quia nullus debet ad Altaris ministerium accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.*

Quòd autem in Sicilia consuetudo illa antea viguerit, non sequitur, quòd in aliis etiam provinciis (præsertim à Sicilia remotioribus) vinguerit: aliàs Pelagius pro illis etiam illam prohibuisset, & Gregorius pro illis etiam illam mitigâsset, sicut pro Siculis; cùm fuisset eadem ratio. Imò citatum capitulum apertè dicit, in Romana Ecclesia contrariam fuisse consuetudinem Subdiaconorum, abstinendi nempe ab uxoribus, etiam antea ductis.

Fortassis tamen illa consuetudo etiam in vicina Siciliæ Calabria invaluerat. Quia idem Gregorius M. *lib.* 3. *epist.* 5. Bonifacio Episcopo Rhegiensi scripsit: *Subdiaconis tuis hoc, quod de Siculis statuimus, decernimus observari. cap.* 10. *dist.* 32. Ad alias autem provincias ejus-

modi rescripta data esse non constat. Quod argumento est, illis non fuisse opus: cùm more Ecclesiæ Romanæ Subdiaconi continentiam servarent. Et si alicubi non servârunt aliqui, illicitè id factum censeri oportet.

Ad 3. Falsum est, quòd Siricius Papa Subdiaconis concesserit uxorem, quæ fuerit virgo. Nam *loc. cit.* tantùm vult indicare, bigamum non posse ordinari Subdiaconum. Hinc ait, ad Subdiaconatum promoveri posse, qui cum una tantùm, eáque virgine fuerint copulatus (sicut hodiedum potest, si uxor fuerit mortua, aut consensum dederit) nullatenus tamen dicit, quòd post ordinationem uti matrimonio possit.

Ad 4. Alexander III. ùt habetur in collectione Concilii Later. III. *part.* 18. *cap.* 4. 13. & 14. tolerandum duxit, quòd quidam Subdiaconi uxorem ducerent. Rationem addit *cap.* 4. *ne pro una pluribus abutantur, dissimulare poteris cum suis mulieribus remanere: quia tolerandum est malum, ut pejora vitentur.* Ecce! *malum* vocat consortium Subdiaconi cum uxore. Quod tamen in Diœcesi Salernitana dissimulandum censuit, ad cavenda majora mala. Etiam lupanaria alicubi tolerantur.

Cæterùm idem Papa Alexander *cit. cap.* 13. apertè dicit, matrimonium Subdiaconorum esse contra sacros canones, dissimulari tamen posse ab Episcopo Oxoniensi, *pro graviori lapsu vitando: ita tamen, quòd ad Altaris ministerium non accedant, nec Ecclesiastica Beneficia percipiant. - - - aut Ecclesias aut uxores prorsus dimittere cogendi sunt.*

Et *cap* 2. idem Pontifex, Cantuariensi Episcopo scribens, *Sed si fortè*, inquit, *in Subdiaconatu, & aliis superioribus Ordinibus uxores accepisse noscuntur, eorum uxores dimittere, & pœnitentiam agere de commisso authoritate nostra per suspensionis & excommunicationis sententiam, appellatione postposita, compellatis.*

Quando autem idem Alexander *cap.* 14. de cujusdam Subdiaconi ordine dicit, quod matrimonium ejus non impediat, videtur loqui de ordine invalidè suscepto: cùm addat, eum hominem nimis enormiter & inordinatè se ingessisse, nullámque ei dignitatem vel honorem ab ordine illo esse allatum. Vel, si ordo valuit, Pontifex cum eo dispensavit in matrimonio contrahendo.

Ad 5. Aliud est, quid fiat & factum sit; aliud, quid fieri debeat. Etiam à laicis sextum præceptum frequenter violatur. Tamen est præceptum. Ex eo igitur, quòd Subdiaconi (imò etiam Diaconi & Presbyteri) sæpius, aut matrimonium contrahere attentàrint, aut antea contracto uti perrexerint, aut concubinas habue-

buerint, nequaquam ſequitur, hæc ipſis fuiſſe licita; proteſtante ſemper canonibus, edictíſque vetante Eccleſia. Quæ contra hæc acta ſunt, humani generis hoſti, carnis miſeriis, & corruptæ naturæ vitio ſunt abſcribenda. Videlicet, ùt ille ait, Iliacos intra muros peccatur, & extra. In ipſa etiam Domini ſacraria quandoque irrumpit contagium. Habemus enim theſaurum in vaſis fictilibus: quæ facilè franguntur, niſi timor Domini cautos efficiat, & tutos præſtet à lapſu.

Ad 6. Licèt aliqua Concilia tantùm Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos exprimant: tamen ſub nomine Diaconorum etiam Subdiaconos comprehenderunt: quia olim, dum pauciores adhuc eſſent fideles, eorum etiam officium peragebant: ſicut hodiedum etiam ſacerdotes ſæpè Diaconorum & Subdiaconorum funguntur officio. Licèt igitur aliqua Concilia non expreſſerint nominatim Subdiaconos: quia tamen alia plura eos expreſſerunt, illis etiam continentiam præceptam eſſe intelligimus. Cæterùm aliqua Concilia tantùm Epiſcopos expreſſerunt: an propterea tantùm illis continentiæ legem impoſitam eſſe dicemus?

QUÆSTIO V.

An conveniens fuerit, Clericis Majoribus cœlibatum & continentiam ab Eccleſia præcipi?

Negant Heterodoxi, affirmant Orthodoxi, cum SS. Patribus & 53.
Eccleſiæ Conciliis. Convenientiam hanc nervoſè ſimul bre- *Ex S. In-*
vitèrque ob oculos ponit S. Innocentius I. in epiſt. ad Victricium *nocentio.*
Rothomagenſem Epiſcopum *cap.* 9. his verbis: „tenere debet „omnino Eccleſia, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus ſuis non „miſceantur; quia miniſterii quotidiani neceſſitatibus occupantur. „Scriptum eſt enim: ſancti eſtote, quia ego ſanctus ſum Dominus „Deus veſter. Nam ſi priſcis temporibus anno vicis ſuæ Sacerdo„tes de templo non diſcedebant (ſicut de Zacharia legimus) nec „domum ſuam omnino tangebant, quibus utique propter ſobolis „ſucceſſionem uxoris uſus fuerat relaxatus: quia ex alia tribu, & „præterquam ex ſemine Aaron, ad ſacerdotium nullus accedere „præcipiebatur: quantò magìs hi Sacerdotes vel Levitæ pudici„tiam ex die ordinationis ſuæ ſervare debent; quibus vel ſacerdo„tium vel miniſterium ſine ſucceſſione eſt, nec præterit dies, qua

 „vel

„vel à Sacrificiis Divinis, vel à baptiſmatis officio vacent. Et ſi „Paulus ad Corinthios ſcribit, dicens: Abſtinete vos ad tempus, „ut vacetis orationi, & hoc utique laicis præcepit; multò magìs „Sacerdotes, quibus orandi & ſacrificandi juge ſacrificium eſt, ſem- „per debebunt ab hujusmodi conſortio abſtinere.

54. Ex aliis Patribus. Quam rationem etiam affert S. Hieronymus *lib.* 1. contra Jovinianum. *Si laicus,* inquit, *& quicunque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio conjugali, ſacerdoti, cui ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orandum eſt. Si ſemper orandum: ergo ſemper matrimonio carendum. c.* 7. *diſt.* 31.

Et S. Epiphanius *hæreſ.* 59. *Presbyter & Diaconus & Epiſcopus Deo penitus vacent. Nam ſi illis etiam, qui de populo ſunt, id ipſum Apoſtolus præcipit, ut, inquit, ad tempus vacent orationi, quantò id magìs Sacerdoti præſcribit? nimirum nullis ut impedimentis avocetur.*

Idem facundè inculcat Siricius Papa *epiſt.* 4 ad Africanos Epiſcopos: *Quod dignum*, ait, *& pudicum, & honeſtum eſt, ſuademus, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus ſuis non coëant, quia in miniſterio Divino quotidianis neceſſitatibus occupantur. - - - Si ergo laicis abſtinentia imperatur, ut poſſint deprecantes videri; quantò magìs Sacerdos utique omni momento paratus eſſe debet, munditiæ puritate ſecurus?*

55. Ex ratione. Et profectò certum omnino eſt, Eccleſiaſticorum munera propria eſſe, ſacrificare, orare, exhortari, ad concionem dicere, ſacramenta miniſtrare, ægrotos inviſere, curam pauperum gerere &c. Quantùm autem hæc ſancta officia impedirentur per commercia conjugalia, per curas privatas & domeſticas, impendendas uxori, liberis, œconomiæ, nemo eſt, qui non videat. Sic enim cura paſtoralis & affectus, quo oves Chriſti oporteret aſſiduè proſequi, in uxore & liberis ferme totus abſumeretur.

Et unde alenda tanta familia? unde petenda dos, ſæpè multiplex, pro filiabus? nunc, dum ſoli ſunt, conqueruntur non rarò Clerici, ſe non habere ſuſtentationem congruam. Quid futurum credamus, ſi præter uxorem, ejùsque famulas, numeroſa ſoboles nutrienda, veſtienda, dotanda foret? num mendicarent ſacerdotum liberi? an res Eccleſiæ, patrimonium Chriſti invadendum, atque in eos evacuandum? num proviſum, num conſultum foret piis fundationibus, Beneficiis, Eccleſiis? certè aut mendicos, aut avaros, aut diribitores ac depeculatores ſacri ærarii, aut turpi quæſtu nundinatores, aut ſimoniacos rerum Eccleſiaſticarum propolas fieri oporteret, ut tot famelicos ventres implerent, & patrimonium illis relinquerent.

Quan-

Quantùm autem hoc pacto ſacerdotii dignitas, æſtimatio, ſanctitas evileſceret! quantus in publicum contemptus! certè ſic vix ampliùs electus ſacerdotum Ordo ſecerneretur à laicis: & eſſet, *ſicut populus, ſic & ſacerdos.* Contingerétque, quod Nauclerus aliíque referunt. Nam cùm tempore Gregorii VII. ſacerdotes in Germania cœpiſſent nuptias celebrare, tantus eorum contemptus inolevit, ut, iis ſpretis, paſſim laici ſacramenta adminiſtrarent.

Et quomodo cum Apoſtolo virginitatem commendarent tauri pingues (ùt eos appellat S. Petrus Damiani opuſculo 18. cap. 3.) circumcincti vitulis multis? quomodo per orationem elavarent ad cœlum mentem tranquillam, puram, collectam, quæ in tot maritales curas, affectúsque eſſet diſtracta? quomodo ſacerdos Dei altiſſimi ex fumante conjugali thoro, ab uxoriis amplexibus, provolaret ad ſacroſanctum Altare, ad diviniſſimum ſacrificium, ad immolandum agnum immaculatum æterno Patri? profectò hæc aliáque adeò indigna viſa ſunt ſanctæ Dei in terris Eccleſiæ, ut eam labem omni ope à ſacris myſtis averteret. Aut, an fortè minor puritas requiritur in Sacerdotibus veri ac vivi Dei, quàm in gentilibus falſorum deorum ſacrificulis, aut Romanis olim Veſtalibus, quibus continentia ſeverè præcepta fuerat?

Sit honorabile conjugium, & thorus immaculatus: at laicis, non Sacerdotibus. Quod illis honeſtas, quod ſacramentum, quod religio, his eſt ſacrilegium. Alia hunc ſtatum decent, alia alium.

Honorabile eſt connubium; at tempore, vicis ſuæ, quo miniſtrare debeant ſacris ſacerdotes veteris teſtamenti, longè abeſſe debebant ab uxoribus ſuis. Honorabile eſt connubium: at Urias Hetheus, quamvis eſſet laicus, indecorum ſibi duxit, ingredi in domum ſuam, & carnali voluptati operam dare, quando arca Dei, & Iſraël, & Juda habitabant in papilionibus. Et ſi bellis præfecti jure prohibent militibus ſuis matrimonium, ne uxorum liberorúmque cura impediantur à profanæ militiæ officiis: ùt etiam ab antiquis Romanis factum legimus; apud quos ſeverè fuerat vetitum, ne qua fœmina caſtra ingrederetur. Cur Eccleſia ſancta Dei non jure prohibeat iis, qui ſacræ militiæ ſe ſponte addixerunt, ùt à nuptiarum impedimentis, liberi ſe totis integríſque ad Divina ſervitia poſſit incumbere?

Memorabilis eſt in hanc rem reprehenſio S. Joannis Chryſoſtomi, qua Theodorum lapſum caſtigavit. *Legitima*, ſcribit ad illum, *& juſta res eſt conjugium; & ipſe confiteor: honorabile connubium, & cubile immaculatum; ſed tibi jam non eſt integrum connubii jura ſervare. Cæleſti*

enim

enim sponso semel junctum, illum relinquere, & uxoris laqueis implicari, adulterii crimen est incurrere: quamvis millies hoc ipsum nuptias voces, ego tamen & adulterio illud tantò pejus affirmo, quantò major ac melior mortalibus Deus.

Respondetur Argumentis Heterodoxorum.

56. *Nuptiæ non vetantur.* Objiciunt primò cum Calvino, relictum à Deo matrimonium liberum. Imò secundùm Apostolum 1. *Tim.* 4. hæreseos notam eos præferre, qui prohibent nuptias. Atque hinc eundem Apostolum 1. *Tim.* 3. docuisse, unius uxoris virum eligendum esse Episcopum. Et Christum ipsum *Matth.* 19. vetâsse: ne homo separet, quod Deus conjunxit.

At argumentum hoc nos non premit; nemini enim Ecclesia prohibit matrimonium, cùm nemini præcipiat statum Ecclesiasticum, sed cuivis relinquat liberrimum. Si tamen quis ultro eundem eligat, requiritur in illo continentia. Sicut Ecclesia nemini prohibet officium judicis forensis aut lictoris; si tamen amplectatur quis statum Ecclesiasticum, debet ab illo abstinere officio. Apostolus verò illos duntaxat insectatur, qui nuptias absolutè ùt malas prohibebant: quales erant Marcionistæ, Tatiani, ac postea Manichæi, & Eustathiani. Illúdque universim notandum venit, Patres etiam & Concilia sæpiùs laudibus extulisse nuptias: non, quòd illas omnibus congruere existimarent; sed ut hæreticos refellerent, qui illas tanquam ex se malas damnabant. Bonum est matrimonium, at spirituali homini, officiis spiritualibus identidem occupato non convenit: sicut ei non conveniunt alia sæcularia officia, licèt de se sint bona.

57. *Objectiones ex S. Paulo.* Quando verò dixit Apostolus, unius uxoris virum esse debere Episcopum, id vel intelligendum de *Ecclesia*, quam unam tantùm, tanquam sponsam suam, oportet habere Episcopum. Vel, ùt S. Chrysostomus, aliique Patres textum illum explicant, intelligendum id *negativè*, ut sensus sit, Episcopum non debere esse bigamum, seu non debere habere vel habuisse plures uxores. Adeóque non præcipit, ut Episcopus unam habeat uxorem, (cùm multi sanctissimi Episcopi nullam habuerint) sed prohibet eligi illum, qui plures habet vel habuit: permittit tamen ordinari illum, qui unam tantùm habuit, vel adhuc habet, à qua tamen post ordinationem abstineat: ùt docet exemplum eorum, qui uxorati sunt facti Episcopi. Hinc Ambrosius *epist.* 82. notavit: ne quis filios creare Apostolica

ſtolica invitetur authoritate, *habentem filios, dixit Apoſtolus, non facientem.*

Atque ita permiſit, unius uxoris virum in Epiſcopum eligi, non verò bigamum. Interpretationi huic conſentiunt alii etiam Patres. Sic Hieronymus *epiſt.* 50. ſcribit: *Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè poſt Sacerdotium in æternum pudici.*

Quando verò Chriſtus dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, id intelligendum eſt de vinculo matrimonii, quod eſt indiſſolubile, non verò de ſeparatione à thoro & habitatione.

Sed neque aliquid probat contra noſtram doctrinam, quod ex eodem Apoſtolo oggerunt; honorabile videlicet eſſe inter omnes conjugium. Nam hoc intelligendum eſt cum Theophylacto (*in hunc locum*) de omnibus legitimè conjunctis. Aliàs enim etiam inter conſanguineos in primo & ſecundo gradu, item inter juvenes, absque parentum conſenſu junctos, honorabile eſſet connubium: quod tamen adverſarii improbant.

Non raro etiam nobis objectant textum ejusdem Apoſtoli 1. *Corinth.* 7. *propter fornicationem autem unusquisque uxorem ſuam habeat.* At Paulus hìc loquitur de converſis ad fidem, qui dum eſſent adhuc infideles, uxores duxerant. His enim reſpondet, retinendas eſſe uxores. Non autem loquitur de iis, qui ſunt cœlibes aut vidui: nam paulò pòſt de iſtis dicit prorſus contrarium: *Dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt eis, ſi ſic permanſerint.* Et: *Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem.*

Cæterùm meliùs utique eſt nubere, quàm fornicari. Hinc ii, qui continentiam ſervare poſſe deſperant, ſtatum Eccleſiaſticum amplecti non debent. Si autem quis eundem elegerit, nec nubere debet, nec fornicari. Quod cum Divina gratia caveri poſſe utrumque, innumera oſtendunt exempla eorum, qui amicti ſtolis albis ſequuntur agnum immaculatum: reddúntque, jubente Domino, Altiſſimo vota ſua: ne damnationem habeant illorum, qui primam fidem irritam fecerunt.

Deſinant proin heterodoxi abuti textu illo *Geneſ.* 1. *creſcite & multiplicamini.* Ex quo Melanchton infert, conjugium eſſe jure Divino præceptum: imò & naturali: quod ex appetitu carnali, & inclinatione propagandi ſpeciem putat colligi. 58. *Ex Gen.* 1.

Verùm, ſi verba illa præceptum aliquod inſinuant, ad ea tempora referendum illud Patres aſſerunt, quibus terra erat inanis & vacua; ut in mundi exordio, & deleto propemodum per diluvium

humano genere, contigisse novimus. Hinc subdit sacrum eloquium: *& replete terram.* Nunc autem terra plena est: imò abundat hominibus; ùt infinita ostendunt mendicorum examina.

Certè; si conjugium jure Divino aut naturali quocunque tempore omnibus esset præceptum, Christus non dixisset: *Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum.* Nec Apostolus: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Item: *Dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis, si sic permaneant.* Item: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, meliùs facit.* Rursus: si præceptum esset, servâssent illud utique Christus, ejúsque Mater purissima, S. Joannes Baptista & Evangelista, cum innumeris aliis utriusque sexus personis sanctissimis; quas cœlibem semper vitam duxisse apertè constat. Putat quidem Præco quidam Tigurinus, Christum ipsum fuisse uxoratum: verùm ab hac temeraria & absona opinione mens sana planè abhorret.

Dixi autem: *Si verba illa* sacræ paginæ *præceptum insinuent.* Nam revera non continent præceptum propriè dictum: nam etiam ad aves & bruta animantia Deus verba illa direxit; quæ tamen præcepti sunt incapacia. Significavit igitur Deus benedictionem & naturalem animalium inclinationem. Neque tamen propterea legem aliquam naturæ hîc subesse suspicemur. Nam ad multa inclinatur naturalis appetitus, quæ tamen lege naturæ non sunt præcepta, sed prohibita.

59. *Ex difficultate.* At, inquiunt, propter illam naturæ inclinationem, continentia nimiùm est difficilis, quàm ut lege humana possit præcipi. Et hinc teste ipso Domino, *non omnes capiunt verbum hoc.* Unde cœlibatus iste Sacerdotum nutrit libidines, mundùmque implet concubinis, & Ecclesiam scandalis.

Resp. hoc argumentum probat, non omnes fieri debere Sacerdotes, sed eos tantùm, qui ad tam sublimem ac purum statum vocatos à Deo sese intelligunt, atque continentiæ dono præditos. Qui autem re priùs bene expensa ac deliberata, atque Divino lumine per preces implorato, ad statum Ecclesiasticum se vocatum ratus, eundem amplectitur, dubitare deinceps nullatenus debet, quin donum continentiæ habeat. Cùm illa ipsa devota voluntas, qua propter Deum castitatem vovet, sit donum continentiæ, aut ejus signum. Qui enim dedit velle, dabit & perficere. Præsertim, si frequenter ad Deum recurrentes, humiliter illud à Deo petamus, jejunio carnem maceremus, & sensus, per quos tentatio irrumpit, cautè custodiamus.

Quæ

Quæ ſanè ſi fiant, ùt fieri oportet, ceſſabit querela de concubinis & ſcandalis: quæ tamen ab heterodoxis, ex ſe ipſis alios metientibus, nimiùm exaggerantur, præſertim pro iſtis temporibus: quibus rariora uberrimas inter & pulcherrimas ſegetes exurgunt lolia. Cæterùm falſiſſimum eſt, quòd cælibatus ejusmodi vitiorum monſtra pariat. Non cœlibatus, ſed abuſus illa parit. Fructus autem cœlibatus teſte Apoſtolo 1. *Cor.* 7. ſunt, cogitare, quæ Dei ſunt, ſanctum eſſe corpore & ſpiritu &c. Si autem propter quorundam abuſum bonus uſus tollendus, ipſa decalogi præcepta, ſacramenta, & res quasvis ſanctiſſimas è medio tolli atque aboleri neceſſum erit. Nihil enim tam ſanctum, quo non abutatur mortalium quorundam protervia. Servetur proin uſus, & quantùm fieri poteſt, tollatur abuſus. Si extirpari non poſſit penitus ex agro optimo infelix lolium, meſſe tamen ampla boni frumenti ac incorrupti ſe ſolabitur ſancta Dei Eccleſia.

Cæterùm etiam multa adulteria patrantur; an propterea plures uxores permittendæ? trecentæ Reginæ non ſufficiebant Salomoni, ſed ſeptingentas concubinas ſuperinduxit. An propterea infinitæ uxores uni viro concedendæ? inſuper etiam conjugatis non rarò difficile accidit, propter abſentiam, vel diuturnam ægritudinem conjugis abſtinere ab uſu matrimonii: an propterea alia uxor ducenda? quod ergo tunc à conjugatis ex neceſſitate omitti oportet, cur cœlibes, *qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cælorum*, ùt ait Chriſtus *Matth.* 19. *v.* 12. hoc eſt, qui ultro amplexi vitam, Angelicæ æmulam, ut Deo placeant, omni carnis voluptate ſibi interdixerunt, reddere non poſſint votum Domino? fidelis enim eſt, nec patitur ſervos ſuos tentari ſupra id, quod poſſunt; cùm facienti, quod eſt in ſe non deneget gratiam: quâ adjuti innumeri mortales, ex eadem carnis & ſanguinis maſſa concreti, immarceſſibilem virginitatis, tantopere ab Apoſtolo commendatæ, laureolam cœlo importârunt. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: Virgines enim ſunt. Hi ſequuntur agnum, quocunque ierit. Apoc.* 14. *v.* 4.

Reſpondetur aliis argumentis.

Audiamus jam, quæ ex antiquis Conciliis hodierni Proteſtantes 60.
pro incontinentia Eccleſiaſticorum proferant. Atque impri *Ex Concimis* canon ſextus Apoſtolorum, *Epiſcopus*, inquit, *aut Presbyter uxo-liis.*
rem propriam nequaquam obtentu religionis abjiciat.

Verùm (præterquam, quòd canones illi non ſint ab ipſis Apoſtolis, ùt aliàs oſtendimus) canonem illum jam dudum explicavit Hubertus Cardinalis in libro contra Nicetam Pectoratum, ùt habetur *can. omnino diſt.* 31. ibi: *Omnino confitemur, non licere Epiſcopo, Presbytero, Diacono, Subdiacono propriam uxorem cauſa religionis abjicere à cura ſua, ſed ut ei victum & veſtitum largiatur, non, ut cum illa ex more carnaliter jaceat.* Unde etiam S. Leo *epiſt.* 92. ad Ruſticum ſcribit: *De carnali fiat ſpirituale conjugium. Nec oportet dimittere uxores, & quaſi non habeant, ſic habere, quòd & ſalva ſit charitas conjugiorum, & ceſſent opera nuptiarum.* Tanquam ſorores nempe eas tractabant: ùt habet Concil. Aurelianenſe I. *can.* 15. Turon. II. *can.* 13. Arvernenſe *can.* 12. & Prudentius in poëm. ad Leontium Burdigalenſem: ibi:

Cogor amore etiam Placidinæ pauca referre.
Quæ tibi tunc conjux, eſt modò chara ſoror.

Vel ipſa ſynodus Trullana, quam heterodoxi toties ſub nomine ſexti Concilii generalis dilaudant, hunc ſenſum exprimit *can.* 48. ubi ait, Epiſcopi uxorem debere in monaſterio aliquo degere, & providentiâ Epiſcopi viri ſui nutriri. Ecce! cura uxoris, quam ante ordinationem duxerat, demandatur Epiſcopo; ut illa ſuſtentari poſſit, non ut carnale cum illa commercium proſequatur.

Proferunt Acatholici etiam canonem quartum Concilii Gangrenſis; in quo dicitur anathema illi, qui non vult communionem accipere à Presbytero, *qui uxorem habuit.*

At hoc nihil probat. Non enim dicitur anathema illi, qui communionem renuit accipere à Presbytero, actu habente uxorem, & cum ea commercium carnale exercente; ſed ei, qui contemnit Presbyterum, qui uxorem habuit antea, aut ſi adhuc habet, ab ea abſtinet. Statutus eſt proin laudatus canon contra Euſtathianos, qui abſolutè nuptias, tanquam ex ſe malas, execrabantur. Ut patet etiam ex *can.* 1. in quo dicitur anathema illis, qui aſſerunt, nuptias abſolutè eſſe malas.

Sed neque aliquid probatur ex canone tertio Concilii V. Carthaginenſis, in quo ſtatuitur, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi ſe abſtineant ab uxoribus *in propriis terminis*, ſeu *in ordine vicis ſuæ*, ùt perperam interpretatur Conciliabulum Trullanum (quod ex hoc canone probare contendit, Eccleſiam Africanam permiſiſſe Sacerdotibus uſum uxorum)

Nam Concilium Carthaginenſe non habet verba illa, *in propriis terminis:* neque iſta *in ordine vicis ſuæ*, quaſi tantùm pro eo tempore, quo

quo ſacris miniſtrabant, prohibitus ipſis fuerit uſus uxorum: ſed loco illorum habet iſta: *ſecundùm propria ſtatuta*: hoc eſt, ſecundùm ſtatuta priorum Conciliorum Carthaginenſium abſolutè abſtinendum Sacerdotibus & Diaconis (ubi per Diaconos etiam Subdiaconi poſſunt intelligi) confirmatur ex S. Auguſtino, qui *lib.* 2. *de adult. conjug. cap.* 20. indicat, in hoc Concilio, cui ipſemet interfuit, ſacris hominibus omnem uſum uxorum fuiſſe vetitum.

Quare ex Conciliabulò Trullano, quod reprobatum fuiſſe, aliàs diximus, plus non probatur, quàm mala fides Græcorum, perperam vertentium latinum Carthaginenſe Concilium. Accedit, quòd etiam Trullani Patres pro omni tempore negârint Epiſcopis uſum uxorum. Carthaginenſes autem eodem prorſus modo de Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis loquuntur. Si igitur Trullani ex Carthaginenſibus probare aliquid voluerunt, debuiſſent pariter eodem modo de omnibus illis loqui.

Sicut autem Trullanum mala fide ſe retulit ad Concilium Carthaginenſe V. Sic Magdeburgenſes, Tigurini, aliíque heterodoxi, perperam citant epiſtolam quandam S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani ad Nicolaum Papam: in qua narratur: poſtquam Gregorius M. Sacerdotibus uxores ademiſſet, paulò poſt ex piſcina pro piſcibus ſex millia capitum infantium ſuffocatorum eſſe extracta: cúmque Gregorius intellexiſſet, eos infantes eſſe Sacerdotum, eum illico decretum ſuum reſcidiſſe, & peccatum ſuum defléſſe.

61. *Epiſtola S. Udalrico afficta.*

Nam narrationem iſtam confictam eſſe ab imperito quodam conjugii Eccleſiaſticorum patrono, non dubitant eruditi: cùm nec tempora nec loca cohæreant. Nam Nicolaus I. jam obierat, quando natus eſt S. Udalricus. Quomodo ergo ad eundem hæc ſcribere potuit? Nicolaus II. verò ad centum annos poſt mortem S. Udalrici factus eſt Pontifex. Deinde falſum eſt, quòd Gregorius M. decreto ſuo ademerit Sacerdotibus uxores (quæ nunquam eis erant conceſſæ) certè in ſcriptis S. Gregorii nec veſtigium ejusmodi decreti, aut reſciſſionis apparet. Et unde noſcebatur, eſſe capita filiorum Sacerdotum? quomodo credibile, ea capita ex Sicilia & Calabria (pro qua ſola, & quidem non pro Sacerdotibus, ſed pro Subdiaconis decretum edidiſſe Gregorius noſcitur) omnia in unam piſcinam Romanam eſſe comportata?

Afferunt deinde exemplum Sacerdotum veteris teſtamenti, qui erant conjugati & liberos generabant.

62. *Ex legi veteri.* Verùm (præterquam, quòd nec illi Sacerdotes uti poterant matrimonio toto illo tempore, quo ſacris miniſtrabant, & ne quidem cohabitare uxoribus) magnum diſcrimen intercedit, inter illos Sacerdotes & noſtros. Nam illi, certæ tribui alligati, per matrimonium debebant progignere ſuos in ſacerdotio ſucceſſores: noſtrum verò ſacerdotium non carnali propagatione transmittitur ad poſteros, ſed Divina conſecratione. Illi belluinas carnes immolabant: noſtri Diviniſſimum agnum, corpus videlicet & ſanguinem ſanctiſſimum unigeniti Dei Filii offerunt. Illi rariùs ad ſacrificandum accedebant, tempore videlicet tantùm vicis ſuæ; quo & ipſi ùt dictum, ac uxoribus ſeparati debebant vivere. Noſtri quotidie ſacratiſſimis operantur myſteriis. Denique lex illa rudior erat, & plura indulgebat, ut polygamiam, & libellum repudii; lex verò Evangelica ſanctior eſt, purior, & ſpiritualis magìs. Quare meritò Sacerdotes noſtri, ſecundùm ordinem Melchiſedech, à carnalibus abſtrahuntur operibus, ut ad ſpiritualia, quotidie perficienda, ſint magìs idonei, elevéntque puras ad cœlum manus, Diviniſſimam iis hoſtiam contrectantes.

At, excipiunt, non tantùm in veteri lege Sacerdotes erant conjugati, ſed etiam in nova, & quidem jam primis Eccleſiæ ſæculis: quibus poſteriora quoque ſunt conformanda.

Reſp. conſtare ex diſputatis hactenus arbitror, nunquam in Eccleſia, ſive Græca ſive Latina, licuiſſe, poſt ſuſceptos Ordines ſacros matrimonium contrahere. Quod ſufficit, ad convellendum heterodoxorum errorem. Deinde in Eccleſia Latina nunquam licuit uti matrimonio, etiam ante ſacram ordinationem contracto, & in Eccleſia Græca nunquam ante ſeptimum ſæculum, ſeu ante Concilium Trullanum. Quòd verò aliqui uxorati etiam in Eccleſia Occidentali ad ſacerdotium fuerint aſſumpti, effecit cœlibum idoneorum prima Eccleſiæ ætata penuria. Qua ceſſante Romana Eccleſia prudenter legem tulit, ne quis uxoratus ad ſacros Ordines promoveatur, niſi conſentiente, & continentiam vovente uxore, aut etiam, ſi ætas ſuſpecta ſit, ingrediente monaſterium. - - -

Solvuntur objectiones Natalis.

63. *Objectiones.* Objicit ulteriùs Alexander Natalis *in Hiſt. Eccleſ. ſæc.* 4. *Diſſert.* 19. *propoſit.* 3. 1. Ancyranum Concilium permiſit Diaconis uti uxoribus. 2. Teſte S. Baſilio ſoli Monachi emittunt profeſſionem cœlibatus. 3. Juxta S. Epiphanium Presbyteri & Diaconi nonnullis in

in locis ſuſcipiunt liberos. 4 Socrates verò ait, Presbyteros in Oriente nulla lege fuiſſe coactos ad continentiam: imo Epiſcopos legitimos liberos procreâſſe. 5. Synodus Trullana permiſit uſum uxorum. 6. Idem Orientalibus permittit Innocentius III. 7. Idem conſtat ex Hiſtoria reconciliationum Eccleſiæ Græcæ cum Latina, jam inde à temporibus Photiani Schismatis. Semper enim Græci recepti ſunt cum ſuis moribus. Ex quibus infert Natalis, nullum in primitiva Eccleſia Fuiſſe præceptum continentiæ.

Reſp. facilè concedimus, nullum fuiſſe præceptum Divinum aut naturale. Imò hoc etiam concedi poteſt, nullum fuiſſe præceptum Apoſtolicum aut Eccleſiaſticum primis Eccleſiæ temporibus. Cœpit tamen ſtatim conſuetudo, ſacrorum Miniſtrorum, per mores, & diſciplinam invaleſcens, & quidem cum animo ſe obligandi. Ut ex allatis tot Patrum & Conciliorum teſtimoniis ſatis patere arbitramur. Hæc autem conſuetudo, quæ erat lex non ſcripta, lege dein Eccleſiæ ſcripta eſt roborata, multò tamen ante tempora Siricii Papæ; ùt pariter ex diſputatis conſtat. Ex quibus facilè ſolvuntur, quæ ſunt objecta. Nam Reſp. 64. *Reſponſiones.*

Ad 1. Ancyranum ait, Epiſcopum quibusdam dediſſe licentiam. Ergo ſuppoſuit, absque ea vetitum fuiſſe Diaconis, uti uxoribus.

Ad 2. Clerici non emittebant profeſſionem, ſed tamen ex lege non ſcripta primo, ac dein etiam ex ſcripta obligabantur ad continentiam.

Ad 3. S. Epiphanius ipſe dicit, Clericos illos egiſſe contra canonem. Ergo jam illius tempore exſtabat lex ſcripta, præcipiens continentiam.

Ad 4. Socratis authoritas aliàs, præſertim in hac re, modica, prævalere non debet tot Patrum & Conciliorum teſtimoniis. Contrarium omnino teſtatur S. Hieronymus *lib. contra Vigil.* ubi ait, Orientis Eccleſias, item Ægypti & Sedis Apoſtolicæ, in Clericos aſſumere aut virgines, aut ſi uxores habuerint, eos maritos eſſe deſiſtere. Et fortaſſis Socrates tantùm voluit, Clericos in primitiva Eccleſia non fuiſſe coactos continere lege aliqua ſcripta.

Ad 5. Synedrion Trullanum, poteſtatem ſuam eſt ſupergreſſum, atque hinc à Sergio Papa reprobatum. Ut aliàs dictum. Et hinc adhuc tempore Leonis IX. Humbertus Cardinalis in libro ſuo contra Nicetam vehementer propterea illud reprehendit.

Ad 6. Poſteriores Pontifices tandem permiſerunt Græcis, quod in contumaci populo emendare ampliùs non poterant. Ex quo patet etiam reſponſio ad ultimum.

Objici

65. Objici denique poteſt 1. Tertullianus Presbyter Africanus duobus libris uxorem adhortatus eſt ad continentiam. Quod fruſtraneum fuiſſet, ſi aliàs debuiſſet continere.

Object. ex Patribus.

2. S. Cyprianus epiſt. 49. Donato Carthaginenſi Presbytero Schismatico exprobrat, quòd uxoris prægnantis uterum calce percuſſerit, non autem, quòd eam imprægnârit. Ergo licitus ei fuit uſus matrimonii.

3 Clemens Alexandrinus lib 3. ſtromatum, admitti ab Apoſtolo unius uxoris virum, *ſeu Presbyter, ſeu Diaconus ſit, ſeu Laïcus, utens matrimonio citra reprehenſionem.*

4. S. Athanaſius in Epiſtola ad Dracontium aſſerit, Epiſcopos factos eſſe filiorum patres.

5. Gregorius Senior S. Gregorium Nazianzenum genuit in Epiſcopatu. Nam dum hic ad Epiſcopatum Nazianzenum à patre vocaretur, pauciores ætatis annos habebat, quàm pater Epiſcopatûs: ùt conſtat ex carmine junioris Gregorii de vita ſua.

6. Syneſius ordinatus fuit Epiſcopus Ptolemaidis, licèt proteſtaretur, nolle ſe ab uſu matrimonii abſtinere.

Reſp. ad 1. Tertullianus uxorem hortatus eſt, ne poſt ſuam mortem ſecundas ineat nuptias, ſed etiam tunc ſervet continentiam. Et fortaſſis illos libros ſcripſit ante Ordines ſacros. Deinde quare non poſſet maritus uxorem ſuam hortari ad continentiam, licèt aliunde jam illam ſervare debeat?

Ad 2. ſcelus illud Donati contigit ante ordinationem; ſed quia tunc adhuc latuit, tamen ordinabatur. Poſtea autem, cùm Schisma excitaret, diligentiùs in ejus mores fuit inquiſitum; ſíque facinus illud percuſſæ uxoris detectum eſt.

Ad 3. Clemens ea verba *utens matrimonio* &c. retulit ad ſolos laicos, quos immediatè antea nominaverat, ita, ut ſenſus ſit, ab Apoſtolo admitti ad Epiſcopatum non tantùm Presbyterum, & Diaconum, ſed etiam laicum, unius uxoris virum, quacum uſus fuerit matrimonio ſine reprehenſione, ſic tamen, ut poſt ordinationem ab illa abſtineat.

Ad 4. S. Athanaſius loquitur de generatione liberorum ante Epiſcopatum. Nam eodem modo loquitur de Epiſcopis & Monachis. At certum eſt, nunquam licitum fuiſſe Monachis uſum matrimonii, poſtquam vitam monaſticam profeſſi fuerant.

Ad 5. falſum eſt, S. Gregorium Nazianzenum natum eſſe à patre jam Epiſcopo. Nam, ùt Papebrochius noſter in actis Sanctorum in prolegomenis ad vitam S. Gregorii Nazianzeni ad 9. Maii,

Maji, obſervat, in carmine citato Pater Gregorii nôn dixit ad filium; ùt quidam volunt: *Nondum tot anni ſunt tui, quot mihi in ſacris jam ſunt conſumpti victimis.* Sed ita ex Græco vertendum: *ætas peracta nondum eſt tibi, quot eteſiarum tranſiit tempus mihi.* Hoc eſt, necdum tot ætatis annos habes, quot ego. Videlicet, Gregorius filius, dum pater eum adhortaretur ad accipiendum Epiſcopatum, ſenilem jam ætatem obtendens, (ſeptuagenarium jam fuiſſe eruditi exiſtimant) fugiebat Epiſcopatum. Quare Gregorius pater, jam propè centenarius, ad illum dixit, ſe majorem ætate adminiſtrâſſe Epiſcopatum; non eſſe proin, cur filius ſeniô ſe excuſet ab illo onere.

Ad 6. ſi licitum fuiſſet Epiſcopis uti matrimonio, Syneſius non fuiſſet proteſtatus, ſe velle eo uti. Cæterùm putat Natalis, Syneſium tantùm ſimulatò proteſtationem illam protuliſſe, ne ordinetur Epiſcopus: ídque ex epiſtolis ejus erui. Etiam S. Ambroſium credi voluiſſe adulterum & ſanguinarium, ne Mediolanenſis eligeretur antiſtes.

* *

CAPUT II.
De Conciliis Sæculi XI.

Proſpera inter & adverſa, ùt ferunt res humanæ, hoc ſæculum fluxit Eccleſiæ. Converſa ad fidem orthodoxam cum S. Stephano Hungaria, utì ad illud tempus infeſta ſæpè Germaniæ, ita futura deinceps præſidio, & Religioni ornamento longè maximo.

Germania per primum ſæculi dimidium optimè gubernata ab Henrico Sancto, Conrado Salico, & Henrico III. altero per ſimoniam, concubinarios Clericos, & Henrici IV. ſchiſma vehementer turbata ac deformata: conante Eccleſia per Concilia afferre remedium.

Gallia ſimiliter ſub Roberto Sancto & Henrico I. in pace florens. Turbata verò tum per inauſpicatum Philippi I. cum legiti-

ma conjuge ſua divortium, tum per impiam hæreſin Berengarii. Quæſitum ac inventum per Concilia utrique morbo remedium.

Angliæ corona pilæ inſtar jactata, jam ab Anglo Saxonibus ad Danos, jam à Danis rurſus ad Saxonicam ſtirpem, ab hac verò ad Normannos. Cum iſtis mox Eccleſiæ diſſidium, Wilhelmo I. in libertatem, Wilhelmo II. in bona Eccleſiæ graſſante: ex adverſo verò S. Lanfranco & S. Anſelmo, Cantuarienſi utroque Archiepiſcopo, intrepidè reſiſtente.

Hiſpania à ruina paulatim aſſurgens, in Legionis, Navarræ, Aragoniæ, & Caſtiliæ regna ſe dilatat. Quæ omnia colligit Sanctius Major, & in quatuor filios dividit, totidem veluti ſtirpes, propagines ſuas in omnem Europam diffuſuras. Flagrantibus licèt bellis fraternis, expugnatum tamen regnum Toletanum, ac Maurus in arctiores propulſus anguſtias, facilè ex omni Hiſpania ejiciendus, ſi aut Chriſtiana regna nunquam fuiſſent diviſa, aut mens una fuiſſet Regibus fratribus. Cum regnis Chriſtianis jure poſtliminii reſtitutæ Eccleſiæ, Toletanæ redditus Primatus; abrogata Gothica precandi ratio & Romanæ conformata. Reſtaurandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ à Conciliis quæſitum ordinarium remedium. Quæ omnia, qua licet brevitate, jam recenſebimus.

SUMMARIUM.

Articulus I.

De Conciliis Germaniæ Sæculo XI.

§. I.

Prænotanda de Statu Germaniæ.

1. *Imperium Henrici Sancti.*
2. *Conradi Salici.*
3. *Henrici Nigri.*
4. *Henrici IV.*

§. II.

DISSERTATIO.

De Jure Imperii in Regnum Arelatenſe.

5. *Regnum Burgundicum antiquum.*
6. - *Lotharicum.*
7. - *Arelatenſe.*
8. *Regnum Cis- & Trans-Juranum Burgundicum.*

9. *De-*

9. *Devolvitur ab Imperium.* 10. *Quo Jure?*
11. *An posteriores Conrado Salico Imperatores fuerint in possessione Regni Arelatensis?* 12 *Quænam avulsa ab Imperio?*
13. *Quid hodiedum Juris in illud Regnum?*

§. III.

Status Ecclesiasticus Ordinatus per Concilia in Germania.

14. *Concilium* *Francofordiense.*
- *Wormatiense.*
- *Moguntinum I.*
- *Osboriense.*

Concilium Moguntinum II.
- *Moguntinum III.*
- *Seligenstadiense.*

Basileense Conciliabulum.

Articulus II.

De Conciliis celebratis contra simoniacos, concubinarios, & in causa Schismatis, inter Gregorium VII. & Henricum IV.

15. *Concilium Nationale Germanicum & Provinciale Moguntinum contra Simoniacos.*
16. *Cleri turbæ in Germania propter uxores, in Concilio Erfordiensi & Moguntino.*
17. *Concilia & conciliabula in causa Schismatis Henriciani.*

Articulus III.

De Conciliis Galliæ præsertim in causa divortii Philippi Regis.

§. I.

Prænotanda de Statu Galliæ.

18. *Regnum S. Roberti, & Henrici I.*
19. *Philippi I. infelix divortium, & excommunicatio.*
20. *Concilium Remense, Augustodunense, Claromontanum, Pictaviense, in hac causa.*

§. II.

Status Ecclesiasticus per alia Concilia Ordinatus in Gallia.

21. *Concilium Bituricense.*
- *Lemovicense.*
- *Rothomagense I.*
- *Tolosanum.*
- *Rothomagense II.*

Concilium Rothomagense III.
- *Pictaviense.*
- *Juliobonense.*
- *Abrincense.*

Articulus IV.

De Conciliis adversùs Berengarium Heresiarcham celebratis.

22. *Concilium Romanum I. Vercellense, Parisiense, Turonense, Romanum II. & III. Burdegalense, in hac causa.*

Articulus V.

De Conciliis Angliæ.

§. I.

Prænotanda de Statu Angliæ.

23. *Dani Angliam occupant sub Suenone Rege.*

24. *Canuti M. felix regnum, & leges sanctissimæ.*

25. *Anglia reversa ad S. Eduardum, ab exilio revocatum.*

26. *Translata ad Normannos in persona Wilhelmi Conquæstoris.*

§. II.

De Conciliis in causa

27. *Wilhelmi II. & S. Anselmi.*

§. III.

Status Ecclesiasticus per alia Concilia Ordinatus in Anglia.

28. *Concilium Ænhamense.*
- *Wintoniense.*
- *Londinense I.*

Concilium Londinense II.
- *Wintoniense II. & III.*

Articu-

Articulus VI.

De Conciliis Hiſpaniæ Sæculi X. & XI.

§. I.

Synopſis Hiſtorica de Statu Hiſpaniæ.

29. *Victis paulatim Mauris varia conduntur regna, & primum quidem Legionenſe à Pelagio, & Alphonſo* Catholico.

30. *Mauri verò Regnum Cordubenſe erigunt.*

31. *Alphonſi Caſti Regnum, Alphonſi M. & aliorum Legionis Regum.*

32. *Origo Regni Navarræ, & Aragoniæ.*

§. II.

33. *Canones Concilii Legionenſis.*

§. III.

Continuatio Synopſis Hiſtoricæ.

34. *Sanctius Major colligit Regna, & improvidè inter quatuor filios dividit.*

35. *Ab eo multæ per Europam ſtirpes propagantur.*

36. *Ferdinandi Sancti Caſtellæ Regnum.*

§. IV.

37. *Canones Concilii Covacenſis.*
- *Compoſtellani.*
- *Jaccetani & Rupenſis.*

§. V.

De Reliquis Hiſpaniæ Conciliis Sæculi XI. cum ulteriori continuatione Synopſis Hiſtoricæ.

38. *Concilium Barcinonenſe.*

39. *Gothicum ſeu Mozarabicum Officium Eccleſiaſticum abrogatum.*

40. *Ferdinandus M. regna inter tres filios improvidè dividit.*

41. *Alphonſus Toletanum Maurorum regnum evertit.*

42. *Concilium Burgenſe.*
- *Toletanum.*
- *Legionenſe.*
- *Compoſtellanum.*

Articulus VII.

DISSERTATIO JURIDICA.

An matrimonium ſtare poſſit cum pacto aut voto perpetuæ caſtitatis?



ARTICULUS I.

De Conciliis Germaniæ Sæculo XI.

§. I.

Prænotanda de Statu Germaniæ.

1. *Imperium S. Henrici.*

Ottone III. anno 1002. ſine prole defuncto Imperator electus eſt *Henricus II.* ex ſtirpe ſaxonica, Henrici Aucupis pronepos, Dux Bavariæ, quam ejus avus ab Ottone I. fratre ſuo acceperat, expulſo Arnulpho Arnulphi Mali filio.

Cœpit Henricus Imperium, æmulatione Principum litigioſum, renitente potiſſimùm Eghardo Thuringo: donec vitæ ſanctitas abſterſit invidiam. Nec domi ſancto gloria foris defuit; trina in Italiam expeditione, & Procerum fregit tyrannidem; & devotus Eccleſiæ Advocatus Apoſtolicæ Sedi tutelam exhibuit.

Nec tantùm in ſe ſanctus erat, ſed & in ſuis; conjuge inquam & ſorore. *Cunigunda* virgo nupta virgini, abunde probavit, virgineum pactum non pugnare cum nuptiali fœdere: miraculo etiam demonſtrata virginitate. Unde moriens Henricus talem parentibus reſtituit, qualem accepit.

Et quanta felicitas portio *Giſela* ſoror, quæ *Stephano* Hungariæ Regi nupta, conjugem Chriſto peperit, unáque gentem ferocem Eccleſiæ manſuefecit. Ac ſi in fatis eſſet, ut per fæminas tota Europa vinceretur Deo.

Obiit

Obiit Henricus, ùt vixit, ſanctiſſimè anno 1024. Imperii 23. ætatis 52. nullo relicto hærede, præter Eccleſias, quas condiderat, & ornaverat, præcipuè Bambergenſem: filios & nepotes interire ratus, in ævum permanere, quod Deo conſecratur.

Quem Henricus ſanctus Principibus commendaverat, lectus eſt Auguſtus *Conradus II. Salicus*, (appellatione, ùt putant, à *Sala* fluvio derivata) Franconiæ Dux. Et hic temporibus iſtis conſuetas cæſaribus expeditiones ſuſcepit, ad pacandos Germaniæ motus, & comprimenda Italiæ bella. Ereptam Græcis Apuliam *Normannis* attribuit. quorum opera adversùs Saracenos uſus fuerat; ſurgente in Italiæ finibus novo Principatu, cum felici ampliſſimarum deinceps rerum exordio.

2. *Conradi Salici.*

Et quamvis Conradus Salicus Romanos ad flagitandam veniam, Ravennates ad obſequium, Papienſes ad reponendam arcem, quam everterant, compulerit, Germaniæ Principes conjuratos ad officium revocârit, atque Hungaros vicerit; nulla tamen res celebrius ejus nomen reddidit, quam *Regnum Burgundicum* ſeu *Arelatenſe* ſibi & Imperio aſſertum, tanquam feudum Imperii.

Rudolphus IV. videlicet, ultimus Rex Regni Arelatenſis (quod tunc Delphinatum, Provinciam, Burgundiam, Sabaudiam, majorémque Helvetiæ partem complectebatur) cùm prole careret, Henrico ſancto Imperatori Regnum legaverat. Atque inde Conradus Salicus, tanquam legitimus in Imperio Henrici ſucceſſor jus ſuum repetebat contra Ottonem, Rudolphi ultimi Regis ex ſorore nepotem, quem bello vicerat. Captáque poſſeſſione Archiepiſcopum Trevirenſem per Regnum Arelatenſe *Cancellarium* pronuntiavit. Quo titulo hodiedum inſignitur: amiſſis licèt dudum provinciis, quæ ad regnum illud ſpectabant. Quidam ex eo etiam jus aliquod in regnum Arelatenſe Conrado tribuunt, quòd Giſelam Arelatenſem habuerit conjugem.

Obiit Conradus anno 1039. regni 15. Id ei vitio vertitur, quòd *Albericum* Comitem Tuſculanum novas adversùs Sedem Apoſtolicam turbas moventem, & ſuæ factionis homines intrudentem, non coërcuerit, prout Eccleſiæ Advocatum ac Protectorem decebat.

Succeſſorem habuit filium *Henricum III.* ſeu *Nigrum*, Principem religione in Superos, amore in rempublicam, & fortitudine adversùs hoſtes ſingulari. Petrum, S. Stephani filium, Hungariæ Regem, à ſubditis ſuis pulſum, armata manu reſtituit. Vitio ei quidem

3. *Henrici III.*

dem datur, quòd Pontificum electionibus se nimiùm immiscuerit. Verùm, si perturbata illa tempora, Comitúmque Tusculanorum, plures indignos in sanctam Sedem intrudentium, violentiam atque tyrannidem quis perpendat, laudabit Imperatorem, quòd pro supremæ advocatiæ officio, compressis violentis factionibus, dignos eligendos ex Germanis Episcopis Romano Clero, & quidem petenti ac roganti, obtulerit. Obiit anno 1056. Imperii 17. ætatis 39.

4. *Henrici IV.* Dimidium hujus sæculi sub tribus probis Imperatoribus faustum effluxit: at alterum dimidium gravissimas calamitates turbásque invexit, sub *Henrico IV.* Hic Princeps, sub obitum patris sexennis puer, abstractus à proba institutione Annonis Archiepiscopi Coloniensis, & matris Agnetis, Adalberto Bremensi Archiepiscopo traditus, non ea, qua par erat, disciplina est educatus. Imperio admotus, præter alia scelera, simoniæ potissimùm, turpísque circa Sacerdotia nundinationis est accusatus. Cúmque admonitus sæpiùs nollet resipiscere, à Gregorio VII. fidelium communione est privatus. Eáque deinceps sunt subsecuta, quæ *part.* 3. *cap.* 5. *descripsimus.* A proprio tandem filio Imperio privatus miserè periit anno 1106. Imperii 50. ætatis 56.

§. II.

DISSERTATIO

De Jure Imperii in Regnum Arelatense.

5. *Burgundiæ regnum.* Quia Conradus Salicus Regnum Arelatense ad Imperium reduxit, eáque res historiam medii ævi non parùm illustrat, liceurit mihi in hoc *apparatu eruditionis* de controverso illo jure aliqua interserere.

Jam sæculo quinto Burgundiones (ex Vandalorum gente populi) eam Galliæ Helvetiæque partem, quæ Italiæ adjacet, pulsis Romanis, occupârunt; regnúmque fundârunt, quod à nomine suo Burgundicum dixerunt. Verùm non ultra quatuor Reges ex Burgundionibus illud moderabantur, cùm à Mærovingicis Regibus occupatum, Regnóque Franciæ unitum fuit.

Transiit deinde Burgundia cum Gallia ad Pipinum, Carolum M. & Ludovicum Pium. Post hujus autem mortem trifariàm divisum est Regnum Francorum, inter tres videlicet Ludovici Pii filios, ita quidem ut Ludovico cederet Francia Orientalis, seu tota Germania

mania ad Rhenum usque, cum aliquot urbibus ultra Rhenum: Carolo Calvo Francia Occidentalis, illæ nempe Provinciæ, quæ ultra Scaldim, Mofam, Ararim, & Rhodanum in Occidentem excurrunt: Lothario verò Primogenito cum Italia & Imperatoris titulo Provinciæ mediæ; quidquid videlicet intra Rhenum ex una, & Mofam, Ararim, Rhodanúmque ex altera parte terrarum exporrigitur. Quæ provinciæ mediæ deinde *Regnum Lotharicum* dictæ funt, aut etiam *Regnum Auftrafiæ* (quod nomen multò eft antiquius.)

Porro Lothario Imperatore defuncto, inter tres ejus filios ea 6.
partitio eft facta, ut Ludovico Italia cum Imperatoris dignitate, *Lothari-*
Lothario Lotharingia cederet, excepta Provincia, quæ Carolo *cum.*
natu minimo obtigit. At omnes tres fine legitima prole mafcula funt defuncti.

Igitur eorum patrui, Ludovicus Germanicus & Carolus Calvus Regnum Lotharicum ita inter fe funt partiti, ut Ludovico obvenirent ea, quæ ex parte Boreali Rheno & Germaniæ funt conjuncta, Carolus Calvus verò reliqua accepit, quæ fecundùm Rhodanum ad mare mediterraneum, verfùs meridiem porriguntur, *tractum* videlicet *Lugdunenfem, Delphinatum, & Provinciam.*

Hanc accrefcentem portionem (quæ *Burgundia Cis-Jurana* à 7.
Gallis dicebatur) Carolus Calvus clientelari jure poffidendam dedit *Arela-*
Bofoni, conjugis fuæ Judithæ fratri. Hic verò poft mortem Caroli *tenfe.*
Calvi, ejúsque filii Ludovici Balbi, paulò pòft fubfecutam, beneficii immemor, fpreta ejusdem Balbi filiorum minori & infirma ætate, abjectóque clientelari obfequio, non ùt *vafallus feuda*, fed ùt abfolutus dominus velut *allodialia* bona, nullique homagii ac fidelitatis juri obnoxia fibi vindicavit. Quin Regem fe falutari voluit; & quia *Arelata* in provincia fedem figebat Regiam, novum ejus Regnum, *Regnum Arelatenfe* eft appellatum.

Bofoni anno 889. mortuo fucceffit *Ludovicus* filius; qui Rex etiam Italiæ eft electus contra Berengarium feniorem, (quem Arnulphus Imperator devicto Widone ejúsque filio Lamberto in Regnum Italiæ reftituerat) fed cùm Ludovicus fui Regnique fecurus dimiffo exercitu Veronæ fubfifteret, à Berengario, priùs profugo, interceptus, regno & oculorum ufu privatus fuit.

Succeffit in Regno Arelatenfi Ludovico patri anno 903. *Carolus Conftantinus*, impuberi adhuc ætate, fub tutela *Hugonis* Comitis Arelatenfis. Qui per fummam perfidiam Lugdunum, Delphinatum & Provinciam, quibus hactenus regnum Arelatenfe conftabat,

tradidit *Rudolpho II.* Burgundiæ Trans-Juranæ Regi, ut Italiæ Regnum sibi relinqueret.

8. *Cis- & Trans-Juranum.* Quòd, ut meliùs intelligatur, notandum, iisdem ferme temporibus, sub infirma ætate filiorum Ludovici Balbi, geminum surrexisse Regnum Burgundicum; prius, de quo hactenus diximus, quòdque *Regnum Burgundicum Cis-Juranum*, seu *Regnum Arelatense* est appellatum, circa annum 880. Alterum verò, quod dictum est *Regnum Burgundicum Trans-Juranum*, circa annum 890. fundatum à *Rudolpho I.* Conradi Comitis Strettlingensis Suevi filio, quem Episcopi Genevensis, Sedunensis, Lausanensis, aliique cum comitibus & optimatibus in Synodo Agauni ad S. Mauritium Regem Burgundiæ coronârunt.

Complectebatur autem hoc novum Regnum Burgundiæ Trans-Juranæ potissimam partem Helvetiæ, partem Alsatiæ, Suntgoiam, Vallesiam, Sabaudiam &c. Sedésque Regia erat Peterlingæ, quæ hodie est urbs Helvetiæ, ditionis Bernensis.

Rudolphus II. in hoc regno successit patri anno 912. victóque anno 923. Berengario, proclamatus Rex Italiæ, cum æmulo suo *Hugone* Comite Arelatensi, perfido tutore Caroli Constantini, ad quem jure hæreditario Regnum Burgundiæ Cis-Juranæ seu Arelatense spectabat, ita convenit, ut Ruldolphus abdicata prætensione, quam haberet in Regnum Italiæ, Burgundiæ utrumque Regnum conjungeret. Quo facto Hugo factus est Rex Italiæ, Rudolphus verò utriusque Burgundiæ, retento nomine *Arelatensis regni.* Continebat autem hoc ita auctum Regnum Arelatense, Cantones Helvetiæ Bernensem, Solodoranum, Friburgensem, Basileensem, Vallesiam, Sabaudiam, partem Pedemontii, partem Alsatiæ, Suntgojam, Principatum Neocomensem, Comitatum Montis Bellicardi, item Comitatum Burgundiæ, Delphinatum, & Provinciam cum Principatu Arausiaco & Comitatu Avenionensi (*quæ omnia utique secundùm hodiernam divisionem & locorum appellationem intelligi debent.*)

Rudolpho II. in hoc regno Arelatensi successit filius Conradus, huicque anno 993. mortuo filius *Rudolphus III.* qui improlis decessit anno 1032.

Habebat autem quatuor sorores, primam *Giselam*, matrem Henrici Sancti Imperatoris. Hunc nepotem suum Henricum hæredem Regni Arelatensis instituerat Rudolphus; sed cùm ille sine prole decessisset, revocavit testamentum.

Altera

Altera ſoror Rudolphi *Bertha* Odoni Campaniæ Comiti nupta per *Ottonem* filium ſtemma propagavit. Hic Otto magna contentione ſuccedere conabatur.

Tertia ſoror *Gerberga* filiam habuit *Giſelam* Conradi II. Imperatoris conjugem, matrem Henrici III. de quarta ſorore nihil eſt, quod memoremus.

Jam verò, cum Rudolphus poſt mortem Henrici Sancti voluntatem ſuam mutare vellet, Conradus Imperator, bello eum aggreſſus eſt, Baſileâ expugnatâ; ſícque eum adegit, ut Burgundiam Imperio relinqueret. Cúmque poſt Rudolphi mortem Otto ex altera ſorore nepos pleraſque Burgundiæ provincias occupâſſet, Conradus armis validior vi eum depulit, atque ita Burgundiam ſeu Regnum Arelatenſe cum Imperio univit, vel reunivit, ita, ut Ottoni ſupplicanti ne quidem jure beneficiario illud concederet. Quin illico Rex Burgundiæ coronatus eſt anno 1032. & Archiepiſcopum Trevirenſem *Archicancellarium per Regnum Arelatenſe* conſtituit, quo titulo, officio ac dignitate hodiedum fulget. 9. *Regnum Arelat. ad Imp.*

Hac velut *ſpecie facti* ſuppoſita Juris Publici Interpretes diſputant 1. *An Conradus Imperator jure Regnum Arelatenſe Imperio vindicârit?* 2. *An ſequentes Imperatores illud tanquam Imperii partem poſſederint?* 3. *Quænam illius regni provinciæ ab Imperio fuerint avulſæ?* 4. *Quid hodiedum Juris in illud Regnum?*

Ad *primam quæſtionem* reſpondent Germani, jure ſuo & Imperii uſum eſſe Conradum Imperatorem, dum provincias Regni Arelatenſis Imperio vindicavit. Nam 1. poſt Lotharii Imperatoris filios ſine prole maſcula extinctos provincias illas, ex quibus poſtmodum Regnum Arelatenſe conſurgebat, debitas fuiſſe Ludovico Germaniæ Regi, Lotharii fratri germano & natu majori, non verò Carolo Calvo, fratri tantùm conſanguineo & natu minori. Et quamvis Ludovicus eam hæreditatem cum Carolo fratre diviſerit, non tamen propterea omne jus in eas provincias abdicâſſe: cùm Carolus Calvus non niſi cum conſenſu Caroli Craſſi Imperatoris Delphinatum & Provinciam Boſoni in feudum dederit: & Ludovicus Boſonis filius non niſi cum approbatione Arnulphi Imperatoris patri ſucceſſerit. 10. *Quo Jure.*

2. Totam Burgundiam Trans-Juranam, poſtmodum cum Regno Arelatenſi unitam, pertinuiſſe ad Imperium. Atque ideo ab Ottone M. Conradum Burgundum, tanquam Vaſallum Imperii in Regno Arelatenſi fuiſſe inveſtitum, & contra Ludovici Transmarini Galliæ Regis invaſiones protectum.

3. Per teſtamentum Rudolphi III. quo Henricum Sanctum Imperatorem inſtituit hæredem, & ſubſecutam inde transactiomem cum Conrado II. Imperatore, Regnum Arelatenſe penitus rurſus cum Imperio fuiſſe unitum. Jure proin antiquo, & novo ſpeciali ac juſto titulo Conradum Imperatorem Regnum illud Imperio windicâſſe, excluſo Ottone Rudolphi III. ex filia nepote. Cæterùm etiam conjugem Conradi Imperatoris fuiſſe neptem Rudolphi III. ex eáque genitum Henricum III. Imperatorem.

Neque poſſe Gallos ad Reges Merovingicos recurrere, qui Burgundiæ Regnum cum Galliæ Regno univerint; nam per Carolingicos Reges, factásque inde inter Ludovici pii liberos & nepotes Provinciarum diviſiones, omnia fuiſſe mutata, novísque omnino juribus provincias fuiſſe ſubjectas. Ad Ludovicum Germaniæ Regem provincias Regni Arelatenſis pertinuiſſe, jure igitur ad Germaniam eſſe reductas.

Sed neque dici poſſe, quòd Boſo non à Ludovico Germanico, ſed à Carolo Calvo Galliæ Rege provincias illas in feudum acceperit; nam imprimis provincias Burgundiæ Transjuranæ non à Carolo Calvo fuiſſe in feudum datas, ſed fuiſſe Germaniæ provincias: deinde etiam provincias Burgundiæ Cisjuranæ non aliter datas eſſe in feudum Boſoni, niſi cum conſenſu Caroli Craſſi Imperatoris.

Et licèt Otto Rudolphi III. ex ſorore nepos jus aliquod habuiſſet, juſto tamen bello à Conrado Imperatore fuiſſe ſuperatum; jure igitur etiam belli meritò fuiſſe depulſum. Unde Ottonis poſteros nihil ampliùs moviſſe adversùs Imperatores.

II. *An Imperatores poſſederint?*

Ad *ſecundam quæſtionem* reſpondent Germani ſcriptores, *poſteriores etiam Conrado Salico Imperatores Regnum Arelatenſe, tanquam proprium Imperio vindicâſſe.*

Nam imprimis Henricum III. exemplo patris Conradi coronatum fuiſſe Regem Burgundiæ. Deinde licèt per inteſtina & externa Germaniæ bella, ſub Henrico IV. & V. exorta, varia ex Regno Arelatenſi fuerint decerpta, illa tamen à Friderico I. Imperatore, præſertim per matrimonium cum Beatrice Raynaldi præpotentis Burgundiæ Comitis filia, ad Imperium fuiſſe reducta, adeò quidem, ut Archiepiſcopi Lugdunenſis, Viennenſis, Arelatenſis, aliíque Status feuda ſua à Friderico confirmari petierint: atque Viennenſis Archiepiſcopus Archi-Cancellarius Burgundiæ, Lugdunenſis verò Palatii Præfectus ab eo ſint conſtituti.

Eundem Imperatorem Fridericum Ottoni filio dediſſe Burgundiam, eam tamen conditione, ut illam à fratre Henrico VI. (cui

Impe-

Imperii coronam destinaverat) tanquam feudum acciperet, ejúsque dominium directum tanquam Vasallus agnosceret. Posteriores etiam Imperatores in possessione hujus juris permansisse, uti Ottonem IV. Fridericum II. Alphonsum &c.

Rudolphum Habspurgicum Imperatorem Carolo Andegavensi, S. Ludovici fratri, Provinciam in feudum concessisse: (uti etiam Albertum I. Philippo Pulchro) & Præfectos per Regnum Arelatense constituisse; variáque alia ibidem ordinâsse, quæ manifesta altioris potestatis sint argumenta. Cùm Philippus Pulcher Rex Galliæ Burgundiæ rebus se immisceret, protestatum esse Adolphum Imperatorem, & bellum eidem esse comminatum. Imò Philippum Longum, Philippi Pulchri filium, Burgundiam in feudum accepisse ab Henrico VII. Imperatore. Cùm autem Philippus sine prole mascula decessisset, exspirâsse jus feudale, ab eo acquisitum. Eundem Henricum VII. plures Burgundos principes in profectione Romana fuisse comitatos, cùm ad coronationem pergeret. Quod personale tunc erat, & maximè proprium Vasallorum obsequium.

Carolum IV. Imperatorem varios exercuisse actus, qui altum dominium ac Jurisdictionem in ditiones illas demonstrent. Siquidem Arelate fuerit coronatus: Sabaudicum Vicariatum instituerit: Philippo Burgundo veniam ætatis concesserit: Archiepiscopum Trevirensem Archicancellarium per Regnum Arelatense expressè in Bulla Aurea appellârit: cùm Papa Avenionensem comitatum emeret, requisitus consensum dederit; & cùm Humbertus comes Delphinatum Philippo VI. Valesio Galliæ Regi ea conditione tradidisset, ut primogenitus Regis semper *Delphinus* vocaretur, eundem Carolum IV. Imperatorem postea consensisse, ea tamen lege, ut Delphinus hunc principatum tanquam feudum Imperii agnosceret, & præstito homagio ab Imperatore acciperet. Idque factum esse: Siquidem Carolus Delphinus (postea Rex Galliæ hujus nominis quintus) in comitiis Metensibus comparuerit, sedem & vocem inter alios Imperii Principes ratione Delphinatus & Provinciæ obtinuerit, ejúsque filius Carolus VI. ab eodem Carolo IV. Imperatore Vicarius Imperii per Delphinatum & Provinciam sit designatus.

Porro Rupertum Imperatorem, cùm in Italiam proficisceretur, filio suo Vicariatum in Germaniam & Regnum Arelatense commisisse. Sigismundum Vicariatum Sabaudiæ confirmâsse. Cùm propter varias Germaniæ turbas, tempore Friderici III. Imperatoris exortas, Vasalli à nexu Imperii se exsolvere fuissent conati, Maximilianum I. de hoc conquestum & protestatum esse. Carolum

lum V. in pace Madritensi, cum Francisco I. inita, acriter institisse, ut Galli eas provincias, quæ jure beneficiario ad eos devenerant, tanquam feuda Imperii agnoscerent, atque juramento fidelitatis præstito illas ab Imperatoribus deinceps peterent.

Ex quibus inferunt, satìs constare, quòd posteriores etiam Imperatores semper aliquos actus exercuerint, quibus continuata possessio jurisdictionis ac dominii directè in Regnum Arelatense demonstretur.

12. *Quænam avulsa?* Ad *tertiam quæstionem* respondent, cùm sæculo XV. Burgundiæ Ducum potentia magnis incrementis augeretur, *Burgundiæ nexum cum Imperio ferme penitus esse dissolutum.* Comitatum *Provinciæ*, qui ab Rudolpho Habspurgico Carolo Andegavensi cum expressa reservatione dominii directi, ac mero jure clientelari sit concessus, à Ludovico XI. Regno Galliæ fuisse unitum. *Tractum Lugdunensem*, salvo jure Imperii Philippo Pulchro concreditum, jam nullum ampliùs Imperii jus agnoscere. *Delphinatum*, ab Humberto in primogenitos Regum Galliæ translatum, & à Carolo IV. sub feudali nexu iis commissum, omnem erga Imperium subjectionem excussisse, & supremo veluti jure à Galliæ Regibus possideri. *Burgundiæ* Duces, potentia provectos, cessâsse consuetum priùs homagium Imperatori præstare: jámque non tantùm Ducatum, sed etiam Comitatum Burgundiæ per pacem Neomagensem Gallicæ coronæ esse unitum, absque respectu ad Imperii jura.

Sæculo XVI. Principatum *Auriacum*, Delphinatus partem, libertatem usurpâsse. Jam verò in pace Ultrajectina à Prusso in Gallos translatum. Nec Papam *Avenionensem* comitatum, in Provincia situm, tanquam feudum ab Imperatoribus accipere. In pace Westphalica præter alia *Suntgojam*, quæ pariter ad Regnum Arelatense pertinebat, Galliæ esse permissam.

Helvetiam maxima ex parte Regni Arelatensis provinciam, sub Alberto I. Imperatore ferme totam in ditionem Augustissimæ Domus Austriacæ pervenisse, exceptis videlicet Uriis, Suitiis & Subsylvanis, qui soli Imperio volebant *immediatè* subesse. Cùm autem Præfecti, quos Albertus Imperator mittebat, acerbiùs animosos istos tres populos tractarent, ducibus Arnoldo Subsylvano, Stauffachero Suitiensi, & Walthero Uriensi (quibus Wilhelmus Tellius accessit, qui Gäslerum Præfectum occidit) fœdere inito, Landenbergium alterum Præfectum, arce Sarnensi astu capta, expulerunt (*anno* 1308.)

Acces-

Accesserunt deinceps successivè ad hoc urbium Sylvestrium, utì vocabantur, fœdus Lucernates, Tigurini, Glaronenses, Tugienses, Bernates; ac demum etiam reliqui Cantones, utì Friburgum, Solodorum, Schafhusium, & Abbatis-Cella. Quæ omnes communitates primùm à subjectione erga Domum Austriacam, deinde etiam ab Imperii jurisdictione se subtraxerunt, eámque Rempublicam composuerunt, quæ adversùs potentissimos hostes, gravibus bellis, multísque victoriis partam libertatem mordicus defendit. In pace verò Monasteriensi §. 61. obtinuit declarationem Cæsaream, *Civitatem Basileam, cæterósque Helvetiorum Cantones in possessione vel quasi plenæ libertatis & exemptionis ab Imperio esse, ac nullatenus ejusdem Imperii Dicasteriis & Judiciis subjectos.*

Helvetiorum exemplo eorum socii ac fœderati, Grisones, Vallesiani, Genevenses, Neocomenses, &c. qui omnes olim ad Regnum Arelatense, & deinde ad Romanum Imperium pertinebant, successivè proprii Juris facti sunt.

Ad *quartam* denique *quæstionem* respondent Germani Jurisconsulti, Episcopatum Basileensem, Sabaudiæ Ducatum, & Comitatum Montisbellicardensem, quæ olim partes erant Burgundiæ Trans-Juranæ, ac deinde Regni Arelatensis, adhuc pertinere ad Imperium Romano-Germanicum. In reliquas verò provincias, quæ in Instrumento pacis Westphalicæ, Neomagensis & Risvicensis, non sunt expressè abdicatæ, licèt possessio sit amissa, in *petitorio* tamen adhuc jus competere.

13. *Quid hodie Juris?*

Nam probari non posse, ullum Imperatorem in alienationes illas consensum dedisse: & si dedisset, infirmum tamen futurum fuisse, nisi etiam consensus Statuum Imperii accessisset. Quin imò, ùt ex adductis ad quæstionem secundam exemplis constat, Imperatores semper aliquos actus, dominii & superioritatis indices, in provinciis illis exercuisse.

Et quidem *Provinciam*, Regni Arelatensis sedem, in turbis bellicis ab Imperio avulsam, à Friderico I. Imperatore esse reductam: atque Provinciæ comites eam deinceps jure beneficiario tanquam Imperii feudum possedisse. Nec aliter postmodum Gallis concessam, quàm cum reservatione superioritatis, nexúsque feudalis cum Imperio; nec unquam eam ab Imperio dependentiam Gallis esse remissam.

Similiter Delphinatum ab Humberto ejúsque antecessoribus sub onere *Vasallagii* esse possessum, nec aliter in primogenitum Regis Galliæ potuisse transferri: imò Delphinum ipsum agnovisse supre-

premam Imperii poteſtatem, atque in Comitiis Imperii Metenſibus tanquam Statum comparuiſſe, & Imperatori homagium præſtitiſſe: Carolum VI. VII. & Ludovicum XI. Galliæ Reges Delphinatum à reliquis Galliæ provinciis diſcreviſſe, probè gnaros, eam provinciam ab Imperio dependere. Neque conſtare, quòd Imperium eam dependentiam unquam remiſerit; imò Maximilianum I. & Carolum V. eſſe conqueſtos, quòd Galli non ampliùs inveſtituram petant.

Sed neque conſtare, quòd Imperatores, ſaltem cum conſenſu Imperii Ordinum, jus in Principatum Auriacum, aut Comitatum Avenionenſem abdicârint: quamvis tam Principes Auriaci quàm ſummus Pontifex in quieta poſſeſſione harum ditionum per plura jam ſæcula fuerint.

Quoad Helvetiæ communitates reſpondent, primum illarum fœdus, anno 1308. erectum, nequaquam eò ſpectâſſe, ut ſe à nexu cum Imperio abſolverent: quin imò apertè declarâſſe, nolle ſe ab Imperio ſeparari. Atque ideo fœdus illud ab Henrico VII. Imperatore eſſe confirmatum; utì etiam poſtea à Ludovico Bavaro, cujus partes adversùs Fridericum Pulchrum ſequebantur: miſſúmque eſſe ab eodem Ludovico Imperatore Præfectum, qui mitiùs eas tractaret.

Et quamvis octo veteres Cantones, creſcente fœdere, per cruenta bella, & ſubſequentem Friderici Archiducis proſcriptionem, in Concilio Conſtantienſi à Sigismundo Imperatore factam, ſe à ſubjectione erga Domum Auſtriacam abſtraherent, profeſſos ſe tamen eſſe membra Imperii, ac talia ab Imperatoribus eſſe agnitos.

Hinc eorum legatos anno 1474. in Comitiis Imperii Baſileenbus præſentes unà cum reliquis Imperii Ordinibus Carolo Burgundo, tunc hoſti Imperii, bellum indixiſſe, adjectis his verbis: *Quod nos ad grandes exhortationes & requiſitiones Invictiſſimi & Sereniſſimi Herois noſtri gratioſiſſimi, cui tanquam ſacri Imperii membra non injuria obedienter paremus &c.*

Et licèt anno 1496. recuſarent Suevico fœderi accedere, atque pro camera Imperiali contribuere, ortóque bello ſtrenuè ſuam libertatem defenderent, tamen dein in pace aliud non petiiſſe & obtinuiſſe, quam confirmationem ſuorum privilegiorum & exemptionem à Judicio Aulico, camera Imperiali, & oneribus Imperii, ſimùlque libertatem ineundi fœdera. Pollicitos autem, ſe requiſitos ab Imperio contra externos hoſtes, fore auxilio. Hæcque Baſileæ anno

anno 1499. & Conſtantiæ anno 1513. eſſe confirmata. Rurſúsque, cùm Carolo V. promiſiſſent, ſe fideles ipſi & obedientes futuros, in comitiis Wormatienſibus anno 1521. ab eodem confirmationem ſuorum privilegiorum & immunitatum obtinuiſſe. (*Goldaſtus in epiſt. dedicat. quæ præfixa eſt* denen Reichs-Händlen)

Cùm autem deinde Gallia, & aliæ Nationes cum præpotente & invicta hac gente fœdera inire quærerent, ſemper magìs magísque ab Imperii nexibus ſe exſolviſſe: ac pergente nihilominus camera Imperiali citationes & mandata ad quosdam Cantones dirigere, conqueſtos Baſileenſes, & reliquos fœderatos, infringi ſua privilegia & exemptiones, in pace Osnabrugenſi à Cæſare Ferdinando III. declaratum eſſe, Baſileam, & reliquos Helvetiæ Cantones in poſſeſſione eſſe plenæ libertatis, & exemptionis ab Imperio, ac nullatenus ejusdem Dicaſteriis & Judiciis ſubjectos. Perrexiſſe nihilominus Cameram Baſileam mandata mittere, proteſtantibus contra illa Ordinibus fœderatis.

Addit Conringius *de finib. Imp. lib.* 2. *cap.* 25. poſtquam §. 61. cit. pacis Osnabrugenſis citavit: *Poſſis tamen fortè dubitare, an non illa poſſeſſionis confeſſio multum diverſa ſit à jurium remiſſione &c.* & Sprengerus *in Elichniis ad Lucern. Stat.* ſcribit: de libertate fœderatorum *quoad poſſeſſorium* dubitari non poſſe, bene verò *quoad petitorium.* Addítque Obrechtus *in notis ad Inſtr. Pacis art.* 6. ex pace illa plus non probari, quàm exemptionem à Camera Imperiali; nam de ea ſola fuiſſe quæſtionem. Verùm hoc videtur dici non poſſe: nam Inſtrumentum pacis expreſſè plenam libertatem, & utramque exemptionem, ab Imperio, & à Camera exprimit. Verùm ſuffecerit mihi in hac re, quæ non eſt mei fori, aliorum ſententias obiter retuliſſe.

§. III.

Status Eccleſiaſticus ordinatus per Concilia in Germania Sæculo XI.

Præter Concilia, in cauſa Schiſmatis tempore Henrici IV. Imperatoris celebrata, celebriora fuiſſe videntur Germaniæ Concilia: 14.

1. *Francofordienſe*, in quo anno 1006. invito licèt Epiſcopo Herbipolenſi, Henricus Sanctus Imperator evicit, ut *Epiſcopus Bambergenſis* regiis ſumptibus erigeretur. Factúsque eſt primus Epiſcopus *Eberhardus* Imperatoris Cançellarius. Hanc deinceps Eccleſiam

ſanctus Imperator ſingulari omnino amore ac liberalitate eſt proſecutus: atque in ea, ut ſe ipſum etiam daret, ſepeliri voluit.

2. *Wormatienſe*, in quo anno 1048. mortuo Damaſo II. (Epiſcopo ante Brixinenſi) Summus Pontifex Electus eſt Leo IX. Alſata. Qui tamen eam electionem non acceptavit, niſi ſub conditione, ſi clerus & populus Romanus ratam haberet.

3. *Moguntinum I.* quod anno 1054. in Romanum Pontificem elegit Gebhardum, Suevum, Epiſcopum Euſtadianum: quem ſub Victoris II. nomine Romani magno cum honore receperunt.

4. *Baſileenſe Conciliabulum* anno 1061. Nicolaum II. legitimum Pontificem, ejúsque acta condemnavit: utì etiam electionem Alexandri II. quòd ſine conſenſu Imperatoris fuiſſet inſtituta. *Cadaloi* verò, Epiſcopi Parmenſis ſpuria electio, licèt à duobus tantùm Epiſcopis fuiſſet ſuſcepta, eſt approbata. Unde pernicioſum Eccleſiæ Schiſma.

5. *Osborienſe*, auctoritate S. Annonis, Colonienſis Archiepiſcopi, anno 1062. congregatum, poſt *Synodalem diſceptationem inter Regis Henrici IV. Advocatum, & Eccleſiæ Romanæ Defenſorem*, Cadaloum Antipapam omnium acclamatione condemnavit, & Alexandri II. electionem tanquam legitimè factam confirmavit. Quod idem poſtea in Concilio quoque *Mantuano* factum eſt: tota Eccleſia agnoſcente Alexandrum, & condemnante Cadaloum. Cæterùm *diſceptationis illius Synodalis* auctor fuit S. Petrus Damiani; in qua reſpondet ad argumenta, à Regiis objecta contra electionem Alexandri II. Illi namque dicebant, antiquam eſſe conſuetudinem, à quatuor Pontificibus approbatam, ut Pontifex electus non conſecretur, aut, ſi jam ſit Epiſcopus, non *inthronizetur*, niſi priùs ab Imperatore approbetur illius electio; hoc autem in electione Alexandri non eſſe factum. Reſpondit Petrus Damiani, primis quinque Eccleſiæ ſæculis ejusmodi confirmationem nunquam fuiſſe petitam, ac proinde non eſſe neceſſariam. Dein perſonale duntaxat fuiſſe illud Privilegium, propter temporum iniquitatem aliquando ultro conceſſum. Miſiſſe etiam Romanos legatum ad Regem Henricum IV. qui tamen non ſit admiſſus: jure proin ſuo egiſſe Romanos.

6. *Moguntinum II.* anno 1069. interdixit Imperatori Henrico IV. divortium cum Bertha Regina, opera præſertim & eloquentia Petri Damiani, Legati Apoſtolici. Retinuit tunc equidem conjugem legitimam Cæſar, atque ex ea præter alios liberos genuit Henricum V.

7. *Mo-*

7. *Moguntinum III.* anno 1070. Carolum, Conſtantienſem Epiſcopum, à Clericis ſuis Simoniæ accuſatum, depoſuit.

8. *Seligenſtadienſe* Concilium Provinciale 20. edidit Canones, ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantes.

Primus jubet obſervari abſtinentiam à carne & ſanguine, 14. diebus ante Feſtum S. Joannis Baptiſtæ; item 14. diebus ante Natalem Domini. In Vigiliis item Epiphaniæ, omnium Apoſtolorum, aſſumptionis B. V. S. Laurentii, & omnium Sanctorum: & quidem cum unica in die refectione.

Secundus præcipit, quatuor temporum jejunia obſervari.

Tertius prohibet nuptias ab adventu Domini usque ad octavam Epiphaniæ, & à Septuageſima usque ad octavam Paſchæ: item in diebus jejuniorum.

Quartus vetat, ne Presbyter, poſt galli cantum bibens, altera die Miſſam celebret.

Quintus, ne Presbyter eadem die plures, quàm tres Miſſas celebret. (*Tres autem illis, qui plures Parochias adminiſtrabant, dicere, quibusdam in locis licitum fuerat*)

Sextus, ne corporale, Chriſti corpore conſecratum, in ignem projiciatur ad extinguendum incendium.

Septimus ſtatuit, ut, ſi duo de adulterio ſint accuſati, & alter eorum fateatur, alter neget. Hic probabili judicio ſe purget, ille verò pœnitentiam agat.

Octavus, ut nemo gladium in Eccleſiam portet, regali tantùm excepto.

Nonus, ut in atrio, & maximè ipsâ Eccleſiâ colloquia non miſceantur.

Decimus, ut Miſſæ votivæ non celebrentur ad divinationem audientium, ſed ad devotionem, vel pro ſalute virorum, vel pro defunctis.

Undecimus, ut non à fratre, ſed à nepote numerentur gradus conſanguinitatis (*ita tunc ſtatutum in Archidiœceſi Moguntina; ſed poſtea abrogatum*)

Duodecimus, ut in atrio Eccleſiæ tantùm Presbyterorum ædes tolerentur.

Decimus tertius vetat, ne laici, habentes Jus Patronatus, Eccleſias commendent Presbyteris ſine conſenſu Epiſcopi.

Decimus quartus decernit, ut ſi duo accuſati de adulterio, illud negent, alteruter ambos Divino purget judicio. (*purgatio vulgaris adhuc erat in uſu*)

Decimus quintus, jejunium *bannitum* (*hoc est, ad avertenda justitiæ Divinæ flagella indictum*) diligenter observari præcipit.

Decimus sextus vult, ut nullus (*Presbyter*) Romam eat, absque consensu sui Episcopi, vel ejus Vicarii. (*ne scilicet interim oves destituantur pastore*)

Decimus septimus, sub anathemate prohibet, ne ullus Presbyter cuiquam pœnitenti *carrinam* (*carenam, seu* 40. *dierum jejunium*) dividat, nisi sit infirmus.

Decimus octavus, redarguit criminum capitalium reos, qui pœnitentiam à suis Sacerdotibus recipere nolunt, sed Romam pergunt, ut Apostolicus omnia ipsis dimittat peccata (*ubi Synodus non impugnat potestatem Summi Pontificis ligandi & solvendi per totam Ecclesiam, sed sub- & obreptitias lapsorum fraudes culpat, additque talibus concessam Romæ indulgentiam non prodesse*)

Decimus nonus jubet, ut pœnitens *carrinam* suam ibi jejunet, ubi pœnitentiam accepit, ut Sacerdoti proprio constet de illa impleta.

Vigesimus vetat, ne Presbyteri quemquam in Ecclesiam introducant sine consensu Episcopi, cui pro aliquo delicto illam ingredi non licet.

ARTICULUS II.

De Conciliis celebratis contra *Simoniacos*, *Concubinarios*, & in casu *Schismatis* inter *Gregorium VII. & Henricum IV.*

15. Plurimùm invaluerat his temporibus Simoniaca pravitas & sacrilega sacerdotiorum nundinatio, adeò, ut plus offerenti passim prostarent venalia. Quare Henricus III. Imperator anno 1047. Concilium *Nationale per Germaniam* indici voluit; in quo graviter invectus est in illud scelus, atque in Clericos, illo corruptos: voluítque ut anathemate percellatur, qui porro illud committere præsumeret. Altero dein post anno *Moguntinum* habitum est Concilium, præsentibus Leone IX. Pontifice, & Henrico III. Imperatore; in quo rursus condemnata Simoniæ pravitas, cum concubinatu Clericorum.

Maximè

Maximè verò ad hanc pestem geminam ab Ecclesia extermi- 16. *Cleri turba.*
nandam allaboravit Gregorius VII. Summus Pontifex. Siquidem decreta severissima hanc in rem per varias provincias misit, ac promulgari mandavit; verùm ea labes tantas radices egerat, ut omni adhibita industria ac severitate vix eradicari ampliùs posset. Potissimùm autem Gregorii decretis se opponebant Clerici Germaniæ, quorum multi in vetita matrimonia involaverant, ea quidem pervicacia, ut cùm Sigefridus Archiepiscopus Moguntinus in *Synodo Erfordiensi* decretum Gregorii ac Synodi Romanæ vellet promulgare, vitæ suæ vix satìs fuerit securus.

Cùm autem Gregorius nullatenus cederet, sed plures Episcopos, qui minùs severi fuerant in urgenda disciplina, in Concilio *Romano II.* suspendisset ab Episcopali officio, minásque etiam Moguntino intentâsset: is convocata Synodo *Moguntina* altera, Pontificium decretum promulgavit, quo jubebantur Presbyteri aut renuntiare conjugibus, aut se in perpetuum sacro Altaris ministerio abdicare. At indecoro murmure, ac strepitu ita fuit exceptus, ut desperaret commissum sibi à Pontifice negotium ad optatum finem deducere.

Tum verò Episcopi cum Clero in Gregorium Pontificem, inflexibilem officiorum exactorem, insurgentes, tumultuandi occasionem nacti sunt ab epistola, ad Imperatorem Henricum scripta, in qua eundem Pontifex reprehendit, quòd cum excommunicatis Episcopis communicet, & investituras Episcopatuum aliorúmque Beneficiorum illegitimè sibi usurpet, & Synodalia decreta contemnat.

Hac enim epistola irritatus Henricus, Legatos Papæ verberi- 17. *Synodi in causa Schismatis.*
bus, ignominia, & carcere vehementer afflixit, coactóque *Conciliabulo Wormatiensi* anno 1076. facilè effecit, ut à Schismaticis, Concubinariis, & Simoniacis hominibus deponendus à Pontificatu judicaretur Gregorius, missa ad illum conventiculi illius nomine epistola, plena contumeliæ, qua denuntiant, ut Pontificatu, quem contra Ecclesiasticas leges usurpâsset, se abdicet: aliàs quidquid deinceps sit acturus, habendum irritum.

At Gregorius accepta hac epistola indixit *Concilium Romanum III.* anno 1076. in quo excommunicavit Sigefridum Moguntinum, Wilhelmum Trajectensem, Robertum Bambergensem, aliósque Episcopos plures Germaniæ, Galliæ, & Longobardiæ: demum etiam ipsum Imperatorem Henricum, eúmque Regno deposuit, subditis Sacramenti religione solutis. Alios quosdam Episcopos, in Synedrio

drio Wormatienſi præſentes ad dicendam cauſam Romam citavit. Ottonem autem Ratisbonenſem, Ottonem Conſtantienſem, Burchardum Lauſannenſem jam antè excommunicaverat.

Epiſcopi dein Schiſmatici in *Papienſi Conciliabulo* congreſſi, anathema in Pontificem retorquere præſumpſerunt.

Gregorius verò congregato *Concilio Romano IV.* centum fere Epiſcoporum, anno 1078. plures adhuc Archiepiſcopos & Epiſcopos excommunicavit ac depoſuit: Nominatim Guibertum Ravennatenſem, Tedaldum Mediolanenſem, Gaufredum Narbonenſem, Arnulphum Cremonenſem, Rolandum Tarviſenſem &c.

Eodem anno in *Concilio Romano V.* excommunicatus eſt etiam Imperator Conſtantinopolitanus Nicephorus Botoniates, quòd tyrannicè invaſerit Imperium. Variáque edita capitula pro reformanda morum diſciplina; contra Concubinarios, Simoniacos, violatores Eccleſiaſticæ libertatis &c.

In *Concilio Romano VI.* anno 1080. rata habita electio Rudolphi in Imperatorem, ea addita conditione, ne deinceps inveſtituræ Beneficiorum à laicis conferantur, vel recipiantur. Henricus verò rurſus eſt excommunicatus.

In conventiculo deinde *Trajectino* Wilhelmus Trajectinus Epiſcopus eò temeritatis eſt prolapſus, ut in Gregorium Summum Pontificem ac Chriſti in terris Vicarium anathema fulminaret. At mox horrenda morte abreptus, pœnas dedit. Ut teſtatur ſcriptor coævus Hugo Abbas Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi *p.* 225. *& ſeqq.*

Mortuo ſubin Rudolpho æmulo factus audacior Henricus Conciliabulum primùm *Moguntiam*, deinde verò, ut Schiſmatici ex Germania & Italia faciliùs convenire poſſint, *Brixinam* indixit. Ubi à 19. Schiſmaticis Epiſcopis, jam antè excommunicatis, inaudito facinore depoſitus eſt Gregorius legitimus Pontifex, & *Guibertus*, Ravennatenſis antè Archiepiſcopus, à Gregorio excommunicatus & depoſitus, Antipapa eſt intruſus (*anno* 1080.)

Gregorius verò in pluribus *Romanis Conciliis* anathema in Henricum, Guibertum, omnésque eorum aſſeclas & fautores innovavit. Idémque in eos fulmen vibravit Victor III. Gregorii Succeſſor in *Concilio Beneventano* (anno 1087.) utriusque verò Pontificis, Gregorii nempe & Victoris, acta confirmata ſunt in *Concilio Romano* 115 Epiſcoporum ſub Urbano II. (anno 1089) & in *Beneventano* (anno 1091.) ac pluribus aliis: Schiſmate per plures adhuc annos ſcindente Eccleſiam: eò quòd Guiberto magna Italiæ & Germa-

niæ

niæ pars pertinaciter adhæreret. Anglia verò pro neutro ſe declaravit; donec volente Wilhelmo II. Rege partes Urbani eſt ſecuta.

Concilium *Conſtantienſe* ex Abbatibus, Clericis, Ducibus, & Principibus, qui Henrico IV. adverſabantur, anno 1094. collegit Gebhardus, Epiſcopus Conſtantienſis, Pontificius per Germaniam Legatus. In eo incontinentia Sacerdotum, ac Simonia ſub graviſſima pœna rurſus eſt prohibita. Præſcripta jejuniorum & feſtorum obſervatio. Auditæ querelæ Praxedis (Adelhaidem quidam appellant) quæ Henricum IV. Imperatorem, conjugem ſuum, reliquerat, propter infandas ſpurcitias, quas paſſam ſe aſſerebat. Sícque divortium ſuum purgabat.

ARTICULUS III.

De Conciliis Galliæ præſertim in cauſa divortii Philippi Regis.

§. I.

Prænotanda de Statu Galliæ.

Poſtquam Hugo Capetus, translato in familiam ſuam Galliæ regno anno 996. fatis deceſſerat, ſucceſſit illi *Robertus* Filius, Princeps ſanctus, ſub quo Gallia pace, concordia, religione floruit. Et profectò nihil opportunius utiliúsque Chriſtianæ Reipublicæ, quàm eodem tempore duos Summos Principes habere ſanctos, Henricum II. Imperatorem, & Robertum Regem: qui ambo, non tam de ſuo, quàm Chriſti regno proferendo ſolliciti, anno 1023. convenientes, amiciſſimè ſe mutuò exoſculati & complexi ſunt, auditóque dein maxima cum reverentia ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio, unà ſunt pranſi, officiis, amore, liberalitate de palma certantes: inito etiam arctiſſimo pacis & amicitiæ fœdere. Quem utinam nexum poſteri ſervâſſent integrum! 18. *Regnum Roberti,*

Obiit Robertus pientiſſimè anno 1033. regni 37. ætatis 61. verè pater pauperum, quorum duodecim, quocunque iter faceret, aſellis vecti, tanquam corporis cuſtodes, eum comitabantur. Mille quotidie in variis urbibus alebat, menſæ illorum miniſtrare, ac pedes lavare non rarò ſolitus. Mira ac verè Chriſtiana in inimicos

&

& etiam perduelles fuit mansuetudine: amator æstimatórque Ecclesiastici ac Monastici Ordinis eximius, Ecclesiarum patronus, & religionis vindex.

Successit illi in regno, matre licèt invita. *Henricus I.* filius, qui Burgundiam *Roberto* fratri concessit, ex quo nova prognata Burgundiæ Ducum potentium progenies, Lusitaniæ etiam deinceps Reges datura.

& Henrici I. Henricus Wilhelmum Nothum Normannorum Ducem, à suis pulsum, magna virtute restituit; administratóque præclaris belli pacísque artibus per 27. annos regno, obiit anno 1060. per id etiam post fata filio suo *Philippo I.* puero septenni, providens, quòd tutorem ei dederit Balduinum Flandriæ comitem: per quem vascones contenti in officio.

19. *Philippi I. divortium.* At Philippus Rex, sui juris factus, magnis & se ipsum molestiis totámque Ecclesiam scandalo afflixit, dum anno 1092. repudiavit *Bertham*, Florentii Hollandiæ Comitis filiam, legitimam suam conjugem, ex qua jam habebat filium Ludovicum VI. Regni hæredem, & insani amoris fascino irretitus duxit *Bertradam* Montfortiam, Fulconis Comitis Andegavensis uxorem: inauspicatas nuptias malè benedicente Sylvanectensi Episcopo. *Ivo* autem Carnotensis Episcopus, insigne illud Jurisprudentiæ decus, datus est in custodiam, quòd adulterino illi connubio nollet consentire. Cúmque amantissimum suum Pastorem armis in libertatem asserere Carnotenses pararent, data ad eos epistola obstitit Ivo, Christianum illud exemplum ingerens: *Petrus, quidem servabatur in carcere, oratio autem sine intermissione fiebat ab Ecclesia ad Deum pro eo.*

Cùm Philippus cerneret, Ivonem plurésque Episcopos, ejus exemplum secutos, suum facinus vehementer improbare, ac grave propter illud ortum scandalum, anno 1094. *Synodum Remensem* indici voluit; in qua magno opere contendit, ut Ivo condemnaretur. At illo Sedem Apostolicam appellante, conventus solutus est.

20. *Concilia.* Quamvis autem Bertha eo anno obierit, cùm tamen Bretradæ maritus adhuc viveret, Urbanus II. Hugoni Lugdunensi Archiepiscopo eam causam delegavit, definiendam in Synodo Episcoporum. Igitur in *Concilio Augustodunensi*, 32. Episcoporum & plurimorum Abbatum, Philippus Rex est excommunicatus. Innovata etiam excommunicatio Henrici IV. Imperatoris, & Guiberti Antipapæ. Simoniaca etiam hæresis, & incontinentia Sacerdotum sub excommunicatione damnata.

Philip-

Philippus abſolutionem petiit à Papa Urbano, & excuſavit ſe, quòd ad *Synodum Placentinam* venire non potuerit. In hac Synodo, adeò frequente, ut in aperto campo celebrari debuerit, Pontifice præſidente edita ſunt 15. capitula. In quibus confirmata ſunt priora ſtatuta de Simoniacis. Irritas eſſe Ordinationes ſimoniacas, eorúmque, qui à Simoniacis ſcienter ordinati ſunt: item Ordinationes à Guiberto Hæreſiarcha factas, poſtquam à Gregorio Papa damnatus eſt &c. Hugo Lugdunenſis ſuſpenſus, quòd in Concilio non comparuerit. Populum non debere intereſſe Sacris Sacerdotum, qui uxoribus utuntur. Damnata iterum Hæreſis Berengariana. Conſecratus à Papa Abbas Augienſis. Recedenti Placentiâ Urbano *Conradus* Henrici IV. Imperatoris filius, à patre deficiens, ſtratoris officium exhibuit, ac juramento fidelitatem promiſit. Papa verò promiſit ei auxilium ad Imperialem dignitatem obtinendam, ſub conditione tamen inveſtituras non uſurpandi.

Anno 1095. Urbanus in Galliam profectus *Synodum Claromontanam* indixit. In celeberrimo hoc Concilio præſentes fuerunt una cum Summo Pontifice 13. Archiepiſcopi, 225. Epiſcopi, 90. Abbates. Excommunicatus in eo rurſus Rex Philippus, quòd Berthradam Fulconis uxorem non dimitteret; quæ pariter fuit excommunicata. Decreta hîc primò expeditio ſacra ad recuperandam terram ſanctam: poſtquam Petrus Eremita ex Palæſtina redux miſerum illius ſtatum expoſuit, ac Chriſtianorum ibidem gementium litteras Pontifici obtulit. Confirmata Synodus Placentina: atque inſuper adjecti 32. Canones. Quorum ſecundus ſic habet; *Quicunque pro ſola devotione, non pro honoris vel pecuniæ adeptione, ad liberandam Eccleſiam Dei Jeruſalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia ei imputetur.* Indulgentiarum exempla prioribus etiam ſæculis, imò in ipſis etiam S. Pauli epiſtolis habentur. Sed ab hoc tempore frequentior earum uſus eſſe cœpit: deſinente paſſim etiam in Occidente pœnitentia publica, quæ jam pridem in Oriente fuerat abrogata. In reliquis Canonibus prohibetur iterum, ne Clerici cum fœminis cohabitent &c. ne plura beneficia habeant. Ne Principes conferant inveſtituras. Ne Clerici homagium præſtent laicis. Ne carnes edantur in quadrageſima &c. decretus etiam Primatus Lugdunenſis Eccleſiæ: de quo prolixam diſſertationem edidit Petrus de Marca.

Philippus Rex dimiſſâ adulterâ abſolvitur anno 1096. ſed eadem rurſus revocatâ iterum excommunicatur in *Pictavienſi Synodo* anno 1100. iterúmque verè tandem pœnitens abſolvitur anno 1104 ejurato omni cum Berthrada commercio.

Urbanus Papa post Claromontanam Synodum Galliam peragrans plures Synodos convocavit, ùt *Lemovicensem*, *Turonensem*, *Rothomagensem*, *Nemausensem*: in quibus disciplinam Ecclesiasticam reformavit, simoniæ & incontinentiæ vitia damnavit, Episcoporum controversias composuit, expeditionem sacram promovit &c.

§. II.

Status Ecclesiasticus Ordinatus per alia Concilia in Gallia.

21. *Concilium Bituriense*, *Provinciale*, anno 1031. statuit, ut hostiæ consecratæ non asserventur diutius, quàm una hebdomade: sed singulis Dominicis renoventur. Filii Presbyterorum universim à sacris Ordinibus arceantur, si post Ordinationem sint suscepti. (*alii etiam omnes illegitimi sunt irregulares*) Servi non admittantur ad Clerum, nisi sint manumissi. Pro baptismo, pœnitentia, & sepultura nihil accipiatur, nisi spontaneæ oblationes. Vetantur matrimonia consanguineorum usque ad sextum vel septimum gradum (*ex temporis illius disciplina*)

Concilium Lemovicense brevì pòst S. Martialem tanquam Apostolum colendum decrevit: & aliqua rescripta Pontificia reprobavit, quibus aliqui, ab Episcopis suis excommunicati, Romæ absoluti fuerant. Non quòd hæc Synodus negaret potestatem illam Sedis Apostolicæ: sed quòd absolutionem *sub-vel obreptitiè* obtentam censeret.

Concilium Rothomagense I. Provinciæ Normanniæ, anno 1050. statuit, Episcopis non esse migrandum ad altiorem Sedem, amplioris honoris causâ. Ne Episcopi & Abbates se mutuò supplantent, aut inferiores Clerici. Baptizatos in ipsa Ecclesia, in qua regenerationis gratiam acceperunt, in albis esse repræsentandos. Reliqui canones repetunt ea, quæ aliàs jam sæpè sunt repetita, de symbolo fidei, de simonia, avaritia &c.

Concilium Tolosanum anno 1056. decrevit, ut Episcopi, Abbates, Presbyteri non ordinentur ante 30. ætatis annos: Diaconi non ante 25. (*juxta antiquitatis disciplinam*) nec extra statuta tempora. In laicos, res Ecclesiæ usurpantes, fertur anathema. Uti etiam in eos, qui cum hæreticis aut excommunicatis societatem habent. Reliqui canones tractant de Simonia, incontinentia Clericorum, decimis, disciplina Monachorum.

Concilium

Concilium Rotbomagense II. Provinciale anno 1072. ſanxit, ut Epiſcopo, ſtatuto tempore chryſma conſecranti, 12. aſſiſtant Presbyteri, veſtibus ſacris ornati. Ut Sacerdos, Miſſam celebrans, corpus & ſanguinem Chriſti ſumat. Ut viaticum & aqua benedicta ultra octo dies non aſſerventur. Ut Baptiſma & Confirmatio, & ſacri Ordines conferantur jejunis à jejunio: niſi neceſſitas aliud poſtulet. Prohibentur matrimonia clandeſtina, & inter conſanguineos infra ſeptimam generationem. Ne quis in quadrageſima prandeat ante veſpertinam. Duobus pòſt annis habitum eſt

Concilium Rotbomagense III. præſente etiam Wilhelmo, Angliæ Rege, ad quem tunc Normannia ſpectabat. Jubet ſervare Ordinationum Interſtitia. Regulam S. Benedicti accuratè obſervari ab iis, qui Monaſticen profitentur. Vetat, ne Chriſtiani Judæis ſerviant; ne eorum pueris dent nutrices &c.

Concilium Pictaviense I. anno 1078. dámnavit Simoniam, pluralitatem Beneficiorum, hæreditariam ſucceſſionem in bonis Eccleſiaſticis, uſuras &c. vetat, ne Regulares novas Eccleſias ſibi vendicent. Ne illegitimi ordinentur, niſi Monachi, aut Canonici Regulares fiant.

Concilium Juliobonense in Normannia anno 1080. ſeveriùs in Clericos concubinarios animadvertendum ſtatuit. Laici in partem decimarum non veniant. Si Eccleſia Monachis aut Canonicis Regularibus donatur, Abbas Presbytero, ab Epiſcopo inſtituendo, congruam aſſignet; quod ſupereſt, Monaſterio cedat.

Concilium Abrincense, in eadem Neuſtria, ſeu Normannia celebratum, decrevit: ne pueri ad regimen Eccleſiarum, quibus cura animarum annexa eſt, aſſumantur. Ne filii Presbyterorum in Eccleſia patrum ſuorum conſtituantur. Ne Eccleſiæ vicariis annuis comittantur. Sacerdotes majorum Eccleſiarum Presbyterum ſub ſe habeant. Vir in monaſterium nòn tranſeat, uxore manente in ſæculo; ſi ſit junior.

ARTICULUS IV.

De Conciliis adverſus Berengarium Hæreſiarcham celebratis.

Novam hoc ſæculo XI. orcus evomuit hæreſin, quæ Diviniſſimum, Chriſti ore tam dilucidè támque ſanctè conſecratum, Euchariſtiæ impugnaret myſterium. 22.

Instrumento ad hoc usus humani generis hostis *Berengario*, homine Gallo, Turonibus oriundo, Andegavensis Ecclesiæ Archidiacono, qui, cùm scholæ magister esset, superbior, quàm doctior, ut ingenii atque eruditionis inopiam novitate doctrinæ compensaret, eáque auditorum frequentiam ad se pelliceret, dicere primus sustinuit, Christum in Eucharistia non esse verè præsentem, sed quandam duntaxat illius figuram.

Hæc ergo prima est epocha impii dogmatis, sæpiùs deinceps damnati & extirpati, sæpè etiam ùt fœcundum esse solet orci ingenium, in lolium infelix repullulantis.

Ab amicis primùm ac præsertim ab Adelmanno Leodiensis Ecclesiæ scholastico monitus Berengarius, ne rempublicam christianam, bene à majoribus compositam, nova opinandi licentia conturbet, cùm nollet sapere, S. Leo IX. in *Concilio Romano* prolata damnationis sententia fidelium communione eum movit (*anno* 1050.) *Lanfrancus* verò, qui falsò in suspicionem venerat collusionis cum Berengario, detecta veritate est absolutus.

Cùm autem Berengarius, ùtùt à viris doctis sæpiùs abundè confutatus, hæresin suam spargere latiùs conaretur, citans pro se quendam *Joannis Scoti* librum, damnatus rursus est ab eodem Leone Papa in frequenti *Synodo Vercellensi*, assertáque Catholica atque Evangelica veritas, quòd per verba Domini, ministerio Sacerdotis prolata, panis & vinum Divina virtute verè ac propriè convertuntur in corpus & sanguinem Christi; uti in ultima Christi cœna verè fuerunt conversa. Damnatus etiam est libellus Joannis Scoti, scriptoris sæculi noni, ex quo venenum suxerat Berengarius.

Quamvis autem etiam in *Synodo Parisiensi* esset damnatus, & à viris doctis sæpiùs testimoniis S. Scripturæ, ac SS. Patrum, præsertim S. Leonis I. Cyrilli Hierosolymitani, Ambrosii, Augustini, Basilii, Eusebii, Hilarii, ac Toletani Concilii convictus, pertinaciter tamen, more hæreticorum frequenti, errori suo inhæsit, donec, ademptos sibi reditus beneficii dolens, anno 1055. in *Concilio Turonensi*, præsente Hildebrando (postea Gregorio VII) cùm se defendere nullatenus posset, hæresin ejuravit, verámque in Eucharistia corporis & sanguinis Christi præsentiam juramento confessus est.

At reversus ad vomitum, anno 1059. in *Romana Synodo* 113. Episcoporum (ubi electio Pontificis ad solos Cardinales translata) coram Nicolao II. Pontifice, quasi correctus, libros suos propria manu in flammas conjecit, famosámque illam professionem *ego Berengarius &c.* ab Humberto Cardinale compositam edidit. In qua dicitur,

citur, *panem & vinum, quæ in Altari ponuntur, post consecrationem non solùm Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini Nostri JEsu Christi esse, & sensualiter, non solùm in Sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, & frangi, & fidelium dentibus atteri.*

Quæ verba, à modernis sacramentariis toties nobis objecta, juxta unanimem Theologorum sententiam hunc sensum habent; quòd panis & vinum per consecrationem ita convertantur in corpus & sanguinem Christi, ut non tantùm adsit signum corporis & sanguinis, sed verè, realiter, ac propriè ipsum corpus & sanguis, sub speciebus panis & vini, quæ species franguntur, & dentibus atteruntur. Cùm enim Berengarius novis identidem vocabulis errorem suum conaretur fucare, ac veritatem eludere, Humbertus illam verborum formam composuit, qua profiteretur, corpus & sanguinem verè esse præsentia, & ore corporeo fidelium verè sumi, manducari ac bibi, tanquam cibum & potum spiritualem animæ.

Hinc *Guitmundus* Monachus, ac postmodum Episcopus, qui solidè ac eruditè Berengarium refutavit, tribus libris de veritate corporis & sanguinis Domini in Eucharistia editis, dicebet, Christum ipsum seu ejus corpus non dissipari aut dentibus comminui in partes & quamvis in singulis particulis separatis hostiæ sit totum corpus Christi, non tamen esse plura corpora, sed unum corpus, in pluribus locis replicatum.

Hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti, est potestas facientis. S. Augustinus epist. 2. ad Volusianum.

Berengarii Discipuli, ùtùt pauci adeò, ut teste Guitmundo ne unum quidem pagum obtinerent, tamen in diversas sectas jam tunc abierunt. Aliqui enim dicebant, meram figuram aut signum Christi adesse: quos post 400. annos secuti sunt Sacramentarii Zwingliani. Alii volebant Christum esse in pane: quasi Christus dixisset: *in hoc pane latet corpus meum.* Horum deinde errorem Impanatores Lutherani sunt amplexi. Alii partialem quandam conversionem sunt commentiti. Alii admittebant quidem plenam conversionem, sed si indignus accedat, corpus Christi rursus in panem reverti delirabant. De his universim jam Berengarii tempore scripsit laudatus Guitmundus: *Notissimum est hoc tempore, priusquam Berengarius insanisset, hujusmodi vesanias nunquam fuisse.*

Berengarius post abjurationem sui erroris, sub Nicolao II. factam, iterum relapsus, anno 1079. in *Concilio Romano* sub Gregorio

VII. tertiò hæresin suam ejuravit, ac professus est, panem & vinum substantialiter converti in corpus & sanguinem Christi, ita, ut post consecrationem adsit verum corpus & verus sanguis Christi, non tantùm per signum & virtutem sacramenti, sed in proprietate naturæ & veritate substantiæ.

At infelix, reversus in Galliam, tertiò relapsus, fidei professionem, quam Romæ edidit, confutavit. Tum verò Lanfrancus librum adversus illum edidit, in quo ipsi exprobrat levitatem, inconstantiam, perfidiam, perjuria, caluminas, fidémque tot in Conciliis datam; totiésque violatam, tum etiam crimina falsi in truncaneis, corrumpendísque Patrum sententiis. Refutat dein singula Berengarii argumenta, philosophica, imò sophistica: expositáque atque probata fide orthodoxa de vera transsubstantiatione, addit: *Hanc fidem tenuit à priscis temporibus, & nunc tenet Ecclesia, quæ per totum diffusa orbem Catholica nominatur.* Quod probat authoritate S. Scripturæ, SS. Patrum ac Conciliorum testimoniis, atque ex quibusdam miraculis.

Denique sic concludit: ,,Si verum est, quod de corpore Chri-,,sti tu credis, & adstruis, falsum est, quod ab Ecclesia ubique ,,gentium de eadem re creditur. Omnes enim, qui Christianos se ,,esse & dici lætantur, veram Christi carnem, verúmque ejus san-,,guinem in hoc sacramento percipere gloriantur. - - - Interroga ,,Græcos, Armenos, seu cujuslibet nationis quoscunque Christianos ,,homines: uno ore hanc fidem se habere testantur &c. Ecce! quid ante 700. annos testatus sit scriptor celebris Lanfrancus (factus postea Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia) de hoc dogmate, ubi illud impugnari cœptum. Totius tunc Ecclesiæ Christianæ vox erat illa ipsa, quæ hodiedum est totius Ecclesiæ Catholicæ, ac verè Christianæ. Profectò, licèt non haberentur tam clara S. Scripturæ oracula, tot ac tanta Patrum multò antiquiora de hac veritate testimonia, tamen tam universalis, támque unanimis totius Ecclesiæ, omniúmque per orbem Nationum Christianarum consensus in mysterio tam sublimi támque arduo, evidens argumentum esset, veritatem illam per Divinam, Apostolicam, atque Ecclesiasticam traditionem nunquam interruptam descendere. Aliàs enim impossibile foret, ut omnes per orbem Christianæ Nationes in novitatem tantopere à sensibus abstrusam sublimémque conspirarent.

Anno demum 1080. post *Burdegalensem Synodum* Berengarius verè resipuit, & Catholicam fidem usque ad mortem professus est, quam

oppe-

oppetiit anno 1088 ùt testantur Chronicon Senonense, Malmesburiensis l. 3. codex manuscriptus Turonensis &c.

ARTICULUS V.

De Conciliis Angliæ Sæculo XI.

§. I.

Prænotanda de statu Angliæ.

Ethelredus sancti Eduardi Martyris frater impius, ignavè ac crudeliter gessit rempublicam, immanes propterea & sibi & Regno calamitates accersens. Cùm enim Danorum feroces incursus retundere non posset, Regnum iis vectigale fecit. At rupta, quam dederat fide, Mithridatis ferale imitatus exemplum, quidquid Danici nominis per totam Angliam erat dispersum, una die immaniter trucidari præcepit. Nec destitum à cœdibus, donec non superessent, qui cæderentur. 23. *Dani in Angliam.*

At *Sveno* Rex Daniæ, ulturus injuriam, cum valida classe in Angliam appulsus, profugiente ad Richardum Ducem, Emmæ conjugis suæ fratrem, in Normanniam Ethelredo, totum Regnum in suam redegit potestatem. Talionis tunc pœna Anglis redhibita, quidquid obviam sunt nacti Dani, incredibili furore laniârunt. Cæteros inter cæsus est S Elphegus, Cantuariensis Episcopus, quòd thesauros Ecclesiæ nollet in tributum, à Danis imperatum, impendere: Martyr propterea cultus ab Ecclesia, quòd pro virtute passus esset. *Sub Suenone.*

Mortuo Sveone Ethelredus revocatus ad Regnum brevi pòst obiit, anno 1016. arripuit tum quidem sceptrum *Edmundus* Ethelredi filius, at ultra annum tenere non potuit, Danis in Angliam rursus irrumpentibus interemptus.

Tum verò tota insula se dedidit *Canuto Magno* Daniæ Regi: qui ducta Emma, Ethelredi vidua, magna justitiæ, religionis, ac clementiæ laude vicenos annos in Anglia & Dania regnavit. Atque ut utriusque gentis, & victæ & victricis, amorem sibi conciliaret, æquo numero ex utraque senatum adunavit; ac idem utrique in curia & castris jus esse voluit. 24. *Canutus M.*

Nec

Nec minor illi Ecclesiarum & religionis cura, gaviso palàm, nil parere sibi, quod non pareret Deo. Romam ad limina Apostolorum religionis causa profectus, regna sua, unàque totum septentrionem & occidentem Ecclesiæ subjecit, jusso etiam S. Petri denario ab Anglis solvi S. Petri successori.

Leges. Leges tulit aut innovavit sanctissimas. Tractatur in iis de Missæ sacrificio. De matrimonio intra sextum cognationis gradum non contrahendo. De reverentia Sacerdotibus præstanda. De decimis & nummo Romano solvendis. De die Dominica ab hora tertia Sabbati usque in diem lunæ servanda. De servandis festis Ecclesiæ, & indictis à Sacerdote. De servandis jejuniis quadragesimæ, quatuor temporum, & pervigiliis B. V. Mariæ & Apostolorum. De festis Divorum Eduardi & Dunstani religiosè servandis. De justitio dictis diebus festis observando. De confessione peccatorum Sacerdoti ingenuè facienda. De Eucharistia ter saltem quot annis sumenda.

Item de pœna occidentis Ministrum Altaris. De confessione facienda Sacerdoti à damnato ad mortem. De dignitate Sacerdotum. De Diaconis & Monachis. De moniali non ducenda in uxorem. De Luminaribus in Ecclesiis. De excommunicato non recipiendo &c. Hæc ideo delibanda censui, ut constet, quæ sæculo XI. fuerit Ecclesiæ Anglicanæ disciplina.

Obiit Canutus in Norvegia, plenus in Ecclesiam & Rempublicam meritis anno 1036. regni 20. verè *Magnus* belli pacísque studiis. Tres filios habuit; Svenoni Norvegiam, Canuto Daniam, Haraldo Angliam dedit. Cunigundis verò filia Henrico III. Imperatori est desponsa.

Haraldus à patre degener, atque propterea Anglis exosus, nihil optatius genti egit, quàm animum, anno jam regni inquieti quarto. Sed nec *Canutus* frater simile quidquam patri habuit, præter nomen. Cùmque tributis Angliam premeret, *Duri* cognomem meruit, altero jam Regni anno veneno extinctus. Sícque Canutus ille Magnus ex tot Regnis nec unum ad nepotes potuit transmittere.

25. Nam Norvegiæ primùm dein etiam Daniæ Regnum devolutem *[E]duardus* est ad *Magnum Bonum*, S. Olai filium. (post quem tertius regnavit Sanctus Canutus) Anglia verò exactis Danis ab exilio ex Normannia revocavit tertium Ethelredi Regis filium *S. Eduardum*, pientissimæ atque integerrimæ vitæ Principem. Matrimonio sibi is junxit *Editham* Godvini Comitis filiam, non minus forma & virtute præstan-

ſtantem, cum pacto tamen ſervandæ caſtitatis, teſte S. Ealredo, cujus in vita S. Eduardi hæc verba ſunt: *Convenientibus in unum, Rex & Regina de caſtitate ſervanda paciſcuntur. Fit illa conjux mente, non carne, ille maritus mente, non opere. Perſeverat inter eos, ſine actu conjugali, conjugalis affectus.* Peregrinationem Romanam, quam pridem voverat, Leo IX Pontifex ei in eleemoſynam commutavit. Leges tulit ſaluberrimas, ſimiléſque ferme iis, quas Edgarus, & Canutus M promulgaverant, præſertim pro ſecuritate bonorum Eccleſiaſticorum, & contra uſuras. Obiit anno 1066. regni 24. ac miraculis clarus ab Alexandro III. in Sanctorum faſtos ſolenni ritu eſt relatus.

Eduardus ſupremis tabulis hæredem ſcripſerat *Wilhelmum Nothum*, Normannorum Ducem, ob matrem Emmam ſanguine ſibi junctum, apud quem exulaverant. Verùm Angli, extincta in Eduardo Saxonica Egberti ſtirpe, *Haraldum*, Godvini Cantii Comitis filium coronârunt. Unde Wilhelmus cum valido Normannorum exercitu in Angliam irrumpens, cæſo Haraldo, Regnum victoriæ præmium retulit; illúdque per vicenos annos geſſit præclarè. 26. *Anglia ad Normannos.*

Obiit anno 1087. ætatis 64. dictus fuit *Nothus* propter matrem, aut pellicem, aut impari thoro patri junctam. Dictus etiam *Conquæſtor*: quia & Britanniam minorem Normanniæ, & utramque regno Angliæ conjunxit. Hoc adeptus, Malcolmum Scotiæ Regem victum præſtare ſibi homagium coëgit. Erga Eccleſias liberalis fuit, multis etiam erectis monaſteriis, aut dotatis. Multùm etiam ejus erga SS. Euchariſtiæ ſacramentum commendatur religio.

Succeſſit illi in Regno Angliæ *Wilhelmus II.* filius, præterito Roberto primogenito, Normanniæ Duce. Quamdiu timuit, boni Principis ideam prætulit, & Lanfrancum, quem pater ex Cadomenſi in Normannia Abbate Cantuarienſem Archiepiſcopum fieri curaverat, promiſſis optimis conciliare ſibi ſtuduit. At ſolio firmato nihil ſervavit, ùt mox dicemus.

§. II.

De Conciliis celebratis in cauſa Wilhelmi Regis & S. Anſelmi.

Omnia, quod meminimus, initio promiſit Wilhelmus. Cùm autem promiſſis non ſtaret, liberè eum monuit B. Lanfrancus. Et continuit aliquantùm avaritiam eo vivente. At 27.

verò illo mortuo, cupidini fræna laxavit, móxque Cantuariemsis Ecclesiæ bona invasit, eámque quatuor annos reliquit vacuam, ut reditus uberiores reciperet. Cùm verò anno 1093. in gravem morbum incidisset, S. *Anselmum*, Beccensis cœnobii in Normannia Abbatem (confessione peccatorum apud eum deposita) Archiepiscopum Cantuariensem nominavit. Sanitati restitutus Rex, ad Ecclesiæ & Subditorum oppressionem illa abusus est, indicta magna auri vi, ab Ecclesiasticis æquè ac laicis persolvenda. Habitum ea de causa anno 1094. Concilium Anglicum.

Urgente autem Anselmo, ut fidem Rex datam liberet, & bona Ecclesiis restituat, gravissimum inter eos ortum est dissidium. Quod tunc magìs auctum est, quando Anselmus à Rege petiit licentiam eundi Romam & petendi ab Urbano II. *pallium*. Reposuit enim, se ac Regnum suum necdum Urbanum agnovisse tanquam legitimum Pontificem, cùm duo de Pontificatu contendant. Fas autem nemini in Regno esse subjicere se Pontifici, quem Rex non agnosceret.

Convocavit igitur Anselmus *Rochinghamiam* Episcoporum Concilium ad ventilandam illam quæstionem, an salva reverentia & obedientia Sedi Apostolicæ debita Anselmus possit in hoc parere regiæ voluntati? Episcopi & Proceres magno consensu asserebant, morem esse gerendum Regi. Anselmus autem illis indignantibus edixit, se in iis, quæ Dei sunt, Vicario B. Petri obedientiam, & in iis, quæ Regis dignitati jure competunt, & fidele consilium, & auxilium pro sensus sui capacitate impensurum.

Rex irâ commotus voluit, ut Anselmus ab Episcopis damnetur: qui tamen, ùtùt ipsi infensi, responderunt, eum Primatem esse non modò Angliæ, sed etiam Scotiæ & Hiberniæ: ab Episcopis igitur, ejus suffraganeis, condemnari non posse, licèt aliqua illius culpa posset probari.

Quare Wilhelmus sperans, eum ab Urbano Pontifice deponendum, rejecto Guiberto Antipapa, eundem Urbanum per omnem Angliam haberi voluit pro legitimo Ecclesiæ capite. Cùm autem spe sua frustratum se vidit, Anselmum è Regno dimisit. Qui Romam ad Urbanum profectus, Anglicanæ Ecclesiæ calamitosum statum exposuit, séque à Pastorali cura absolvi petiit. Quod cùm non impetrâsset, regredi tamen in Angliam ob Wilhelmi persecutionem non posset, in solitudinem tantisper secedens, scripsit insigne illud opus, cui titulum dedit: *cur Deus homo*. Pluribúsque synodis interfuit; nominatim *Barensi*, in qua processionem Spiritus S. à Filio contra Græcos eruditè propugnavit.

Cùm

Cùm autem Wilhelmus II. anno 1100. improlis obiisset, inter venandum sagitta transfixus, Regnum invasit *Henricus I.* frater natu minor (cùm Robertus Normanniæ dux, natu major in expeditione Hierosolymitana abesset) atque ut res suas adversùs fratrem firmaret, tranquillitatem Regno restituendam ducebat: cúmque Anselmus magna propter eminentem virtutem & eruditionem polleret auctoritate, humanissimis eum litteris in Gallia tunc agentem in Angliam atque ad suum Archiepiscopatum cum promissis amplissimis revocavit: ubi ingenti omnium lætitia est exceptus.

§. III.

Status Ecclesiasticus per alia Concilia ordinatus in Anglia.

Concilum Ænhamense, Nationale totius Angliæ, præsidentibus Cantuariensi & Eboracensi, atque præsente Rege Æthelredo celabratum anno 1009. Comitiorum simul Regni vicem subibat. Statutum in eo, ut Sacerdotes, aliique Ecclesiæ Ministri cœlibatum servent. Onus imponi Ecclesiis vetat. *Denarium S. Petri* solvi imperat. Parochiæ etiam solvi funeralia, licèt mortuus in ea non sepeliatur. Festivitates & jejunia Ecclesiæ observanda decernit. Christianos ad confessionem sacramentalem & Eucharistiam frequentandam saltem ter in anno abstringit. En verba Canonis: *Unusquisque Christianus --- frequenter adeat confessionem, & pudore posito sua peccata confiteatur: & quam ei imposuerit Sacerdos emendationem, sedulus exequatur. Reverenter etiam præparatus quisque adeat sacram Eucharistiam --- saltem ter in anno.* 28.

Concilium Wintoniense I. anno 1021. præsente Canuto, Angliæ, Daniæ & Norvegiæ Rege, Monasterium S. Edmundi ab omni Episcopali Jurisdictione liberum & exemptum declaravit. Alterum deinde *Concilium Wintoniense* anno 1070. præside legato Apostolico deposuit Stigandum *Dorobverniæ* (hodie Cantuariæ) Archiepiscopum, quòd simul Episcopatum Wintoniensem possideret, ac vivente adhuc Archiepiscopo sedem invaserit, & illius pallio sit usus, ac Antipapa impetrato.

Concilium Londinense anno 1071. sub Lanfranco Cantuariensi Archiepiscopo decrevit, ut aliquot sedes Episcopales, quæ in pagis & oppidulis antè fuerant, in urbibus & locis celebrioribus collocentur

tur. Quo factum, ut *Barthonia*, *Lincolnia*, *Sacrisberia*, *Exonia*, *Cestria* & *Cicestria*, hujusmodi novo Episcoporum domicilio sint nobilitatæ.

Concilium Anglicum anno 1074. habitum in causa primatus Archiepiscopi Cantuariensis supra Eboracensem. Lata pro Cantuariensi sententia, eique Primatus totius Angliæ adjudicatus.

Concilium Wintoniense III. complures canones edidit, de non possidendo duplici Episcopatu, de sacris Ordinationibus, statuto tempore faciendis, de Altaribus lapideis. De vino, in sacrificio Missæ aqua permiscendo. De Missa non celebranda, nisi in Ecclesia, ab Episcopo consecrata. De Monachis fugitivis, neque in Clero neque in militia recipiendis, sed pro excommunicatis habendis. De Clericorum cœlibatu &c.

Concilium Londinense anno 1075. habitum, præside Lanfranco, Dorobernensi seu Cantuariensi Archiepiscopo, totiúsque Brittanniæ Primate, sedente ad ejus dexteram Eboracensi Archiepiscopo, ad sinistram Londinensi Episcopo. Renovati sunt antiqui canones de Ecclesiastica & Monastica disciplina, de alienis Clericis non ordinandis sine commendatitiis: de impedimento consanguinitatis usque ad septimum gradum. De vitanda superstitione, simonia &c.

ARTICULUS VI.

De Conciliis Hispaniæ Seculo X. & XI.

§. I.

Synopsis Historica de Statu Hispaniæ.

29. Postquam Mauri, gens Barbara, ac Mahometana, ex Africa in Hispaniam prorumpens, totum illud Regnum victoriis fuerant emensi, transmissis etiam Pyræneos ultra montes copiis, in eas Galliæ provincias, quæ Gothorum antè paruerant imperio, Gothorum reliquiæ, ex communi patriæ naufragio in Asturiam, Galiciam, atque Cantabriam evaserant, locorum arduo accessu, montiúmque jugis magìs, quàm armis aut viribus freti, de reparanda tamen libertate congitârunt.

Omnium

Omnium oculi animíque intenti erant in *Pelagium*, Regii Gothorum ſanguinis genuinam ſobolem, Chindaſvinthi Regis ex filia nepotem, eximia animi magnitudine & conſtantia Principem. *Pelagius.*

Is & reparandæ patriæ deſiderio æſtuans, & ſororis, à Mauro corruptæ, probro accenſus, profugorum, errantiúmque per montes, delectu habito, communibus ſuffragiis Dux belli, ac Hiſpaniæ Rex proclamatur (*anno* 716.)

Neque ſpei ultimæ, de ſe conceptæ, defuit; nam ex Aſturiæ, Galæciæ & Cantabriæ populo, metu perculſo, non niſi mille viros delegit, quibus, loci opportunitate adjuvante viginti barbarorum millia prælio devicit, atque cecidit.

Tum verò Hiſpanis, ſpe magìs erectis, atque ad eum confluentibus, *Legionem*, urbem ad montium radices poſitam, vi expugnat: atque *Legionis Regno* fundamentum ponit. Inde etiam vires haud modicæ acceſſerunt, quòd, filiâ Pelagii in matrimonium datâ *Alphonſo* Regii ſanguinis Principi, uno conſenſu Proceres Reipublicæ ſe devoverent. *Legionis Regnum*

Ormiſindæ erat nomem Pelagii filiæ, ſecundis auſpiciis nuptæ Alphonſo Principi, poſtea Legionis Regi. Quo ex connubio proflùxit deinceps Regum ſanguis, & propago perpetua.

Commodum etiam Hiſpanis accidit, quòd Mauri, Abderamano duce ingenti cum exercitu in Gallias effuſi, gemino quidem adverſùs Eudonem prælio victores, tum verò à *Carolo Martello*, Regiæ in Francia Domus Magiſtro, tanta clade affecti ſunt, ut trecenta ſeptuaginta quinque millia in acie cecidiſſe ſcribantur. (*anno* 734.) Purgavit hæc victoria ea fæce Galliam. Redierant equidem Mauri in Galliam ſæpiùs, at virtute Martelli toties repreſſi: à Carolo M. poſtea etiam ſæpiùs cæſi.

Non tamen eadem fortuna res à Chriſtiànis contra Mauros acta in Hiſpania, præſertim Pelagio anno 737. fatis defuncto, filióque ejus *Favila* Regno admoto; qui tamen, nulla re patri comparandus, vertente vix biennio occubuit, relinquens Regnum, quem ſuprà diximus, *Alphonſo*, qui pluribus locis Mauris ademptis, ac Religione inſtaurata, cognomentum *Catholici*, jam olim Reccaredo Regi attributum, & poſtea in Ferdinando Aragonio renovatum, eſt promeritus. Rebus tandem geſtis clariſſimus obiit anno 757. *Alphonſus Cath.*

Interea verò Mauri, qui hactenus in varias factiones atque diſcordias ſciſſi, mutatis identidem Ducibus ſuis, *Miramamolino*, ſeu Caliphæ, ſupremo per Orientem, Africam, & Hiſpaniam Principi, ſubjecti fuerant, translata Hiſpali ſede Regia, novum *Cordubæ* 30. *Cordubenſe Regnum.*

condunt Imperium, nemini alteri obnoxium, *Abderamano* fundatore, ac supremò moderatore.

31. *Alphonsus Castus.* At *Froila* Alphonsi, quem diximus, Regis Catholici filius, ingenti Mauros prælio superavit, cæsis eorum quinquaginta quatuor millibus. Odium tamen incurrit, tum propter morum asperitatem, tum quòd Ecclesiasticorum matrimonia improbaverit, quæ Witiza impius introduxerat. Filius verò ejus, cum nollet ampliùs centum quot annis christianas virgines barbaris tradere, bello impetitus, eorum millia septuaginta pugna devicit, *Alphonsi Casti* propterea nomine insignitus. (quamvis alii ob perpetuam castitatem, cum conjuge servatam id credant impositum)

Eo regnante Carolus M. in Hispanias penetrârat, Christianis adversùs Mauros futuros auxilio. Verùm Hispani, Mauris juncti, respuebant libertatis vindicem, armísque gentis odio correptis, eundem repulerunt, servitutis suæ sub jugo barbaro amantiores, quàm ut à Francis vellent redimi.

Legionis Reges. Alphonso Casto successit *Ramirus*, qui S. Jacobi, equo insidentis specie, cum vexillo niveo, sibi apparentis, hortatu Mauros aggressus, sexaginta illorum millia una pugna peremit. (*anno* 844.) cæsi etiam sæpiùs sunt Mauri à Normannis, ex Neustria in Hispaniam irrumpentibus: quin Africam etiam ipsam incursantibus.

Ordonius Ramiri filius strenuè equidem contra Mauros pugnaverat; sed nulla re Reipublicæ christianæ meliùs consuluit, quam ubi Regni hæredem reliquit filium, cui res præclarè gestæ *Alphonsi Magni* nomen peperêre. Is Proceribus rebellibus domitis, à Religione Regnum exorsus, S. Jacobi honoribus templum augustius Compostellæ molitus est, atque à Joanne VIII. summo Pontifice impetravit, ut Ovetensis Ecclesia in Metropolitanam elevaretur. Quæ utraque res convocatis omnibus Episcopis est perfecta: Compostellana videlicet consecrata Ecclesia, & Ovetensis sedes dicta Metropolitana. (*anno* 876.) éstque hæc *prima Synodus* post eversum Gothorum Regnum.

Patris pietatem imitatus Ordonius filius, postquam Cordubensem Regem, novis ex Africa suppetiis auctum, vicerat, *Legione*, urbe sua Regia, Episcopatum fundavit, plurésque Ecclesias (*anno* 918.) *Ovetense Regnum* hactenus dictum fuerat illud, quod Christiani in Hispania possidebant. Deinceps verò *Legionense* appellatum.

Anno 925. memorabile accidit illud castitatis exemplum; ut *Pelagius*, quatuordecim annorum nobilis Juvenis, Cordubensi Maurorum Regi pro liberando Hermogio, avunculo suo, Tudensi Episcopo

ſcopo (qui in prælio captus fuerat) obſes datus, cum præſtanti eſſet forma, à barbaro Rege ad facinus turpe incitaretur; ac cùm reluctanti vim inferre tentaret, colapho in faciem Regis impacto, pudorem defenderet. Quam ob rem ferreis forcipibus laniatus, membratimque, Regis juſſu diſſertus, in Bœtim fluvium eſt projectus. Defuncto tanquam Martyri honores habiti, cultùsque decretus.

Reviſa hoc tempore Romæ à ſummo Pontifice in frequenti Patrum ſenatu, Gothica precandi ratio, in Hiſpania conſueta. Cùmque in ea nihil à religione alienum fuiſſet deprehenſum, permiſſa eſt. Succedentibus tamen temporibus, ut uniformis omnino ritus ubique obſervaretur, Romanus receptus eſt.

Porro, cùm Legionenſes Reges proſtratam à Mauris liberta- 32. *Ortus Regnorum.*
tem tam ſtrenuè reſtaurare fuerant aggreſſi, complures Hiſpaniæ Principes, ad imitationem erecti, magnarum rerum prava jaciebant initia. *Garſias Ximenius Suprarbiæ ac Navarræ* Regni poſuit fundamentum: Eudonis poſteri Regni *Aragoniæ:* locis, ſitu magìs quàm viribus munitis confiſi, utilem adverſùs Mauros operam ſæpiùs navantes; rerum tamen ſumma penes Legionenſes Reges exiſtente.

Hac ratione *Caſtiliæ* Comites, atque *Barcinonenſes*, ſeu Catalauniæ, initium duxêre; dum viri potentes, magnis clientelis ſuccincti, dominationem aut acceperunt, aut uſurpârunt: in id omnes intenti, ut de diſcerpta Republica lacinias aliquas ad ſe attraherent. Ex quibus deinde tot Hiſpaniæ Regna conſurrexerunt; quorum nomina hodiedum ſuperſunt: quamvis ſub Ferdinando Catholico Aragoniæ Rege, & Iſabella Caſtilienſi, in unum rurſus corpus omnia coaluerint.

§. II.

Canones Concilii Legionenſis. Anno 1012.

Poſtquam Hiſpania, ſeptentrionali maximè ex patre Saracenis rurſus abſtracta, è ruinis ſuis lentè ſurrexerat, conſtituto primum Legionenſi, tum Vaſconum ſeu Suprarbiæ, aut Navarræ, atque Aragoniæ Regno, erecto item Caſtilienſi Barcinonenſi in Catalaunia Principatu, ad Religionem etiam, irruptione barbarorum atque impia dominatione proſtratam, adjectus eſt animus. 33.

Quare

Quare *Alphonſus V.* Legionis Rex, reliquis in Hiſpania Principibus hactenus potentior, intermiſſum per tria ſæcula ſynodos celebrandi morem revocans, *Concilium Nationale* Epiſcoporum atque Abbatum celebrari voluit Legione, urbe ſua Regia.

Edita in illo 48. decreta, tum Eccleſiaſticam diſciplinam tum Politicam gubernationem ſpectantia. Statutum nempe, ut in Conciliis deinceps habendis cauſæ Eccleſiæ priùs judicentur. Ut Eccleſiæ firma maneant, quæ teſtamento aut alio jure poſſidet. Ut Monachi & Sanctimoniales ſubſint Epiſcopo. Ut Eccleſiæ nemo quidpiam abripiat, abreptum autem reſtituatur.

Reliquæ leges concernunt Regem ac populum. Decernitur etenim: ne junior vendat bona immobilia. Licitum eſſe cum bonis propriis ire, quocunque lubet. In civitatibus conſtituendos Judices. Si quis pignoraverit, inſcio domino, duplum reddat. Falſus teſtis ſolvat Regi 60. ſolidos, cui nocuit ſolvat, quantum nocuit, domúſque illius deſtruatur à fundamentis, ac deinceps nullum teſtimonium ferat. Si quis menſuram vini aut panis minoravit, ſolvat Regi 5. ſolidos.

§. III.

Continuatio Synopſis Hiſtoricæ.

34. *Sanctius Major.*

Mortuo anno 1028. Alphonſo V. Legiones Rege, qui memoratam paulò ante Synodum convocari voluerat, ingens rerum Hiſpanicarum facta eſt mutatio, Chriſtianis provinciis in unius Familiæ, *Sanctii* videlicet *Majoris*, à quo omnes poſteri Hiſpaniarum, & Luſitaniæ Reges, imò omnes etiam Borbonici Galliæ Reges, omnéſque à duobus & ultra ſæculis Archiduces Auſtriæ, cum pluribus aliis Principalibus in Europa familiis, deſcendunt, propagato per viros aut fæminas Principes, in hanc usque diem Regali *Sancti Majoris* ſanguine. Quod, quemadmodum contigerit, ab *apparatu eruditionis* haud alienum fuerit, breviter attingere.

Sub initium ſæculi decimi *Sanctius Abarca* Navarræ Regnum (quod etiam *Suprarbiæ* ac *Vaſconum Regnum* ab antiquis dicebatur) cum *Principatu Aragoniæ* conjuxerat; illo paterna, hoc materna hæreditate accepto. Dictus ſubin *Navarræ & Aragoniæ Rex:* Aragoniæ ſive Principatu, ſive Comitatu in Regnum mutato.

Hujus

Hujus *Sanctii Abarcæ* abnepos erat, de quo loquimur, *Sanctius* *Collegit*
Major, hæreditate avita pariter *Navarræ* & *Aragoniæ Rex.* (ſub ini- *Regna.*
tium ſæculi undecimi)

Anno 1028. Legionenſi in urbe perfidè interemptus eſt *Garſias*, *ultimus Caſtellæ Comes*, in ipſo apparatu nuptiarum. Hujus ſororem matrimonio ſibi junctam habebat Sanctius Major. Uxorio igitur nomine Caſtellæ poſſeſſionem adiit. Dictus ab eo tempore *Navarræ*, *Aragoniæ*, *& Caſtellæ Rex.*

Brevi pòſt, anno videlicet 1037. improlis obiit *Veremundus III.* Legionis Rex (Alphonſi V. filius) hujus ſoror *Sanctia*, poſt cæſum Garſiam ſponſum, nupſit *Ferdinando*, Sanctii Majoris filio, *Regnum Legionis* in dotem afferens. Quo pacto hoc etiam Regnum in familiam Sancti Majoris translatum eſt; quamvis non ſine armis.

At magnum hoc corpus, quod Saracenis formidandum fuiſſet, non diu coadunatum manſit, filios inter Sanctii Majoris rurſus diſtractum, bellorum deinceps inter Chriſtianos fratréſque ſeges, dum Mauri Auſtralem adhuc Hiſpaniæ partem barbara dominatione premerent.

Sanctius Major etenim, quamvis pace clarus, bellóque admi *Et dividit.*
randus, in futurum tamen malè providus, provincias, de ſe non magnas, inter filios ſuos diviſit. Et *Garſiæ* quidem natu maximo dedit Vaſconum Regnum, ſeu *Navarram*, cum Cantabriæ Ducatu; *Ferdinando* ſecundo genito *Caſtellæ* Regnum (*Caſtella vetus* hodie dicitur, nam ea provincia, quæ *Caſtella nova* nunc dicitur, adhuc potiſſimum ſub Saracenorum gemebat tyrannide) Comitis appellatione in Regis nomen mutato. *Gonſalvum*, *Suprarbiæ* Regem dixit. *Ramiro* denique, *Aragoniæ* Regnum conceſſit.

Porro *Gonſalvus* ſine liberis obiit. Reliqui tres nobiliſſimas familias propagârunt. Et ex *Garſia* quidem, ſtirpe Navarræa, per mares & fœminas propagata, deſcenderunt omnes poſteri Reges Navarræ: adeóque etiam Henricus IV. Rex Galliæ, propter matrem ſuam, Johannam Albretanam, Rex Navarræ, poſterioréſque Reges Galliæ.

Ferdinandus, alter Sanctii Majoris Filius, propagavit omnes po- 35.
ſteros Caſtellæ & Legionis Reges, usque ad *Johannam* (Iſabellæ Ca- *Stirpes.*
ſtellenſis & Ferdinandi Catholici, Aragonii, filiam) quæ felicibus auſpiciis nupta Philippo Auſtriaco, totam Hiſpaniam in dotem attulit, atque totam deinceps Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam propagavit. Ex eadem per Annam, Philippi III. Hiſpaniarum Regis filiam, deſcendunt etiam ultimi duo Galliæ Reges.

Descendunt etiam ex eodem Ferdinando, Sanctii Majoris filio, omnes omnino Lusitaniæ Reges. *Theresia* siquidem, Ferdinandi ex filio Alphonso neptis, *Henrico*, *Burgundiæ Comiti*, in matrimonium collocata, partem Lusitaniæ pro dote attulit (ejúsque filius Alphonsus I. primus *Portugalliæ Rex* dictus) ex quo dein matrimonio perpetua serie in hodiernum usque diem Regum sanguis est continuatus.

Denique *Ramirus*, ultimus Sanctii Majoris filius; omnium Aragoniæ Regum pater, stirpem fundavit, in hanc usque diem florentem, & in præcipuas Europæ Domos protensam. Petronella, proneptis Ramiri, Raymundo, Barcinonensi Comiti, conjugata, Catalauniam junxit Aragoniæ: Petrus III. Siciliam, Jacobus Baleares insulas; Alphonsus V. Regnum Neapolitanum, Ferdinandus Catholicus per nuptias cum Isabella Castellensi totam Hispaniam; Carolus V. ejus ex filia nepos, Austriam, Belgium, Insubriam, Indias, Hispanæ Monarchiæ conjunxit. Philippus II. ejus filius etiam Lusitaniam adjecit. Ut videlicet flumina tenuibus orta fontibus, longo terrarum tractu decurrentia, in immensum augentur, ita Regna temporum spatio. Nisi quod ista pelagi instar reciprocantis æstuantísque fluant ac refluant.

Cæterùm Hispani scriptores de Ramiro, Regni Aragonici fundatore, rem narrant, quæ fabulam redolere forsan videri possit. Quòd scilicet, dum Sanctius Major in expeditione adversùs Saracenos aberat, *Nunnia* ejus conjux, à propriis filiis suis, & præsertim à Garsia, ob negatum sibi equum, quem petebat, irritato, adulterii apud patrem injustissimè fuerit accusata, ac propterea ab eo data in custodiam, per ferrum ignitum probanda, nisi sit, qui singulari certamine ejus innocentiam probare velit. Tum verò Ramirum, filium Sanctii, ex impari thoro progenitum, hoc certamen pro Regina, noverca sua, expetiisse, ac Garsiam fratrem provocâsse.

Cùm autem filii culpam suam, in matrem commissam, essent fassi, Sanctium Reginæ conjugi decernendum reliquisse, quâ pœnâ impii in matrem caluminatores essent plectendi: matrem verò statuisse, ut Aragonia, filiis suis detracta, Ramiro privigno suo, de se tam bene merito, pro hæreditate designaretur. Quæ Reginæ sententia à Rege Sanctio sit approbata: atque hoc pacto Ramirum, aliàs ob impares natales excludendum, ad Regnum pervenisse: Garsiam verò, quem aliàs ordo nascendi vocaverat, à Legionis & Castel-

Caſtellæ Regno excluſum, illúdque in Ferdinandum ſecundò genitum, minùs reum flagitii, matris diſpoſitione translatum fuiſſe.

Conſequentium porro temporum calamitates, atque cruenta inter fratres bella oſtenderunt, minùs providè actum à Sanctio, quòd hæreditatem, non omnino latiſſimam, tot inter filios diſtraxerit. Præſertim, dum ſupereſſet tantum adhuc belli adverſùs Saracenos, Hiſpaniæ, avitis indentidem ex Africa novis copiis, pertinaciter incubantes. Collectis hîc Chriſtianorum viribus fuiſſet opus, quæ, ad ignominiam conſanguinei & chriſtiani nominis, domeſticis diſcordiis fuerant attrittæ: plaudente Saraceno, cujus res, diffuſſo etiam in multos Imperio, ſtabant in præcipiti.

Ferdinandus quidem Caſtellæ Rex, dotale Legionis Regnum armis conſecutus, atque à fraternis bellis expeditus, magnis delectibus habitis, eas adverſus Saracenos res geſſit, quæ *Magni* nomen ipſi jure tribuerant, ſuperiorúmque Regum victorias, bellíque gloriam facilè extinguerent, Toletano, Cæſarauguſtano, Hiſpalenſi, atque Luſitano, Maurorum Regibus, ſub tributi, annuatim ſolvendi, neceſſitatem compulſis. Debellaríque tunc potuiſſe creditur, ſi Garſias & Ramirus fratres vires, quas in ſe mutuò converterant, adverſùs communem patriæ hoſtem exprompſiſſent. 36. *Ferdinandus M.*

Neque inter ſe tantùm pluribus annis bella Garſias & Ramirus geſſerant. Sed inter Garſiam etiam & Ferdinandum ortis de provinciarum limitibus controverſiis, Garſias in prælio victus & occiſus eſt.

Tum verò Ferdinandus incrementis novis auctus, facilèque omnium Regum Hiſpaniæ (quorum tunc multi, tum Chriſtiani, tum Saraceni) potentiſſimus, ad Religionis etiam curam animum adjecit, translato magna veneratione Hiſpali, quæ ſub Saracenorum dominatu ſqualebat, in urbem Legionenſem corpore *S. Iſidori*, & convocatis Hiſpanorum Præſulum Synodis. De quibus modò diſſerendum.

§. IV.

Canones Concilii Coyacenſis anno 1050.

Ab anno 1012. per 40. ferme annos nulla in Hiſpania Epiſcoporum Concilia ſunt habita, propter bella tum Saracena, tum civilia: niſi quòd anno 1032. in conventu Pampelonenſi decretum fuerit, ut Epiſcopalis Sedes Pampelonenſis, quæ propter 37.

irruptiones barbarorum in Monasterium Leirense, in montibus Pyræneis situm, translata fuerat, Pampelonam restitueretur.

Anno vero 1050. voluntate Ferdinandi Magni, & Sanctiæ Reginæ, celebratum est in castro *Coyaco*, diœcesis Ovetensis, Concilium, à novem Episcopis, multísque Abbatibus, præsente Rege, Regníque Castellani & Legionensis Proceribus.

Constituti 13. canones, partim disciplinam Ecclesiæ, partim politiam spectantes. Quibus decretum

1. Episcopi ac Clerici munus suum accuratè obeunto.

2. Abbates Monasteria secundùm Statuta S. Benedicti regunto. Alienum Monachum sine Superioris sui licentia ne recipiunto, & Episcopis suis obedientes sunto.

3. Statuitur, ut omnes Ecclesiæ & Clerici sint sub jure Episcopi. Nec laici potestatem in Ecclesias aut Clericos usurpent. Præscribuntur deinde, quæ ad sacrificium Missæ requiruntur, ùt libri, ornamenta Ecclesiæ, calix, neque ligneus, neque fictilis, vestes Sacerdotis sacrificantis, ùt amictus, alba, cingulum, stola, manipulus, casula, vestes item diaconi, Altare lapideum, ab Episcopo consecratum, hostia ex frumento. Integra, vinum mundum, aqua munda, altare lineâ mappâ tectum, subtus calicem corporale lineum mundum, desuper palla linea. Presbyteri verò & Diaconi arma ne gestent, coronas habeant apertas, barbas radant, mulieres secum in domo ne habeant, nisi matrem, aut sororem, aut amitam, aut novercam; vestitum competentem unius coloris induant. Filios Ecclesiæ & infantes instruant &c. (*hæc, ùtùt notissima memorare placuit, ut appareat, ista omnia jam ante tot sæcula, etiam illis perturbatis Hispaniæ temporibus, ex antiquissima disciplina viridi adeò in flore fuisse conservata, ut hodierni Ecclesiæ ritus singillatim describi videantur.*

4. Presbyteri, sicut sacri canones præcipiunt, ad pœnitentiam vocanto adulteros, incestuosos, fures, homicidas, maleficos, & qui cum animalibus se inquinant. Si pœnitere noluerint, ab Ecclesia & communione separantor.

5. Archidiaconi bene instructos statutis temporibus ad sacros Ordines ducunto. Qui ad convivia, occasione defunctorum instituta, conveniunt, pro anima defuncti aliquid boni faciunto. Pauperes præsertim ejusmodi convivio abhibentor, pro anima defuncti.

6. Omnes Christiani die dominica Missam audiunto: nec opus servile exercento.

7. Co-

7. Comites Regis justitiam administranto: non nisi testes de visu & auditu admittunto.

8. In Legione, Gallæcia, Asturiis, Portugale, & Castella judicia regulantor.

9. Contra Ecclesiam triennio ne præscribitor. Sed omni tempore res suas recuperato, juxta leges Gothicas.

10. Qui laboravit vineas aut terras, in contentione positas, fruges colligito: ac postea partes litigantes habento judicium super radicem, &, si victus fuerit laborator; fruges domino hæreditatis reddito.

11. Christiani per omnes sextas ferias jejunanto.

12. Ad Ecclesiam propter quamcunque culpam confugientes inde ne abstrahuntor: nisi data securitate vitæ ac membrorum.

13. Legionense Regnum secundùm morem Regis Alphonsi V. Sanctiæ Reginæ patris regitor, Castella verò secundum morem, tempore Sanctii Comitis usitatum.

Hoc tempore duæ Regiæ puellæ, abjecta Saracena superstitione, christiana Sacra susceperunt, *Casilda* Toletani, & *Zaida* Hispalensis Regis filia. De Casilda memorabile illud memoriæ est proditum; cùm pro more clam patre Rege ad captivos Christianos cibos deferret, interrogatam à patre, in quem fortè inciderat, quid sinu gestaret, respondisse, se rosas ferre; atque explicata veste rosas re ipsa apparuisse. Hoc prodigio attonitam, ad Ferdinandum Regem delatam, baptismo ablutam, in rupis fastigio ædificata domuncula, sanctissimam vitam exegisse, multis illustrem miraculis, in Sanctorum propterea numerum relatam, cultámque 13. Aprilis. Zaidam verò pariter baptizatam, postea Alphonso Ferdinandi filio nuptam.

Canones Concili Compostellani anno 1056.

Acta hujus Concilii collegit ex MS. Ecclesiæ Toletanæ Cardinalis de Agvirre, *Concil. Hisp. tom.* 3. *pag.* 219. editi sex Canones.

Primus statuit, ut Sacerdotes omnes Missam quotidie celebrent: útque Clerici tempore jejunii, & Litaniarum seu Rogationum cilicium induant: Horas canonicas diligenter persolvant: vestimenta usque ad talos protensa gestent: atque ut de rebus Ecclesiæ laicus non judicet.

Secundus: ut eligantur Abbates, in Divinis Scripturis & ſacris Canonibus eruditi, qui ſcholis & diſciplinæ provideant &c.

Tertius: ut cruces, capſæ, & calices ex argento fiant, librique ſacri pro toto anni circulo &c.

Quartus: ut cœnobitæ Ordinem regularem per omnia obſervent, charitatem invicem habeant, proprias pecunias dimittant, ad ſæculum non revertantur, pro ſæcularibus negotiis alios eligant, egreſſi tamdiu ſint excommunicati, usque dum revertantur, uti etiam, qui fugitivis patrocinari præſumpſerint.

Quintus: ut Judices juſtitiam miſericordiâ temperent, munera non accipiant, plebem non opprimant.

Sextus: ut Presbyteri & Diaconi conjugati ab uxoribus ſeparentur: uti etiam conſanguinei conjugati.

Concilium Jaccceanum & Rupenſe anno 1060. & 1062.

In hac Synodo, à novem Epiſcopis Hiſpanis *Jaccæ* in ditione Aragoniæ Regis Ramiri celebrata, abrogatus tandem eſt ritus precandi Gothicus, Romanúsque introductus. Sacræ ceremoniæ, temporum injuria, aſſiduísque bellorum tumultibus obſoletæ, priſtino flori reſtitutæ. Sacerdotum mores congrua diſciplina exculti. Pia Majorum inſtituta revocata; ſacri canones in virentem uſum praxinque reducti. Oſcenſis ſedes Epiſcopalis, à Saracenis everſa, Jaccam translata; ea tamen lege, ut ſi Oſca è manibus barbarorum eriperetur, priori honori reſtitueretur, Jaccenſi Epiſcopo Oſcenſi ſubjecto.

Ramirus Rex, cum Sanctio filio Concilio præſens, fundando novo Jaccenſi Epiſcopatui attribuit quinque cœnobia, Maurorum irruptionibus deſolata. Fines quoque novæ Diœceſi conſtituti.

Idem Rex in eadem Synodo decrevit, ut cauſæ Clericorum à ſolis Epíſcopis & Archidiaconis judicentur: *Ut indebita*, inquit, *circa eos ſæcularium cupiditas, noſtro cauteriata judicio, in talibus prorſus reſecetur, & ſecundùm normam juſtitiæ ſuum cuique jus conſervetur.*

Biennio pòſt, præſente eodem Rege Ramiro, habita eſt Synodus in Aragonia apud S. Joannem Rupenſem: in qua renovatum eſt decretum *Sanctii Majoris*, quo placuit, ut Epiſcopi Regni Aragoniæ eligerentur ex Monachis ejusdem Regni.

Nota.

Nota. Aliqui cum Gabriele Coſſartio noſtro hoc Concilium jam anno 1034. primo Ramiri Regis anno, celebratum putant, *æra* videlicet 1072. (Hiſpani enim ſecundùm æras ſuas annos computabant) Cùm enim *æra Hiſpanica* Natalem Chriſti antecedat 38. annis, cum æra 1072. coincidit annus à Chriſti Nativitate 1034.

§. V.

Reliqua Hiſpaniæ Concilia ſæculo XI. cum ulteriori continuatione Synopſis Hiſtoricæ.

Cùm inter *Alexandrum II.* legitimè electum Pontificem, & *Cadaloum* intruſum, ſchiſma fuiſſet ortum, ex Hiſpania etiam Epiſcopi tres ad Mantuanum Concilium fuerant profecti, in quo rejecto Cadaloo, Alexander eſt confirmatus. Inde verò reduces, ſecum duxerunt in Hiſpaniam Hugonem Cardinalem, Alexandri à latere Legatum; cujus auctoritate anno Chriſti 1064. congregatum eſt 38.

Barcinonenſe Concilium, in quo, Baronio teſte, *Raymundus Comes* leges Gothicas, quibus Catalauni adhuc utebantur, abrogavit; atque novas induxit, quibus populus hactenus utitur, confecto novo legum codice, qui *Uſatici Barcinonenſes* dicitur (aliqui tamen hunc legum codicem extra Synodum confectum putant) ſimúlque Gothicum precandi morem, quamvis nihil à fide alienum haberet, majoris conformitatis gratia cum reliquo orbe Catholico, cum Romano officio commutavit: prout jam antè in Synodo Jaccetana ſtatutum fuerat. In eodem Concilio Barcinonenſi Alexander, damnato Cadaloo, legitimus Pontifex eſt receptus.

Diſputant tamen eruditi de tempore hujus Synodi; aliquibus cum Pagio ad annum 1068. eam rejicientibus; quo *Officium Eccleſiaſticum Gothicum* abrogatum dicunt: imò aliqui id primùm anno 1071. factum putant.

Fortaſſis combinari hæc poſſent, ſi diceretur, hanc abrogationem jam anno 1060. in Concilio Jaccenſi decretam, ad executionem tamen, cùm populi conſuetudinum ſuarum ſint tenaciſſimi, perduci facilè non potuiſſe; unde idem decretum ſæpiùs eſſe renovatum; donec anno 1071. res fuerit denique confecta in Aragonia, Catalaunia & finitimis regionibus; nam in Regno Caſtellæ usque ad annum 1080. antiquus ritus fuit retentus. 39. *Gothicum officium mutatum.*

Nota.

Nota. Illa Hispanorum precandi ratio, seu *Officium Ecclesiasticum Gothicum*, quod tantas in Hispania controversias excitaverat, à S. Isidoro Hispalensi jam anno 633. fuerat compositum: dictum *Toletanum*, item *Mozarabicum*, eò quòd *Mozarabes* (sic vocabantur Christiani, inter Saracenos seu Arabes in Hispania viventes) præsertim Toleti illo uterentur.

Imò Toleti in antiquis Ecclesiis, quæ Mozarabum fuerant, res Divina statis anni diebus hodiéque ritu Gothico peragitur. Ac præterea in templo ibidem maximo sacellum exstat, ubi idem perpetuò servatur: quod instituit Cardinalis Ximenius, qui & Mozarabicos Divinorum officiorum libros typis edi jussit, ne tantæ rei memoria periret.

Hæc Ecclesiastica dum gererentur: Principes, Ferdinandus, Ramirus, atque Raymundus Barcinonenses adversùs Mauros suas strenuè promoverunt victorias, plerísque illorum Regulis annuum vectigal pendere coactis.

Obiit Ferdinandus M. prout vixerat pientissimè, anno 1065. cultus inter cœlites. Hæreditatem trifariàm divisit, & *Sanctio* quidem Castellæ Regnum reliquit, *Alphonso VI* Regnum Legionis, *Garsiæ* Regnum Gallæciæ cum parte Portugalliæ: ut nempe nova fratrum bella exsurgerent.

40. *Sanctius.* *Sanctius* etenim, ingenio ac viribus ferox, Ramiro patruo, præstanti religione, virtute, ac fide Principe, qui Aragoniam suam Apostolicæ Sedi vectigalem fecerat, in pugna cæso, Alphonsum primò fratrem invasit, captúmque in monasterium detrusum cucullo induit: at inde elapsus fugâ ad Almenonem Toletanum Regem, hominem barbarum fratre æquiorem invenit, prolixa benevolentiæ significatione ab eo receptus. Tum verò in alterum fratrem Garsiam incurrens Sanctius, victum, captúmque ad perpetuas carceris tenebras damnavit.

Jámque Regna, quæ in fratres pater diviserat, rursus conjunxerat; cùm sorores etiam possessione, quæ modica erat, dejecturus, Zamoram urbem obsidens, ex insidiis perimitur.

41. *Alphonsus Toletum capit.* Tum verò Alphonsus, accepto fraternæ cædis nuntio, à Saraceno Toleti Rege, amica gratulatione singularíque fide dimissus, ab exilio ad thronum vocatus, plus multò invenit, quàm perdiderat: præter Legionis Regnum, paterna hæreditate relictum, Regnis Castellæ & Gallæciæ auctus. Nec immemor beneficii, cùm Rex Tolatanus à Cordubensi, (nam non minùs inter Mauros ipsos bella flagrabant) fuisset impetitus, auxilio ei accurrit, agrísque Cordubensi-

benſibus populatione (qui mos temporis frequens erat) vaſtatis, uterque præda dives domum rediit. Mortuo verò Almenone, cùm filius ejus in urbem Toletanam exerceret tyrannidem, Alphonſus à civibus evocatus, Toletum, Gothici olim Regni caput, ſitu & opere multò munitiſſimum, quinto demum obſidionis anno, inedia potiſſimùm, expugnavit, poſtquam 369. annis in Maurorum poteſtate fuerat.

Alphonſus Toletô captô Imperatoris nomen acceptavit, quod Hiſpanorum aſſentatio jam Ferdinando M. patri ejus attribuerat, proteſtante licèt Imperatore Romanorum.

Tum etiam ad Religionis officia converſus Rex, Archiepiſcopatum Toletanum, à Mauris everſum, denuo larga donatione fundavit, deſignato Archiepiſcopo *Bernardo* S. Facundi Abbate, & Eccleſia Toletana ad Primatum totius Hiſpaniæ ab Urbano II. ſummo Pontifice elevata.

Concilium Burgenſe verò, cui Richardus Cardinalis Gregorii VII. 42.
Pontificis legatus præſidit, regiæ voluntati morem gerens, in omni *Burgenſe.* ejus Regno Romanæ Eccleſiæ ritus, ceremoniáſque in Miſſa & Officio Divino obſervandas decrevit. Reſtaurata ſimul diſciplina, temporum injuria collapſa, leges Eccleſiæ veteres in mores revocatæ: ac præſertim, quod in Germania non absque magnis motibus, urgente Gregorio, factitatum erat, Miniſtris ſacris uxores detractæ: quas priſci moris, tot Conciliorum canonibus, etiam in Hiſpania, ſanciti, negligentes, & voluptatum illecebris irretiti, habebant multi.

In conventu poſtea *Toletano*, cùm multi priſcæ liturgiæ & orandi *Toletanum.* normæ, à Concilio Mantuano & Alexandro II. Papa, ab errore abſolutæ, ſanctorúmque Toleti Præſulum, Iſidori, Ildephonſi, ac Juliani authoritate firmatæ, pertinaciter inhærerent, ita res denique temperata eſt, ut, prout ſuprà inſinuatum, in antiquis templis Mozarabum priſtina precandi ratio Gothica retineretur, in reliquis verò templis Romano ritu res Divina perageretur, & Divinæ laudes ſtatis diei horis decantarentur, Miſſalibus & Breviariis Romanis ſubſtitutis.

Concilium deinde *Legionenſe*, ejusdem Regis Alphonſi voluntate *Legionenſe.* celebratum anno 1091. Præſide Reynerio (qui ex Monacho Cluniacenſi Cardinalis, ac poſtea ſummus Pontifex Paſcalis II. factus eſt) Legato tunc Urbani II. præſente etiam Bernardo Tolitano, Primate Hiſpaniarum.

Promulgata ea in Synodo tum alia restituendæ disciplinæ decreta, tum illud constitutum, ut abrogaretur usus litterarum seu characterum Gothicorum in Missalibus, Breviariis, aliísque libris Ecclesiasticis, ac publicis tabulis: ac pro iis Gallici seu Latini characteres substituantur. Verùm, ùt notat Pagius an ann. 1091. hoc decretum receptum non fuit tunc; addítque, etiam Toletani conventus sanctionem de abrogando ritu Gothico pro eo tempore caruisse effectu.

Nota. Gothicos litterarum characteres primus invenit *Ulphilas*, Gothorum Episcopus, qui Gothos Arianismo infecit; antequàm illi in Italiam, aut Hispaniam pergerent. Sunt autem Gothici characteres hodiedum notissimi.

Porro Alphonsus à novo ex Africa adducto barbarorum exercitu gemina pugna victus, tertia insignem victoriam reportavit, generorum præsertim opera.

Nec omittendus *Rodericus Cidus*, heros imcomparabilis, ac verè Christianus, qui hoc tempore omnes facilè summos belli principes vicit; ingens Maurorum terror, sive publicis auspiciis ordines duceret, sive privatis armis in eos irrueret, atque oppida, castella, urbes illis abriperet. Ab Alphonso in exlium missus, quòd alienæ invidiæ reus esset, patriæ tamen ac rei christianæ prodesse non desiit, priscæ virtutis heros.

Cecidisse cum eo visum Hispanorum robur. Ingenti prælio ab Hali Rege Saraceno, successore Inzephi, victus Alphonsus, filium unicum Sanctium amisit, sperum magnarum Principem.

Quærenti Regi, cur toties Hispani à Mauris vincerentur, toties antea victis? responsum, martiam virtutem militum extinctam molli vita, copia voluptatum, illecebris; corpus enervatum otio, animum libidine: plus Capuam nocuisse invicto priùs Hannibalis militi, quàm Romanos. Idem aliis gentibus evenisse. Disciplina militari subactum, & aspero vitæ genere duratum vincere militem, mollem, luxu & copia diffluentem vinci.

Compostellanum Sub finem sæculi XI. habitum est *Concilium Compostellanum* in causa Pelagii Episcopi Compostellani, quem Alphonsus Rex in carcerem detruserat, consentiente Richardo Cardinale, qui Pontificis legatum se dicebat. Productus in Concilium Pelagius, metu coactus se abdicavit, tradito annulo & baculo, potestatis insignibus: alióque in ejus locum substituto, Petro videlicet Cardinensi Abbate.

Factum vehementer improbavit Urbanus II. Pontifex, reprehenso Cardinale, datísque ad Regem litteris, in quibus illi ob oculos

los ponit Sacerdotii dignitatem, atque exemptionem à Jurisdictione sæculari, aitque: *Pervenit ad aures nostras, quod sine gravi dolore audire nequivimus, Episcopum S. Jacobi à te captum, & ab Episcopali dignitate depositum. Quod Canonibus nostris omnino contrarium, & Catholicis auribus non ferendum: quod tantò nos ampliùs contristavit, quantò te ampliori affectione complectimur. Nunc tibi Rex gloriosissime Ildephonse, Dei & Apostolorum vice mandamus, orantes, quatenus eundem Episcopum suæ integrè restituas per Toletanum Archiepiscopum dignitati. Neque id per Richardum Cardinalem legatum Sedis Apostolicæ factum excusaveris: quia & Canonibus est omnino contrarium, & Richardus legatione Sedis Apostolicæ tunc minimè fungebatur. Quod ergo ille tunc gessit, quem Victor Papa, sanctæ memoriæ, tertius, legatione privaverat, nos irritum judicamus. Suæ ergo dignitati Episcopum restituo: & ad nostram præsentiam cum legatis tuis ipse perveniat, canonicè judicandus.*

Quæ controversia ita tandem finita est, ut Reynerus Cardinalis, Richardi loco in Hispaniam legatus, in *Concilio Legionensi* Petrum loco moveret, neque legibus neque auspicatò electum, persuasumque Urbano Pontifici, ut, abdicato Pelagio, Dalmachius Cluniacensis Monachus, Urbano charus, ejusdémque cum eo ordinis, sufficeretur. Qui deinde in *Concilio Claromontano* obtinuit, ut Ecclesia Compostellana sui juris esset, atque à Metropolitano, ac Primate exempta, immediatè Jurisdictioni Sedis Apostolicæ subjaceret: in venerationem videlicet S. Jacobi Apostoli, ibidem, ùt fertur, sepulti. Usus deinceps etiam *Pallii* concessus, & Episcopatus in *Archiepiscopatum* conversus.

Denique Alphonsus VI. post exactos in Regno 44. annos Toleti obiit, prole nulla mascula, quamvis sex habuisset uxores, relicta. *Urracam* filiam natu maximam despondit primò quidem Comiti Burgundiæ Raymundo; ex quo propagatio Castellæ Regum; deinde Alphonso I. Aragoniæ Regi; alteram *Theresiam* Henrico Burgundiæ Comiti; pars Portugalliæ in dotem data; unde deinceps Regnum Portugalliæ, & propago Regum perpetua. Tertia filia *Elvira* obtigit Raymundo Tolosæ Comiti.

ARTICULUS VII.

DISSERTATIO

De Quæſtione Juris, an matrimonium ſtare poſſit cum pacto aut voto perpetuæ caſtitatis?

Quia hoc ſæculo XI. tres viri Principes, Henricus Sanctus, Imperator, Eduardus Sanctus, Rex Angliæ, & Welpho Dux Boiariæ, perpetuam caſtitatem cum matrimonio conjunxerunt, & quidem probabiliùs ex voto & pacto inito, an autem hoc fieri poſſit, valde ſit controverſum, juvat hîc de hac quæſtione celebri pauca diſſerere; præſertim cùm ex ejusdem diſcuſſione matrimonii natura & proprietates utiliſſimè innoteſcant.

Et imprimis quidem certum eſt, matrimonium ſtare poſſe cum pacto mutuo & voto caſtitatis nuptias conſequente, imò etiam cum antecedente. Cùm votum ſimplex caſtitatis non ſit impedimentum matrimonii dirimens, ſed tantùm impediens. Tota igitur difficultas eò reducitur, an ſubſiſtere poſſit matrimonium, quando pactum aut votum continentiæ conjungitur ipſi contractui nuptiali.

I.

Rationes Dubitandi.

43. Communiorem aſſerunt eam eſſe ſententiam, quæ votum ejusmodi aut pactum matrimonio repugnare cenſet. Pro hac enim multi graviſſimi citantur Doctores, Durandus, Tabiena, Covaruvias, Henriquez, Suarez, Gonzalez, Sanchez, Perez, Barboſa, Layman, Guttierez, Filliucius, Vallenſis, Palaus, Pirhing, Wieſtner, Schmier, Schmaltzgrueber &c. & præſertim S. Thomas *in* 4. *diſt.* 28. *q. un. art.* 4. his ferme moti rationum momentis.

Conſenſus matrimonialis, inquiunt, ferri debet in vinculum & obligationem conjugalem. Hæc autem non tantùm importat indiſ-

indiſſolubilem vitæ ſocietatem, & cohabitationem, ſed etiam jus ad actus conjugales exigendos, eóſque exhibendos, ſi petantur. Hoc enim elucet ex ipſa inſtitutione matrimonii, jam in paradyſo facta his verbis: *Quamobrem relinquat homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne unæ.* Gen. 2. quibus conſonant verba Apoſtoli 1. Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & uxor viro.* Addítque rationem: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.*

Quo ſanè patet, per contractum matrimonialem eſſentialiter tradi mutuò jus in corpora in ordine ad actus conjugales, in procreationem prolis tendentes, qui certè finis principalis & intrinſecus eſt matrimonii. Ex hoc autem jure, eſſentiali matrimonio, neceſſariò conſequitur ſtricta obligatio reddendi debitum conjugale, ſi ab altero petatur. Cùm intelligi non poſſit jus, cui ex altera parte non correſpondeat obligatio. Et ad quid aliud tendit mutuus conſenſus matrimonialis niſi ad hoc jus & obligationem? quid aliud ultro citróque promittitur? hæc profectò eſt eſſentia matrimonii, per ipſam definitionem explicata. Quid enim aliud eſt matrimonium, quàm *contractus, quo mas & fœmina, nullo jure impediti, mutuò ſibi tradunt jus in corpora, ad actus ex ſe aptos ad generationem prolis?* Quæ alia materia hujus Sacramenti quàm corpora contrahentium, ad generationem prolis idonea? quæ alia forma, quàm verba aut alia ſigna, quibus exprimitur mutuus conſenſus, & traditio juris in corpora?

At verò per votum aut pactum caſtitatis, in continenti adjectum penitus evertuntur hæc omnia. Evertitur traditio corporum ad finem eſſentialem: evertitur jus in corpora: evertitur obligatio: evertitur conſenſus in hanc traditionem: evertitur tota eſſentia matrimonii. Aut certè orirentur jura & obligationes prorſus contrariæ, ſéque ipſas evertentes. Ratione contractus matrimonialis haberent jus in corpora: ratione pacti aut voti continentiæ illud non haberent, ſed oppoſitum. Ratione matrimonii daretur obligatio reddendi debitum petenti, ratione voti, ab utraque parte emiſſi, daretur obligatio illud non reddendi.

Neque enim comminiſci hîc poſſumus duplex jus compoſſibile, radicale unum & directum, alterum verò utile, aut quaſi uſufructuarium. Nam licèt in aliis rebus poſſit dominium proprietatis à dominio utili & uſu, ac jus remotum à proximo ſeparari, non tamen in matrimonio, quod eſſentialiter ordinatur ad uſum. Fieri ſiquidem nulla ratione poteſt, ut quis acquirat jus radicale in corpus alterius ſine jure proximo, & actuali. Secus enim poſſet quis

 contra-

contrahere cum duabus, uni tradendo jus radicale, alteri verò actuale & usum: sicut potest quis uni tradere jus proprietatis in equum, alteri dominium utile, aut usum, saltem ad tempus.

Neque apparet, cur non posset consistere matrimonium inter patrem & filiam, socerum & nurum &c. si ex nuptiis non resultaret necessariò jus actuale & proximum in corpus conjugis. Et cur aliàs impotentia esset impedimentum dirimens? Unde hæc conditio, *si castitatem mecum servaveris* non minùs est contra substantiam matrimonii, quàm hæc, *si generationem prolis evites.* Essétque talis contractus matrimonialis similis emptioni venditioni, qua equum venderes pro centum florenis, eo tamen pacto adjecto, ne unquam obligeris equum tradere emptori, nec emptor obligetur tibi pretium solvere: vel servitutem viæ in agro tuo constitueres alteri, ea tamen adjecta conditione, ut nunquam illa utatur. Quæ utique sunt nugatoria, séque ipsa evertentia.

Meritò proin S. Thomas in 4. dist. 30. q. 2. art. 1. ad 2. ait: *Dicendum, quòd Beata Virgo, antequam contraheret cum Joseph, fuit certificata divinitus, quòd Joseph in simili proposito erat, & ideo se non commisit periculo nubens, nec tamen propter hoc aliquid veritati deperiit; quia illud propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum, talis enim & conditio, cùm sit contra matrimonii bonum, scilicet prolem procreandam, matrimonium tolleret.*

II.

Rationes decidendi.

44. Gravia haud dubiè sunt hæc rationum momenta, quæ probabilem admodum illam sententiam faciunt. Probabilior nihilominus videtur sententia opposita, quam defendunt Abulensis, Paludanus, Vasquez, Pontius, Coninck, Perez, Gobat, Illsung, Krimer, Pichler. His persuasi argumentis.

Certum est, non tantùm jus proprietatis ac Dominium rei esse saparabile ab illius usu, ac re ipsa sæpè esse separatum, ùt patet in feuda, emphiteusi, usufructu &c. in quibus dominium directum est separatum ab utili, reíque usu (quod in ipsis etiam rebus fungibilibus fieri posse, ac re ipsa fieri, passim docent Theologi) sed etiam jus proprietatis perfectum, ac plenum rei dominium posse ita esse ligatum, ut actualis dispositio de ea fieri non possit à domino, ùt demonstrant exempla pupilli, minoris, prodigi declarati &c. qui pleni

pleni rerum ſuarum ſunt domini, jus tamen eorum ita eſt ligatum, ut alias adminiſtrare, aut de iis actu diſponere non poſſint.

Sic etiam Sacerdos accipit per Sacramentum Ordinis poteſtatem jurisdictionis in Fideles, ad eos à peccatis abſolvendos, quæ tamem proximè non eſt expedita ad actualem uſum & exercitium, niſi aſſignetur ei ab Eccleſia ſubditi.

Imò ipſa natura in rebus phyſicis videtur hanc veritatem nos edocere; cauſæ ſiquidem naturales ſæpè vim agendi in actu primo remoto completam habent, propter impedimentum tamen aliquod non ſunt proximè ad agendum expeditæ. Sic licèt ignis de ſe habeat virtutem urendi, illam tamen exerere non poteſt, niſi applicetur materiæ, quæ uri poſſit.

Sicut igitur dantur alia jura, tam phyſica quàm moralia, de ſe quidem completa, propter aliquod tamen impedimentum ita ligata, ut ad actum & exercitium non ſint proximè expedita; ſic idem contingere videtur poſſe in matrimonio, quo conjuges ſibi mutuò dant jus in corpus. Atque imprimis certum eſt, actualem uſum hujus juris non pertinere ad ſubſtantiam matrimonii. Nam, ùt *reg. juris* 30. *ff*. Ulpianus ait, *nuptias non concubitus ſed conſenſus facit:* potéſtque matrimonium intendi præcisè ùt ratum.

Sed neque requiritur ad matrimonium, ut jus illud, quod ſibi mutuò tradunt, ſit *proximè expeditum:* ùt patet in caſu, quo pars utraque, ligata jam priùs voto ſimplici caſtitatis, contraheret. Nam hoc matrimonium valeret (cùm votum ſimplex non ſit impedimentum dirimens) & tamen hoc jus propter votum eſſet ita ligatum, ut eo uti non poſſent; cùm neque petere neque petenti reddere liceret carnale commercium. Quo ſanè exemplo dilucidè ſatis conſtat ad matrimonium non requiri jus in corpora *proximè completum & expeditum*, ſed ſufficere jus, remotè quidem & de ſe completum, *ligatum tamen & impeditum ab actuali uſu* (quod à quibusdam appellatur *jus radicale*) revoca exemplum pupilli, ſub tutela conſtituti, cujus jus remotè & de ſe eſt completum (cùm plenum dominium bonorum habeat) non tamen proximè expeditum ad actualem adminiſtrationem, ſed ligatum propter ætatem.

Si igitur ad ſubſtantiam matrimonii ſufficit jus ligatum aliquo impedimento (ùt patet ex caſu inſinuato, quo utraque perſona jam priùs fuiſſet ligata voto) non apparet ratio, cur non votum caſtitatis adjungi poſſit ipſi contractui matrimoniali, quo daretur quidem jus, ſed ligatum voto: ita quidem, ut per conſenſum conjugalem detur jus in corpus, per votum verò impediatur actualis uſus hujus

jus juris. Certè votum adjectum ipsi contractui non magis obstat matrimonio, quàm votum utrinque jam priùs emissum; cùm etiam hoc in ipso contractu perseveret, & utrumque eandem vim & eosdem effectus habeat.

Quæret fortasse quispiam, quid sit jus illud *ligatum, remotum, radicale, non proximè expeditum*, quod solum ex matrimonio necessariò resultare dixi? sed quæram & ego: quid est jus filiifamilias circa bona sua adventitia? quid est jus pupilli, minoris, prodigi circa sua bona, cùm de iis non possint disponere? quid est potestas Sacerdotis in Fideles, accepta in Ordinatione, si eam exercere non potest, nisi per beneficium curatum ordinariam, aut per specialem facultatem vel mandatum, delegatam jurisdictionem accipiat? quid est vis ustiva ignis, si eam ob defectum *passi* seu *subjecti* non possit exerere, aut per miraculum, prout olim in fornace Babylonica, ab actione impediatur?

Et præsertim quæram: quid sit illud jus, quod mas & fœmina, jam antecedenter ligati voto castitatis, sibi mutuò tradunt, quando, contrahunt matrimonium? quid sit illud jus conjugale, quod post matrimonium consummatum vir & mulier mutuo consensu ingressi religionem retinent? quæram denique, quid sit illud jus, quod conjuges primo bimestri post nuptias habent? profectò verum habent matrimonium, & tamen consummare illud necdum tenentur, licét pars altera petat. Si ergo hîc capere debemus posse jus conjugale, non tamen adhuc proximè expeditum, capere id etiam possumus in nostro casu.

Dico proin, illud ipsum jus, quod mas & fœmina, jam ante matrimonium ligati voto castitatis, per contractum matrimonialem sibi mutuò tradunt, etiam tradi, quando ipsi consensui matrimoniali addunt votum perpetuæ continentiæ. Item illud ipsum jus tradi, quod à conjugibus retinetur. Si post matrimonium contractum pari consensu emittunt votum castitatis: jus videlicet verè conjugale vinculatum tamen & ligatum per votum castitatis, tanquam impedimentum extrinsecum, quod obstat licito juris usui. Illud denique ipsum jus tradi, quod conjuges primo bimestri habent: cui non respondet obligatio proxima.

Quamvis autem in casu voti utrinque emissi nec petere licitè possent nec reddere petenti carnalem copulam, sicut neque possent, si ante matrimonium fuissent obstricti voto simplici, aut post matrimonium voto solenni per professionem religiosam emisso: quia scilicet jus in corpora, per matrimonium datum acceptúmque

est

eſt vinculatum, ut eo licitè uti non poſſint; nihilominus jus illud non eſt otioſum aut nugatorium, ſed habet ſuos effectus.

Nam ſi contra votum generarent prolem, peccarent quidem contra virtutem religionis, proles tamen illa non eſſet fornicaria, ſed ex vero matrimonio nata. Et ſi alteruter ex his conjugibus cum tertia perſona commiſceretur, eſſet verum adulterium, prolísque nata eſſet adultera. Denique præter individuam vitæ ſocietatem, præter fidem & amorem conjugalem, auxilium mutuum, benevolentiam & animorum conjunctionem, jus illud conjugale ad copulam ſtatim eſſet proximè expeditum, quamprimum vinculum illud voti per diſpenſationem ſolveretur, quin novus conſenſus, aut quidquam aliud poneretur. Eo prorſus modo, ùt contingeret, ſi jam ante nuptias fuiſſent obſtricti voto caſtitatis.

Majorem aliqui difficultatem eſſe exiſtimant, ſi conſenſui nuptiali *pactum* apponatur de ſervanda continentia. Hoc etenim pactum contractui matrimoniali penitus pugnare arbitrantur; cùm ſic titulus juſtitiæ, quod una manu dat, altera auferret. Verùm ſi eſſentia matrimonii ſtare poteſt cum jure ad copulam vinculato, ùt probatum eſt hactenus, non apparet oppoſitio ejusmodi pacti cum matrimonio: ſicut non apparet oppoſitio voti cum eodem. In utroque ſiquidem caſu per contractum matrimonialem daretur jus in corpora, ligatum tamen per adjectum pactum aut votum, ut his ſtantibus eo licitè uti non poſſent conjuges.

Ex quo apparet, contractum nuptialem & pactum continentiæ non verſari circa idem objectum. Nam ille verſatur circa jus, hoc verò circa uſum juris. Valde autem diverſa ſunt, & à ſe invicem ſeparabilia, *habere jus* & *uti jure*. Ut pateſcit ab exemplis pupilli, minoris, prodigi, filii-familias, Sacerdotis ordinati, conjugum jam ante nuptias voto caſtitatis obſtrictorum, conjugis primo bimeſtri poſt initum matrimonium, quod, non obſtante alteriùs jure matrimoniali, non obligatur conſummare, licèt pars altera exigat.

Quin imò pactum continentiæ videtur minus habere difficultatis quàm votum. Nam hoc non poſſent ſibi ipſis ſolvere; pactum verò poſſent, quandocumque placeret, mutuo conſenſu diſſolvere; & ſic jus in corpora, priùs ligatum, ſtatim evaderet proximè expeditum, ut etiam licitè in actum ſecundum poſſet exire.

Quam ex rationibus intrinſecis propugnavi hactenus, ſententia validè confirmetur illuſtribus exemplis eorum, qui cum voto aut pacto continentiæ, vel cum utroque matrimonium contraxerunt. Tale enim fuit matrimonium S. Joſephi cum Maria Virgine Deipara.

Certum namque est, (Suarezius putat esse de fide) verum illud fuisse matrimonium, cùm in sacro Evangelio Joseph dicatur *Vir Mariæ*, & hæc *conjux Josephi.* Et tamen communis est PP. & DD. sententia, eos voto castitatis jam antè fuisse ligatos, atque illud votum in nuptiis sibi mutuò significâsse. Idque videtur satìs clarè erui ex illa Mariæ, sublissimi mysterii adhuc ignaræ, admiratione, dum dixit: *Quomodo fiet istud; quoniam virum non cognosco.*

Aliter quidem, ùt suprà innui, matrimonium istud explicat S. Thomas, putátque, Beatam Virginem divinitus fuisse certificatam, S. Josephum in simili servandæ castitatis esse proposito. Verùm, præterquam, quòd revelationes Divinæ, cùm sint res facti, probari debeant, nullúmque in sacris Scripturis hujus revelationis habeamus vestigium S. Thomæ oppono S. Augustinum, qui non tantùm *lib.* 3. *de bono conjugii cap.* 1. *& lib.* 23. *contra Faustum cap* 8. matrimonium constituit in sola animarum conjunctione amicabili vitæque individua societate, etiam sine carnali corporum conjunctione: sed etiam nominatim de castissimo hoc matrimonio differens *lib.* 2. *de consensu Evangelist. cap.* 1. ait:

Hoc enim exemplo (matrimonii Mariæ cum Joseph) *magnificè insinuatur Fidelibus conjugatis, etiam servata pari consensu continentia, posse permanere vocaríque conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu. Præsertim quia nasci eis etiam filius potuit sine ullo complexu carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est.*

Neque dici potest, S. Doctorem id duntaxat voluisse, post matrimonium initum posse conjuges pari consensu servare continentiam, non verò eum consensum contractui nuptiali conjungere. Nam præterquam quòd hæc interpretatio sit merè arbitraria, nullóque fundamento nixa, si id tantùm voluisset Augustinus, non fuisset necesse, tam illustri exemplo *magnificè* illud insinuare, cùm per se certum, indubitatúmque sit, posse conjuges post nuptias initas pari consensu abstinere à conjunctione carnali. Deinde ratio adjuncta planè probat, hujusmodi conventionem fieri etiam posse in ipso contractu nuptiali: *Quia nasci eis etiam filius potuit sine ullo complexu carnali.* Accedit, quòd S. Doctor alibi (locis videlicet citatis) matrimonium constituat in animorum conjunctione, & individua vitæ societate.

Sanctissimum Mariæ & Josephi exemplum secuti sunt plures casti sanctíque homines, ùt sæculo V. Martianus Augustus & Pulcheria: atque hoc ipso, quo de agimus, sæculo XI. S. Henricus Imperator cum Cunegunde, Welpho Dux Bavariæ cum Mathil-

de, S. Eduardus Rex Angliæ cum Editha, ejusmodi conjugium cum voto aut pacto caſtitatis inierunt, ùt complures ſcriptores referunt, cum Clericato *de matrimonio deciſ.* 2. *n.* 16. ubi teſtatur, quòd Urbanus II. approbaverit matrimonium Welphonis cum Mathilde, ſub pacto caſtitatis contractum. Idem teſtatur de matrimonio Pulcheriæ Auguſtæ cum Martiano.

Et de matrimonio S. Eduardi Regis Angliæ, ùt ſuprà n. 25. memini, teſtatur S. Ealredus in vita S. Eduardi. *Convenientibus in unum* inquit, *Rex & Regina de caſtitate ſervanda paciſcuntur. Fit illa conjux mente, non carne, ille maritus mente, non opere. Perſeverat inter eos, ſine actu conjugali, conjugalis affectus.*

III.

Reſpondetur rationibus dubitandi.

Ex iis, quæ hactenus ſunt diſputata, ſoluta jam ferme ſunt, quæ pro ratione dubitandi ſunt allata. Nam pleraque argumenta id ſupponunt aut contendunt, jus in corpora, quod per matrimonium traditur, non poſſe eſſe ligatum, ſed ſemper debere eſſe proximè expeditum. Cùm igitur probatum fuerit, ad matrimonii ſubſtantiam ſufficere jus ligatum, ita, ut quidem jus conjugibus detur, ab ejus tamen uſu per votum aut pactum ſe ultro excludant, ruunt hoc ipſo pleraque adverſæ ſententiæ fundamenta. 45.

Si enim per contractum nuptialem datur jus, matrimonio eſſentiale, non tamen proximè expeditum, ſed per votum aut pactum ita impeditum, ut eô licitè uti non poſſint; ùt manifeſte patet in iis, qui, jam antè voto perpetuæ caſtitatis ligati, nuptias contrahunt. Neque votum evertit illud jus, quod per nuptias eſt conceſſum, ſed tantùm facit, ut non ſit proximè expeditum ad ùſum: Unde jus *remotum* & *radicale* non obſtante voto ſemper manet, ſolúmque pertinet ad ſubſtantiam matrimonii, tanquam ens morale, ex eo neceſſariò reſultans. Ordinatur quidem matrimonium ad uſum, non tamen ita eſſentialiter, ut abſque actuali uſu carnali non poſſit conſiſtere: aliàs conjuges ne quidem poſſent abſtinere à carnali copula. Et moribundus non poſſet matrimonium inire cum concubina ad legitimandam prolem. Neque valeret matrimonium contractum ab iis, qui jam priùs voto caſtitatis fuerunt obſtricti. Quo exemplo, aliíſque ſupra allatis, retorqueri poſſunt omnia argumenta adverſariorum.

Neque tamen poteſt quis contrahere cum duabus, uni tradendo jus radicale, alteri actuale, ipſúmque uſum. Nam jus actuale

in corpus seu proximè expeditum ad usum in eodem subjecto præsupponit jus radicale, atque in eo fundatur. Unde licèt quis possit habere jus radicale ac remotum, per nuptias acceptum, sine proximo, non tamen vicissim jus proximum sine radicali. Exemplum habes in Sacramento Ordinis; nam licèt Ordinatus possit habere jurisdictionem radicalem, in ipsa Ordinatione acceptam, quin eo ipso habeat jurisdictionem actualem, seu proximè expeditam ad absolvendum à peccatis, non tamen potest habere jurisdictionem actualem sine radicali.

Verùm, si matrimonium essentialiter tantùm importat jus radicale, non apparet, *inquiunt*, cur consanguinitas debeat esse impedimentum dirimens matrimonii. *Respondetur*. Ordinariè jus radicale conjunctum est juri actuali ac proximo. Unde propter ea, quæ ordinariè contingunt, prudenter potuit statui universim hoc impedimentum in reverentiam sanguinis inter personas propinquas.

Deinde si cum pacto aut voto castitatis contraxissent consanguinei, jus in corpora remotum statim evaderet proximum, si mutuo consensu pactum dissolverent, aut dispensationem in voto obtinerent.

Cæterùm Deus in hac providentia nunquam dat patri jus etiam radicale in corpus filiæ (idem de aliis personis in primo gradu lineæ rectæ conjunctis) imò illud negat. Consequenter neque filia potest illud patri suo dare. Adeóque pater accederet ad non suam: quod est intrinsecè malum, & jure naturæ prohibitum. Dixi, in hac providentia: non enim satìs video, cur Deus, qui uti rerum omnium, ita etiam corporum humanorum perfectus est Dominus, absolutè non posset patri dare potestatem in corpus filiæ, si e. g. solus Adam cum filia exstitisset in mundo, ad propagandum genus humanum.

Impotentia antecedens ac perpetua ideo est impedimentum dirimens, quia deficit materia Sacramenti, corpora nempe ad carnalem conjunctionem habilia. Consequenter per matrimonium cum impotente neque jus radicale in corpus posset tradi. Accedit, quòd pactum mutuo consensu, & votum per dispensationem posset relaxari, quo casu jus statim fieret proximum; impotentia autem (ùt supponitur) non potest tolli.

Pactum *positivè* evitandi generationem prolis, e. g. procurando abortum &c. est quidem contra substantiam matrimonii, non autem votum aut pactum *negativè* illam impediendi, abstinendo videlicet à copula carnali.

Si

Si emptioni-venditioni adjici non poteſt pactum de non tradenda merce, aut non ſolvendo pretio, tunc ideo, quia de eſſentia hujus contractus eſt conſenſus in tradendam actualiter mercem & ſolvendum pretium, atque ex hoc conſenſu ortum jus petendi traditionem aut ſolutionem ſemper proximè expeditum, ita, ut non detur jus illud geminum, radicale unum ac remotum ligatúmque, alterum actuale ac proximè expeditum, qualia in matrimonio dari poſſe probavimus. Si igitur in emptione unum ſimplex datur jus, non poteſt illud per emptionem dari & per adjectum pactum negari. Aliàs idem daretur & negaretur. Quia autem in matrimonio duplex datur jus, unum radicale ac remotum, alterum actuale proximè expeditum, poteſt illud dari, quin detur iſtud. Retorſio eſt in iis, qui jam antè ligati voto caſtitatis ſimplici nuptias validè contrahunt.

Cæterùm etiam emptioni aliíſque contractibus variæ conditiones poſſunt adjici, ut obligatio tradendi mercem, aut ſolvendi pretium, etiam perfecta jam emptione, tanquam contractu conſenſuali, necdum ſit proximè expedita. Et regulariter, niſi venditor fidem de pretio habuerit, non tenetur mercem extradere, donec offeratur pretium, nec emptor tenetur pretium ſolvere, donec merce extradatur. Unde, ſi neuter traditionem faciat, jus & obligatio non eſt proximè expedita. Sic etiam, ſi ad diem facta ſit venditio, jus petendi ſolutionem necdum eſt proximè expeditum, usque dum dies venerit. Eodem modo jus petendi copulam carnalem non eſt proximè expeditum, usque dum pactum caſtitatis per mutuum conſenſum, aut votum per diſpenſationem fuerit diſſolutum.

Si ſervituti non poteſt opponi pactum ea non utendi, tunc ideo, quia etiam circa illam non poteſt dari duplex jus, quorum unum transferatur in dominum prædii dominantis per conſtitutionem ſervitutis, alterum verò per pactum remaneat penes dominum prædii ſervientis. At verò circa matrimonium, ùt toties dictum, datur geminum illud jus. Ergo non eſt paritas. Dixi autem, ſi hoc fieri non poſſit; non enim eſt certum, quòd retento jure redicali ſervitutis, prædio inhærentis, non poſſit abdicari jus proximè expeditum ad exercitium ſervitutis. Certè ſervitutis jus haberi poteſt, quin habens eo velit uti. Cur ergo non poſſit quis velle habere ac retinere radicale jus itineris, viæ &c. ſimul tamen promittere, ſe non uſurum hoc jure. Quo pacto haberet jus, ſed ligatum. Cæterùm matrimonium pro fine non tantùm habet carnalem copulam & prolis generationem, ſed plures alios, ùt dictum, unde cum ſervitute, emptione &c. non eſt paritas.





CAPUT III.

Concilia Sæculi XII.

Turbulentum fuit initium ſæculi in Germania & Anglia ob controverſiam de Inveſtituris. Sub Lothario & Conrado Cæſaribus Eccleſiæ quies: colliſo dein rurſus ſub Friderico I. Imperio cum Sacerdotio.

Galliam afflixit Philippi Regis divortium, multifaria item hæreſis, Abaelardi, Tanchelini, Gilberti Porretani, Henricianorum, Petro-Bruiſianorum, Waldenſium & Albigenſium. Quæſitum tot morbis conſuetum à Conciliis remedium.

In Hiſpania primum ſæculi dimidium Saracenos; ſæpè devictos, in anguſtias compulit, altero dimidio Chriſtianorum diſcordiæ reſpirandi rurſus ſpatium iis dederunt. Inſtituti contra illos ordines Equeſtres. Natum Regnum Luſitaniæ. Reformata diſciplina per Synodos.

Anglia à ſtirpe Normannica ad Andegavenſem translata. Turbata gravibus ac diuturnis litibus Henrici I. & II. Regnum cum S. Anſelmo, & S. Thoma, Cantuarienſibus Archiepiſcopis, propter libertatem Eccleſiaſticam exortis. Bellis domeſticis ac fraternis preſſa. Mores per Concilia reformati. Quæ & plura alia diſtinctiùs exhibet ſequens

SUMMARIUM.

Articulus I.

De Conciliis Germaniæ.

§. I

Prænotanda de Statu Germaniæ.

1. *Obitus infelix Henrici IV.*
2. *Imperium Henrici V.*
3. *Lotharii II.*
4. *Imperium Conradi III.*
5. *Friderici I.*
6. *Henrici VI.*

§. II.

§. II.

Concilia celebrata in causa de Investituris.

§. III.

Status Ecclesiasticus per alia Concilia ordinatus in Germania.

§. IV.

Concilia Polonica.

§. V.

Articulus II.

De Conciliis Gallicanis Sæculo XII.

§. I.

Prænotanda de Statu Galliæ.

§. II.

§: II.

De Conciliis celebratis

22. *in causa divortii Philippi II.*

§. III.

De Conciliis celebratis contra Hæreses.

23. *Hæresis Petri Abaelardi.*
24. *Tanchelini.*
25. *Gilberti Porretani.*
26. *Hæresis Henricianorum.*
27. *Petro-Bruisianorum.*
28. *Arnaldi Brixiensis.*

§. IV.

Status Ecclesiasticus per alia Concilia ordinatus in Gallia.

29. *Concilium Tolosanum I. & II.*
30. *Claromontanum, Rhemensia, Turonicum, Abrincatense.*

Art culus III.

De Conciliis Hispanicis Sæculo XII.

§. I.

Synopsis Historica.

41. *Urracæ Reginæ divortium. Ortæ exinde turbæ, & bella.*
32. *Tres Alphonsi in Castella, Aragonia, & Lusitania victores Saracenorum.*
33. *Initium Regni Lusitani, & laus.*

§. II.

Status Ecclesiasticus ordinatus per Concilia in Hispania.

34. *Concilium Ovetense, Palentinum, Legionense, & Tarraconense.*

§. III.

§. III.

Continuatio Synopsis Historicæ.

35. *Ramirus ex Monacho Rex & maritus factus.*
36. *Catalonia juncta Aragoniæ.*
37. *Christianorum discordiis pinguescunt Mahometani.*
38. *Initium ordinis Equestris Calatravæ.* 39. *& S. Jacobi.*

Articulus IV.

De Conciliis Anglicanis.

§. I.

Prænotanda de Statu Angliæ.

40. *Regnum Henrici I.*
41. - *Stephani: qui persequitur Ecclesiam.*
42. - *Henrici II. in cujus personæ translata fuit corona Angliæ ad Domum Andegavensem.*
43. *Henrici ejusdem pœnitentia ob cædem S. Thomæ.*
44. *Richardus Rex in Palæstinam. Cyprum expugnat. Capitur.*

§. II.

Observatio circa controversiam inter S. Thomam & Henricum II.

45. *Causæ discordiarum; & Concilia ad illas tollendas.*
46. *Consuetudines Anglicanæ, quas Rex urgebat, resistente Thoma.*

§. III.

Status Ecclesiasticus Ordinatus per Concilia in Anglia.

47. *Concilium Londinense I.*
48. - *Westmonasteriense.*
49. *Concilia Londinensia plura.*
50. *Concilium Eboracense.*

§. IV.

51. *Concilia Scotiæ & Hiberniæ.*

Articulus V.

52. *Dissertatio Juridica de Simonia.*



ARTICULUS I.
De Conciliis Germanicis.

§. I.
Prænotanda de Statu Germaniæ.

1. *Henricus IV.* *Henricus IV.* à Principibus Germaniæ, & proprio potissimùm filio, ab Imperio dejectus, Leodium profugiens, ac rabie frendens, invocatis frustra Gallorum Anglorúmque auxiliis, mœrore iráque contabuit, anno 1106. anathematis vinculo adhucdum innodatus. Quare ejus corpus Spiram translatum, ac lapideo sacrophago inclusum, quinquennio extra Ecclesiam insepultum jacuit.

2. *Henricus V.* *Henricus V.* ejus filius cum Imperio bellum in Ecclesiam suscepit. Captus ejus fraude Paschalis II. extortæ ab eo vi metúque *Investituræ*. Intrusus Burdinus Antipapa. Fulminatus anathemate Cæsar. Pressa calamitatibus Ecclesia & Respublica: donec sub Callisto III. pax optata rediit; prout *part.* 3. *cap.* 5. *art.* 1. uberiùs aliquantò descriptum. Obiit Henricus V. Trajecti, morientium præsidiis ritu Catholico munitus, anno 1125. Imperii 19. ætatis 44.

3. *Lotharius II.* Procerum suffragiis invitus suffectus est *Lotharius II.* Saxo, Princeps, de quo dubites, an religiosior, an fortior, an litterarum fuerit amantior, cœlitùs certè provisus Ecclesiæ, calamitatibus undique pressæ. Nam Innocentius II. Papa à Rogerio, Siciliæ Rege, quem Apuliâ devulsum volebat, captus, videre debuit Petrum Leonis, sub Anacleti II. nomine in Sedem suam intrusum, à quo Româ prohibitus fugit in Galliam.

At Lotharius Imperatoris & Ecclesiæ Protectoris officium desiderari in se non est passus. Ter propterea cum Germano exercitu Italiam adiit: primò reducturus Pontificem: secundò Romanos flexurus ad obsequium: tertiò Rogerium Siculum, quo solo nitebatur Anacletus, Italiâ depulsurus. Nec justis consiliis eventus defuit. Restitutus Innocentius. Romanis extortum obsequium. Rogerius cum suo Pseudo-Papa terra maríque ingenti clade affectus, in Siciliam suam se recepit. Anacletus ubique explosus paulò pòst interiit.

Lotharius tot tantísque rebus præclarè gestis, in reditu prope Tridentum pientissimè, ùt vixit, mortuus est anno 1137. Imperii 13. Princeps summus, cuique res Ecclesiæ suæ essent. De ejus probitate, religione, in ordinem Ecclesiasticum veneratione, charitate in pauperes, mira narrantur.

At non tantùm maximo huic Imperatori plurimùm debet Religio, Ecclesia, atque Imperium, sed etiam *Jurisprudentia;* quam Romæ primùm, dein etiam Bononiæ secundùm normam Imperatoris Justiniani doceri voluit. Usus ad hoc opera *Irnerii* Jurisconsulti peritissimi. Ad Lotharii proin tempora referenda est epocha, Juris Justinianæi in Occidente publicis in scholis expositi.

Post Lotharii mortem *Conradus III.* Dux Sueviæ, ac Henrici 4.
IV. ex filia nepos, renuntiatur Augustus, civili statim bello impli- *Conradus*
citus, *Henrico Superbo*, potentissimo illo Bavariæ ac Saxoniæ Duce *III.*
ad id fastigium aspirante. Sed Henrico proscripto, & mox mortuo, cùm *Guelpho* ejus frater arma non poneret, Conradus Imperator eum Vinsbergæ obsessum ad deditionem compulit. Actúmque fuisset de libertate, nisi uxores pio astu circumvento Cæsare maritos propriis humeris exportâssent. Orta hîc feruntur notissima illa factionum nomina, quæ deinceps tot annis Italiam distraxerunt, *Guelphorum* nempe & *Gibellinorum:* nam à *Guelphone* Guelphi hostes Cæsaris, à *Geblinga* verò natali loco Conradi Cæsareani dicti sunt *Gibellini.*

Tandem Conradus, postquam mortuo Fulcone Hierosolymæ Rege Noradinus Saracenus Edessam Christianis eripuerat, hortante S. Bernardo *cruciatam expeditionem* cum ingenti peditum equitúmque exercitu, capessito per Hungariam Thraciámque itinere, suscepit. At tum Manuelis Græci Imperatoris perfidia, tum ad Damascum cum Francis discordia, attritis copiis, nulla re gesta ex sententia,

 rediit;

rediit; mortuúsque est Bambergæ anno 1152. Imperii 14. ætatis 60.

5. *Fridericus I.* Libera electione successit *Fridericus I.* Conradi ex fratre nepos; Germanicis statim lacessitus bellis, ad Italica gradum fecit. Vix ullus Principum majore conatu impugnavit Ecclesiam: vix de ullo Ecclesia triumphavit magnificentiùs. Quatuor expeditiones in Italiam suscepit. Mediolanum bis expugnavit, semel diruit. Unus sex Pontifices potestatis annis æquavit. Tres Pseudo-Pontifices fovit. Bis diris devotus. Toties victor victus pacem petiit Venetiis, & obtinuit: meliúsque finiens quàm cœperat, sacram in Palæstinam expeditionem suscepit. At rebus in itinere contra Turcas præclarè gestis in Cidno Ciliciæ amne occubuit. Anno Christi 1190. Imperii 38. ætatis 69. *(vide part. 3. cap. 5.)*

6. *Henricus VI.* Successorem habuit filium *Henricum VI.* qui vires suas maximè impendit vindicandæ utrique Siciliæ, uxorio nomine sibi debitæ. Cùm Richardum Angliæ Regem, ab expeditione sacra reducem, teneret captivum, nec sine magna pecuniæ summa vellet dimittere, communione Fidelium motus est: at pœnitens obiit Messanæ anno 1198. Imperii 7. ætatis 37.

§. II.

Concilia celebrata in controversia de Investituris.

7. *Lis inter Pascalem & Henricum.* Initium hujus sæculi plurimùm turbavit *Investituræ* controversia; præsertim in Germania ac Anglia. In illa quidem sub Henrico V. Imperatore: in hac verò sub Henrico I. Rege. Cùm enim Gregorius VII. Victor III. Urbanus II. & Paschalis II. in pluribus Synodis prohibuissent, ne laici *Investituras* beneficiorum Ecclesiasticorum conferant, Henricus V. Romam profectus ad accipiendam coronam Imperialem, Investituras à Pontifice *Pascali II.* extorquere statuerat. Quare eundem cum 16. Cardinalibus captum conjecit in vincula: vinctósque per duos & ampliùs menses detinuit (mortis etiam minis, ùt quidam scribunt, intentatis) his in angustiis constitutus Pascalis, ut schisma evitetur, séque cum Cardinalibus tantæ calamitati eripiat, negatas hactenus Imperatori Investituras adjecto juramento concessit, eúmque solenni ritu coronavit.

Tum verò, solutus captivitate, Cardinalium aliorúmque in 8.
se concitavit opprobria. Quare convocato primùm *Capuano Concilio* concessionem Investiturarum, licèt juratò à se & Cardinalibus captivis factam, irritam declaravit (*anno* 1111.) *en pactum metu extortum declaratur irritum!* *Capuanum.*

Sequenti dein anno celebratum est *Concilium Romanum* centum circiter Episcoporum. In quo Pascalis Papa narravit, quomodo captus & coactus fuerit cum 12. Cardinalibus sub juramento permittere Regi Teutonum Investituras. Igitur prohibere se quidem, quæ ab Antecessoribus suis Gregorio & Urbano sint prohibita, nunquam tamen in Henricum anathema dicturum, nec propter Investituras eum inquietaturum. *Romanum.*

Patres verò reliqui in Synodo congregati conclamabant, privilegium illud esse *pravilegium*, pro liberatione captivorum & Ecclesiæ, per violentiam Henrici Regis extortum; adeóque omnino irritum à se judicari.

Paschalis dein scripsit Imperatori, (quod jam antè volebat) ut Episcopi dominia illa bonorum temporalium, quæ ad Imperium certò antea pertinebant, Imperatori & Imperio restituant; ut hac ratione Investituræ laicalis occasio præcidatur. At hoc Episcopis aliísque Prælatis, qui pinguia Imperii feuda obtinuerant, persuaderi nullatenus poterat.

Eodem anno 1112. coacta est Synodus *Viennensis* in Gallia. In qua Investitura Episcopatuum & Abbatiarum, atque omnium Ecclesiasticarum rerum de manu laica, appellatur *hæresis*. Privilegium extortum irritum declaratur. Henricus verò Imperator excommunicatur. Verùm cùm hæc Synodus à Papa non fuerit approbata, adversùs Imperatorem parùm valuit, qui utique non fuit subditus Episcoporum Galliæ. Quod idem dicendum de Synodis, quæ *Conon* Cardinalis, Episcopus Prænestinus, Pontificius per Orientem legatus instituit Hierosolymis, in Græcia, Hungaria &c. contra eundem Imperatorem, eum excommunicando. Nam Germania non erat ei assignata legationis provincia. *Viennense.*

Cæterùm licèt memorata *Synodus Gallica* opinionem illam, quæ Investituras approbat, appellârit hæreticam, *Ivo* tamen Carnotensis, vir sanctissimus atque doctissimus, constanter negavit, eam esse hæreticam, licèt Investitura fieret cum baculo & annulo. Additque, Episcopos non debere judicare de Papa (*epist.* 214.) Quarto post anno, videlicet 1116. mortuus est sanctissimè *Ivo*, Carnoten-

sis Episcopus; postquam per 23. annos Ecclesiam Carnotensem pientissimè administrârat. Ejus collectione SS. Canonum usa est Ecclesia usque ad Gratianum per 60. annos.

Lateranense. Anno 1116. Pascalis rursus *Romæ* in Laterano habuit *Synodum.* In qua rursus dicebat, se Investituras concessisse ad evitanda majora mala, rapinas, incendia, cædes, carceres &c. Scriptum verò, in tentoriis factum, quo privilegium Imperatori dederat, condemnavit. Cùm autem Bruno, Cassinensis antè Abbas, tum verò Episcopus Signinus, vir sanctus, sed vehemens, diceret, privilegium illud continere *hæresin,* quidam indignati ex eo quærebant, an ergo Papam, qui scriptum illud confecerit, habeat pro hæretico? Papa silentio indicto reposuit: *Ecclesia ista nunquam habuit hæresin: imò hic omnes hæreses conquassatæ sunt. Pro hac Ecclesia filius Dei in passione oravit, cùm dixit: ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.*

9. *An sit quæstio dogmatica?* Certè mirum est, potuisse tunc aliquos præsules in eam devenire opinionem, ut dicerent, concedere laico Principi *Investituras* Episcoporum, prout Pascalis Papa concessit Henrico V. esse hæreticum. *Nam,* (ùt Trevirensis Archiepiscopus, ejusdem Henrici ad Pascalem legatus, ordinem electionis Ecclesiasticæ tunc vigentem exposuit) „ antequam electio publicetur, de ea refertur ad „ Imperatorem, qui, si persona digna fuerit, det ascensum: dein„ de in conventu secundùm Canones, populi petitione, electione „ Cleri, assensu honoratorum profertur; consecratus liberè, nec „ simoniacè, ad Dominum Imperatorem pro regalibus, ut annulo „ & virga investiatur, redit; fidelitatem & hominium facit: nec „ mirùm; civitates enim & castella, & marchias, telonia, & quæ„ que Imperatoriæ dignitatis sunt, aliter non debet occupare. Si „ hæc Dominus Papa sustineat, prosperè & bona pace Regnum & „ Ecclesia ad honorem Dei inhærebunt. “ Ita ille.

Quid autem in his, recto sensu intellectis, hæreticum? hæc postea Pascalis, ùt dictum, Romæ Imperatori concessit. Profectò in nullam propterea incidit hæresin, pax inter Sacerdotium & Imperium his conditionibus postea facta est sub successore Pascalis, mutatis tantùm instrumentis Investituræ pedo & annulo in *sceptrum.* Sed neque per annulum & pedum Imperatores conferre voluerant electo spiritualem potestatem, sed solùm jus in feuda Imperialia. Ad disciplinam igitur, non ad dogmata hæc res spectabat.

Interea verò, postquam auditum est in Germania, Henricum V. in *Romano Concilio* esse excommunicatum, plures ab eo Principes defece-

fecerunt: quos inter præcipui erant Adelbertus Moguntinus Archiepiscopus, & Saxones. Unde rursus tetrum schisma, bella civilia, rapinæ, cædes innumeræ, vastationes Ecclesiarum, & calamitosa universim per multos annos Germaniæ facies.

Sed nec melior Italiæ; ubi mortuo Pascali II. Imperator intrusit Antipapam *Burdinum* contra Gelasium II. qui in Galliam fugere compulsus, ibidem est mortuus.

Successor ejus Calistus II. tentatis frustra pacis remediis, *Rhemensem Synodum* indixit; in qua à 15. Archiepiscopis, & plus quàm 200. Episcopis ex diversis Nationibus magna solennitate rursus excommunicatus est Henricus V. Imperator, perseverante diro Ecclesiæ schismate, donec tandem anno 1122. pax est composita, iis utrinque conditionibus, quas aliàs diximus. 10. *Rhemense.*

Peregrinum omnino in historia réque notissima hîc se ostendit Hottingerus *Hist. Helvet. ad ann.* 1122. scribens, Henrico Imperatori à legato Pontificio ad Wormatiam concessum esse, ut electis Prælatis in Germania *annulum* & *pedum* possit tradere. Hoc planè est contra notoriam & apertam veritatem. *Dimitto omnem Investituram per annulum & baculum*, jurabat Henricus. *Electus autem Regalia per sceptrum à te recipiat*, dicebat Pascalis Papa. 11. *Hottingeri lapsus.*

At, non tantùm Germaniam Italiámque afflixit infelix de *Investituris* controversia, sed etiam Angliam, pluribúsque in ea Conciliis occasionem dedit & causam, morbo jam inveterato mederi volentibus.

Nam Henricus I. Roberto fratri majori natu, Normanniæ Duci, in Palæstina absenti, coronam Angliæ præripiens, ab eodem reduce bello appetitus, atque à proceribus suis desertus, in Anselmo, Cantuariensi Archiepiscopo, auxilium invenit. Is enim pro authoritate sua, qua apud utrumque Principem pollebat, pacem conciliavit, Henrico in throno conservato (*anno* 1101.)

At vix Robertus cum exercitu suo in Normanniam redierat, metu dispulso, infregit promissa Henricus, quæ Anselmo fecerat, atque *Investituras* Episcoporum, quas abdicare à Pascali Papa fuerat monitus, retinere omni ope allaboravit. Quare Anselmum jussit, aut in suas partes atque consilia concedere, aut ociùs Regno excedere. Religione se prohiberi, reposuit Anselmus, quò minùs alterutrum faceret; siquidem Investituras sub excommunicatione à Papa esse prohibitas, neque Ecclesiam suam se posse deserere. 12. *Anglicæ turbæ.*

Congregata itaque anno 1101. *Wintoniensis* Synodus. In qua conclusum, ut utraque pars suos Romam legatos ad Papam mittat. 13. *Wintoniense.*

At

At Pontifex negavit Regi investituras. Qui tamen eas conferre perrexit, obsistente licèt Anselmo, Romam propterea profecto, & diu exulante: certantibus interim Pontifice & Rege tum per litteras tum per legatos.

Lexoviense. Tandem anno 1106. postquam Henricus fratrem Robertum acie victum, captúmque transmisit in Angliam, atque hac ratione Normanniam rursus cum Angliæ Regno univisset, celebrari voluit Synodum *Lexoviensem*, in qua Ecclesiis abrepta restituturum se promisit, secúmque S. Anselmum in Archiepiscopatum Cantuariensem reduxit: ac anno sequenti in Concilio *Londinensi* Investituras per *baculum* & *annulum* conferendi consuetudinem abrogavit. Anselmus verò instituta altera Londinensi Synodo in eliminanda Simonia, & Clericorum incontinentia corrigenda sedulò laboravit.

Londinense.

§. III.

Status Ecclesiasticus per alia Concilia Ordinatus in Germania.

14. *Nortbusense.* Henrico IV. Imperatore Ecclesiæ censuris insordescente, filius ejus Henricus V. Imperium aut invasit aut acceptavit, Francia Orientali, Alemannia, Bojaria, & Saxonia in partes suas pertractis, multísque Episcopis ad eum confluentibus. Qui præsente hoc novo Germaniæ Rege *Concilium Nortbusense* in Saxonia celebrârunt, Præsidibus Rothardo Moguntino, & Gebhardo Constantiensi (*anno* 1105.)

Tractatum de Ecclesiastica disciplina, per illos bellorum tumultus, & discordias cum Romanis Præsulibus ferme collapsa. Proscripta, quæ inveteraverat, Simonia; eliminatus concubinatus; reducta Ecclesiæ jejunia. Hildesheimensis Episcopus, Paderbornensis, Halberstadensis, reconciliati cum Sede Apostolica.

Eodem anno Moguntiæ in frequentissimo Episcoporum Procerúmque Teutonicorum conventu Henricus IV. Imperio se abdicavit, filiúsque ejus ab omnibus Ordinibus est electus.

Coloniense. Anno 1116. *Concilium Coloniam* convocatum fuerat à Theoderico S. R. E. Cardinale, & legato sacræ Sedis, ad promulgandam excommunicationem Henrici V. Romæ factam. At Theoderico in itinere mortuo, nihil admodum actum est: Henrico Synodum disturbante, & Episcopum Herbipolitanum cogente coram se Missam celebrare.

In

In *Leodienſi Concilio* agnitus legitimus Pontifex Innocentius II. anno 1131. cúmque Lotharius Imperator à Pontifice præſente ibidem peteret, ſibi jus concedi, more veteri per annulum & baculum Inveſtituras conferendi ſacris Præſulibus, eáque res magnopere terreret Romanos, S. Bernardus, pariter præſens, magna auctoritate Cæſarem ab eo poſtulato eſt dehortatus. *Leodienſe.*

Eodem anno in *Concilio Moguntino*, præſente Lothario, Albanenſi Cardinale ſanctæ Sedis legato, Moguntino Archiepiſcopo, Auguſtano, Euſtettenſi, Bambergenſi, Herbipolitano, Spirenſi, ac Wormatienſi, Epiſcopis, Bruno, de variis criminibus accuſatus, Argentinenſem Epiſcopatum reſignavit.

Anno 1148. Eugenius III. Papa, cum 18. Cardinalibus, multísque Epiſcopis, aliísque Prælatis, quos inter S. Bernardus, *Treviris* Concilium habuit: de quo nil aliud annales referunt, niſi quòd S. Hildegardis vita & miracula fuerint explorata.

Anno 1166. Fridericus I. Imperator Conciliabulum Herbipolim convocavit, in quo Guidonem, Antipapam ſuum, ſub nomine Paſcalis III. promulgavit, adversùs Alexandrum III. legitimum Pontificem.

Concilium Hobenavienſe anno 1178. celebratum à Conrado Salisburgenſi Archiepiſcopo, ejúsque ſuffraganeis; in quo, ùt teſtantur Adlzreiterus in Annalibus Boicis, & Hanſizius noſter *in Germ. ſacr.* ejuratus eſt Calliſtus Pſeudo-Papa, abjectum ſchiſma; actum de reparandis templis, aris, ſacríſque, de Canonicis Inſtitutis, & juribus, ſartis tectis habendis, de pace denique & tranquillitate publica.

Habita etiam ſub finem hujus ſæculi duo *Concilia in Polonia*, alterum *Lancicienſe*, alterum *Cracovienſe*, in quibus præter reformationem Cleri, decretæ ſunt decimæ, ſolvendæ pro recuperatione terræ ſanctæ.

§. IV.
Concilia Polonica.

Bohemiam, Ruſſiam, & Poloniam à tribus fratribus, Zecho, Ruſſo, & Lecho, Principibus Sclavonicis, circa medium ſexti ſæculi fuiſſe occupatas, antiqua eſt perſuaſio. Et quidem *Lechum* eas regiones, quæ circum Viſtulam ſitæ ſunt, ac *Sarmatia* olim ſunt dictæ, ſubegiſſe, atque Gneſnenſem urbem condidiſſe. Poſt Lechum duodecim *Palatinos* ſeu Satrapas præfuiſſe genti: atque hinc ortam diviſionem Poloniæ in 12. Palatinatus. 5. *Poloniæ Status.*

Cracus, Cracoviæ conditor, Dux fuit Poloniæ ſub initium ſæculi VIII. alternantibus deinde ſæculo 8. tum Ducibus, tum Palatinis, Interregnum tandem interceſſit, donec ſub medium ſæculi IX. *Piaſtus* Agricola, propter munificentiam erga ſuos populares, electus eſt Dux. Cujus poſteri per plura ſæcula aut Duces aut Reges fuerunt Poloniæ; ut adeò hodiedum, ſi Polonus (ex alia licèt familia) eligitur, *Rex Piaſtæus* vocitetur.

Piaſti abnepos *Miecislaus I.* ſæculo X. primus ſuſcepto baptiſmo Chriſtianam fidem amplexus eſt. Atque exemplo ſuo traxit ſubditos. Subin Gneſnenſem & Cracovienſem Epiſcopatum fundavit.

Filius ejus *Boleslaus I.* ab Ottone III. Imperatore *primus Poloniæ Rex* creatus, & à Gneſnenſi Epiſcopo coronatus dicitur, anno 1000. Is corpus S. Adalberti, à Pruſſis occiſi, ſolenni pompa Gneſnam deferri curavit, publicæ venerationi exponendum, Pragam poſtmodum translatum. Boleslaum inſuper victrices in Sileſiam, Luſatiam, Moraviam, & Bohemiam irruptiones celebrem faciunt.

Caſimirus I. ejus filius Monaſterium Cluniacenſe in Burgundia ingreſſus, novémque annos Monaſticam vitam ibidem profeſſus, rogatu Polonorum, ac Pontificis Benedicti IX. diſpenſatione, uxorem & Regnum acceptavit (*anno* 1041.)

Boleslaus II. Caſimiri filius, à patre degener, cùm à *S. Stanislao* Cracovienſi Epiſcopo ad vitæ emendationem urgeretur, eundem agri necdum ſoluti poſtulavit, & contempto ſurgentis mortui teſtimonio, S. Præſulem, ſacram ad Aram Divinis operantem, propria manu interemit. Excommunicatus propterea à Gregorio VII. & Regia dignitate exutus (*anno* 1081.) qua ipſius ſucceſſores ultra ducentos annos caruerunt, Ducali ſolùm titulo ornati.

Succeſſit ei in Ducatu Poloniæ frater *Uladislaus I.* hujúsque filius *Boleslaus III.* qui Henricum V. Imperatorem in Sileſia prælio vicit, Pomeranos ſubegit, atque inter quatuor filios Provincias diviſit; Ladislao II. Primogenito obtigit Cracovia cum *Sileſia*, cujus Duces omnes ab hoc Uladislao deſcendunt.

Porro *Sileſia* jam ſæculo VI. juncta Poloniæ, hactenus eosdem cum Polonia Principes habuit. Cum Miecislao I. Duce Poloniæ & Sileſiæ, pariter ad fidem converſa; fundante eodem Principe in Sileſia Epiſcopatum, anno 1052. Uratislaviam translatum. Scriptores aliqui, præſertim Germani, volunt, Poloniam olim ad Romanum Imperium pertinuiſſe; Miecislaum I. Ottoni M. ſe ſubjeciſſe, eíque tributum pendiſſe, utì etiam Ottoni III. Boleslaum ab eodem Ottone III. Regem renuntiatum. Eundem ab Henrico II. feuda-

feudalem Inveſtituram accepiſſe. Conradum II. diviſiſſe in plures Principes Poloniam. Caſimirum pariter Cæſaribus pendiſſe tributum. Boleslaum III. idem præſtitiſſe Henrico V. Lothario II. & Conrado III. Polonos Friderico I. præſtitiſſe juramentum fidelitatis ob nexum feudalem cum Imperio. Eosdem ab Ottone IV. & Friderico II. ad Comitia Imperii vocatos comparuiſſe. Verùm Poloni hæc negant, tanquam nullis idoneis teſtibus probata, aut aliter interpretantur, atque Poloniam ſemper fuiſſe independentem ſuíque juris contendunt.

Sub *Caſimiro II.* Boleslai III. filio duo in Polonia celebrata ſunt 16.
Concilia: primum *Lancicienſe* anno 1188. in quo Pontifex Romanus *Lanci-*
per legatum ſuum propoſuit miſerum ſtatum terræ ſanctæ, ac deci *cienſe.*
mas colligi curavit ab Epiſcopis & Sacerdotibus pro expeditione contra Saladinum, Saracenorum Principem.

Alterum fuit *Cracovienſe*, ſequente anno celebratum, quod à *Craco-*
Mathia Michovienſi *Hiſt. Polon. lib.* 3. *cap.* 27. ſic deſcribitur: Anno *vienſe.*
Domini 1189 Joannes Cardinalis, cognomento Malabranca, à Clemente Papa III. miſſus, in Poloniam venit, & facta Synodo in Cracovia pro reformatione Cleri, tam Epiſcopis, quàm univerſo Clero pro recuperatione terræ ſanctæ decimam impoſuit.

Tempore Lechi V. Caſimiri II. filii anno 1197. habitum eſt alterum *Concilium Lanciciense*, Præſide Cardinale Capuano, legato Apoſtolico, qui ſingulas diœceſes viſitans *(ùt ſcribit Stravòlſcius in Conciliorum epitome ad annum* 1197.) cùm alia quædam, quæ adverſa religioni Chriſtianæ, & Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, in ſacro pariter ac profano Ordine inoleverant, correxit: tum facta Synodo Provinciali Sacerdotibus imperavit, ut concubinas & uxores, quibus tunc paſſim liberè utebantur, à ſe abdicarent. Ac illud præterea conſtituit, ut profani homines publicè in templis matrimonio jungerentur.

Nota. In *Caſimiro I.* habemus rurſus exemplum diſpenſationis 17.
Pontificiæ in voto ſolenni Religionis. Neque obſtat *cap. cùm ad Obſerva-*
monaſterium. 6. *de ſtatu Monach.* ubi Innocentius III. ait, quòd *abdi- tio.*
catio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeò ſit annexa regulæ monachiali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere. Nam hoc intelligendum eſt in *ſenſu compoſito,* quòd ſcilicet Monachus *Profeſſus* ſtante *voto ſolenni* non poſſit bonorum proprietatem habere, aut uxorem ducere, & cum ea actus conjugales exercere. Poteſt tamen Papa ex juſta & neceſſaria cauſa relaxare votum ſolenne, & ſic facere, ut non ampliùs ſit religioſus profeſſus. Quo facto,

 poteſt

poteſt per ſe habere proprietatem & uxorem ducere. Poteſt Pontifex etiam facere, ut quis ſit verè Religioſus (non profeſſus) qui proprietatem & dominium bonorum retineat: prout aliquanto tempore retinent Scholaſtici Societatis JEſu, qui tamen juxta Bullas Pontificias ſunt verè Religioſi, quamvis non profeſſi. Imò poſſet Pontifex aliud Religioſi Status genus inducere, in quo etiam Profeſſi eſſent capaces proprietatis. Nam hæc ad diſciplinam ſpectant, ſúntque ſubjecta diſpoſitioni Eccleſiæ. Et defacto magna eſt diverſitas in ſervando voto paupertatis. Sic aliter illud obſervat Ordo S. Franciſci, & multò aliter Ordines Equeſtres. Imò milites Ordinis Calatravæ & S. Jacobi etiam uxores ducebant in Hiſpania cum Magiſtri venia.

§. V.

Concilium Dalmatiæ.

18. Dalmatia conjunctim cum Croatia antiquitus proprios Reges habuit; donec anno 1087. mortuo ultimo Rege *Zolomero* S. Ladislaus utrumque Regnum univit Hungariæ. Habuit videlicet Zolomerus, Dalmatiæ & Croatiæ Rex, Ladislai Hungariæ Regis ſororem in matrimonio: hanc moriens inſtituit hæredem: illa verò jus ſuum fratri ceſſit. Quæ tamen res non ita quietè ſunt peractæ, ut non Croatæ ac Dalmatæ quin & Veneti ſe opponerent.

Cùm autem tum populi tum Cleri mores reformatione indigerent, miſit anno 1199. Innocentius III. legatos ſuos in Dalmatiam: qui convocato Dalmatiæ Epiſcoporum Concilio, pro reſtauranda diſciplina 12. Canones conſtituerunt.

1. Vetatur, ne Epiſcopi ab ordinandis pecunias accipiant.

2. Statuitur cœlibatus Sacerdotum. Vetatur, ne Epiſcopi extra quatuor tempora ſacros Ordines conferant: nec plures ſimul. Præſcribuntur interſtitia unius anni.

3. Oblationes Fidelium in quatuor partes dividantur: quarum una ſit Epiſcopi, altera Eccleſiarum, ſub cuſtodia Archipresbyteri, tertia pauperum, quam Epiſcopus adminiſtret, quarta Clericorum.

4. Sigillum Confeſſionis graviter præcipitur.

5. Sub excommunicatione prohibetur, ne quis Clerico violentas manus injiciat, vel ad ſæcularia judicia trahat.

6. Prohibentur matrimonia inter conſanguineos, usque ad ſeptimum gradum (*pro diſciplina nempe illius ætatis.*)

7. Cle-

3. Clerici tonſuram Clericalem geſtent.

8. Sub excommunicatione prohibetur, ne Clericus à laico Eccleſiam vel Eccleſiaſticum Beneficium recipiat (*nempe absque inſtitutione canonica Epiſcopi &c.*)

9. Excommunicantur, qui theſauros Eccleſiaſticos injuſtè detinent, aut Latinos captivos.

10. Excommunicantur, qui ſine judicio Eccleſiæ cum uxoribus divortium faciunt.

11. Filii Presbyterorum, aliíque illegitimi ad ſacros Ordines non admittantur.

12. Nullus ordinetur Sacerdos, niſi trigeſimum ætatis annum impleverit (*illa enim tunc vigebat ſeverior diſciplina*)

De cætero notant ſcriptores, multò latiùs patuiſſe olim *Dalmatiæ* nomen, Croatiæ, Slavoniæ, Serviæ, Raſciæ, ac Boſniæ Regna ſub ſe complexum. Pertinuiſſe illam primùm ad Orientale Græcorum Imperium, tum verò à Carolo M. ſubactam, à Ludovico Pio, & Lothario I. poſſeſſam, ad Ludovicum Germanicum fuiſſe devolutam. Ex eo jus eſſe Imperio in Dalmatiam, præſertim poſtquam Orientale Græcorum Imperium fuit extinctum: tunc enim hoc aliáque jura Græci Imperii cum Romano Imperio rurſus fuiſſe conjuncta.

ARTICULUS II.

De Conciliis Gallicanis Sæculo XII.

§. I.

Prænotanda de Statu Galliæ.

Philippo I. Galliæ Regi anno 1108. ſucceſſit *Ludovicus VI.* ob molem corporis *Craſſi* cognomen adeptus. Aureliæ is inaugu- 19. *Ludovicus VI.* ratus & conſecratus fuit, proteſtante Rhemenſi Archiepiſcopo. Cum Henrico I. Angliæ Rege bellum variante fortuna geſſit in Normannia propter caſtrum. Conciliata pax mediatore Calliſto II. Pontifice. Bellum quoque ipſi minitatus fuerat Henricus V. Imperator, quòd Rhemis ipſum damnari fuiſſet paſſus. At cùm Ludovicus ingentem exercitum comparâſſet, receſſit Henricus. Eccleſiarum initiò patronus, perſequi deinde illas cœpit, præſertim Archiepiſcopum Senonenſem, & Epiſcopum Pariſienſem. Cui

cùm omnia bona abstulisset, ab eo excommunicatus est. At opera S. Bernardi à Pontifice absolutus ac verè pœnitens, deposita corona ac Regio cultu ad piam mortem sedulò se paravit: quam oppetiit anno 1137 regni 29. ætatis 56. sex filios reliquit. Quorum unus Cisterciensem Ordinem ingressus est. Alter Parisiensis Episcopus designatus, Petro Lombardo eam dignitatem cessit. Tertius Ducum *Britanniæ* stirpem fundavit: multò dein tempore feudali tantùm nexu Galliæ Regno conjunctam.

20. *Ludovicus VII.* In Regno verò successit *Ludovicus VII.* qui Bituricensem Archiepiscopum recipi vetuit, quòd absque suo consensu consecratus esset. At Innocentius II. Papa tam severo eum propterea interdicto punivit, ut triennio integro nusquam per totam Galliam ad Sacra admitteretur. Non emendatus hac pœnâ, in Ecclesiæ libertatem violentas manus injicere perrexit. Donec tandem à S. Bernardo, Rege illo animorum, conversus, & ad cruciatam in Palæstinam expeditionem persuasus est. Commendata igitur Regni administratione Sugerio Abbati Sandionysiano, cum numeroso exercitu iter ingressus venit in Syriam; obsessáque frustra Damasco, inglorius domum rediit. Ubi in *Concilio Balgentiaco*, ejus matrimonium cum Eleonora Aquitana est diremptum, propter affinitatem, juridicè probatam. Duxítque Ludovicus Constantiam Castellæ Regis filiam: Eleonora verò Henrico Normanniæ Duci, alata in dotem *Aquitania.* Quæ res multarum deinceps litium bellorúmque inter Angliæ ac Galliæ Reges fuit seminarium.

Porro Alexandrum III. in Galliam profugum Ludovicus magna cum veneratione excepit, eúmque cum toto Regno suo tanquam legitimum Pontificem agnovit in *Synodo Stampensi.* Singulari pariter reverentia & charitate suscepit S. Thomam Cantuariensem Episcopum, pro justitia & defensione Ecclesiasticæ libertatis exulem. Obiit anno Christi 1180. Regni 43. ætatis 61. filiarum alteram Henrico Angliæ Principi, alteram Alexio Comneno, Manuelis Græcorum Imperatoris filio despondit. Filium verò reliquit unicum

21. *Philippus II.* *Philippum II.* qui successit patri 16. annorum adolescens. Judæos, bonis eorum immobilibus fisco illatis, toto Regno exegit, Synagogis eorum Christiano ritu expiatis, & in sacras ædes conversis. *Coterellos*, impudicum ac sacrilegum hominum genus, excidit. Histriones & joculatores nullo in Gallia loco passus consistere. Ecclesiasticum Ordinem ab omni tributi genere immunem vole-

volebat. Gesto in Aquitania adversùs Anglum bello, Rex uterque, postquam Saladinus Jerosolymam, capto illius Rege, expugnaverat, communi consilio *cruciatam* in Palæstinam expeditionem suscepit, in *Parisiensi* priùs *Synodo* decretam: jussis omnibus, Clericis & laicis, decimas in hanc rem exsolvere. Expugnata Ptolomaide Francus Angliúsque redierunt, novis rursum inter se bellis impliciti. Sancita pax ea lege, ut Anglus Normanniæ Ducatum cum Pictavensium & Andegavensium Comitatu tanquam feudum à Gallo reciperet.

§. II.

De Conciliis celebratis in causa divortii Philippi II.

Anno 1196. celebratum est *Concilium Parisiense* in causa divortii, 22.
quod Philippus II. Galliæ Rex (ad exemplum Philippi I. proavi sui) postridie nuptiarum fecit cum *Ingeburga* Canuti Danorum Regis sorore, sub prætextu, quòd sit consanguinea Isabellæ primæ ejusdem Philippi uxoris.

Cœlestinus igitur Papa Legatos misit in Franciam; qui Parisios convocarunt Synodum Nationalem omnium Episcoporum & Abbatum. Sed cùm timore Regis perculsi nihil egissent, Papa datis ad Senonensem Archiepiscopum litteris, reprehendit Rhemensem aliósque Episcopos, quòd in divortium illud consensissent: majores ac graviores causas ex Canonum placitis atque more majorum ad Sedem Apostolicam esse deferendas. Consideratâ, transmissâ sibi genealogiâ, matrimonium illud legitimè contractum esse, & fatente Ingeburga etiam consummatum; se proin sententiam illam divortii, à quibusdam Episcopis latam, prorsus cassam & irritam declarare.

Ad Philippum etiam Regem Papa dedit epistolam: verùm is illa non acceptata, duxit Mariam Agnetem Bertholdi IV. Meraniæ Ducis filiam, quam per quinque adhuc annos (ad annum videlicet 1201. quo mortua est) retinuit; Ingeburgâ, quam castello incluserat, frustra protestante. Quapropter *Innocentius III.* anno 1199. in *Concilio Divionensi* & *Viennensi*, quibus ejus Legatus præsedit, omnes terras Philippi interdicto generali supposuit, prohibito omni Divino Officio, præter Baptismum parvulorum, & pœnitentiam moribundorum.

Rex

Rex primùm ad Sedem Apostolicam appellaverat, sed quia Legatus jussus fuerat sententiam ferre appellatione remota, in eos, qui interdictum servabant, iram effudit. Nam Episcopos, qui in Synodis illis erant præsentes, Sedibus suis ejecit; Clericorum, qui interdicto stabant, bona fisco intulit. Octo mensibus tenuit per Galliam lugubris illa sacrorum cessatio, donec Innocentii III. Legatus in *Concilio Nigellensi* interdictum solvit, his conditionibus, ut Rex Episcopis & Clericis pro injuria illata satisfaceret, Mariâ à thoro remotâ, Ingeburgam absque Ecclesiæ judicio non dimittat, juratoria cautione in hanc rem præstita.

Discussa deinde in *Concilio Suessionensi* causa ista, Præside Legato Apostolico. Aderant ex una parte Philippus Rex cum suis Advocatis, ex altera Ingeburga, cum Oratoribus Daniæ Regis, qui injuriam sorori factam querebatur. Quindecim diebus acriter disceptatum est. Cúmque Rex, post multas Jurisperitorum de matrimonio approbando vel dirimendo disputationes, advertisset, approbandum, non exspectata Concilii sententia, insalutatis Episcopis, Ingeburgam secum in aulam duxit; sícque Concilium solutum est, nulla prolata sententia. Ingeburgam autem deinceps potiùs ùt Reginam, quàm conjugem habuit, maleficio, ùt putant, à formosissima matrona abhorrens. *Disputant hîc quidam Critici, an tempore Interdicti in publicis instrumentis positum fuerit: Regnante Philippo, an verò Regnante Christo.)*

§. III.

De Conciliis celebratis contra hæreses Petri Abaelardi, Gilberti, Porretani, Henrici, Petri de Druis, in Gallia exortas.

23. *Abaelardus.* Circa annum 1120. Petrus *Abaelardus*, Nannetensis Gallus, celebris pro illo tempore Dialecticus ac Monachus, accusatus est, quòd in Sabellianam hæresin inciderit, asserens, quòd, sicut eadem oratio est propositio, assumptio, & conclusio, ita eadem essentia sit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Damnatus propterea à Concilio *Suessionensi.*

Post aliquod deinde tempus etiam Theologiam docere aggressus, quam non calebat, in plures adhuc errores lapsus est. Ut: impropria esse nomina Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Patrem esse plenam Potentiam, Filium quandam potentiam, Spiritum Sanctum

ctum non esse ex substantia (*subsistentiam* intelligebat) Patris & Filii. Liberum arbitrium sine gratia adjuvante posse bene agere. Christum non esse passum, ut à Diaboli jugo nos liberet. Post consecrationem substantiam panis & vini manere in aëre. Ab Adamo non trahi culpam sed tantùm pœnam.

S. Bernardus anno 1140. hos errores, ex Abaelardi libris collectos, in *Senonensi Concilio* recitavit. At Abaelardus, S Bernardi eruditionem metuens, non est ausus eosdem propugnare, quamvis ad Concilium antè provocaverit. Sed ad Innocentium II. Pontificem appellavit. Qui à S. Bernardo edoctus in *Synodo Romana* errores Abaelardi cum authore damnavit.

At deinde palinodiam Romæ canens à Papa est absolutus, reliquóque vitæ in Cluniacensi cœnobio religiosè transacto, ibidem piè decessit. Labes tamen hæsit in *Arnaldo Brixiensi*, aliísque ejus discipulis, qui mortuo etiam magistro suo luem conabantur spargere. Sub idem ferme tempus *Tanchelius* Antverpiensi in agro suas seminavit hæreses. Homo iste spurcissimus atque impiissimus docebat, obsequendum non esse Episcopis & Presbyteris: non confici ab illis Sacramentum Eucharistiæ: ex meritis & sanctitate Ministrorum Sacramenta habere virtutem. Decimas dari prohibuit. Et licèt turpissimis libidinum sordibus se aliósque contaminaret, nihilominus contendebat, penes se solùm suósque esse Ecclesiam: magnúmque seductorum syrma post se trahebat. Tandem anno 1115. à Presbytero percussus in cerebro interiit. Ejus autem discipuli sectam propagabant, novis, ùt fit, adjectis erroribus. Neque extirpari poterant, donec *S. Norbertus*, qui paulò ante Canonicorum Regularium Præmonstratensum Ordinem magno Ecclesiæ bono fundaverat, Antverpiam accersitus, quà docta instructione, quà ferventi adhortatione, quà etiam præclaris virtutum exemplis errantes in semitam veritatis reduxit.

Aniciense Concilium anno 1130 excommunicavit *Petrum Leonis*, 24. *Tanchelinus.*
qui à minore Cardinalium parte electus contra legitimè electum Pontificem Innocentium II. excitavit schisma, assumpto nomine *Anacleti II.* idem damnatus deinde fuit in pluribus aliis Conciliis, ut *Claremontano*, *Stampensi*, *Herbipolitano*, *Remensi*, *Leodiensi*.

Hac tempestate *Gilbertus Porretanus*, vir humanis ac Divinis litteris, morùmque gravitate insignis, ex Canonico ac Theologiæ Professore celebri creatus Pictaviensis Episcopus, coram Eugenio III Papa, tunc in Gallia præsente, accusatus est, quòd in *Commentario suo in Boëtium* perversè de SS. Trinitate sentiat, videlicet 1. quòd 25. *Gilbert. Porretanus.*

Divinitas seu divina natura non sit Deus, sed forma, quâ Deus est. 2. Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum non posse prædicari de una substantia. 3. Proprietates Personarum non esse ipsas Personas. 4. Divinam naturam non esse incarnatam.

Vocatus est itaque anno 1147. ad *Synodum Parisiensem*, cui Papa præsedit: auditóque Gilberto, causa ad *Synodum Remensem*, sequenti anno celebrandam, remissa est. In hac S. Bernardus cum Episcopis obtulit Pontifici Confessionem, Gilberti propositionibus contrariam; nam profitentur, naturam Divinam, essentiam, Deitatem, Divinitatem, Sapientiam verè esse Deum: Deum esse Sapientem ea Sapientia, quæ verè est Deus: se ipso esse sapientem, magnum, æternum, unum &c. & non per formam aliquam distinctam à Deo. Divinam naturam esse prædicabilem de tribus Personis, & vicissim. Nihil esse in Deo, quod non sit Deus. Ipsam naturam Divinam incarnatam esse, sed in filio.

Confessionem istam Papa approbavit. Gilbertus etiam, propositiones suas rejiciens, eandem acceptavit: & postquam Eugenius ejus propositiones damnavit, librúmque, usque dum à Romana Ecclesia correctus esset, legi prohibuit, ad Episcopatum suum remissus est.

26. *Henriciani.* Eodem temopre per Gallias serpebat hæresis *Henricianorum*, qui sic dicti sunt ab *Henrico* quodam: quem S. Bernardus in Epistola ad Hildephonsum Comitem sic describit: „ Versatur in terra vestra „ sub vestimentis ovium lupus rapax: sed, ad designationem Do„ mini, ex fructibus ejus cognoscetis eum. Basilicæ sine plebibus, „ plebes sine Sacerdotibus, Sacerdotes sine debita reverentia sunt, „ & sine Christo denique Christiani. Ecclesiæ Synagogæ reputan„ tur. Sanctuarium Dei Sanctum esse negatur. Sacramenta non „ Sacra censentur. Dies festivi frustrantur solemniis. Moriuntur „ homines in peccatis suis --- heu nec pœnitentia reconciliati, „ nec sancta Communione muniti. --- Parvulis Baptismi nega„ tur gratia. --- Sed audi, quis ille sit --- Homo apostata est, „ qui relicto religionis habitu (nam Monachus exstiterit) ac spurci„ tias carnis, tanquam ad vomitum suum reversus est, --- gyro„ vagus & profugus super terram. --- Frequenter post diurnum „ plausum populi nocte insecuta cum meretricibus inventus est, & „ interdum etiam cum conjugatis. Inquire, quomodo de Lausa„ ne civitate exiverit, quomodo de Cenomanis, quomodo de Pi„ ctavi, quomodo de Burdegali. Nec pater ei uspiam reversionis „ aditus, utpote qui fœda post se ubique reliquerit vestigia.

Sic

Sic S. Bernardus Henricum hæreticum, ejúsque hæreses ac spurcitias describit. Qui tandem, postquam prædicando contemptum Cleri & Sacrorum, atque incitando ad carnis spurcitias, multos seduxerat, opera S. Bernardi captus, ad perpetuam custodiam Tolosano Episcopo est traditus, ne porro saniem diffunderet. In Coloniensi autem agro Henriciani flammis sunt exusti: omnésque à *Concilio Lateranensi* sunt damnati.

Haud multùm absimili hæresi Aquitanos infecit *Petrus de Bruis* (cujus sectatores *Petro Brusiani* sunt dicti) pariter à Synodo Lateranensi condemnati. Horum errores recenset & confutat *Petrus Venerabilis*, Abbas Cluniacensis. 1. Dicebant, infantes non esse baptizandos, quia credere non possunt. 2. Basilicas & altaria fieri non debere. 3. Crucem Domini non esse colendam, sed confringendam & conculcandam. 4. Nullum esse Sacramentum corporis & sanguinis Domini. 5. Fidelium suffragia non prodesse defunctis. 27. *PetroBrusiani.*

Propter hæreses istas Petrus de Bruis à populo vivus combustus est: cùm per annos viginti suos errores disseminâsset. Quidam asserunt, Henricum ejus fuisse discipulum. Eodem supplicio affectus est *Arnaldus Brixiensis*, qui disseminatis ex Abaelardi disciplina variis erroribus, in statum Ecclesiasticum & Monasticum acriter invehebatur, omnem bonorum proprietatem iisdem abjudicans. Condemnatus à Concilio Lateranensi. Postquam Italiam, Galliam ac Germaniam pererravit, ac diu Tiguri in Helvetia delituit, redux in Italiam combustus est: Pseudo Politicorum coryphæus, totiúsque Sacerdotalis Ordinis hostis accerrimus. 28. *Arnaldi Brixiensis.*

Hoc eodem sæculo pariter in Gallia emerserunt hæreses, *Waldensium* & *Albigensium* (de quibus *part.* 3. *art.* 3. memininus) damnatæ tum in *Concilio Lateranensi III.* tum etiam in *Turonensi* anno 1163.

§. IV.

Status Ecclesiasticus per alia Concilia ordinatus in Gallia.

Concilium Tolosanum I. anno 1119. Præside Callisto II. Papa, 10. Canones edidit, quibus statuitur. 29. *Tolosanum I.*

1. Ne quis per pecuniam ordinetur, aut promoveatur.

2. Nullus fiat Præpositus, aut Decanus, nisi sit Presbyter. Nullus Archi-Diaconus, nisi sit Diaconus.

3. Hæretici eorúmque defensores ab Ecclesia pellantur.

 4. Bona

4. Bona Episcopi aut clerici mortui ne diripiantur à laicis.

5. Liberos homines nemo servituti addicat.

6. Nullus Clericus pro Ecclesiasticis Beneficiis laico servire compellatur.

7. Quartam decimarum & oblationum nemo auferat Episcopo.

8. Beneficia non relinquantur jure quasi hæreditario.

9. Pro sacro oleo, chrismate, & sepultura nullum exigatur pretium.

10. Monachus aut Clericus, qui primam fidem irritam facit, aut comam barbámque nutrierit, excommunicetur.

Tolosanum II. *Tolosanum II.* anno 1129. Præside Legato Apostolico *Inquisitionem* in hæreticos instituit; decrevítque, ut in singulis Parochiis Sacerdos unus, & tres laici, constituantur, qui diligenter in hæreticos inquirant. Qui in ditione sua hæreticum tolerat, ditionem amittat. Domus, in qua inventus fuerit hæreticus, solo æquetur, & fundus fisco cedat. Nemo tamen puniatur ùt hæreticus, nisi per potestatem Ecclesiasticam fuerit declaratus hæreticus. Quilibet, etiam in terra aliena possit inquirere in hæreticos.

Conversi ab hæresi duas cruces, vestibus assutas gestent. Nec ad officia publica, aut actus legitimos admittentur, nisi authoritate Apostolica in integrum fuerint restituti. Exigatur ab omnibus Catholicis juramentum, conservandi fidem Catholicam, quam Ecclesia Romana tenet, & prædicat, ac bona fide manifestandi hæreticos.

Singuli ter in anno confiteantur, & in Natali Domini, Paschate, & Pentecoste, SS. Eucharistiam sumant. Ne laicis promiscue permittatur lectio S. Scripturæ; nisi fortè psalterium, vel breviarium pro Divinis officiis, aut horis Beatæ Mariæ, pro devotione quis habere velit. Arctissimè autem prohibetur, ne præmissos libros habeant, in linguam vulgarem translatos.

Ne medici quidem, de hæresi suspecti, ad infirmum admittantur. Testamenta sint invalida, nisi coram proprio Sacerdote confecta fuerint, vel alio Ecclesiastico, in illius defectu. Hæreticis nulla administratio committatur. Neque sint consiliarii. Omnes Fideles singulis diebus Dominicis & Festis veniant ad Ecclesiam, ad prædicationem, Divinum Officium, & Missam: indictâ pœnâ absentibus. Sabbato etiam circa vesperas, ob reverentiam Beatæ Mariæ Virginis, Ecclesias devotè visitent.

Festivi autem dies juxta canonem habeantur, Natalis Domini. S. Stephani. S. Joannis Evang. SS. Innocentum. S. Sylvestri. Circum-

Circumcifionis. Epiphaniæ. Purificationis. Annuntiationis. Affumptionis. Nativitatis B. V. Pafchæ cum duobus diebus fequentibus. Rogationum tribus diebus. Pentecoftes cum duobus diebus fequentibus. S. Joannes Bapt. Inventionis & exaltationis S. Crucis. Duodecim Apoftolorum. S. Mariæ Magd. S. Laurentii. S. Martini. S. Nicolai. S. Michaelis. Dedicationis Ecclefiæ, & Patrocinii. His aliifque diebus feriandum pro locorum confuetudine: & prout Prælatus indixerit.

Concilium Claromontanum, anno 1130. authoritate Innocentii II. Papæ indictum, quo Petrus Leonis, feu Anacletus Antipapa fuit condemnatus, de difciplina etiam Ecclefiaftica ftatuit, ut fimoniacè ordinatus vel promotus deponatur ab officio. Clerici à Subdiaconatu, & fupra, beneficio priventur, fi uxorem duxerint, aut concubinam habeant. Religiofi judicia forenfia, aut medicinam ne exerceant. Excommunicatur, qui Clerico vel Monacho manus violentas injecerit. Item incendiarius. 30. *Claromontanum.*

Canones iidem anno fequenti funt repetiti in Concilio *Rhemenfi I.* In *Rhemenfe II.* fancitum eft anno 1148. ne excommunicati ab aliis Epifcopis recipiantur. Ne laici in Ecclefiæ negotia fe immifceant: aut decimas poffideant: aut res Ecclefiafticas auferant: aut afylum violent; aut hæreticos protegant. Aliáque jam fæpiùs repetita.

In *Concilio Turonico* anno 1163. prohibitum fuit, ne Præbendæ diminuantur. Ne Catholicum Albigenfibus confortium habeant. Ne laici Ecclefiaftica ufurpent. Ultimus canon multa habet de immunitate Ecclefiaftica.

Abrincatenfe, anno 1172. in Normannia celebratum, præfidentibus S. R. E. legatis, quo Henricus II. Rex Angliæ abfolutus eft à cæde S. Thomæ, decrevit, ut pueri non admittantur ad regimen Ecclefiæ, cui animarum cura eft annexa. Ut filii presbyterorum non admittantur ad Ecclefias Patrum fuorum. Ecclefiæ non committantur vicariis annuis. Sacerdotes non ordinentur fine certo titulo. De tertia parte decimarum nihil auferatur Parocho. Maritus non ingrediatur religionem, uxore remanente in fæculo, nifi hæc fit fenex. In Adventu Domini omnibus, qui poterunt, maximè Clericis & militibus, jejunium & abftinentia à carnibus indicatur. Clerici non judicent fæcularia.

ARTICULUS III.

De Conciliis Hiſpanicis.

§. I.

Synopſis Hiſtorica.

Cùm Concilia Hiſpanica horum temporum cum Hiſtoria Hiſpaniæ, & quidem Eccleſiaſtica, in qua agitur de extirpatione Infidelium, & propagatione Catholicæ Religionis, quàm maximè ſint conjuncta, non ægrè verterit nobis lector, ſi hanc hiſtoriam brevi ſynopſi adumbrandam, cum doctrina Conciliorum, ejusdem Nationis inclitæ, ſuſcipiamus, atque ſuperioribus ſæculis cœptam proſequamur.

31. *Urracæ divortium.* Cùm Alphonſus VI. Caſtellæ ac Legionis Rex fuerat defunctus, ingentes mox turbæ Hiſpaniam Chriſtianam involverunt. Maſculo Regnorum hærede deſtitutus, filiam reliquit *Urracam*, fœminam à paterna probitate degenerem, primis nuptiis Raymundo Burgundiæ Comiti deſponſam, ex quo filium *Alphonſum* ſuſcepit, alteris verò *Alphonſo I.* Aragoniæ Regi, tertio conſanguinitatis gradu ſibi conjuncto.

Divortium Urraca petebat propterea; negabat Alphonſus; ut Caſtellæ etiam & Legionis Regnum retinere poſſit. Urraca data in carcerem, Epiſcopi, qui matrimonium irritum dicebant, miſſi in exilium: bella domeſtica illam ob cauſam undique exorta: utentibus in rem ſuam Saracenis civili Chriſtianorum diſcordia; qua integra regna in ſe ipſa fuerunt colliſa.

Ad Paſcalem Romanum Pontificem cauſa devoluta; qui ejusdem cognitionem delegavit Compoſtellano Præſuli, addito mandato, ut, ſi conſanguinitatis impedimentum ſubeſſet, diſſolveret inauſpicatum connubium; ſi obſiſteret Alphonſus, Eccleſiæ conſortio privandum.

Habita ſubin anno 1114. plura Concilia, *Legionenſe*, *Palentinum*, *Compoſtellanum*: omnium una contentio, ut pacem undique laceratam componerent.

Additi etiam in *Compoſtellano* de diſciplina, eos inter tumultus collapſa, Canones; cautúmque, ne quis in Eccleſiam violentè ingre-

grediatur. Ne quis pignorationes exerceat. Ecclesiarum causæ à Sedis Apostolicæ Judicibus definiuntor. Pauperes & imbecilles ne spoliantor. Preditores & latrones nullus protegito. Fur tertiò convictus furti justitiæ ministris gladio plectendus traditor. Ruricolæ die Dominica civitatem negotiandi gratia ne adeunto, quavis sexta feria aperta palatii Episcopalis janua, Episcopus, Judices, & Canonici, omnes querelas & causas audiunto, ac judicanto.

Bellis interea cognatos inter Principes flagrabat Hispania. Calæci Compostellæ Alphonsum, Urracæ filium, Regem proclamant. Alphonsus Aragonius repudium equidem Urracæ denuntiat. Regnum tamen Castellanum, & Legionense non dimittit. Iniquum id visum Proceribus; ad Urracæ partes propterea transeuntibus. Gemino prælio Castellani, Legionenses & Calæci, qui Reginæ exercitum conflabant, fusi ab Aragonio.

Tot cladibus fracti, matre Urraca abdicata, filium ejus Alphonsum VII. Castellæ etiam Regem enuntiant; indignante non minùs matre, imperitandi cupida, quàm vitrico. At filius matrem priùs debellandam ratus, Legionensi arce se communientem obsidet, atque ad deditionem ea lege compellit, ut Regna filio cedat.

Tum veró tracto aliquantùm vitricum inter & privignum exitiali bello, Præsulum consiliis, Pontificis hortatu, alma pax reducta. Retenta ad Contabriam portione, Aragonius avita Regna cessit Castellano. Tantáque deinceps Alphonsum inter & Alphonsum, vitricum & privignum, Aragonium & Castellanum, concordia gesta est Respublica, ut ille patris, hic filii officiis certaret; emolumento rei christianæ multò maximo.

Sancito namque amico fœdere, sacratiori bello Rex uterque arma in Saracenos vertit. Horum aliqui deditione accepti, alii vectigal jussi pendere, alii cum Rege Cordubensi, & decem Regulis prælio dicti, anno 1123.

In Balearibus etiam Insulis res præclarè gesta contra Mauros à *Raymundo Berengario*, Barcinonensi in Catalonia Comite: qui & sua, & Genuensium atque Pisanorum, classe instructus, rem oppido difficilem aggressus, mare trajecit, & incredibili fortitudine ac constantia Saracenos invasit.

Sed nihil fortius Alphonso, quem sæpiùs laudavimus, Aragonio, qui bello adhuc Castellano implicitus, Saracenæ gentis excursiones in suas provincias, atque agrorum populationes non ferens, *Cæsaraugustam*, (*Sarragossam*) & situ & opere munitam urbem, ac Mauricæ gentis propugnaculum, cæsis priùs, quæ accurrerant ad urbem 32.

Tres Alphonsi in Saracenos

urbem

urbem obsidione liberandam Saracenorum copiis, difficillima anni tempestate expugnavit. Urbi tantæ mox datus Episcopus, & sacra ritu christiano ex ordine constituta. Neque tacendus Alphonsus, alter, Rex Castellæ; qui, expugnata *Calatrava*, Almeria, aliisque munimentis, fines Christianæ gentis protendit: quémque ob res magnas gestas *Imperatorem* Castellani vocitabant. Cordubam ipsam expugnaverat; sed cùm præsidio relinqueret vacuam, in manus Maurorum est relapsa.

33. *Initium Regni Lusitani.* Nec minor istis duobus tertius *Alphonsus*, Henrici Portugalliæ Comitis, atque Theresiæ Castellanæ, filius; qui victoria ad posteritatis memoriam insigni parta, quinque Reges Saracenos, minoribus licèt multò copiis, devicit; *Rex* propterea proclamatus à victore exercitu, sumptáque *Regni Portugalliæ* insignia; quinque minora scuta in clypeo cæruleo impressa, ad designandos quinque Reges profligatos. Et dignum se titulo Regio ostendit Alphonsus, promotis eò usque per Lusitaniam victoriis, ut etiam *Olissiponem*, urbem principem, barbaræ genti eriperet.

Sicque auspicatò novum fundatum est Regnum, spatio non amplissimum, at magnitudine rerum gestarum cum primis conspicuum, producturum homines, qui non tantùm Saraceno sint formidabiles, sed incredibili virtute ac felicitate omnes orbis terrarum partes obituri, subjugata Africæ, Asiæ, atque Americæ haud modica parte, detectis, occupatísque innumeris insulis, ac promotis in utrumque Indiam victoriis, orbem velut terrarum facturi vectigalem: erecto, quod plus est, ubique Christianæ Religionis trophæo, triumphali crucis vexillo.

Tantos autem inter Christianorum in Hispania ac Portugallia armorum progressus; probitati etiam morum, & Ecclesiæ disciplinæ consultum, celebratis per sacros Antistites variis Conciliis.

§. II.

Status Ecclesiasticus ordinatus per Concilia.

34. *Ovetense.* Et quidem anno 1115. *Ovetense Concilium* tres edidit Canones.

Primus prohibet fieri pignorationes.

Secundus, ne quis latroni veniam exoret.

Tertius negat asylum servo, latroni, proditori convicto, publicè excommunicato, Monacho fugitivo, violatori Ecclesiæ. Si quis

quis verò aliquid ex Ecclesia, aut ejus porticibus per vim extraxerit, quadruplum restituat.

Alterum est *Palentinum*, celebratum anno 1129. in præsentia Alphonsi VII. Castellæ Regis (*quem Hispani scriptores Imperatorem vocant, sicut etiam ejus avum maternum, Alphonsum VI*) Præside Raymundo Toletano (post Bernardum) Archipræsule, Primate, ac Romanæ Ecclesiæ legato. *Palentinum.*

Decretum in eo, ut nullus proditorem publicum, perjurum, aut excommunicatum apud se retineat. Ut Principes non nimiùm onerent populum. Ablata Monasteriis restituantur. Episcopi non retineant vagos Monachos sine Abbatum licentia. Nullus subditum alterius excommunicatum recipiat. Clerici per manus laicorum Ecclesias non recipiant. Regi omnes sine dolo fideliter obediant. Res Ecclesiæ sint sub administratione Episcopi. Falsi monetarii excommunicentur.

Concilium Legionense, sive Comitia Regni, ex Episcopis & Proceribus conflata, Alphonsum VII. Regem Castellæ in Ecclesia *Imperatorem* publicè proclamârunt, eúmque hoc nomine appellari præceperunt: protestante Romanorum Imperatore. *Legionense.*

Jussit deinde Alphonsus omnia Ecclesiis ablata restitui. Justitiam rigorosè administrare mandavit Judicibus. Móxque aliqui morte puniti sunt. Malefici jussu Regis patibulis suspensi. Decretum denique, ut finitimi singulis annis in Saracenos irruant.

Concilium Tarraconense anno 1180. statuit, ut deinceps in instrumentis publicis poneretur annus Christi Domini. Nam priùs secundùm æram suam Hispanicam tantùm, aut etiam secundùm annos Regum Francorum tempus supputabant.

§. III.

Continuatio Synopsis Historicæ.

Dum res ita prosperè agebantur in Hispania, ùt ferè inconstans & fluxa est humana felicitas, publicam lætitiam inopinatus casus turbavit. Alphonsus I. Aragonius, quem sæpiùs laudavimus, heros imcomparabilis, post tot victorias & hostium manubias, prælio ad Satinienam à Mauris victus, militis non minùs, quàm Ducis officiis perfunctus, in acie occubuit, ea tempestate Christiani nominis decus & gloria. Novies & vicies cum hoste sig-

na contulisse scribitur; eo etiam annalibus Ecclesiasticis inserendus, quòd Ecclesias Regni sui proventibus singulari liberalitate adauxerit.

35. *Ramirus.* Visum tunc in Hispania novum genus portenti, *Monachus idem, & maritus, Sacerdos, & Rex.* *Ramirus* is erat, cæsi Alphonsi frater; qui, postquam jam ante quadraginta annos Monasticen professus, cœnobium ingressus fuerat, atque Abbatis & Episcopi munera gesserat, fratre improli defuncto, Aragoniæ & Navarræ Rex denunciatur, Pontificis dispensatione, ducta uxore; ex qua deinceps Aragoniæ Regum stirps propagata est: suscepta filia *Petronella*; quæ *Raymundo Berengario*, Barcinonensi Comiti, postea nupta, hoc pacto Catalauniam cum Balearibus Insulis Aragoniæ & Navarræ Regno conjunxit; familia Regia per Alphonsum II. filium, ad perpetua tempora exporrecta.

At verò non ita quietè Ramiri in Regem electio transigi poterat, quin nova Christianos inter Principes bella recrudescerent, communi velut tunc temporis Hispaniarum fato, ut Regibus demortuis, per cruentos bellorum gradus successores thronum Regalem scanderent. Vascones Garsiam, stirpi Regiæ innexum, Navarræ Regem dixêre. Alphonsus Castellanus, reliquis potentior, totum Hispaniæ Imperium consectabatur.

36. *Catalonia.* Dilacerata itaque ab utroque Aragonia, Ramirus Regnum, quod ignavè per triennium gesserat, in *Raymundum Barcinonensem*, generum suum transtulit: qui parte in præsens amissa pacem obtinuit. Atque ab eo tempore Aragoniæ insignia in Barcinonensia commutavit, quatuor rubris fasciis per scutum aureum pari intervallo ad perpendiculum defluentibus.

Obiit inter hæc Alphonsus VII. partitus inter filios Regna; & *Sanctio* quidem Castellam, *Ferdinando* autem minori Legionis & Galliciæ Regnum reliquit. Verùm Sanctio altero Regni anno morbis absumpto, filiolus ejus Alphonsus VIII. tunc quadriennis, & Ferdinandi patrui bellis, & procerum perfidiæ, obnoxius, omnium ferme injuriis petebatur. Conversi dein in mutuas clades Christiani Principes, Mauris, ex Africa identidem auctis, locum fecerunt, ut Christiana res summum in discrimen fuerit adducta: præsertim post infelix prælium, ad Alarcum cum Saracenis commissum. Ut adeò primo hujus sæculi medio Saraceni perpetuis cladibus attriti, multis urbibus ac castellis amissis, extremas ferme in angustias fuerint redacti; altero vero sæculi medio, versa fortunæ facie, Christianis Regibus, Castellano, inquam, Legionensi, Navarræo, Aragonio

gonio, & Lusitano, mutuis odiis bellisque distractis, suas vices rependerint.

Dolenda planè res, bonorúmque omnium lachrymis deploranda! Christianos Principes, Ecclesiæ ejusdem Filios, sanguine & affinitate arctè conjunctos, pertinacibus adeò odiis dissidere, mutuísque obrui cladibus, dum tanta belli moles, tantáque rerum, sive ad gloriam, sive ad Regnorum suorum incrementum, gerendarum seges, in ipsis Hispaniæ visceribus superesset à Mahometanis, gente impia, barbara, Christiani nominis hoste jurato, Christianæ terræ prædone, & possessore iniquissimo.

Verùm, an sæculi XII. duntaxat hæc labes erat? septingentos & ultra annos Mahometanos in Hispania nutrivit Christianorum discordia. Quot annis jam nutrivit, nutriétque adhuc in aliis, florentissimis olim, Christianæ Religionis Provinciis? hîc campus amplus ad messem, ad sincerum virtutis decus, ad gloriam nominis immortalem. 37. *Christianorum discordia.*

Non deerant Hispanis vires. Martia tunc gentis indoles, veteranum robur, bellis duratum. Quinque Reges, Christianis addicti sacris, angustis quidem singuli constricti Provinciis, collectis tamen viribus, sociali fœdere, constante & fideli, firmatis, facilè Herculeum ultra fretum rejicere hospites inauspicatos poterant, & divisis inter se novis Provinciis increscere; nisi urente invidia, flagrantibus consanguineis odiis, bella placuisset gerere domestica, & exitiali consilio Christianum duntaxat sanguinem fundere: non alio operæ pretio, quàm ut alter laciniam aliquam attraheret, alter retraheret, donec urbium ruina, agrorum populatione, regionum vastitate, atque internecinis conflictibus attriti, Barbarorum irruptionibus peterent singuli.

Illud tamen Reipublicæ Christianæ bonum tot inter calamitates emicuit. Fundatus in Hispania *Equitum Ordo geminus*, optatum adversùs Maurorum incursus præsidium, *Calatravæ*, & *S. Jacobi*. En originem! *Calatrava* Mauris erepta, Templariis militibus custodienda est tradita. At illi, Barbarorum adventu nuntiato, urbem deserunt: actúmque de illa fuisset, nisi *Raymundus* Cisterciensis Abbas, virtute ac prudentia vir eximius, irruenti Saraceno se strenuè opposuisset, collecta manu selecta militum, quos distincto vestimenti genere insignivit. Servatum hac virtute oppidum Abbati, ejúsque Ordini Illustrissimo cum agro adjacente, à Rege Castellano est donatum. 38. *Initium Ordinis Calatravæ*

Ab his initiis ſacra Calatravæ militia ad inſignem ſplendorem, & Eccleſiæ ornamentum, perducta, ab Alexandro III. amplo diplomate eſt confirmata; Garſia primo Ordinis Magiſtro, anno 1164.

39. *Et S. Jacobi.* Haud multò poſt alter Ordo, divi videlicet *Jacobi Equitum* acceſſit, qui in viſendam deinceps amplitudinem excrevit. Initium tenue, ut magnarum etiam rerum eſſe conſuevit. Ubi fama de ſepulchro S. Jacobi Apoſtoli percrebuit, multos ab exteris etiam provinciis religio attraxit. Peregrinatio tamen erat ardua, & incurſionibus Maurorum obnoxia. Canonici igitur quidam, ut iter expeditum redderent, per locorum intervalla plura conſtituerunt domicilia ad excipiendos peregrinos; magnis propterea Principum liberalitate opibus & vectigalibus aucti; privatorum etiam in tam religioſum ſtudium donatione adjecta.

Enata ex his incunabulis prodiit D. Jacobi militia, ab eodem Alexandro III. ſub D. Auguſtini regula, confirmata. Anno 1175. Fernando à Ponte conſtituto Ordinis Magiſtro. Inſigne militibus, in veſte candida crux rubea, in gladii militaris modum efformata. Ad id vitæ genus fœminæ etiam admittuntur, conjugii ſublata facultate, niſi conſenſus Magiſtri accedat.

ARTICULUS V.

De Conciliis Anglicanis Seculo XII.

§. I.

Prænotanda de Statu Angliæ.

40. *Henricus I.* Ipſo ſæculi hujus initio thronum Anglicum conſcendit *Henricus I.* à S. Anſelmo coronatus, prætérito iterum Roberto fratre majore, Normanniæ Duce. Acta fratris ſui Wilhelmi II. reſcidit; tributa temperavit; ſceleribus ſeveras pœnas ſtatuit; Normanniam, à fratre penitus ferme in alios diſſipatam, armis reduxit, ac Wilhelmo filio tradidit, beneficiario jure à Rege Galliæ acceptandam: hac enim conditione pax inter utramque nationem eſt inita. At præclarum cæteroquin Principem, prout Henricum V. Imperatorem, controverſia de *Inveſtituris* cum Eccleſia commiſit, pertinaci diſſidio, donec ritum per *baculum* & *annulum* Epiſcopos & Abbates inve-

investiendi abrogaret: ùt antè meminimus. Obiit anno Christi 1135. Regni 35. ætatis 65. reliquit *Mathildem* unicam filiam (nam Wilhelmus filius Normanniæ Dux antè obierat) primis nuptiis desponsam Henrico V. Imperatori, secundis Comiti Andegavensi, ex quo deinceps nova Regum Anglorum series.

Mathildi filiæ Henricus Regnum paraverat. At illud post ejus mortem invasit *Stephanus*, Henrici ex sorore nepos. Qui Mathildi fidelitatem antè & subjectionem juraverat. Sed parùm hoc ei fuerat, nisi & alterum juramentum violâsset, quo Episcopis sanctè promiserat, quòd libertatem Ecclesiasticam salvam relinquere, nec bona Ecclesiarum, etiam sede vacante, velit attingere. Contraria omnia fecit. Thesauri Ecclesiarum direpti, possessiones laicis venditæ, plures Episcopi capti, & in custodiam dati. Atque inde Mathilde ejúsque filio Henrico jus suum armis urgente, tota Anglia turbata & in partes scissa. Wintoniensis Episcopus Stephani frater ipsemet causam egit Ecclesiæ & Episcoporum contra fratrem. Si rei essent Episcopi, secundùm Canones in Synodo judicandos esse. 41. *Stephanus.*

Indicitur proin *Synodus*, in qua Regius procurator Episcopos captos accusavit, præsertim Sarisburiensem, quòd Mathildi faveat, eíque arces extradere voluerit. Cæterùm eum à Rege non ùt Episcopum, sed ùt Regis Officialem esse mandatum custodiæ. Negavit Episcopus, se unquam Regis ministrum fuisse, instátque, ut jus sibi dicatur à Synodo, aliàs ad altius se provocaturum tribunal. Pronuntiavit Præses Concilii, perperam actum, quòd Regii ab executione cœperint judicium; oportuisse Episcoporum causam priùs deduci ad Synodum Episcoporum, ibíque cognosci ac judicari: spoliatos proin secundùm canonum placita ante omnia debere restitui. Nihil obtentum à Rege, graves minas addente, si causa Romam deferretur. Temperatum tamen à censuris.

Magnis interea calamitatibus bellísque domesticis Regnum oppletum, Mathilde ejúsque filio Henrico jus suum persequentibus. Atque imprimis *Henricus* Dux creatus Normanniæ; cúmque duxisset *Eleonoram* Aquitanam, à Ludovico VII. Galliæ Rege repudiatam, Aquitania etiam est auctus. Tandem in Angliam cum exercitu trajiciens, pleraque cepit. Stephanus verò Rex obiit anno 1154. Regni 19. 42. *Henricus II.*

Tum verò Angliæ Regnum ad *Andegavensem* Domum translatum, quem diximus, *Henricum II.* Mathildis & Godofredi Plantagenetæ, Andegavensis Comitis, filium, primum ex ea Regem habuit, Henrici I. ex filia nepotem, Potens hic erat Princeps, Rex

 Angliæ,

Angliæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, Andegavensium, Cenomanensium, & Pictonum Comes. Hos Ducatus & Comitatus clientelari jure à Galliæ Rege habebat, ipse verò homagium exegit à Malcolmo Scotorum Rege. Mathildi ejus matri hoc inscriptum Epitaphium:

Ortu magna, viro major, sed maxima prole,
Hic jacet Henrici filia, sponsa, parens.

Nam filia erat Henrici I. Angliæ Regis; conjunx primùm Henrici V. Imperatoris, dein Comitis Andegavensis; parens Henrici II. de quo loquimur Regis Angliæ, vasto animo Principis, atque omnino eximii, nisi præclaras animi dotes vitiâsset bello adversùs Ecclesiam ejúsque libertatem suscepto, & tyrannide in S. Thomam exercita.

At vindicem Numinis dexteram sensit. Nam præmaturo consilio inter filios, quos ex Eleonora susceperat, provincias diviserat. Et Henrico quidem *Angliæ* & *Normanniæ* hæreditatem attribuit, Richardo *Aquitaniæ*, Godefrido *minoris Britanniæ*. Joannem verò, quartò genitum omnino præterivit. Unde *Joannes sine terra* dictus est. At hi omnes unà in patrem insurgunt, bellúmque movent, adjuti inde à Galliæ, hinc à Scotiæ Rege.

43. *Ejus pœnitentia.* Tot simul internis externísque hostibus oppressus Henricus II. flagellum Divinum exosculans, ad S. Thomæ Martyris, quem interfecerat sepulchrum, adrepsit, nudis pedibus, saccóque indutus, atque inter lachrymas & juges precationes à Monachis Cantuariensibus virgis cædi voluit. Sic superis placatis primò Scotiæ Regem vicit, captúmque abduxit, tum in Galliam translato bello, ad pacem rebelles filios adegit, ea lege initam, ut præstito patri homagio supremum ejus dominium agnoscerent. Scotiæ Rex præstito *hominio* & jurata fidelitate liber dimissus ad Regnum feudale: asserto Anglicanæ Ecclesiæ jure in Scotorum Ecclesias.

Sed nec filiis impunè fuit, pietatem in patrem lædere; nam cùm postea rursus in patrem essent perduelles, à *Synodo Cadomensi* diris devoti, ante patrem obierunt, Henricus, Regis Galliæ gener, jam Rex coronatus, & Godefridus Dux Britanniæ.

Cùm deinde Philippus Galliæ Rex bellum moveret Henrico, legatus Clementis III. interdictum comminatus est, ni ab armis discederet. Respondit Gallus, se nullius juri subjacere in causa ulciscendi injurias, sibi & coronæ suæ à Vasallis suis illatas. Bellum igitur prosecutus, complura munimenta expugnavit, pacémque, quam voluit, obtinuit. Mœrore mox confectus obiit Henricus II. anno 1189. Regni 34. ætatis 56.

Suc-

Successit filius *Richardus I.* qui recuperatis, quæ Philippus II. Galliæ Rex nupero bello abstraxerat, pace jurata, cum eodem expeditionem sacram in Orientem suscepit: atque in itinere Cyprum expugnavit. Saladinum memorabili prælio vicit. Ortáque Duces inter Christianos fatali semper dissidio, rediit, traditis Henrico Campaniæ Comiti Regni Hierosolymitani reliquiis, Guidoni verò Lusignano sub onere feudali Cypri Regno: qui eidem jus suum in Regnum Hierosolymitanum cessisse scribitur. Unde Angli prætensionem in Regnum illud formârunt. 44. *Richardus.*

Rediens Richardus, pene naufragium passus, à Leopoldo, Austriæ Duce, ob injuriam acceptam, interceptus, Henrico VI. Imperatori est traditus. Cui Cœlestinus Papa censuram est comminatus, nisi captivum dimitteret, uti etiam Regi Galliæ, si provincias ejus invaderet. Liber tandem Richardus est dimissus, multa pecunia numerata. Ordinatis dein suis provinciis defunctus est anno 1199. Regni 10. ætatis 42. & quia prole carebat, successit ei frater *Joannes sine terra.*

§. II.

Observatio circa controversiam, inter S. Thomam & Henricum II. agitatam.

Henricus II, quem diximus, ex Andegavensi Comite, propter matrem suam, Henrici I. filiam, Rex Angliæ factus, magnum initio Religionis ac Reipublicæ studium præseferens, singulari æstimatione & amore prosequebatur *Thomam*, Ecclesiæ Archidiaconum, virum eximia probitate, fide, integritate, constantia.

Unde illum Cancellarium Regni esse voluit. Et cùm brevi pòst decessisset Theobaldus, Cantuariensis Archiepiscopus, nullum alium eo fastigio digniorem credidit. Promotus igitur, quamvis reluctans, ad eam dignitatem, Cancellarii munus, Rege invito, deposuit, asserens, neminem, Deo militantem, implicare se negotiis sæcularibus.

Sed mox inter eum & Regem jacta sunt dissidiorum semina. Nam. 1. ægre ferebat Rex, depositum officium Cancellarii, sperabat enim, collecta in una persona Ecclesiastica & sæculari administratione, aptiùs tranquilliúsque utramque Rempublicam gubernatum iri. 2. Quòd Thomas tributa vellet imminui. 3. Quòd urgeret, 45. *Causæ discordiæ.*

geret, ut vacantes Episcopatus & Abbatiæ (quorum reditus tempore vacaturæ Rex percipiebat) Prælatis idoneis ociùs instruantur.

Quarta & præcipua dissensionis causa fuit *immunitas Ecclesiastica.* Nam Rex volebat, ut nullus Regis subditus excommunicetur Rege inscio; & in Synodo Londinensi petebat, ut Clerici facinorosi non tantùm canonicis pœnis plectantur à Sacerdotibus, sed curiæ sæculari extradantur, corporalibus suppliciis afficiendi: nulla enim alia ratione illos coërceri posse.

Episcoporum Concilium, præeunte Thoma rogavit Regem, ne libertatem Ecclesiasticam læderet. Cúmque Rex quærendo instaret, an observare velint Regni consuetudines? reposuerunt, se servaturos, *salvo tamen ordine suo.* Qua voce Rex offensus discessit: plurésque deinde Episcopos quà minis, quà blanditiis à sententia Thomæ abstraxit, ut invisam illam Regi clausulam retractarent, & consuetudines se servaturos absolutè promitterent. Tandem & ipse Thomas, Episcoporum precibus flexus, atque ad avertenda majora mala, simpliciter, se consuetudines servaturum, juramento spopondit.

Verùm cùm Regii ministri, ut Ecclesiam servituti subjicerent, & nova dissidiorum inter Thomam & Regem semina spargerent, sub nomine consuetudinum 16. articulos in conventu *Clarendonensi* conderent, atque in iis varia in Ecclesiarum Statúsque Ecclesiastici præjudicium comprehenderent, Thomas facti nuper promissi de servandis consuetudinibus pœnitens, articulos eos ad Alexandrum III. misit: qui aliquibus toleratis, alios damnandos putavit: Regem etiam hortatus, ne Ecclesiam servili jugo premat, sed inter Regni & Sacerdotii jura distinguat.

Cùm autem Rex postulationi suæ pertinaciter insisteret, atque in *Northamptonensi Synodo* judicium in Thomam exerceret, iniquè accusatum, ac de rationibus reddendis postulatum, is à foro hoc incompetente ad Sedem Apostolicam interposita appellatione, in Galliam profugit, ubi tunc Alexander III. degebat. Is Northamptonensis Conciliabuli acta rescidit, ac Thomam Archiepiscopatum deponere prohibuit.

Thomas sex annorum in Gallia exilium passus, post varias in hac causa Synodos, congressus, legationes inter Alexandrum Papam & Henricum Regem, tandem anno 1170. in Archiepiscopatum suum reductus est. At eodem adhuc anno in Ecclesia immanissimè interemptus à quatuor conjuratis, qui ex Normannia, ubi Rex tunc morabatur, ad hoc facinus patrandum advenerant, rati, se gratum

gratum præstituros obsequium Regi, qui in novas adversùs Thomam querelas fuerat effusus, propter excommunicationem eorum, qui coronationi filii ipsius interfuerant.

S. Thomas, dum in suo viveret exilio, sæpiùs curiam Romanam est adhortatus, ut spirituali gladio exerto Henrici terras interdicto subjiceret, & illum cum Episcopis ipsi adhærentibus anathemate feriret: sed Pontifex Alexander cum Friderico I. Imperatore collisus, noluit Anglum etiam in se concitare, factionémque Pseudo-Pontificum tanto incremento augere. Unde tempori cedendum ratus, indentidem ebullientem Thomæ zelum cohibuit, ne in fulmina prorumperet graviora. Tandem autem eidem concessit, ut Angliam interdicto subjiciat. Quod, ut Episcopi averterent, persuaserunt Regi, ut Thomam in Archiepiscopatum & possessiones suas restitueret, nullo exacto juramento de observandis consuetudinibus.

Cæterùm Rex de cæde Thomæ graviter doluit, vel dolere se simulavit: illiúsque innocentem se esse omni ope probare, laboravit. Cúmque à subjugata Hibernia in Normanniam redux juramento se purgâsset, imposita pœnitentia, à legatis Pontificiis in *Abrincatensi Concilio* absolvitur. Gravissimis inde calamitatibus involutus, filio Henrico adversùs eum rebellante & transmarinas in Gallia provincias invadente, Angliam verò Scotis devastantibus, S. Thomæ, ab Alexandro III. in numerum Sanctorum jam relati sepulchrum, nudis pedibus, ac humili pœnitentis habitu, ùt priùs memini, accessit, atque à Clericis flagellari voluit. Quo sanè facto sancti Martyris intercessionem meritus, Scotos gloriosè devicit, & filios in Ordinem redegit. Tum verò curavit, ut res collapsæ Anglicanæ Ecclesiæ in Synodis restaurarentur.

Quæret fortassis quispiam, quinam fuerint 16. illi articuli prætensarum consuetudinum Anglicarum, quibus sanctus ille Præsul constanter adeò ad mortem usque sese opposuit?

Resp. hanc esse summam.

1. Causæ litigiosæ de advocatia & præsentatione Ecclesiarum in curia regia tractentur. 46. *Consuetudines prætensæ.*

2. Ecclesiæ de feudo Regis non possunt absque illius concessione in perpetuum dari.

3. Clerici accusati compareant coram Judicibus regiis.

4. Absque licentia Regis non licet Episcopis Regno exire.

5. Excommunicati non debent præſtare vadimonium, aut juramentum.

6. Laici non debent accuſari, niſi per legitimos actores & teſtes, in præſentia Epiſcopi.

7. Miniſtri Regis non excommunicentur, nec terræ eorum interdicto ſubjiciantur, niſi priùs conveniatur Rex.

8. Appellationes debent fieri gradatim, ab Archidiacono ad Epiſcopum, ab hoc ad Archiepiſcopum, à quo, ſi defuerit in adminiſtranda juſtitia, ad Regem perveniendum, à quo cauſa terminetur. Neque ulteriùs procedendum ſine conſenſu Regis.

9. Lis inter Clericum & laicum de re quapiam ſibi vindicanda, per recognitionem 12. legalium hominum, juxta Capitalis Juſtitiarii Regis conſiderationem terminabitur.

10. Si Clericus ab Epiſcopo citatus noluerit obedire, poteſt eum ſub interdicto ponere, ſed non excommunicare, priusquam Capitalis Miniſter Regis conveniatur.

11. Epiſcopi aliique ratione feudorum, quæ habent à Rege, reſpondere debent Judicibus & Miniſtris regiis, & intereſſe judiciis curiæ, ſicut alii Vaſalli.

12. Vacantis Epiſcopatus & Abbatiæ reditus pertinent ad Regem. Electus verò faciat homagium, & fidelitatem Regi, priusquam conſecretur.

13. Si proceres Regni nolint Epiſcopis &c. juſtitiam adminiſtrare, id Regi faciendum.

14. Bona mobilia eorum, qui ſunt in ſervitio Regis, non detineantur ab Eccleſia vel cœmeterio, licèt ibi fuerint inventa.

15. Placita de debitis pertinent ad forum Regis.

16. Filii glebariorum non debent ordinari absque conſenſu ſui domini.

Ex his Anglicanis Capitulis Conciliabuli *Clarendonenſis* Pontifex ſecundum, ſextum, undecimum, decimum tertium, decimum quartum, decimum ſextum toleravit, reliqua verò reprobavit.

Præter hæc petiit Rex, ut Clericos publici flagitii convictos exauctorarent Epiſcopi, præſente Judice Regio, ac poſtmodum curiæ ſæculari puniendos tradant: prout jam in Concilio Londinenſi poſtulaverat. Thomas autem putabat, non eſſe bis puniendum *in id ipſum.*

§. III.

§. III.

Status Ecclesiasticus ordinatus per Concilia in Anglia.

Præter ea Concilia, quæ in controversia cum S. Anselmo & S. Thoma celebrata memoravimus, adduci etiam merentur sequentia. *Londinense*, anno 1102. celebratum, Præside S. Anselmo, 47. *Londinense I.*
pro reformanda disciplina. Statutum siquidem in eo est, ne Episcopi officium placitorum, seu judiciorum, sæcularium suscipiant. Ne Clericus uxorem ducat, aut ductam retineat. Concubinarii verò Missam nemo audiat. Nullus ordinetur Subdiaconus, nisi castitatem profiteatur. Clerici non sint procuratores sæcularium, aut judices sanguinis. Vestes eorum sint unius coloris. Coronas patentes habeant. Decimæ non nisi Ecclesiis dentur. Novæ Capellæ non fiant sine consensu Episcopi.

Ecclesia non consecretur, donec provideantur necessaria Ecclesiæ & Presbytero. Monachi ne fiant compatres. Cognati usque ad septimam generationem non copulentur. Defuncti in parochia sepeliantur. Defunctis nemo sanctitatis reverentiam exhibeat sine consensu Episcopi. Ne deinceps homines vendantur. Excommunicantur Sodomitæ.

Westmonasteriense anno 1525. Præside Cardinale Cremensi, Apostolicæ Sedis Legato, decrevit; ut pro chrismate, oleo, baptismo, 48. *Westmonasteriense.*
pœnitentia, unctione infirmorum, communione corporis Christi, sepultura, nullum omnino pretium exigatur. Beneficium nemo à laico accipiat, sine consensu Episcopi. Beneficia ne sint hæreditaria. Nullus ordinetur, nisi ad certum titulum. Nullus ordinatum ex Ecclesia sua ejiciat, sine consensu Episcopi.

Nullus alterius Parochianum ordinet, aut judicet. Neque alterius excommunicatum suscipiat. Prohibetur Clericis, etiam Subdiaconis, cohabitatio cum fœminis: item usura, sortilegium, pluralitas Beneficiorum.

Porro Cardinali Cremensi impacta fuit gravis calumina, quam refutat Baronius: eum videlicet eadem die, qua in Concilio Canonem contra Clericos concubinarios sancivisset, post vesperam cum meretrice esse deprehensum.

49. *Londinensia* Biennio pòst in *Concilio Londinensi* iidem ferme repetuntur Canones, de Simonia, concubinatu, decimis &c. & quadriennio pòst rursus aliud Londini est celebratum contra Clericos uxoratos, & concubinarios.

In *Londinensi* verò alio Nationali anno 1138. præter jam memorata, placuit, ut ultra octo dies *corpus Christi* non asservetur, neque ad infirmum, nisi per Sacerdotem aut Diaconum portetur. Ut nihil exigatur pro consecratione Episcopi, Ecclesiæ, Benedictione Abbatum, Investitura Episcopali. Ut nullus absque licentia Episcopi Ecclesiam, vel oratorium erigat. Ne Clerici de manu laica Beneficia accipiant. (*interfuere huic Synodo Anglicani ex diversis provinciis Episcopi* 18, *Abbates* 30. *Præside Alberico Cardinale*, *Apostolicæ Sedis legato*)

Anno 1139. celebratum est *Concilium Wintoniense*, pro immunitate Ecclesiastica, contra Regem *Stephanum*, qui Ecclesiastica bona iuvaserat, & Episcopos aliquot in carcerem duci mandaverat.

Concilium Londinense quintum hujus sæculi, anno 1175. præside Cantuariensi, statuit, Clericos, qui pellices nolunt dimittere, officio & Beneficio spoliandos. Pro ingressu in Religionem nihil exigendum. Neque pro præsentatione ad Beneficium. Victum victori condemnandum in expensas. Consecrandum in calice argenteo vel aureo. Prohibentur clandestina matrimonia.

50. *Eboracense.* *Eboracense* anno 1195. sancivit, ne confessarius laico confitenti pro pœnitentia injungat, ut Missas curet celebrati. Ne Sacerdos de pretio paciscatur pro Missa celebranda, sed illud tantùm, quod in missa ultro offertur, recipiat. Ne in baptismo plures quàm tres puerum suscipiant, duo mares, & una fœmina. Fœmellam duæ fœminæ, & unus mas.

Infantem expositum esse baptizandum: *cùm non censeatur iteratum, quod ignoratur collatum.* Non nisi urgente necessitate à Diacono baptismum conferendum, corpus Christi distribuendum, aut pœnitentiam confitenti imponendam: quia hæc Sacerdotum sunt munera. Canonem Missæ ordinarium integrè observandum. Falsos & perjuros in judicio testes solenni ritu excommunicandos.

§. IV.

Concilia Scotiæ & Hiberniæ.

51. Donaldus Rex *Scotiæ* jam tertio sæculo fertur religionem Christianam esse professus. At semen bonum in terris illis rursus suffoca-

focatum fuit. Kennethus Rex fæculo nono Pictos ejecit. Proprios enim Reges Scotia habuit, nulli fervituti obnoxios usque ad Wilhelmum Conquæstorem, cui Malcolmus Rex Scotiæ fidem jurare debuit.

Hibernia quinto fæculo à S. Patritio, quem S. Cœleftinus illas in terras mifit, converfa, proprios pariter Reges habuit, donec fæculo 12. anno videlicet 1171. Henricus II. Rex Angliæ totam Infulam occupavit, ac Angliæ Regno conjunxit, non quidem Rex fed Dominus Hiberniæ volens appellari. Caufa vel prætextus Hibernis bellum inferendi fuit, quòd gens prædis affueta Anglicanas navigationes turbaret, fimúlque maria & littora infefta redderet.

Sub finem fæculi XI. Muchertacus, Hiberniæ Rex, & Epifcopi Hiberniæ in *Synodo* congregati, ad Anfelmum Cantuarienfem Archiepifcopum, Primatem fuum, miferunt epiftolam, qua rogabant, ut Watterfordenfe oppidum in Epifcopatum erigat: præfentarúntque Malchum quemdam, iis, quas Apoftolus in Epifcopo requirit, dotibus præditum; quem Anfelmus, precibus Concilii Hibernici deferens, confecravit primum Watterfordenfem Epifcopum.

Concilium Hibernicum anno 1152. Præfide legato Apoftolico quatuor in Hibernia Archiepifcopatus conftituit, Armanacum, Dublinienfem, Caffelienfem, & Toamenfem.

Cùm anno 1171. Henricus II. Angliæ Rex Hiberniam invaderet, Hiberni in Concilio *Ardmachienfi* decreverunt, ut Angli ubique per Infulam, fervitutis vinculo mancipati, priftinæ reftituantur libertati. Nunc enim, dicebant Hiberni, nos ab Anglis fervituti fubjicimur, quia nos priùs eos fervos fecimus.

Poftquam autem Henricus totam Infulam occupaverat, venerunt omnes Hiberniæ Reguli & Archiepifcopi ad eum, ut Regem ac Dominum fuum falutarent, anno 1172. Henricus verò celebrari voluit *Concilium Caffilienfe*, in quo conditi funt octo Canones.

1. Extra gradus confanguinitatis & affinitatis, legitima matrimonia contrahuntor.

2. Infantes in Ecclefiis baptizantor.

3. Omnes Fideles de proventibus fuis, Ecclefiæ, cujus Parochiani fuerint, decimas perfolvunto.

4. Terræ Ecclefiafticæ ab omni fæcularium exactione immunes funto.

5. Quando homicida cum cognatis occifi tranfigit, Clerici, homicidæ cognati, nihil contribuunto.

 6. De-

6. Decedentes bona sua in tres partes dividunto, quarum una relinquatur liberis, altera uxori, tertia propriis exequiis.

7. Defunctis Missæ & Vigiliæ habentor.

8. Hiberni Divina officia ritu Anglicano celebranto.

Hos Canones ab Episcopis subscriptos misit Rex Henricus ad Alexandrem Papam, qui authoritate Apostolica eos confirmavit, simúlque Henrico & hæredibus ejus Regnum Hiberniæ: ut testatur Rogerius de Hoveden part. 2. annal. Erant autem tunc temporis in Hibernia 4. Archiepiscopi, & 28. Episcopi. Primas autem totius Hiberniæ erat Archiepiscopus Armacensis, seu Ardmachiensis; qui tamen & ipse Cantuariensi Archiepiscopo subjectus erat.

In *Concilio Scotico* anno 1177. Vivianus Apostolicæ Sedis Legatus suspendit ab officio Episcopum candidæ casæ, quia ad Concilium venire noluit. Idem Legatus ex Scotia in Hiberniam profectus, ibi pariter anno 1183. Synodum *Dubliniensem* habuit. In qua actum, ut Hiberni ritus suos Romanis conformarent. Quæ res difficultate non caruit; cùm populi passim consuetudinum suarum sint tenacissimi; licèt minùs sint rationabiles.

Concilium Hibernicum, Præside Dubliniensi, anno 1186. Clericos, qui concubinas aut uxores duxerant, ab officio & Beneficio suspendit.

Sub finem sæculi XII. dicuntur duo esse habita in Scotia Concilia, alterum de reformanda Ecclesiastica disciplina, alterum de observatione diei Dominicæ. Verùm illa, saltem posterius, non videntur fuisse Concilia. Collectores Conciliorum in hoc minùs accurati fuisse videntur, quòd absque crisi & selectu obvia quæque ex scriptore quocunque compilârint, ut multos & spissos Conciliorum tomos impleant.

ARTICULUS V.

DISSERTATIO JURIDICA

De Simonia.

52. Simoniaca labes medio ævo nimiùm quantùm invaluerat, ut Sacerdotia pecuniæ passim præstarent venalia. Opposuerunt se sacrilegæ nundinationi, quantùm poterant, sacra Concilia. Unde importunum non erit pauca hoc de argumento disserere.

Simo-

Simoniæ pravitas consistit in æquiparatione rei spiritualis cum temporali. Quæ res cùm in vilipensionem sacrorum ipsiúsque Dei contemptum cedat, grave semper est flagitium, nec materiæ parvitatem admittit.

Si prava intentio lateat, *mentalem*, si pacto se prodat, *conventionalem*, si traditione consummetur *realem* appellamus. Habétque in omnibus tribus spirituale rationem mercis, temporale rationem pretii.

Neque tamen ad incurrendam hanc labem necesse est, ut res in se ipsa sit spiritualis, sed sufficit esse spirituali annexam. Sic licèt beneficium Ecclesiasticum, seu jus percipiendi fructus, aut jus decimandi in se non sit spirituale, quia tamen annexum est officio spirituali, simoniam committit, quisquis Beneficium, aut jus decimandi pecunia aut alia re temporali sibi aut aliis comparat, vel comparare intendit: quamdiu scilicet ejusmodi jus officio spirituali manet annexum, à quo per solum summum Pontificem separari potest.

Rationem dat Pascalis Papa *cap. 7. caus.* 1. *q.* 3. ibi: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Qui ergo jus decimandi, officio spirituali annexum vendit, neque ipsum officium spirituale invenditum derelinquit. Et paulò antè eodem canone idem Pontifex dixit: *Si quis objecerit, non consecrationes emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proveniunt, penitus desipere probatur.* Ac denique concludit: *Nullus igitur emat Ecclesiam, vel præbendam vel aliquid Ecclesiasticum.*

Ubi tamen bene notanda sunt verba illa: *Sine quo nec alterum provenit:* itam: *Quæ ex consecratione proveniunt.* Hinc emi non potest Episcopalis vel Abbatialis dignitas, quia hæc ex consecratione provenit, & sine ea subsistere non potest. Neque emi potest Beneficium Ecclesiasticum, aut jus decimandi: quia hæc jura proveniunt ex officio Ecclesiastico, tanquam fine suo unico; neque possunt subsistere sine hoc fine suo, officio videlicet sacro; nam Beneficium (idem de jure decimandi) datur propter officium (nisi jus percipiendi fructus authoritate Apostolica separetur ab hoc titulo spirituali)

Contrà verò castrum, cui annexum est jus Patronatus, & calix aureus, cui annexa est consecratio, potest emi; nam castrum non provenit ex Jure Patronatûs, & potest sine isto consistere: neque materia aut forma calicis aurei provenit ex consecratione, potéstque pariter sine ista consistere. Poterunt proin castrum & calix

calix emi vendíque ſecundùm valorem ſuum intrinſecum, quem jam antecedenter ad jus patronatus aut conſecrationem habuerunt. Et hinc ſacri Canones difertè aſſerunt, pro redemptione captivorum vaſa ſacra poſſe vendi.

In eundem ſenſum loquuntur, qui dicunt, rem ſecundùm valorem temporalem poſſe emi, ſi aliquid ſacrum ei tantùm *acceſſoriè* & *conſequenter* ſit unitum. Hinc emi poſſe calicem conſecratum, ſacra numiſmata &c. ſecundùm valorem materiæ & formæ, quia conſecratio eis tantùm acceſſoriè & conſequenter eſt annexa: & caſtrum poſſe emi, quia jus patronatus tantùm acceſſoriè ipſi fuit conjunctum.

Non tamen poſſe emi rem temporalem, ſi hæc ſe habeat per modum *acceſſorii*, ita, ut accedat rei ſacræ tanquam principali, atque in ea fundetur. Hinc emi non poſſe Beneficium Eccleſiaſticum jus Patronatus, jus decimandi &c. quia hæc jura ſunt acceſſoria officio ſacro tanquam principali, ac fini ſuo, propter quem conceduntur. Unde, quia non proveniunt ſine altero, miniſterio videlicet ſacro, qui illa emeret, etiam hoc emere cenſeretur.

Cæterùm utique emi non poteſt calix aut Eccleſia ùt conſecrata, concretivè nempe, ſeu indiviſim, ita ut tam Eccleſia quàm conſecratio ematur, & propter conſecrationem majus pretium perſolvatur. Et in hoc ſenſu poteſt intelligi canon *ſi quis* 7. *cit.* cùm dicit, nullus emat Eccleſiam. Eodem etiam ſenſu intelligi poſſunt plures Conciliorum canones, quibus vetatur, ne vendatur chryſma aut ſacrum oleum Et hinc ubi materia eſt vilis atque vix ullius pretii, e. g. in cera benedicta, ſi venderentur cariùs, cenſerentur propter benedictionem cariùs vendi.

Et hæc quidem circa ea, quæ de ſe non ſunt ſacra, ſacris tamen connexa. Sed non minor eſſe difficultas videtur circa ipſas functiones ſacras. Videmus enim paſſim, quòd Clerici pecuniam accipiant pro adminiſtratione ſacramentorum, pro ſacris ſepulturis, pro celebratione Miſſæ, prædicatione, benedictione nuptiali, exercitio jurisdictionis Eccleſiaſticæ, pro præſentia in choro, anniverſariis.

Verùm hi aliíque proventus, quos *reditus ſtolæ* appellant, non accipiuntor à Clericis tanquam pretium functionum ſpiritualium, ſed titulo *ſuſtentationis*, ſacro operario debitæ, ut, qui ſervit altari, de altari vivat; cùm dignus ſit operarius mercede ſua, hoc eſt, congrua ſuſtentatione, & nemo teneatur militare ſuis ſtipendiis. Nihilominus tamen Sacerdos *gratis* operatur, ſicut gratis pingit, qui

qui nihil aliud exigit, quàm ea quæ ad pingendum ſunt neceſſaria. Hæc igitur ſuſtentatio non habet rationem pretii, pro miniſterio ſacro perſoluti, ſed ipſo jure Divino ac naturali operario ſacro eſt debita. Unde quàm parùm decimæ, licèt titulo juſtitiæ Parocho debitæ, ſunt ſimoniacæ, tam parùm reditus ſtolæ. Et dici poteſt, hos ſubſtitutos eſſe decimis perſonalibus, quæ olim Clericis ſolvebantur.

Poteſt etiam poſt acceptum obſequium ſpirituale aliquid offerri titulo gratitudinis, utpote quæ jure naturali eſt debita. Modò non velit ſpirituale compenſare & hinc plures docent, non committi ſimoniam, ſi temporale offeratur cum pacto gratitudinis in genere, cùm hæc jam aliunde ſit debita. Modò tamen abſit animus obligandi alterum ad exhibendam gratitudinem per ſpirituale, nec adſint circumſtantiæ, quæ ſignificent hanc determinatam obligationem, aut quod per ſpirituale velit compenſare temporale. Unde meritò dicit Suarezius, hanc rem eſſe periculoſam.

Præcipua autem quæſtio in hac re eſſe videtur, an ſimoniacam labem redoleat, ſi temporale non detur tanquam pretium rei ſpiritualis, ſed tanquam *motivum*, quo videlicet alter moveatur ad dandum ſpirituale, hoc eſt, ſi temporale detur, ut obtineatur ſpirituale, ſicque ſpirituale ſe habeat per modum finis, temporale verò per modum medii ac motivi? item viciſſim ſi temporale eſt *finis* dandi rem ſpiritualem: hoc eſt, ſi detur ſpirituale, ut obtineatur temporale, & viciſſim.

Difficultatem movent duæ propoſitiones prohibitæ ab Innocentio XI. quarum prima ordine 45. ſic habet: *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quandò temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut econtra.* Quæ propoſitio cùm ſit prohibita, videtur defendi ampliùs non poſſe, quòd poſſit quis aliquid temporale dare, ut per illud alterum moveat ad conferendum ſibi aliquid ſpirituale.

Altera propoſitio damnata eſt hæc, ordine 46: *Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale, imò etiam, ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic, ut illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis.*

Has propoſitiones Montaltius in famoſis ſuis *litteris* Provincialibus affingit Gregorio de Valentia: quæ tamen in ejus operibus nuſpiam exſtant. Id ſolùm ab hoc auctore docetur, quod S. Tho-

mas docuit 2. 2. *quæst.* 100. & cum eo alii DD. videlicet in iis tantùm casibus licitum esse ad obtinendum spirituale conferre temporale tanquam motivum (non tanquam pretium) in quibus temporale nullatenus censetur habere rationem pretii, ùt in casibus adductis ab eodem S. Thoma: putà quando dantur eleemosynæ pauperibus, ut orationum suffragia ab ipsis impetrentur, non intendendo eorum orationes emere: aut quando Prædicatoribus dantur temporalia ad sustentationem.

Hoc autem longè est aliud, quàm id, quod in duabus illis propositionibus damnatur. Nam prima dicit, non committi simoniam, *quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra* spirituale sit compensatio pro temporali. Quod est falsissimum. Nam omnis compensatio rei temporalis pro spirituali est appretiatio & æquiparatio rei temporalis cum spirituali; hoc autem est ipsum jus simoniacum; cùm sit vilipensio & irreverentia erga rem sacram.

Deinde propositio illa meritò damnari etiam potuit propter suam illimitatam universalitatem, non distinguentem inter motivum purum, & motivum, quod involvit tacitum pactum cum animo obligandi. Sequeretur enim, quòd si Clericus ab Episcopo peteret, conferri sibi Beneficium Ecclesiasticum, simúlque promitteret aut daret ei notabilem pecuniæ summam, & Episcopus propterea ei conferret Beneficium, neuter committeret (ne quidem pro foro externo) simoniam; cùm tamen præsumatur ex iis circumstantiis tacitum pactum, quo offerens pecuniam censetur velle Episcopum obligare: sicut pars litigans offerens Judici pecunias censetur eundem velle corrumpere & obligare.

Propter eandem rationem damnari meruit altera etiam propositio; quia nimiùm est universalis, & non distinguit inter motivum aut finem purum, & inter motivum aut finem, qui tacitum pactum & obligationem involvit. Deinde propositio illa habet adjunctam hanc clausulam: *Imò etiamsi temporale sit finis principalis rei spiritualis, sic, ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.* Quod meritò damnatur tanquam simoniacum; cùm non tantùm sit æquiparatio, sed prælatio & appretiatio rei temporalis supra spiritualem, & consequenter magna irreverentia & vilipensio sacrorum; in qua præcipuè consistit malignitas simoniæ.

Licèt autem pro foro externo ex circumstantiis præsumatur pactum tacitum, adeóque animus simoniacus, e.g. si sit eligendus Episco-

Episcopus, & unus ante electionem canonicis promittat aut det pecunias notabiles, quæ sint natæ eorum animum inflectere; aut si offerenti pecuniam detur res spiritualis permanens, e. g. sacræ reliquiæ.

Si tamen temporale præcisè detur *ùt motivum*, seu ut moveat alterum ad dandum spirituale, absque omni pacto, & animo obligandi alterum, neque ullo modo temporale detur ùt pretium rei spiritualis, neque tanquam compensatio qualiscunque, ita, ut nullo modo detur appretiatio aut æquiparatio inter temporale & spirituale, sed spirituale detur gratis, non committitur simonia juris naturalis & Divini pro foro interno.

Cùm enim simonia juxta definitionem S. Thomæ 2. 2. *q.* 100. *a.* 1. sit *studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum*, ad omnem simoniam, quæ sit juris Divini aut naturalis, requiruntur tria, nempe *merx*, *pretium*, & *pactum*. Atqui horum nullum datur in casu, iis terminis, quos posui, circumscripto.

Non etenim datur *merx:* quia nihil venditur, neque per alium contractum aut pactum commutatur. Neque datur *pretium*, quia nullo modo vult pretium solvere, aut compensare, aut æquiparare, ùt ponitur. Neque datur *pactum*, etiam tacitum tantùm & implicitum: quia nullo modo vult obligare; ùt rursus supponitur.

Deinde si semper esset simonia, quando datur aliquid temporale, ut moveatur alter ad conferendum aliquid spirituale, omnia plena essent simoniis, etiam in iis, quæ fideles timorati licitè se facere passim existimant. Afferamus aliqua exempla.

Esset simonia, si Præceptor instrueret Patroni filios, vel aliud quodcunque obsequium illi præstaret, ex spe præsentationis aliquando futuræ. Item, si quis Episcopo præstaret obsequium, ex spe ordinationis &c. quia est impossibile, ut obsequium præstet ex spe impetrandi spirituale, nisi intendat movere Patronum aut Episcopum ad dandum spirituale. Atqui communis est sententia, etiam post propositiones illas damnatas, quòd possit temporale dari ex spe obtinendi spirituale. Certè DEus ipse sæpe proposuit bona temporalia, tanquam motivum ad ipsi serviendum.

Esset simonia, si darem pauperi eleemosynam, ut prò me oret. Si Sacerdoti offeram pecuniam, ut pro me Missam applicet; quia per pecuniam volo ipsum movere, ut pro me applicet. Et, si etiam hæc pecunia consideretur ùt stipendium & sustentatio, tamen est aliquid merè temporale, quo oblato ipsum moveo, ut sacrum

pro me dicat. Profectò, licèt alias Sacerdos, e. g. in peccato gravi constitutus, non legeret Missam, nisi stipendio, à me oblato, moveretur, tamen propter illud celebrando non committeret simoniam. Ulteriùs, omnes piæ fundationes essent simoniacæ; quia à fundatoribus datur temporale, ut eveniat spirituale.

Parentes ac præceptores committerent simoniam, filiis aut discipulis promittendo munuscula, si diligenter orent &c. quia per hæc temporalia vellent movere ad ponenda spiritualia. Episcopus committeret simoniam, spem Parochiæ faciendo Sacerdoti, si curam animarum delegatam strenuè exerceat. Esset simonia, si Canonici accedant chorum, ut distributiones quotidianas obtineant. Si Dominus libertatem promittat servo, si convertatur, si studiosus alatur, ut ineat sacrum Ordinem. At verò S. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 4. ait, *licitum esse, per temporalia beneficia aliquem inclinare ad ingressum monasterii.*

Imò esset simonia, si alterum commendarem Episcopo, ut ipsum ordinet, aut Beneficium ei conferat; aut si ipsius Episcopum rogem, ut me ordinet, aut de Beneficio mihi provideat; nam ista commendatio & preces sunt aliquid temporale, & proponuntur Episcopo tanquam motivum ordinandi &c. & sæpiùs contingit, ut Episcopus non ordinaret aliquem, nisi moveretur hoc motivo, commendatione nimirum aut precibus. Similiter Episcopus committeret simoniam, si conferret Beneficium propter merita temporalia parentum, ac familiæ; Pontifex committeret simoniam, si faceret Cardinalem, quia est suus nepos. Quia hæc omnia sunt motivum conferendi spirituale, & movent, *quia sunt*, tanquam causa moralis.

Igitur tunc committitur simonia, quando temporale datur tanquam motivum, quod expressum vel tacitum pactum continet, aut quando intervenit pretium, aut æquiparatio, aut compensatio aliqua.

Et hinc *cap. etsi* 18. *de simonià* ad casum, quo frater Episcopi Strigoniensis electi Legato Apostolico equum dederat, rescribit Pontifex, eam dationem equi non fuisse simoniacam; quia equus à divite & Nobili Domino datus Cardinali, indigenti in itinere, est res parva, præsumendum proin non esse, quòd voluerit obligare. Et hinc summarium, huic Canoni præfixum sic sonat: *Ordinatio vel consecratio non censetur simoniaca, licèt Ordinatori aliquid donatum fuerit, non ex pacto.*

Simi-

Similiter *cap. tua nos* 34. *de simonia*, ad casum, quo Clericus bona sua temporalia obtulit Ecclesiæ, ut in Canonicum admittatur, & bona sua pro Præbenda retinere possit, Papa rescribit: *Quodsi Clericus cum conditione vel pacto largiatur, aut offerat bona sua, ut illa postmodum pro præbenda retineat, & in canonicum admittatur, hujusmodi oblatio vel receptio fieri non poterit sine vitio simoniæ, cùm in talibus omnis pactio vel conventio cessare debeat juxta canonicas sanctiones.*

Dein verò subdit: *Si verò purè ac sine pacto, vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, ut in canonicum admittatur, & bona sua retinere sibi liceat pro præbenda, & Clerici ejusdem Ecclesiæ purè consentiant, hujusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo simoniacæ pravitatis.* Licèt ergo bona sua temporalia offerat, ut per ea moveat electores ad conferendum sibi Canonicatum & Præbendam, eámque optet & speret, non committit simoniam, modò absit omne pactum, conditio, ac animus obligandi, omnísque æquiparatio aut pretium.

Quare, quod deinde subjungitur, culpabilem esse, *si ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri.* Hoc, inquam, intelligendum est; si velit Clericos obligare, aut æquiparare vel compensare spiritualia cum temporalibus, ùt videtur indicare particula *per.* Eodem sensu intelligendus est S. Thomas, dum dicit, simoniacum esse, *per pecuniam parare sibi viam ad spirituale obtinendum.*

Similiter non committitur simonia, (saltem Juris Divini & naturalis, atque pro foro interno) si detur spirituale, ut obtineatur temporale, consequenter, si hoc se habeat per modum finis: modò nullum, ne quidem tacitum, intercedat pactum, nulla obligatio, nulla æquiparatio, nulla compensatio, nullum pretium, sed spirituale omnino gratìs detur.

Aliàs enim esset simonia, si Sacerdos celebrationem Missæ alicui offerat, ut acquirat stipendium aut sustentationem; si recitet officium, in choro compareat, funus comitetur &c. ut fructus lucretur, distributiones ordinarias, aut sustentationem accipiat. Si Religiosi aut alii pauperes offerant preces vel sacrificia, ut obtineant eleemosynam. Si pueri orent, ut S. Nicolaus munuscula afferat. Si voveas recitationem coronæ Marianæ, ut sanitatem obtineas. Si preces Deo offeras, ad obtinendam pluviam, serenitatem, sanitatem, panem quotidianum. Nam in his omnibus temporale se habet per modum finis, & spirituale per modum medii ad illud obtinendum: quia datur spirituale, *ut sit* temporale.

 Neque

Neque obstare videtur altera illa propositio damnata, quam suprà attuli. Nam meritò illa fuit proscripta, tum propter illimitatam suam latitudinem, non distinguendo inter motivum purum, & motivum, quod habet rationem pretii aut pactionis tacitæ: tum propter malignam & impiam clausulam, qua asserit, non esse simoniam, dare spirituale ad obtinendum temporale, *sic*, *ut temporale pluris æstimetur*, *quàm res spiritualis*. Quod planè est simoniacum; cùm non tantùm sit æquiparatio, sed prælatio, & appretiatio rei temporalis supra spiritualem: consequenter magna vilipensio sacrorum.

Quando autem spirituale offertur ad obtinendum temporale, vel vicissim, quando temporale offertur ad obtinendum spirituale, sine omni æquiparatione, sine omni pactione, etiam tacita & implicita, sine omni animo obligandi, sine omni pretio, ita, ut neque spirituale neque temporale habeat ullo modo rationem pretii, sed præcisè spem habeat, uno oblato alterum impetrandi, non video, quomodo simonia incurratur, quæ sit Juris Divini aut naturalis, & *pro foro interno;* nam pro foro externo sæpè ex circumstantiis fit præsumptio, quòd pactio aliqua tacita & animus obligandi adfuerit, præsertim in materia Beneficiali. Faciliùs etiam præsumitur animus simoniacus, si pecunia offeratur, vel promittatur, aut aliud æquivalens, quàm si obsequium aliquod præstetur. Faciliùs item, si temporale tunc datur, quando agitur de spirituali conferendo, quàm si hoc tantùm in futurum, & in genere speretur.





R. P. BINER S. I.
APPARATUS
ERUDITIONIS
PARS I. II. III. IV.